

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F
18
NAPOLI



HISTORIA CONCILII TRIDENTINI.

XLVIII. F 18

Digitized by Google

Sternit humi fœdos hostes, & celsa tuetur.


VERA CONCILII TRIDENTINI HISTORIA,

AVCTORE SFORTIA PALLAVICINO,
E SOC. IESV, S.R.E. CARDINALE.

ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA M.DC.LXX.

T. 1.










VERA CONCILII TRIDENTINI HISTORIA,

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem, scripta & asserta à P. SFORTIA PALLAVICINO, Societatis IESV, posteà S. R. E. Cardinale Presbytero.

Primùm Italico idiomate in lucem edita; deinde ab ipso Auctore aucta & recensita; ac Latinè reddita à P. IOANNE BAPTISTA GIATTINO, *Panormitano, eiusdem Societatis* IESV *Sacerdote.*

PARS PRIMA.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXX.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI X. PONTIFICI OPT. MAX.

ISTORIAM Concilij Tridentini, quam Sfortia Cardinalis Pallauicinus Italicè conſcriptam ſecundò edidit, à me Latinè conuerſam, non erubeſco, BEATISSIME PATER, Tuos ante pedes deferre, Tuíque patrocinij luce perfundere. Duo ſunt præcipua, quæ mihi, tenuitatis meæ conſcio, ru-

borem abstergunt, & animos addunt; Operis à me translati dignitas singularis, & incomparabilis humanitas ac pietas Tua, cum pari sapientiæ prudentiæque splendore coniunctæ. Etenim argumenti amplitudo summa est: quippe quod Synodum complectitur, plurimis doctrinæ dogmatis, morúmque legibus supra ceteras instructam, Christianæ veluti Fidei munitissimam arcem; simúlque defensionem egregiam Pontificiæ auctoritatis, ac sincerissimæ veritatis. Argumenti celsitati consonat præcelsi Scriptoris & sapientia & solertia & elegantia, quibus apud omnes sapientes commendationem plausúmque promeruit. Verùm hæc ipsa Operis dignitas me deterruisset, ne illud à me La-

tinam in linguam translatum tanto Nomini consecrarem, nisi humanissimum ingenium Tuum, & in eo admirabilis illa temperatio eximiæ religionis, & exquisitæ sapientiæ ac prudentiæ, ingenuam quamdam audaciam mihi indidissent. Nemo sanè est, qui amabilem festiuitatem, ac beneficam comitatem & animi & oris Tui admiratus expertúsque non sit; vt hanc præstantissimam animi dotem, in Te planè ingenitam, non Tibi virtus & industria compararint, sed excoluerint, exornarint, & absolutissimè perfecerint. Hinc oritur communis omnium erga Te beneuolentia, obseruantiæ ac venerationis plena; hinc inflammata obsequiorum studia; hinc intima cunctorum vota, in

tuam felicitatem & gloriam conſpirantia.Sed patrocinantis mihi comitas Principis ſatis non eſſet,niſi accederet admirabile ſtudium pietatis, cum ſapientiæ prudentiæque præſtantia , quæ litterarium hoc munus, Catholicæ Religionis Armamentarium , ſuâ luce donarent. Maieſtas Principis exterius quoddam lumen eſt,quod extimam operis faciem illuſtrat: pietas & ſapientia Principis ſubeunt religioſi operis penetralia,& intimo fulgore perfundunt.Iam verò Tuæ pietatis claritas tam in aperto ſe prodit , vt omnem adulationis vmbram omnino diſijciat. Perpetuam in Te vitæ diuturnioris integritatem ſpectatrix Italia ſemper venerata , auditor terrarum Orbis admiratus,.Tuæ probitatis exempla de-

prædi-

prædicant; Tuæque virtutis excellentiam, omnibus planè numeris absolutam, lux publica, quæ falli non potest, tot annorum testimonio numquam interrupto fatetur: sapientiæ verò prudentiæque Tuæ decus ac specimen, publica munia per summam laudem à Te obita luculenter declarant; in quibus exercendis nihil à Te profectum est, quod cum omnium Ordinum comprobatione plausúque exceptum non fuerit: vt proinde cunctis non admirationi solùm, sed voluptati sit venerari supremum Ecclesiæ Principem, in quo (quamuis grauitatem senectutis acriter causante, & votis communibus viriliter reluctante) animi dotes, & vigor sapientiæ cunctarúmque virtutum, Vaticana

Comitia compulerint, vt vnanimi consensu Purpureum galerum Pontificiâ Tiarâ præuerterent. Ne igitur grauere, SANCTISSIME PATER, ET HVMANISSIME PRINCEPS, quâ ſoles hilaritate, meas haſce lucubrationes excipere, ac tueri.

Ad oſculum Sanctiſſimorum pedum prouolutus

Ioannes Baptiſta Giattinus.



IOAN-

IOANNES BAPTISTA GIATTINVS
LECTORI SALVTEM.



Vbet mihi, Amice Lector, causam hîc ingenuè fateri, quæ me ad Italicam de Concilio Tridentino Historiam Sfortiæ Cardinalis Pallauicini Latinè vertendam compulit; vt consilij mei particeps, & quid mihi perficiendum proposuerim intelligas, & an id assecutus fuerim pernoscas. Semper enim ea quæ nos impulit ad agendum causa, opus ipsum ita moderatur ac digerit, vt exactam ad idem aptè dimetiendum cognoscendumq; mensuram exhibeat. Hanc itaque Historiam, olim ab Auctore primùm vulgatam, eâ legeram, seu potiùs hauseram animi voluptate, vt mecum ipse contenderem, hinc impatiente ac penè præcipiti eius deuorandæ auiditate stimulatus, hinc eiusdem accuratiùs conspiciendæ, & quasi iucundiùs ruminandæ voluntate. Et iam tum admiratus singularem illam, ac prorsus incomparabilem sermonis elegantiam & venustatem, sententiarum in omni sapientiæ genere varietatem & excellentiam, doctrinarum subtilitatem & vbertatem, argumentorum perspicuitatem & efficaciam; in indaganda veritate diligentiam ac sagacitatem; in aduersarij seu detegendis fraudibus, seu refellendis mendacijs, euidentiam & acrimoniam; in explicandis Patrum Doctorumq; sensis ac dictis solertiam ac facilitatem; in toto denique Opere, singulisq; eius partibus, Philosophiæ, Theologiæ, Politicæ, Iurisprudentiæ, om-

omniumq; planè disciplinarum sublimitatem & copiam. Hanc inquam incredibilem Operis præstantiam, omnibus absolutam numeris, admiratus, angebar animo, quòd nationes omnes Italicam linguam haud callerent; adeoq; laboris egregij tam copioso, tam iucundo, tam salutari fructu priuarentur. At posteà, cùm è secundo prælo prodijt eadem Historia, non solùm additâ Auctori purpurâ illustrior, sed nouis etiam ab eo adiectis cuiusuis generis ornamentis supra veterem præstantiam pulchrior & admirabilior, eaq; cœpta est in publica nostra mensa de more rursus audiri; tum enimuerò mihi vehementior exarsit dolor, quòd tanta vtilissimæ planeq; necessariæ veritatis lux, diuinâ beneficentiâ ad illustrandam vniuersam Ecclesiam concessa, lateret quasi sub modio sermonis Etrusci, nec adhuc super candelabrum Latini, hoc est vniuersalis in Europa idiomatis, plurimis ac præcipuis nationibus præfulgeret. Hoc stimulatus dolore, eò tandem deueni, vt Latinam huius Historiæ versionem, quamquam tanto molimini me imparem agnoscerem, vtcumque mihi suscipiendam putarem; non quidem illecebrosâ spe ductus, eam dictionis venustatem, illum sententiarum splendorem, illam in explicandis doctrinis felicitatem, ob quæ Italicam Auctoris elòquentiam admirabilem potiùs quàm imitabilem existimo, per meam in Latino sermone tenuitatem expressum iri; sed publicæ vtilitatis desiderio animatus, ad eam, si non adeò concinnè, certè fideliter dilucideq; repræsentandam. Quare mihi non tam scribendum aliquid quàm exscribendum proposui:

posui: cuius propositi potissima laus est, non adijcere ornamenta de suo, sed obiectum exemplar exactissimè imitari. Ex his mei consilij summam tenes, Beneuole Lector; nimirum, hoc mihi enitendum, vt simillimam Historiæ Sfortianæ imaginem per dissimilis elocutionis colores ad viuum expingam. Cùm autem diuersa linguarum ratio ab illa puerili versione de verbo ad verbum prorsus abhorreat, quantum potui conatus sum, vt quod Jtalus loquitur, Latinè redderem. Si hoc enim perfecero, & voto meo, quod iam exposui, abundè satisfaciam, & alienas diuitias reddam meas, non certè alieni fur, sed Domino obsequentissimus. Verùm hîc te admonitum velim, me Latinarum vocum ac formularum obseruantissimum quidem futurum; non tamen omninò prætermissurum ea vocabula, quæ licet Latina non sint, aut quasi propria nomina quibusdam rebus indita censentur, aut vsurpantur in scholis ad abstrusiores animi conceptus exprimendos. Sed hæc ipsa per eam cautionem adhibebo, vt quædam alijs descripta characteribus appareant. Ceterùm si quid in hoc meo labore tibi sapidum iucundumq; placuerit, non condimenti gratiam, sed cibi vim agnoscas, qui vel sub insulso condimento adhuc seipso affatim sapit.

HIERO-

HIERONYMI PETRVSII S. I.

Historia Concilij Tridentini ab Eminentissimo SFORTIA CARDINALI PALLAVICINO conscripta, veritasque defensa.

SFORTIA, Romani miles pro Sede Parentis,
Fulminea in profugos tela gigantas agit.
Ille Tridentinum, Regumq; Patrumq; Senatum
Iurata fidei narrat in Historia:
Nodis ille dolos, fraudesq; reuincit ahenis:
Agminaq; errorum in Tartara præcipitat:
Dulcia Sirenum mendacia nudat: & atram
In Scyllam incautas non sinit ire rates.
Palladis aspectu in lapides riguere gigantes;
SFORTIAM *vt aspexit Perfidia, obriguit.*
Centimani Briarei prensatis Sidera? Non est
SFORTIA *vicinus Palladi, Pallas hic est.*

ALEXANDRI POLLINI

Ad Eminentissimum SFORTIAM CARDINALEM PALLAVICINVM de Historia Concilij Tridentini ab eo scripta.

CLara Ducum soboles, Bellatorumq; propago,
Qui veteres forti nomine reddis Auos,
Tu licet abnueris Martem, & meliora secutus
Palladijs iam cælum artibus attigeris;
Arma tamen fato generis te, duraq; bella,
Atque triumphato laurus ab hoste manent.
Indomiti vel nunc infracta superbia monstri,
Totq; dabat Populis qui modò damna furor,
Quem nouus Alcides & ferro aggressus & igni
Diuini extinxti viribus ingeny,
Quas peperit palmas? quæ venit adorea? quantus
Inde tulit plausus nomen ad Astra tuum!
Ille quidem edomuit postquam portenta, domari
Postremam victor comperit Inuidiam:
Tu maior, simul indomitum certamine primo
Et superas hostem, SFORTIA, & Inuidiam.

STE-

STEPHANI GRADII

Ode in Emblema præfixum editioni Latinæ Historiæ Concilij Tridentini Eminentissimi CARDINALIS PALLAVICINI.

Montium præpes nemorumq; cultor,
Arduum cæli decus, ô minister
Impios certo ferientis ictu
Fulminis Ales;
Qui Viris clarum, titulisq; priscis
SFORTIÆ *magni genus atque stirpem, &*
Missa per longam seriem parentum
Stemmata signas,
Perge, vbi pulchræ generosus ardor
Te dapis dudum tenet, atque pugnæ
Vltimum victor pretium decoris
Addere lauris.
Perge, diuini radios tuendo
Solis, & rostro lacerare, & vngui
Si quid inuisi Superis colubri
Restat inultum.
Tuta vt à fœdo Pietas vapore
Splendeat castis operata templis;
Et teter puras odor inquinare
Desinat auras.
Non vides quantâ tibi mole præsens
Auxili Cælum faueat? Verendo
Sol tuus latè superis & imis
Nomine fulget.
Hoc duce insuetum per iter citatas
Explicas primæ inter operta causæ
Arduus pennas, penetrasq; summi
Limina Veri.
Nota iam dudum hic tibi tela, & acres
Sufficit cordi intrepido fauillas;
Hostium tergo benè sæpè notas
Sufficit iras.
Sed quid immites, mea Musa, pugnas,
Sæua quid frustrà meditaris arma?
Vicimus: primo ferus hostis olim
Concidit ictu.

***

Conci-

Concidit latè, volucrumq; regem
Auxit æterno domitus trophæo:
Et nouum asserti radiare fecit
Sidus Olympi.
Tale Cyrrhei domitor draconis
Rettulit palmæ decus, & Gigantum
Impias sæuo iaculatus igne
Iuppiter arces,
Dira cùm Terrâ sata matre pubes
Preßit insano Superos duello, &
Sanguine ex tetro tetrior cadentum
Extitit anguis.
Talis in Dacos vtinam Scytasq;
Italas virtus animaret hastas;
Tamq; felici quateremus Afra
Oppida marte!
Barbarâ haud vltrà gemerent cathenâ
Græciæ pingues Asiæq; campi;
Et Sacris læti fluerent Latinis
Nilus & Ister.

AVGVSTINI FAVORITI.

SI te, magne Heros, tellus Argiua tulisset,
Cùm vacua adscripsit fortibus Astra viris;
Vidissetq; tuâ confossum cuspide monstrum,
Sternere quod centum non potuere manus:
Quà Nemees Lernæq; feras posuere, tropheum
Herculis, arderet quæ tibi victa fera est;
Quodq; habet Alcides, tu Cælum inuicte teneres,
Creditus hoc humeris sustinuisse tuis.

OCTAVII FALCONERII.

CEde loco, falsi Iouis Ales, Græcia mendax
Quem Astra inter rapto pro Ganymede dedit.
Cede loco: stellis iamq; es minùs apta notandis
Fabula; te cælo iam micuisse pudet.
At tu Tartarei domitrix succede Draconis;
Vnus & hic posthac impleat Astra labor.
Sic tandem cælo dignis, te vindice Cæli,
Fulgere incipient sidera nominibus.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVM Historiam ſacri Concilij Tridentini, à P. Sfortia Pallauicino noſtræ Societatis, nunc S. R. E. Cardinali, Italico idiomate aliàs conſcriptam, à Patre Ioanne Baptiſta Giattino, eiuſdem Societatis Sacerdote, in Latinum tranſlatam, aliquot noſtri Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratiâ has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ XVIII. Ianuarij M.DC.LXV.

Ioannes Paulus Oliua.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellius,
Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

APPROBATIO CENSORIS.

INfraſcriptus per præſentes atteſtor, me legiſſe tres tomos, in quibus continetur *Vera Concilij Tridentini Hiſtoria, contra falſam Petri Suauis Polani narrationem, ſcripta & aſſerta à P. Sfortia Pallauicino Societatis* IESV, *deinceps S. R. E. Cardinale Presbytero; priùs Italico idiomate in lucem edita, deinde ab ipſo Auctore aucta & recenſita, ac Latinè reddita à P. Ioanne Baptiſta Giattino Panormitano, eiuſdem Societatis* IESV *Sacerdote*: qui quia nihil continent quod S. Romanæ Eccleſiæ aut bonis moribus aduerſetur, meritò in lucem proferentur. Datum Antuerpiæ die VI. Iunij M.DC.LXX.

Aubertus vanden Eeden I.V.L.
Protonot. Apoſtolicus, Canon. &
Archidiac. Antuerp. Lib. Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.



AROLVS II. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentiſſimus Belgarum ac Burgundionum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis *Hiſtoriam Concilij Tridentini, Auctore Sfortia Pallauicino S. R. E. Cardinale Presbytero, priùs Italico idiomate editam, nunc latinitate donatam à P. Ioanne Baptiſta Giattino Societatis* IESV *Sacerdote*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in has Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIV. Maij M. DC. LXX.

Signat.

Loyens.

APPA-

APPARATVS,

Ad veram Concilij Tridentini Historiam, & falsæ à Petro Suaui conscriptæ confutationem.

ARGVMENTVM.

Operis materia proponitur. Aperitur notitia libri Londini editi, præfixo nomine Petri Suauis Polani, de eadem materia. Discutiuntur illius Scriptoris conditio; fontes vnde sibi deduxit rerum cognitiones; & præsumptiones vniuersales, quas Historiæ suæ substernit, tam generatim ad Oecumenica Ecclesiæ Concilia, quàm præcipuè ad Concilium Tridentinum spectantes.

CAPVT PRIMVM.

Proœmium ad Lectorem, in quo argumentum Operis exponitur; & quàm digni videantur Historiâ Religionis euentus, ac potissimùm Concilij Tridentini.



ISTORIA, quam aggredior, haud eò tendit, vt per iucundum præliorum horrorem
1 phantasiam legentium oblectet, communem cuilibet animantium facultatem; sed quò præstantioribus formis vtilissimæ veritatis mentem perficiat, quæ solùm inest homini, ac sola homo est. Historia, cui pro fine præfigitur non legentis oblectatio, sed eruditio, tunc sanè præcellit argumento, cùm res gestæ, quas subiicit, præstabiliores sunt ad notitiam, non cùm speciosiores ad picturam.

In rebus humanis faſtigium obtinet Religio, cuius benefi- 2
cio cum Cęlitibus mortales aſſueſcimus,ipſumque Cęlum adimus. Proinde narrationes, quibus Religio materiam præbet, eo certè altiùs ſupra ceteras euehuntur ex argumento, quo cælum ſupra terram attollitur. Quin, vt in ipſis terrenis effectibus maiorem exercet efficaciam cælum quàm terra;perinde in ipſa profanarum rerum gubernatione, quocumque profano molimine potentius euadit. Terror ille, quem vnus homo,binis inſtructus brachiis,multis brachiorum millibus incutit,larua eſt, quæ ſtatim euaneſcit: validam catenam,quâ vincitur hic Briareus,reuerentia Diuinitatis conflat.Vti ex Proceribus quiſpiam Curiæ apparitori nequaquam cederet;niſi Principis auctoritatem in eo reputaret; ita nec populus vni pareret homini, niſi Diuinam in homine illo auctoritatem agnoſceret. Religionis diſſidia,officinas penè dixerim ad bella maximè implacabilia: conſtantiſsimè cum hoſte pugnaret, quicumque Numen ſibi fœderatum opinatur. Idcircò conflictus illi,atque adeò tragicæ rerum conuerſiones,quæ admiratione luctuosâ poſtremi temporis hiſtorias locupletarunt, aliud reuerà non ſunt,niſi malorum colluuies, expreſſa (vt de pyxide neſcio qua vetus fabula prodidit) ex atramentariis Lutheri atque Caluini. Celſiores porrò mentes non ſolùm magis iuuat, ſed oblectat cauſarum cognitio,quàm effectorum inſpectio; tametſi oculorum aciem iucundiùs vellicent frondes ac flores arborum, quàm radices.

Ex alia etiam ratione ad peculiarem Politicæ finem accedit 3
propius Hiſtoria narratione decretorum Religionis, quàm rerum in bello geſtarum. Bellum, vt Ariſtoteles animaduertit, pacis gratiâ inſtitutum eſt: hinc ipſe eas Reſpublicas meritò reprehendit, quibus curæ fuit decernere quæ prodeſſent vt in bello vincerent, non quæ facerent vt in pace quieſcerent; tamquam prouidas vtilium ad finem,& ipſius finis negligentes.Itaque fructuoſiùs agitur, ad lectorem in Politicis inſtituendum, ſi rationes explicentur,quibus præſcriptæ ſint leges,ad vitam in

pace

pace perpetuò ducendam idoneæ; quàm si volubiles referantur euentus incertæ bellorum varietatis. Atqui inter leges eæ profectò maioris sunt ponderis, quas sancit Religio: ipsa namque non solùm omnino moderatur eam Reipublicæ partem, quæ doctrinâ, virtute, dignitate potior est, Ordinem videlicet Ecclesiasticum; sed etiam multa præscribit præcipuis reliquorum Ordinum actionibus.

4 Iam verò si quis Religionis processus meretur ob eiusmodi commoda, vt posterorum memoriæ commendetur, ea sine dubio est habenda Oecumenica Synodus superiore sæculo Tridenti celebrata. Nullum è reliquis Conciliis eâ diuturnius tempore, amplius Fidei dogmatibus ibi sancitis, morum legumque mutatione efficacius, obstaculis interpositis magis arduum, sedulitate in rebus discutiendis accuratius, & quod ferre solet operis magnitudo, nullum magis ab amicis collaudatum, ab inimicis vituperatum. Huius Concilij in animo est referre causas, principia, progressus, tractationes, euenta. Argumentum, vt ostendi, per se maximè conducibile; sed huiusmodi, vt quemadmodum accidit plerumque negligi bonum, quòd necessaria malo medicina non putatur; ita nemo Catholicorum pertractandum susceperit, dum ad confutanda mendacia, vera narrandi necessitas non accessit. Occasio igitur, quæ ad hanc Historiam conscribendam animum compulerit, capite proximo proponetur.

CAPVT II.

Historia Concilij Tridentini edita nomine Petri Suauis Polani, & quam mereatur fidem.

1 TRiginta ampliùs anni sunt, cùm prodiit Londini liber, in lucem editus à Marco Antonio de Dominis, Archiepiscopo Spalatensi, Catholicæ Religionis transfuga, quem ipse Britanniæ Regi Iacobo dicauit, scriptum (vt in pro-

posita dedicatione habetur) ab homine inter Catholicos degente. Huic libro titulus erat, *Historia Concilij Tridentini*, adiecto auctoris nomine *di Pietro Soaue Polano*, quod sub Italico anagrammate verum nomen ac patriam scriptoris inuoluit. Liber hic tantum planè fidei merebatur apud Famæ tribunal, quantum in Iudicum consessu integerrimo testimonium hostis, acerbissimum odium profitentis.

Quisquis historiam scribit, solam testis personam agit: narrat, haud probat. Imò neque vt oculatus testis loquitur, sed ex coniecturis; cùm ipse non quod fuimet sensûs euidentiæ subiectum fuerit exponat, sed quod è multorum narrationibus incertis, ambiguis, sibiq́ue nonnumquam repugnantibus, industriâ iudicij sui tandem collegerit. Hinc fit, vt ad eleuandam historici fidem opus non sit, peruersam in eo deprehendere libidinem falsa pro veris affirmandi: satis est, animum malè affectum agnoscere, qui vt simile vero amplectitur, quod veri speciem non præfert.

Quæ cùm ita sint; hostilis animus huius scriptoris in Catholicos non modò in fronte Operis sese prodit (quippe Archiepiscopo apostatæ ab eo donati, ab hoc autem Regi hæretico dicati, instar, vt ipse iactat, noui Moysis ab aquis subtracti, qui aduersus Vaticanum eas esset relaturus victorias, quas alter aduersus Ægyptum reportauit;) sed patentiùs in Operis progressu sese aperit. Ibi auctor ferè ne periodum quidem claudit, quin hanc suam maledicendi propensionem lectoribus detegat, dum semper acta factionis hæreticæ defendit, Catholicæ damnat; alterius rationes in singulis roborando, alterius fundamenta deridendo, æquâ semper exultatione prægestiens in primæ lucro, quàm in secundæ iactura.

Prætereà scriptor Historiæ, perinde ac testis, quò sibi fidem 2
conciliet, probitatem præseferat necesse est. Hic autem auctor apertâ nequitiâ sese improbum patefacit, non solùm Fidei, sed etiam Naturæ lumini. Inuitus equidem in hoc argumentum ingredior. Cuperem etiam è re mea, vt *literatus ac probus homo*

nomina

nomina essent indiuidua. Quælibet exceptio huiusce regulę non modò displicet mihi, sed etiam nocet. Tamen vt charitatis est publicę, scelesti ciuis capiti non parcere, quò plurium bonorum vitæ consulatur; ita charitas erga Rempublicam compellit, ne vnius impij famæ parcatur, quò multorum piorum existimatio redimatur. Eâ sanè cum Suaui moderatione agam, vt quidquid hac de re dicam, attentiùs inspicienti clypeus non gladius videatur. Ita iure comparatum est, vt ad tuendam clientis innocentiam contra falsos testes, adducantur in iudicium, & probentur ea quæ ipsorum inquinent famam, & quæ alioqui famosum libellum capite plectendum conficerent. Quare, cùm apud vniuersitatis humanæ iudicium non priuati clientis, sed Ecclesiæ Catholicæ defensionem susceperim; præuaricator enormis haberer, nisi opponerem testi eam exceptionem, quæ ipsius iaculis aciem vel obtunderet, vel adimeret.

Aio itaque, Suauem improbum se prodere quicùmque non solùm Fidei, sed Naturæ lumine prædito. Nequam est quicumque eam Religionem colit quam falsam existimat, legitimâ diuinitatis veneratione alicui humano commodo posthabitâ, per scelestissimam proditionem quam possit homo moliri; quippe contra summum summeque legitimum Principem. At scriptor, de quo sermo est, non modò Catholicam Religionem professus, eiusque coluit ritus; sed è cathedra eam explicauit, inculcauit è suggestu, & vitam in Ordinis Religiosi disciplina ducens, non suscepit solùm, sed exercuit & administrauit Ecclesiæ Sacramenta: atque in ipsius Vita, ab eiusdem alumno illi intimo & coniunctissimo scripta, dicitur eius lingua, in Romana Fide tuenda, tota penitus æstuasse. Vel igitur eam ipse profitebatur ex animo, vel se profiteri simulabat. Si reipsâ existimabat vt veram; quænam fœdior impietas, quàm librum conscribere ad opprimendam eiusmodi veritatis Fidem? Non loquor de perpetua vituperatione, quâ ipsius omnes Præsides ac Decreta ad infamiam trahit; sed de impudentia intolerabili, quâ sæpissimè impugnat, planeque deridet præ-

cipua dogmata, quibus diſtinguimur ab hæreticis; ferè ſemper argumenta Lutheranorum Teutonum anteferens Tridentinorum Patrum ſententiis: adeò vt ille Catholicæ Religionis perduellis donum eo gratius non inuenerit, quod offerret Regi Proteſtanti, qui non minùs ſtylo quàm ſceptro hæreſi fauebat.

Verùm hac ſuſpicione,quòd ſcripto Fidem Catholicam op- 3
pugnauerit,quam animo complectebatur, haud obſcurè Suauem liberant interceptæ eius litteræ ad Caſtrium Gallum, hominem Vgonottum, datæ, vel ſuâ manu exaratæ, vel per indicia probationeſque efficaces pro ſuis habitæ agnitæque, & vti Suauis litteræ communicatæ Paulo V. P. M. à Roberto Vbaldino,Pontificio Nuntio in Gallia; qui poſteà in Apoſtolico Senatu, virtute, litteris ac prudentiâ conſpicuus diu eluxit. Seruantur huius rei monumenta,manu eiuſdem Pontificis ſcripta, & à nobis etiam inſpecta:ſatis erit hîc ex his nonnulla delibare.

Ex litteris 11. April. 1611.

Libenter pernoſcerem,an Regina Condeo faueat: ſicut etiam,an ſpes affulgeat,Reformatos aliquid acquiſituros in cauſa Religionis: huc enim ſupra cetera ſpecto; cùm perſuaſum mihi ſit, hoc futurum adiumento, vt in Italiam Euangelium introducatur.

Ex litt. 16. Martij 1610.

Nouus Legatus, iſthuc deſtinatus, cordatus eſt vir; at Papiſta non quidem per inſcientiam, ſed ex animo, adeoque magis cauendus. Fratri Paulo mutua cum eo palàm intercedunt officia, nulla interiùs fides. Studebit ille inire conſuetudinem cum Caſaubono atque Caſtrino, quibus erit operæ pretium cum eo verſari, ſed cautè. Sullij conſeruatio mihi placet ſummoperè, ob adiumenta quæ inde capere poſſunt Reformati.

Ex litt. 21. Decemb. 1610.

Opus erit,vt habeatur ratio Vgonottorum: ipſi verò benè rem agent, nihil petitionibus parcentes; eò præſertim, quòd quæcumque ex ipſorum re fuerint,ex Regis bono atque ex Dei cauſa erunt.

Nolo hîc ingratè reticere honorem, quo ibi Suauis meum Religioſum Ordinem proſequitur, dum illum pronuntiat aduerſantem paci, quâ firmiter frui cum Chriſtianiſſimo Rege exoptabant hæretici; ita prorſus latinè ſcribens: *Gaudeo quòd iſthic pax Religionis manſura ſit: ſed Ieſuitis præſentibus, tantum*

tàntum bonum difficilè obtinebitur, à quo illi magis quàm à morte abhorrent.

Et quoniam veritas quamdam edit vocem, cui vndecumque consonat echo; post primam huius Operis editionem euulgatæ hîc sunt Epistolæ Claudij Serrauij Caluinistæ, Consiliarij Parisiensis, impressæ Aurantij anno 1654. operâ Isaaci Serrauij filij: in quarum vna, iam inde ab anno 1639. data ad Vgonem Grotium, celebrem eiusdem sectæ litteratorem, laudatur Suauis, vero ipsius nomine haud dissimulato. Narrat autem Serrauius, inspectas à se quasdam eius litteras ad Philippum Morneum, insignem planè Vgonottum, cum quo Cardinalis Peronus, ante Purpuram, adeò feliciter disputauit; additque: *Sed quanto zelo reparationis Diuinæ Domûs vterque flagrabat, dum admotâ manu inuocabant Dominum? Perficiat tandem opus suum* ὁ Πατὴρ τῶν ἐλέων. Altera etiam extat Epistola, 29. Iulij data anno 1646. ad Claudium Salmasium eiusdem factionis, in litteris humanioribus illustrem; in qua, vbi de Primatu Romani Pontificis habetur sermo, vt in inuidiam vocetur, hæc de illo pronuntiantur: *Quid si eum nouo, sed vero vocabulo, à magno....* (hîc verò proprio nomine Suauis appellatur) *solerter excogitato, Totatum dicamus? ita enim ille in* ἰδιοχείροις, *quas nuper versare mihi contigit, ad Villerium Hotomannum epistolis,* eâdem cum illis tabe correptum.

Nouum mihi argumentum confirmandi, viuente ac luculento teste, ea quæ hucusque dixi de praua religione, peruersoque animo Petri Suauis, in cuius fide nititur historia quam impugno, suppeditat notitia quædam, à * Marchione de Lionne, præclaro illo Regis Christianissimi Ludouici XIV. administro, mihi communicata pro singulari ipsius in Catholicam causam studio. Ea verò est. Cùm à Batauorum Ordinibus fuisset missus ad Suauis patriam Dominus de Sommerdijck ipsorum Orator, incidissetque ipsi opportunitas cursim illius alloquendi, à Suaui eum fuisse his propemodum verbis interpellatum: *Lætor summoperè, me eousque vixisse, dum in patria*

* In eius Epistola 11. Aprilis an. 1665.

mea

mea cernerem Legatum illius Reipublicæ, quæ mecum hanc veritatem agnoſcit, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. Hoc narrauit laudato Marchioni de Lionne Dominus de Zuilichom, qui tunc erat in comitatu commemorati Oratoris, & poſteà Principi Aurancio à Secretis fuit; idque poſteà ſcripto, quod apud me eſt, ſuâ manu exarauit.

Accedam ad alteram propoſiti dilemmatis partem. Si Catholicam Religionem pro vera non agnoſcebat; quî poterit impietatis infamiam euitare vel apud hæreticos, qui numquam prætermiſit eas impertiri abſolutiones, quas cenſebat ſuperſtitioſas cæremonias; quique Fidei ſacramento ſe obſtrinxerit, quam habebat pro falſa; atque illi obedientiam deuouerit tamquam Chriſti Vicario, cui tyrannicam huius nominis vſurpationem animo imponebat?

CAPVT III.

An Suauis aliquam excuſationis ſpeciem ſuæ nequitiæ poſſit prætexere, ſaltem apud hæreticos.

1 MIhi fortaſſe quiſpiam reſpondeat, in ea Suauem opinione fuiſſe, vt cenſuerit hominem piè viuere in quacumque ſecta Chriſtianæ Religionis poſſe, modò huius fundamenta retineat: quo pacto quilibet æternam vitam conſequi poteſt, ſiue S. Thomæ, ſiue Scoti doctrinis adhæreat. Atque hæc ſanè fuit opinio, quam diſſeminare meditabatur memoratus Archiepiſcopus Spalatenſis; qui poſt voluntarium ad Romanam Eccleſiam regreſſum, ſimulatamque abiurationem, quâ præteritorum errorum veniam impetrarat, ſuâ ipſius confeſſione conuictus, quòd in ea eſſet ſententia, ſimulque moliretur conciliationem quamdam cum hæreticis Britanniæ, quæ illam credendi libertatem cuique concederet, damnatus eſt, eiuſque cadauer combuſtum, cùm ipſe priùs ex morbo diem obierit in carcere, editis pœnitentiæ validis argumentis.

2 Hac ergo poſitâ opinatione, contendent exiſtimaſſe Suauem,

uem, licere cuilibet in hisce materiis ad arbitrium alteram sententiam animo retinere, alteram opere prosequi; vti multorum fert opinio, idipsum permitti in quæstionibus vtrimque probabilibus. Verùm ab ea sententia solent etiam hæretici abhorrere; qui, si hoc verum existimarent, Catholicos planè pro Idololatris damnare non possent, nec Pontificem pro Antichristo; cùm & Pontifex, & Populi, illum tamquam Christi Vicarium agnoscentes, haud fidem iis assertionibus abrogent, quas isti solùm necessarias ceu fundamenta Fidei arbitrantur; neque potuissent ob discrepantiam opinionum merè probabilium, & quæ ad salutem necessariæ non haberentur, ab imperio legitimorum Principum se subducere, eaque de causa tantam Christiani sanguinis eluuionem profundere. Iam verò ad quem spectabit (eos percontor) secernere hæc necessaria dogmata ab opinabilibus ex arbitratu? Non ad Pontificem, nec ad Christianæ Reipublicæ partem illi parentem; quippe quæ veneratur vt necessaria quæcumque in Tridentino Concilio decreta sunt: non ad veterem Ecclesiam; vt quæ pro temporis successione damnauit semper, & anathemate perculit eos, qui vel minimùm à communi Fide & Conciliis Oecumenicis dissentirent. Neque sanè quòd Pelagiani, Donatistæ, & Iconomachi, diuinam Triadem, Incarnationem, aliaque præcipua dogmata faterentur, idcircò tolerati, atque exempti ab Ecclesiæ anathemate, sanctorumque Patrum execrationibus. An tandem spectabit ad concordem consensum eorum omnium, qui quocumque cultu Christum adorant? At si tam communi consensione opus esset, quò articulus aliquis Fidei redderetur ad salutem necessarius, huiusmodi non esset Verbi Diuinitas, ab Arianis negata; non Spiritus Sancti, quem Macedoniani inficiabantur; non ipsa Diuina Trinitas, Sabellianis improbata; non vera vnio inter Diuinam humanamque naturam, à Nestorianis reiecta. Quocircà Suauis, vbi semel refert opinionem Nestorij, haud rectè sic fuisset exorsus, *Postquam impietas Nestorij*. Quis non animaduertat, hæc laruas

esse, vel propemodum Impietatis, humana commoda externo Diuinitatis cultui anteferentis; vel Atheismi, qui nihil de Superis credit, sed varias conflat species mendaces, quibus vultum obtegat huic *nihilo*, nimis odioso naturæ sensui hominumque consensioni? Cùm ergo Suauis in tam aperta de Religione discordia, inter vitam suam & calamum, interque calamum & linguam nequeat notam effugere, quòd ex iis altera cordi repugnet; id satis est vt improbitatis conuincatur, cuius veluti reos damnant & oracula Scripturæ,& Naturæ principia eos omnes, qui in quamlibet harum partium scelus admittant: atque ex his patet, quânam ratione in singulis materiis, ac præsertim Religionis, veritatem historiæ suæ ipse conciliet.

Orator, cuius tamen munus non est suadere rem solùm affirmando, sed probatione confirmando, oportet adhuc, ex concordi Rhetorum documento, vt vel homo probus sit, vel certè probus appareat: aliter probatio quævis ab eius ore, suspecta, adeoque infirma procedit. Quantò magis Historicus, cui fidem abundè faciat necesse est celebratum illud Pythagoricæ auctoritatis prodigium, *Ipse dixit*? Hinc ego in hoc homine clariùs quâm in aliis perspexi, quantùm peruersæ affectionis vapor acumen sagacitatis obnubat. 3

Ille quidem inter clara nostræ ætatis ingenia locum obtinuit. Inuestigatione profanæ Politiæ apprimè versatus, desudauit in hoc Opere non æstu quodam celeri, sed tantâ laboris maturitate, vt in hoc vitam ferè totam impenderit; quod ipse testatur. Operi colorando adhibuit exquisita quæque pigmenta, vt ei quod fieri nequit, faciem veritatis appingeret, &, quod incredibile omnino esset, probabilitate fucaret; prout hic liber ostendet. Imperare tamen haud potuit effrænato animo, quin prolaberetur in amentiam tam manifestam, tam efficacem ad abrogandam scriptori fidem, quanta fuit se prodere hostem Pontifici, impium Deo. Sed hoc fortassis è Naturæ prouidentia manat; quæ cùm ad veri cognitionem procreauerit hominem, characterem quemdam veritati impressit nullâ arte imitabilem, 4

tabilem, quò à falsitate secerneretur: quod certè, vbi necessitas magis vrgebat, accuratiùs perfecit, adeoque patentiùs; vt apparet in vultibus, in vocum sonis, in scripturis, ceterisque ad hominum commercia pertinentibus. Atque ita videtur ex vna parte in Auctoribus eximiæ sanctitatis, veluti in Augustino, & Aquinate, hæc sanctitas interlucere per eorum scripta, quamuis planè theorica, maximeque contentiosa; ex altera verò in hæreticis, ac potissimùm in hoc homine, argumenta tam pia pertractantibus, nulla vsquam deprehendi guttula teneræ pietatis in Deum, nullus sensus æterni boni, nullus ardor charitatis; sed solus ardor ille satyricorum, qui non fouet, sed comburit ac denigrat; nulla denique animi propensio ad ea quorum magister extitit Christus, & quæ idcircò Christianam Religionem à contrariis sectis discriminat.

CAPVT IV.

Vtrùm Suauis rerum notitiam hauserit ab auctoribus integræ fidei, an suspecta.

1 VErùm omittamus reliquas coniecturas, quæ fidem subtrahunt Suauis narrationi: satis sit auctores exquirere, è quorum seu dictis seu scriptis rerum ille notitiam traxit; idque vel ex ipsius, vel eius studiosorum, intimeque familiarium testimonio. Laudat ipsemet in prima periodo accuratam diligentiam, quâ Ioannes Sleidanus præcedentes Concilij causas congessit; atque indicat se velle in pauca redigere, quæ Sleidanus fusè recenset. Sciendum verò hîc est, Sleidanum adeò se profiteri fautorem hæreticorum, Romanæque Sedis inimicum, vt librum suum Augusto Saxoniæ Duci dicauerit, eò laudibus Ducem extollens, quòd in eius ditione Lutheri secta primum asylum nacta sit, suamque historiam hisce verbis ordiatur: *Leo Pontifex Romanus, pro sua, quam in omnes Christiani nominis Ecclesias habere se putabat, quadam vsurpatione Maiorum potestate.* Idem præterea fodinam non dissimulat, à qua

æs ad suum Opus conflandum extraxit, cùm ipse testetur, cognitionem rerum ad Germaniam pertinentium se à Iacobo Sturmio, magni nominis inter Caluinistas, desumpsisse. Huiusmodi ergo testi fidem adhibet, qui Snaui adhibet in iis quæ Concilium præcessere, hoc est in huiusce molis fundamentis.

Illud etiam exploratum est, Sleidanum non solùm Catho- 2
lico nomini infensum esse, sed etiam ob mendacia famosum. Cuius vitij eum ex professo conuicerant inter Germanos Surius, inter Gallos Fontanus. Posseuinus, præter testimonium contra grauia illius mendacia productum, ex auctoritate Iulij Flugij Episcopi Neuburgensis demonstrat locum à Sleidano deprauatum, in historia ab eo latinè versa Philippi Cominæi, verbis aliquot prætermissis Missæ Sacrificio fauentibus.
Anno 1519. Spondanus itidem in Appendice ad Baronium *Loquacissimum mendaciorum* appellat. Enimuerò Sleidanus tam perditè affectat inimicitiam in Romanam Ecclesiam, vel pretio infamiæ quòd malignus ac mendax audiat, vt Suauem in hoc longè superet. Proinde videri posset in præsentia à vero discrepare scitum illud, quòd imitatio mali maior euadat exemplari; nisi ea species veneni, quod secùs ac regulus solùm non videntem lædit, tunc maior esset, quando est minor.

De iis quæ posteà in Concilio euenere, haud explicat par- 3
ticulatim Suauis, vnde traxerit ea quæ protulit, nisi interdum de insigni aliqua re gesta: semel tamen refert Camillum Oliuum, à Secretis Cardinali Gonzagæ, Legatorum in Concilio Principi, multis posteà ærumnis affectum à sacris Fidei Quæsitoribus, quò vel ab eo gesta, vel à Cardinali Concilij tempore, vlciscerentur: subditque se cum illo egisse, eâque indignum calamitate sibi visum. Porrò in Vita Suauis habetur, eum iuuenili ætate cum Oliuo Mantuæ contraxisse amicitiam, postquam hic à Fidei Tribunali diu fuisset detentus in carcere ex causa iam dicta; (vnde liber quidem euaserat, sed numquam in gratiam Aulæ redierat) atque ab eo primas magisque distinctas notiones de Concilij rebus suxisse. Hoc profectò si verum

In Vita Suauis edita Leidæ pag. 15.

rum

rum est, apud se quisque reputet, quàm sincerâ veritatis gratiâ de eo cœtu ille verba fecerit, cuius nomen ac fortuna tantum inde vulnus acceperant. Quo sensu commouemur, quando eorum locorum audimus nomina, vel eá reuisimus, in quibus acerbum aliquod infortunium pertulimus? Inimicitiæ odio auersamur, licet inimicitiæ non capacia, quippe sensu carentia. Quantò id vehementiùs contingit erga eos homines, eorumque conuentus, qui malorum nobis auctores fuere? Verùm, ne quem ipse immeritò lædam, moneri me sentio ab officio meo, vt fatear me dubitare, Oliuum fuisse non calumniatorem, sed calumniam passum. Etenim, vbi * Suauis affirmat, illum in Pontificis odium incurrisse, ob minimè impletas spes ab eo factas Cardinalis Gonzagæ nomine, qui eumdem ad Pontificem allegauerat, ac proinde digressum à Concilio, Gonzagâ demortuo, diuturnâ in carcere detentione vexatum à sacris Quæsitoribus multiplici prætextu fuisse; euidenter compertum habeo, hanc totam narrationem à vero aberrare. Oliuus numquam fuit Romam missus à Cardinali; sed Federicus Pendasius, per eam occasionem quam Suauis commemorat: atque in ea Pontifex tam egregiè functum suo munere Cardinalem putauit, vt religioso præcepto illum compulerit, ne, vt optabat, Concilij præfecturam deponeret; eiusque adhuc viuentis, ac tamquam optimè de se meriti fratris filium Purpurâ donauerit; quem etiam non admodum maturæ ætatis, patruo defuncto, Mantuæ Episcopum sublegit. Nec Oliuus post illius mortem abscessit à Concilio, sed apud Legatos scribendis Epistolis præfectus permansit cum menstruo quadraginta scutorum stipendio; quod Pontifex ratum habuit vsque ad Concilij exitum. Huc accedit, quòd idem semper curam gessit sibi fidenter demandatam, distribuendi occultas eleëmosynas egentibus Episcopis, absque syngrapha receptæ pecuniæ. Fuit à Legatis assiduè collaudatus, & commendatus per litteras Cardinali Borromæo, sororis Pontificis filio; quibus ille respondens, honorificam de eodem opinionem ostendit.

* Libr. 6. pag. 502. in impressione Londinensi an. 1619.

 tendit.

tendit. Hoc totum apertiſſimis certiſſimiſque argumentis in hac hiſtoria opportunis locis conſtabit.

Duo interim delibemus: Primum ex Epiſtola, quâ Legatis reſpondet Cardinalis Borromæus paulò poſt Mantuani obitum; alterum è conſimili Epiſtola ſub Synodi finem. Prima hiſce verbis loquitur: *Iniunctum à vobis munus Camillo Oliuo placuit Sanctiſſimo Domino, ſicuti etiam ſpes per vos facta; cùm verè Pontifici ſit in animo eius labores remunerari, vbi ſeſe offeret occaſio.* In ſecunda hæc habentur: *Notum eſſe Pontifici, illius labores in diſtribuendis pecuniis, & reliquis peragendis, mercedem ac præmium mereri.* Nemo profectò non videat, quantum momenti conferat cauſæ meæ, pro certo ſumere (vt in Suauis Vita narratur, & in prolato hiſtoriæ ſuæ loco ab illo ſignificatur) arctam inter ipſum & Oliuum familiaritatem, à quo præcipuam rerum cognitionem acceperit: eò quòd Oliuus ante initam, vt diximus, amicitiam cum Suaui, diu fuerat carcere concluſus à ſacro Fidei Quæſitorum Tribunali, ac deinde dimiſſus; non tamen gratiâ Pontificum recuperatâ, de quibus optimè ſe meritum ob diuturnos ſuos in Concilio labores exiſtimabat. Vnde conficitur, exemplum reſcriptum ab autographo, cùm religionis tum maleuolentiæ ſuſpecto, omni ex parte indignum fide meritò habendum eſſe. Iam quod ſpectat ad Religionem: equidem acta Mantuana non vidi; ſed apud Romanum generale Tribunal Fidei reperio, à * duobus teſtibus Mantuæ Camillum Oliuum nominatum: ab altero tamquam conſcium hæreticorum Mantuæ degentium; ab altero tamquam hæreticum: ex quibus liquet, in illum obtentu haud acceſſito fuiſſe inquiſitum, eiuſdemque narrationem in hiſce rebus auctoritate caruiſſe. Tamen, vti iam dixi, credibile mihi eſt, aſſertam Suauis cum Oliuo neceſſitudinem, aſſerentis eſſe mendacium, quò fidem ſibi narranti conciliaret, quippe cum rerum benè conſciis coniunctiſſimo. Non enim fieri poſſe videtur, vt poſt eiuſmodi familiaritatem inter eos, poſt domeſticas collocutiones identidem

24. Aprilis 1563.

18. Nouembris 1563.

* Antonius Cerruſus Canonicus Mantuan. Vergerij diſcipulus, in Conſtituto Mantuæ facto Septembri an. 1567 & Ioan. Baptiſta Roſa, etiam hæreticus formalis, in ſuo Conſtituto ibidem facto April. 1572.

dem habitas de rebus in Concilio gestis, Suauis enarrans euentus Oliui, affines eidem Concilio, effuderit tot errorum congeriem, ita grauium, ita patentium, vt suprà demonstratum est. Hoc pacto animosus fabulator, qui studens attentam sibi dicenti curiosorum turbam tenere variorum descriptione locorum, pulchritudinem fori ad S. Marcum Venetiis amplificauit à fonte è medio erumpente, palàm fecit eam vrbem suis oculis inaspectam.

Quod suprà dictũ est de missione Romã non Oliui, sed Pendasij, in occasione à Suaui narrata, habetur etiam fusè in litteris Archiepiscopi Iadrensis 7. & 11. Maij 1562. de quo infrà.

5 Iam verò qui vellet excusare in Suauis historia ipsius temeritatem, quasi potiùs versatam tam in credendo quàm in comminiscendo malo, posset faciliùs arbitrari non fictum, quod in eiusdem Vita pariter narratur de altera cloaca, vnde fæcem hauserit. Ibi exponitur, Suauem, priusquam ad arcana suæ patriæ admitteretur, quod ipsi aditum interdixit ad ceterorum Principum Ministros, Legatis Galliæ intimum fuisse, ac præcipuè *Fererio, qui Concilio interfuerat, & multa eius monumenta ac literas retinebat, quæ tutissimum ac solidissimum fundamentum historiæ sunt.* Par est scire, Fererium vnum fuisse ex tribus Oratoribus missis à puero Rege Carolo IX. Tridentum, dum Regium Galliæ Consilium magna ex parte regebatur ab hominibus nouâ tabe Vgonottorum infectis. Hic sanè tale sui specimen ibi dedit, vt præter Commentarios [a] Petri Consalui de Mendoza, Salmanticensis Episcopi, & litteras [b] Mutii Callini, Archiepiscopi Iadrensis, scriptas Tridenti ad Aloysium Cardinalem Cornelium; Nicolaus à Ponte, Venetorum in eodem Concilio Legatus; ac posteà Veneti Senatûs Dux, in copiosissima enarratione de illo memorabili Conuentu ad Senatum conscripta, & quæ adhuc per manus omnium circumfertur, affirmat, fuisse de Fererio suspicionem, cum esse Vgonottum, eumque dum Sacro interesset, legere solitum libros Luciani, id est athei scriptoris. Sed insuper, vt in Opere meo videre licebit, sperauit ille ingens se lucrum facturum ex mercatura Religionis; atque ad id occultè transigere studuit cum Pontifice per Sebastianum Gualterium, Viterbiensem

[a] Dum refert postremam contestationem habitam à Fererio in Concilio.

[b] 24. Maij 1562. vbi suo chirographo refert varia publicè gesta à Fererio ac Fabro, quæ suspicionem ipsorum Fidei fundabant.

ſem Epiſcopum, qui fuerat in Gallia Nuntius, propoſitâ intermiſſione Concilij, atque adeò ſanciendæ emendationis, quam Romæ inuiſam putabat, vſque in Gallia peculiaris Synodus haberetur Pontificis moderationi ſubiecta; cui Synodo ſe adfuturum ſperabat Regis nomine: vnaque pollicebatur ingentia Pontifici emolumenta, ſicut ingentia viciſſim à Pontifice ſibi pollicebatur; præ ſe ferens intimam animi perſuaſionem de Pontificia auctoritate, in articulis etiam à Sorbona impugnatis: adeò vt Gualterius, & ex parte etiam Pontifex homini aliquando crediderint, numquam tamen Legati. Poſteà, cùm intelligeret, optare quidem Pontificem, ne ſibi iniuriâ aduerſarentur Galliæ Regis Miniſtri, ſed velle vt legitimè ad exemplum virtutis, & Eccleſiæ correctionem res procederet; cœpit animaduertere ſuarum pollicitationum pretium minui: ac regreſſo inde Gualterio, cum quo egerat, cupiditatem conuertit in rabiem. Quapropter captâ opportunitate, quòd Rex ſub conditione mandauerat ſuis Miniſtris, vt ibi proteſtarentur; quodque Cardinalis Lotharingus Romam diſceſſerat, ac Lanſacus princeps Gallicæ legationis, integer Catholicus, in Galliam redierat, ſolùm ibi relicto Fererij collegâ Guidone Fabro, tunc palàm Vgonotto, prout ipſum nominat memorata Veneti Oratoris narratio; publicam in Concilio declamationem habuit, & poſteà typis impreſſit, quâ non ſolum Satyrici nomen meretur aduerſus Patres ac Pontifices, ſed audet etiam arrogare Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus (vt Legati Romam ſcribentes obſeruarunt) eamdem ferè auctoritatem in Eccleſia Gallicana, quam ſchiſmatici Angliæ Reges ſibi arrogauerunt in Anglicana. Ac poſteà in Synodi Conuentibus numquam viſus; quippe ſe intelligens omnibus inuiſum. Sed haud ita multò pòſt Venetias abiit; vnde ad Regem ſcripſit litteris, quæ itidem impreſſæ leguntur, quæcumque potuit deterrimè, & politicæ rationis argumenta exquiſitiſſima, quibus ſuadebat, ne iterùm ſe vel alios Oratores ad Concilium mitteret, quod Cardinalis Lotharingus vrgebat; neque admitteret

mitteret Decreta Concilij, quasi à Regiæ potestatis rationibus aliena. Et nummos in his officinis cusos, tamquam sincerum aurum Suauis venditat.

CAPVT V.

Cur huiusmodi historia sit aliquam nacta fidem apud multitudinem.

1 Nihilominùs, odium quod profitetur Suauis, aperta eius improbitas, & cisternarum prauitas vnde suas aquas hausit, haud satis fuere, ne hic auctor apud multos fidem aliquam consequeretur: quod mirum sanè accideret iis, qui alteram hominum ingenij conditionem non perpenderent, quæ non minùs admirabilis videtur, & ab eodem manat principio; atque ideò ad ipsum inuestigandum mentem adiuuat. Efficacissima ratio est laudis à pluribus obtinendæ, stylo maledico de pluribus scribere. Ex eo id oritur, quòd libenter quisque audit, speciem vniuersam præstantiâ carere, ne sibi indiuiduo illius inopia probro sit. Gratius etiam aures mulcet vituperatio in eos verbo iacta, quos opere magis attollimus; in eos, inquam, quibus vel circa nos iurisdictionem deferimus, vel obsequium vti dignioribus supra nos; rati, quod illis ex vna parte detrahimus, id nobis accedere, ad compensandum excessum obseruantiæ, quam ex altera eisdem exhibemus. Atque id causæ erat, vt notat Lucianus, quòd vulgus summoperè delectaretur, quando in fabulis Aristophanis & Eupolidis adductum per deridiculum in scenam Socratem spectabat, captabatque comica in eum iacta conuitia. Quâ nimirum arte Lucianus ipse popularem sibi plausum excitauit, vertens in ludibrium in suis Dialogis tria cunctis maximè venerabilia, Sapientiam in Philosophis, Potentiam in Principibus, Sanctitatem in Diis. Itaque scriptor satyricus supra ceteros adulatur, quia pluribus adulatur: & quemadmodum facilè quisque verùm putat, quod vt verum sit optat; sic

tam aſſentator, quàm ſatyricus, etiam in rebus ſupra fidem, fidem nanciſcitur.

Huic populari gratiæ, quam ſecum affert ſuâ naturâ detre- 2
ctatio, vires addidit, ſaltem apud hæreticos, auctoris conditio, cùm in Operis exordio vulgatum ſit, eum natum educatumque ſub Romani Pontificis obedientia; eumdemque conſultò Latinus eius interpres pronuntiat *Hominem Eccleſiæ Romanæ Sacris addictum*: non dignoſcente vulgo, inter teſtes maximè indignos fide, proditorem iure haberi. Nec minora ſibi emolumenta Suauis induſtriâ quæſiuit. Primò quidem cùm ſe pro virili oſtentauerit de Principum negotiis peritiſſimum, in hiſtoriis verſatum, in doctrinarum ſcientia firmum, præditum antiquitatis eruditione. Proniùs quippe credimus iis, quos pluris facimus, exiſtimantes eò veraciorem hominem eſſe, quò habilior eſt ad vera cognoſcenda.

Præter hæc, geminâ vſus eſt arte, adhibitâ ab ingenioſiſſi- 3
mis inter mendaces, nempe à Poëtis. Sita eſt altera in oſtentanda certa animi firmitate circa id quod affirmatur; dicti ſiquidem conſtantia naſci ſolet à facti ſtabilitate: idcircò alienæ fidei facilè fit dominus, quicumque dominus eſt frontis ſuæ. Altera eſt, res particulatim deſcribere cum iis adiunctis, quibuſcum euenire ſolent; quod quamdam veri ſpeciem ipſis prætendit, quamuis reipsâ ſimiles vero non ſint: eam namque diſſimilitudinem à vero tot veri ſimilitudines obruunt, quæ in accidentibus oſtentantur.

His adiumentis, quibus ab initio Suauis fidem ſibi compa- 4
rauit à mediocribus, qui ſunt multo maxima pars hominum, aliud à tempore additum eſt; mora videlicet reſponſionis, quaſi orta, vt aliqui autumant, ex inſuperabili difficultate reſpondendi. Atque in hoc agnoſcitur imbecilla multitudinis ratiocinatio. Nam ſi liber hic præcipuas validaſque rationes proferret contra capita Romanæ Fidei, poſſent forſitan ob ſilentium argui mentes Catholicorum conuictæ: ſed cùm potiſſimùm contineat meras minimeque probatas narrationes, quid-

quidnam leuioris fuisset negotij, quàm narrationem alteram oppositam vel pro arbitrio contexere, si Romanæ causæ studiosi iis agerent fraudibus, quas ille pro certis assumit? Deinde talis arguendi ratio deberet fidem tribuere satyris omnibus, famosisque scripturis, quarum confutatio non legeretur.

5 Ac multò magis hæc deneganda fides est maledicis illis scriptoribus, quibus legitima obstat præsumptio. An verò præsumptio legitima non enixè fauebat eiusmodi consessui, vbi collectum fuerat quidquid sapientiâ, auctoritate, ac prudentiâ excellebat per tot annos in præstantissima generis humani parte; qualis est ex cuiusque consensu Christiana Respublica Catholicorum; cui celebrando & absoluendo viros in suis ditionibus præstantissimos destinarunt Pontifex, Cæsar, potentissimi Reges, sapientissimus Venetorum Senatus, aliique innumeri Principes ac Dynastæ? Iam apud se quisque reputet, quænam esset necessitas respondendi nudo dicto hominis palàm inimici aperteque contemptoris cuiusuis Religionis; qui de Patribus amplissimi Conuentus ita scribit, vt partim improbitate, quâ semper ille eorum mentes studiaque conuestit, partim ludibriis, nunc apertis, nunc per ironiam de rebus ab ipsis gestis, partim despectu eorumdem sententiarum ac fundamentorum, illum ponat ob oculos veluti synagogam coactam è sacrilegis deceptoribus, è sordidis assentatoribus, è garrulis, è ridiculis, ex ignaris? Huiusmodi profectò silentium, despectio verius, quàm confessio fuerat existimandum.

6 Verumtamen quia Charitas illi etiam offensioni remedium afferre debet, quam Scholæ *scandalum pusillorum* nominant, quod non prouenit ab rei obiectæ vi, sed à spectantis imbecillitate; post aliquod tempus Terentius Alciatus, eximius Theologus mei Ordinis, meusque olim magister, hoc multitudinis errore cognito, confutationem Suauis aggressus est, contexens eâdem operâ veracem historiam rerum in Concilio gestarum. Quis verò homo paulò cordatior, hîc non stomachetur calumniam Marci Antonij de Dominis in memorata di-

cationis Epiſtola ad Angliæ Regem; nimirum, Pontifices nondum vulgaſſe Acta Concilij Tridentini, quò modos & artes, quibus vſi ſunt eorum anteceſſores, occulerent? Perinde quaſi artes à Suaui iactatæ, ab illo in Actis Concilij certò ponantur contentæ, in quibus meræ ſeu cærimoniæ, ſeu diſputationes recenſentur; de rebus verò politicis ne verſus quidem legitur. Quis autem non intelligat, non aliam ob cauſam abſtinuiſſe Eccleſiam ab Actorum promulgatione, niſi ob immenſam eorum prolixitatem, ac vbertatem quâ proponuntur Decreta, vnde eſſet Actorum lectio ſuperuacua? Etenim ſicut ſolius huiuſce Concilij Decreta æquant propemodum cuncta ſimul à reliquis Conciliis ſancita, tum ex temporis diuturnitate quâ durauit, tum propter rerum multiplicitatem quæ ibi agitatæ fuerunt; ſic etiam Acta in molem immenſam excreuerant, æquè incommodam ad imprimendum, legendumque, ac ſuperuacaneam ad ſciendum. Ceterùm quâ par eſt curâ in Archiuo Pontificio aſſeruantur quidem, non tamen in adytis inacceſſis, vt affirmat Archiepiſcopus Spalatenſis, quin eadem pluribus per varias occaſiones & communicata & commodata fuere. Proculdubiò hæc obiectatio euadet potiùs apud viros rerum experientes ac doctos ipſius accuſationis euerſio, cùm haud poſſit ea non eſſe calumnia, quæ ducit initium à conatu perſuadendi per probationes manifeſtum calumniatorem detegentes. Vtinam inter Acta Concilij illi tractatus, eaque arcana continerentur, quæ memorata libri dicatio pro certo ponit: ſatis enim ea eſſent ad materiam præſenti hiſtoriæ ſuppeditandam; neque accidiſſet Alciato ea difficultas, de qua dicturi ſumus circa veri narrationem, & confutationem Suauis. At verò ſicuti hic arrogauit ſibi fas eſſe abſque probatione crimen inferre, quod pœna *Talionis* punitur à legibus; ille è contrario negare crimen noluit, niſi falſi probationem afferret, à quo lex omnis eum abſoluebat. Hinc euenit, vt plurimos ille annos conſumpſerit in exquirendis certis monumentis eorum euentuum: ea quidem ingenti labore

bore collegit, sed non pari copiâ; ideoque nec idonea ad explendam ingenij morosissimam seueritatem, quæ effecit, vt ille interdum, ne laberetur in absolutæ perfectionis defectum, lapsus fuerit in summum inter defectus, qui est ipsum nihil. Adde algorem ætatis confectæ, naturam perplexam & hæsitantem, stylum quàm accuratum tam lentum, occupationes domesticæ gubernationis, quæ certè causæ satis fuere, vt vitâ cedens, solum vestigium aliquod reliquerit operis per ideam mente concepti. Illud tamen vestigium est eiusmodi, vt possit mihi formam exhibere ad opus extruendum: simulq; materia per summam molestiam ab eo parata facilem mihi reddiderit formæ inductionem; cuius formæ auctori tametsi opus integrè adscribitur, non ideò plurima meriti pars eidem debetur. Quin eò plus laudis est Alciato tribuendum, quò deuexâ iam ætate maiorem laborem suscepit, minori cum spe laudis sibi comparandæ; nemo quippe de Republica ampliùs mereri videtur, quàm qui ad posterorum non modò felicitatem, sed etiam gloriam desudauerit. Nec in minores planè obices ob monumentorum penuriam, sed magis ob vitæ breuitatem impegit labor alterius docti viri, qui idem onus sponte subierat.

7 Paucis igitur elapsis mensibus à morte Alciati, quæ incidit sub finem anni 1651. Moderatores mei huiusce rei curam mihi demandarunt; ego verò vt eam exequar, apud me statui, sincerè veritatem hîc exponere, atque simul grauiora mendacia refellere. Grauiora inquam: quia quemadmodum non quæcumque vera sint, tanti sunt ponderis, vt mereantur posterorum memoriæ commendari; ita neque falsa quælibet tanti sunt momenti, vt operæpretium sit eadem è posterorum fide depellere. Satis est illa non fateri, ne sibi fidem arrogent maiorem eâ, quam ipsis facit nuda affirmatio Auctoris ita suspecti, sicut ostensum est, atque ita fallacis, sicut in potioribus materiis ostendemus. Solùm interdum non omittam arguere nonnulla ex eius leuioribus mendaciis, quibus aduersario detraham auctoritatem docti ac veridici in grauioribus.

CAPVT VI.

Num Auctoris animus, Ecclesiæ Romanæ addictus, fidem Historiæ præsentis eleuare debeat.

SEd fortasse Historiæ meæ idem obiicietur, quod à me Historiæ Suauis obiectum est, scilicet studium partium in Auctore. Quantum ille Romanæ Sedi aduersatur, tantum meus Ordo, meusque animus eidem obsequitur. Ad hoc abundè mihi esset respondere, cùm vtraque narratio suspicione non careat, neutri fidem tribuendam, sed in ea existimatione Concilium Tridentinum persistat, in qua priùs erat quàm de hoc quidquam scriberetur. Opus enimuerò non habet ex se Concilium alieno calamo, ad conquirendam sibi pietatis, integritatis, maturitatis, sapientiæ venerationem. Mihi sufficit vmbras ab hostis atramento diffusas, ab eo dispelli; quemadmodum Aquilonis flatus lucem Soli non auget, sed solùm obductas illi nebulas discutit. 1

Accedit, plurimùm interesse inter mei ac Suauiani animi propensionem. Nulla mihi priuata simultas aut maleuolentia est cum asseclis aduersantium sectarum: at verò Suauis propensio ab animi auersatione oriebatur. Ille Caput Ecclesiæ Catholicæ altè læserat; & quod proprium est lædentis, odio prosequebatur, quòd se illi odiosum putaret; atque vt bonam apud se opinionem sui retineret, libenter eum iudicabat improbum, à quo ipse improbus reputabatur. Resciuerat datam fuisse operam, vt ab eo dignitatis gradu depelleretur, quo in patria potiebatur. Eaq; de causa, prout ingentibus delictis semper adest pro carnifice timor quasi phteneticus, suspicatus est sæpè insidias vitę suæ construi. Nec defuit qui eam illi ferro adimere tentauerit; ipse verò auctorem facinoris cēsuit haud magis affinem vero, sed magis irritatum. Libellus de illius Vita, quem nominauimus, demonstrat, quã altè insederit hæc eius animo persuasio. 2

Haud dubito, quin viris prudentibus Romanæque Aulæ peritis absurda videri debeat hæc suspicio; cùm Pontifices numquam 3

quam soliti sint hisce artibus se ab hostibus liberare; quemadmodum potuissent maiori ex causa, minusque seueris quàm sunt hæc nostra tempora, id moliri contra Lutherum, Caluinum atque alios, supremam Tiaram ex eorum capite diuellentes. Idipsum etiam humani commodi respectus declarat. Nimiùm sanè talis agendi ratio esset noxia illi venerationi, quæ ipsorum imperij fundamentum est. Atque ex altera parte homo cœnobita, qui cum execratione bonorum, cupidorum inuidia, offensorum odio, vituperatione cunctorum, tantum studij & auctoritatis in publicis negotiis obtinebat, quique à multis sinistrâ famâ impius habebatur, satis apparet, quàm facile potuerit manum irritare siue læsis, siue æmulis, siue etiam piis, sed non prudenti studio æstuantibus; atqui vt amaritiem concipiat animus, verâ offensione non indiget, credita sufficit. Num verò Suauis amariore erga Pontificem animo fuerit, licebit cuicumque, vel vnicâ delibatâ illius historiæ guttulâ, experiri.

4 Alioqui cùm priuata desunt odia, publicæ inimicitiæ vim non habent, vt scriptor non vulgaris calumniæ indignitate fœdari se velit. Tam vetera quàm recentia exempla id conficiunt. Græcorum victoriæ traxerunt eorum excidium, qui postmodum ad Imperium Romanum statuendum venêre; nec tamen Romanorum minùs quàm Græcorum literis eas celebratas videmus. Ipsi etiam Romani illius Pyrrhi virtutem famæ commendant, qui eos ad extrema redegerat. Atque inter nostros Italos, Iouius Turcarum Reges suis Operibus gloriâ cumulauit. Vt de ceteris sileam, à meo Ordine Famianus Strada sic bella descripsit inter Catholicum Regem & Belgij hæreticos, vt eius Historia sæpè Leidense prælum subierit in eorum linguam conuersa, & ab eorum præclaris Poëtis collaudata.

5 Altera ratio, quæ meos commentarios à suspicione vindicat, inde petitur, quòd nos Fidem profitemur, quę non soli Fidei beatitudinem spondet, nec præceptorum custodiam despicit, perinde quasi ad salutem minimè necessariam, qualis est eorum fides qui Tridenti damnati sunt, & à Suaui defensi. Iam

verò

verò inter præcepta, à quorum obligatione ne Deus quidem nos poſſit eximere, cenſemus eſſe legem non mentiendi, quam in graui materia grauem itidem arbitramur. Quare quòd equidem impensè ſtudeam Religioni Catholicæ, non modò me non compellit vt mentiar, ſed potiùs retrahit à mendacio.

Verùm neceſſe non eſt ad præſumptiones confugere, vbi 6
ſuppetit euidens probatio. Ego ſanè in his narrationibus nolui eam mihi aſſumere auctoritatem, quæ Hiſtoricis tribui ſolet; ſed me ipſum obſtrinxi, vt in margine adnotarem cuiuſque rei quamuis minimæ teſtificationem, petitam vel ab impreſſis ſcriptorum Operibus, quorum fides paſſim recipitur, vel è manuſcriptis, quorum auctores extitere Principes, Legati, Oratores, & huiuſmodi viri conſpicui; hoc eſt, ab eorum literis, narrationibus, mandatis, actis, ac ſimilibus, quæ vel in bibliothecis, vel tabulariis à me citatis ſeruantur, ſiue authentica, ſiue ex iis exemplaribus, à quibus & locorum auctoritate, & vetuſtate librorum omnis fraudis ſuſpicio longè abſit. Quod nimirum eſt maximum illud, quod fieri poſſit in humanis caſibus enarrandis, & quod ſcriptor, cui reſpondeo, penitus omiſit. Imò vt lectores quam illi fidem debeant, ſimul intelligerent; ſyllabum hîc appoſueram innumerabilium ipſius mendaciorum, errorumque de rebus geſtis, cùm hæc Hiſtoria primùm eſt edita, indicans in Hiſtoriæ libris & capitibus, vbi de iis mentio habetur. Nunc verò, quando iam ampliùs in hac re fama non fallitur, neque fallit, ceſſat neceſſitas purgandi lectorum animos pharmaco tam ſollicito; idcircò ad finem ſingularum partium Operis ſyllabum transferemus, vbi prægustata iam lectio clariorem eum reddit, adeoque cariorem. Hîc autem lectorem admoneo, ne videar agere minùs ſincerè, quoties à me Suauis hiſtoria citatur, atque refellitur, eam eſſe intelligendam, quam ipſe Italico ſermone conſcripſit, & Londini Spalatenſis vulgauit; non eam, quam interpres latinè vertit, qui non tam interpretis quàm correctoris in aliquibus partes agit.

Denique cùm vſu veniat, vt quemadmodum ficta purpura,

ad veræ conspectum appareat decolor, ita veritas & mendacium inter se collata discernantur ab oculo perspicaci atque intento; eos rogo, quibus licuerit vtriusque libros legere, vt diligenter obseruent, in vtro illorum sibi videantur inspicere characterem, quo Veritas deberet scribere, si sumpto calamo semetipsam in pagina vellet expingere.

CAPVT VII.

An verum sit, Concilio Tridentino euenisse aduersus quàm sperauerant viri pij de redintegratione Ecclesiæ.

1 IAm prius monui, mihi non esse propositum, lectoribus exhibere molestiam, singulis periodis refellendo quidquid falsi dictum à Suaui mihi videatur. Qui hoc pacto se gerit, vel ab animi perturbatione decipitur, vel eam putat in cæteris dominari, quam in seipso experitur: & ea de causa minutissima quæque ceu grandia proponit; sicuti dormienti guttula pituitæ in faucibus, seu bilis punctiuncula in aliqua parte corporis, induit speciem torrentis hominem suffocantis, & incendij viscera comburentis. Vt plurimum haud morabor scribere, quod alij legere non curarent; solum, vt dixi, id faciam sicubi operæpretium arbitrabor, numero leuiorum quà mendaciorum quà erratorum, aduersarij auctoritatem grauiora peccantis eleuare. At in Proœmio se mihi dant obuiam nonnullæ ipsius præsumptiones valde notabiles, quarum prima profertur à Suaui cum admirabilium antithetorum pictura, quæ dicto fidem conciliet: nam id prona quisque sequitur fide, quod vellet; ac dum audit admirabile, blandè erga illud afficitur, cuperetque verum esse. Affirmat Suauis, Concilij exitum nequaquam respondisse expectationi, tum eorum qui cogendum illud curauere, tum eorum qui diutius sunt auersati.

2 Viri pij, ait ille, Concilium celebrandum curarunt, vt Ecclesiam ad vnitatem reuocarent; Principes eidem studuêre, vt Clerum ad digniorem formam reducerent: & tamen Ecclesiæ diuisio reddita est per Concilium irreparabilis; Cleri verò de-

formatio deterior euasit, quàm vmquam fuerit, ex quo Christianum nomen exortum est. Episcopi spem conceperant recuperandæ pristinæ auctoritatis in Romanum Pontificem, magna ex parte transgressæ: at Concilium eam penitus illis ademit, maiorem in seruitutem redactis. Contra verò Aula Romana à Concilio abhorrebat, tamquam à causa validissima ad eius potentiam temperandam: hæc verò Concilij ope ampliores quàm vmquam firmioresque radices egit, per eam Christiani orbis partem quæ Romanum nomen reueretur.

Paucis hisce lineis ideam adumbrat, quâ Concilium in monstri specie repræsentet. Nostrum erit, ideam illam cursim hîc ruditerque conferre cum eo, quod primo obtutu cunctis apparet in vultu, vt ita loquar, Concilij: nam componere postea per partes effictam à Suaui imaginem cum vero prototypo, totius Operis erit negotium.

Fieri profectò potuit, vt viri quidam pij, vi desiderij (quod sæpè spei fallacissimæ parens est) à Concilio sibi pollicerentur redintegrationem Christianæ Reipublicæ: sed nec exempla temporis præteriti (quod verax futuri vates est) neque conditiones præsentis ad eam fiduciam alliciebant. 3

Non quidem exempla: cùm certum sit, si mentis aciem ad anteacta sæcula conuertamus, ad primum vsque generale Concilium, quod Nicænum fuit, Magnum Concilium nuncupatum, summaque in veneratione apud Ecclesiæ memoriam; ac exinde per cetera generalia Concilia descendamus, habita aduersus aliquam prævalidam, ac latè disseminatam hæresim, vix vmquam reperietur, eam per definitiones cuiusquam ipsorum extinctã fuisse: ita planè, vt S. Gregorius Nazianzenus non fuerit veritus pronuntiare, nullius Synodi successum prosperum à se visum. Reuerà post Nicænum Ariana pestis in vniuersum Orbem grassata est. Illi fauerunt Imperatores: quòd illi obstiterint viri sancti, indigna passi sunt: ex Oriente vel in Hispaniam ad Gothos est peruagata: ibi Regem patrem eò impulit, vt in filij sui primo loco geniti caput sæuiret; idque multa post

ſæcula, quippe Magni Gregorij ætate. Quid iam de Wandalica perſecutione dicemus? de crudelitate Theodorici, de tot Catholicorum, imò tot Epiſcoporum laniena, quæ bonam partem occupat Romani Martyrologij, ſimulque lacrymas nobis elicit ob eorum temporum atrocitatem, & gaudium excitat ob illorum fidelium conſtantiam? Concilium Conſtantinopolitanum, cui Eccleſia debet abſolutionem Symboli, *quod ipſa in ſacrificio Euangelicæ lectioni adnectit, adeſſe ſibi ſenſit triginta ſex Epiſcopos Macedonianos, totidemque à ſe diſcedere iiſdem erroribus inhærentes; variis ſubinde ortis motibus, qui Eccleſiam coëgerunt, vt rurſus confirmata dogmata exagitaret. Poſt Epheſini celebrationem, eius Legati contumeliis ac verberibus affecti à Neſtorianis. Cyrillus & Memnon eâdem causâ de gradu deiecti, ac decepti Principis potentiâ in carcerē detruſi.

* De Diuinitate S. Spiritus.

Iam verò quodnam ex Conciliis maiori celebritate habitum eſt ſexcentorum triginta Epiſcoporum frequentiâ? cuinam magis fauêre Imperatores patrocinio in terris, Deus in cęlo miraculis, quàm Chalcedonenſi? Et tamen Dioſcorus ibi cædis & hæreſis crimine damnatus, poſteà in ſuperos relatus, & in Sanctorum honore habitus ab Eutychianis, qui Epiſcopis religioſiſſimis trucidatis, nobiliſſimis Eccleſiis occupatis, Cæſarum impietatem in Catholicos extimulantes, furiæ militantis Eccleſiæ facti ſunt. Satis ſit, ne ſim longior, hoc à me demonſtratum in quatuor primis Conciliis, quæ ſummè ſemper venerata eſt Eccleſia iuxta quatuor Euangelia; & apud Lutheranos ipſos, propter antiquitatem, retinent aliquam reuerentiæ poſſeſſionem. Idem autem accidit quinque ſubſecutis Conciliis, vt cuique in Eccleſiaſticis hiſtoriis vel mediocriter verſato manifeſtum eſt. Atque huiuſce rei ratio in promptu eſt. Contra nullam ſententiam à Conciliis conclamatur tamquam hæreticam, quæ id temporis communi Doctorum opinioni, ſimul etiam vel cogentibus Scripturæ dictis, vel auctoritati Eccleſiæ non repugnet. Iam verò quiſquis inducit animum, vt ſentiat ac ſcribat contra tantæ venerationis compotes aduerſa-

rios, par est profectò, vt à Concilio damnationem expectet, ad quod propterea conculcandum se comparet; & solum poscit aliquando Concilium, quò moræ beneficium, non decisionis accipiat. Nimiùm sanè coluntur duo illa idola inter se coniuncta; *Proprium iudicium, & honor proprius.* Rarò mens ea, quam alij reuerentur, patitur à seipsa damnari, præsertim in causa grauissima; multoque minùs hanc sui damnationem promulgari patitur, tamquam in foro exteriori. Mutant, haud inficiar, interdum sententiam homines etiam palàm: sed vel ex præstantissimo quodam animi candore atque studio veritatis adducti, quæ rara admodum virtus est; vel in rebus leuioribus, & quas ignorasse non pudet; vel ij homines, qui sibi non tribuunt ingenium ad docendum, sed solùm ad discendum; vel eâ saltem ratione, vt sententiæ mutatio cum pudore præterito præsentem laudem coniungat, videlicet mutando sententiam vi rationis, ab eo qui mutat inuentæ: cùm graue nobis non sit, plus scire quàm sciebamus; & intolerabile, plus ceteros scire quàm ipsi sciebamus. Hæc verò difficultas incredibiliter augetur ex ipso argumento in Auctoribus nouæ religionis, cùm lapsus nimis horribilis videatur, ex dignitate vatis diuini, in temerarij deceptoris infamiam delabi.

Sic igitur de Luthero eiusque sectatoribus futurum suade- 4
bant exempla communia, ac generales rationes: haud tamen minus peculiares conditiones id suadebant. Cum audacissimo hæresiarcha certamen aderat, qui tam veneranda Legum Canonicarum volumina sacrilegè in foro Wittembergensi concremaret; qui de sanctis Patribus scripserat tamquam de ineptis ingenijs, atque illusione occupatis; de vniuerso genere Christiano supra mille annos, tamquam non de Christi cultoribus, sed idolorum mancipijs; de Pontifice, de Cæsare, de Rege Angliæ, quasi de hominum fæce; qui iam debacchabatur ebrius eâ summâ voluptate, quâ fruitur superbus animus in illis prosperè conculcandis, quorum anteà sub pedibus succubuerat; qui sibi Principes in propugnatores, Academias in discipulos, populos

in

in cultores asciuerat; qui iam improbâ spe fortunam & gloriam noui Mahumetis in Occidente reuocauerat. Et poterat de hoc homine pronuntiari, dicto audientem futurum eisdem Sacerdotibus atque Doctoribus, quos toties probris obruerat, & petulanter irriserat? Dimicabatur cum seductis nationibus vel à sensus licentia, vel ab arrogantiæ illecebra, quâ se in arcanorum cælestium scientia conspicuas existimabant; adeoque eò firmiores in sua sententia, quò maior erat impugnatorum multitudo. Certabatur cum Principibus, siue illectis ad sacros calices confringendos auiditate conflandæ ex illis pecuniæ, siue intentis ad interponendam Diuinitatem, instar machinæ, quæ solueret nodos eorum obligationis erga Petrum in rebus sacris, erga Cæsarem in profanis: & quisquam ab his sperare potuisset obsequia subiectionis erga Concilium? Quid amplius? Num fortè ignorabantur Lutheri, eiusque sectatorum denuntiationes; vt eiusmodi Concilium congregaretur, in quo victores ipsi ante commissum certamen aduersus pacificam possessionem Pontificis atque Ecclesiæ pronuntiarentur? Concilium, inquam, in quo potestas Pontifici nulla esset; & adeò tale, vt si vera docemur à Fide, acephalum foret, minimeque legitimum; in quo non alia proponerentur argumenta, nisi nuda effata sacræ Scripturæ; quæ propter obscuram sublimitatem in rebus quàmplurimis, non est satis ad pertinaces conuincendos absque lumine ab ea collato, quam S. Vincentius Lerinensis *Ecclesiasticæ traditionis lineam* appellauit, Iuris verò periti *Interpretationum reginam*, id est, Obseruationem, seu illam in agendo, seu in credendo seruat Ecclesia: quæ obseruatio oportet vt monumentis antiquitatis, consensione Patrum, definitionibus Pontificum, tamquam certis testibus confirmetur. Quin etiam postulabant, vt ne omnes quidem sacræ Paginæ ab Ecclesia receptæ inter disputandum proferri possent: sed ea tantummodo illarum pars, quæ Luthero visa esset; neque ea secundùm editionem translationemque communem, sed secundùm Luthero probatam. Ex hoc ergo habitu rerum animorumque cuinam

 sperare

ſperare licuiſſet, futuram redintegrationem, niſi cui liberet rem ideò futuram arguere, quòd bona videretur. Illud autem mirabile: (ſi mirum tamen eſſe debet, mendacem ſibi repugnare) ipſe Suauis profitetur alibi, hanc ſibi veritatem eſſe compertam, dum anno 1545. refert tamquam Pauli III. ſententiam ſibi probatam, Concilium Germanicæ reconciliationi haud conducibile.

Atque hæc ad primum caput, in quo Suauis pronuntiat, ab 5
euentu Concilij deluſas fuiſſe piorum hominum ſpes de ſtatu Eccleſiæ conſtituendo. Ad alterum accedamus, in quo idem affirmat, Eccleſiæ diſcordiam potiùs redditam à Concilio implacabilem; adeoque Concilium non fefelliſſe ſolùm emolumenti defectu, ſed effectu iacturæ. Si nomine implacabilis intelligamus, ex eo iam patere, concordiam inter nos ac Lutheranos eſſe nullam potuiſſe, dum hi ſuis in erroribus perſiſterent; hoc non modò piorum ſpem non fefellit, ſed inter Conciliorum beneficia præcipuum eſt, correptos peſte ab integris edicto publico ſeiungere. Quid enim ſignificat illud *Anathema*, quod ex veterrima conſuetudine intercalare verbum eſt Canonum in Synodis, niſi ſeiunctionem? Quare potiſſima Tridentini Concilij intentio fructuſque potiſſimus extitit, obſtare, ne multorum Chriſtianorum ſimplicitas ab hæreticorum aſtu irretiretur; ſed agnoſceret eorum doctrinam Fidei repugnare, tamquam eo nomine ab Eccleſia Catholica damnatam, ac propterea æquè ab ea cauendum atque ab angue, non ampliùs inter herbas latente. Verùm, ſi Suauis præterea eo verbo intelligit, à Concilio difficiliorem hæreticorum conuerſionem redditam, mendacij reuincitur vel ab ipſo euentu, qui palàm facit quantum illud contulerit confirmationi fidelium, ac reſtitutioni perditorum. Hæreſis progreſſus tam immanes ante Concilium fuerant, vt perpetuas doloris & commiſerationis lacrymas mereantur. Inundauerat hæc eluuies Germaniam Superiorem, aggeres Inferioris diffregerat; per Poloniam diffundebatur; Britanniam atque Scotiam obruerat; magno impetu pene-

penetrauerat in Galliam; quin etiam necesse fuit flammis eos riuos absumere qui irrepserant in Hispaniam. At Concilium Iris illa visa est, quæ tanto diluuio finem posuit. Obseruetur, an hæc noua secta eadem posteà incrementa iactare possit; an potius contra impetum geminæ validissimæque potentiæ, sensus & vtilitatis, illi militantium, viri natalibus, doctrinâ, dignitate præstantes quotidie eius castra deserant? Et quamquam inter iacturas victoriam aliquam interserat; manus, non mentis victoria est, à militibus, non à prædicantibus reportata. Ceterùm quemadmodum ante Concilium populi errore occupati capitis famæque periculo ad nouæ doctrinæ sectas confluebant; ita nunc innumeri pænè Catholici, per eadem discrimina veterem Fidem seruant inter hæreticorum Principum minas & supplicia. At præ memoratis Catholicis ne millesimum quemque reperiemus, qui per eadem pericula & incommoda hæresi adhæreat sub Principibus eam insectantibus. Atque vti inter Catholicos ex eo ad hoc tempus tot viri sanctitate doctrinâque spectatissimi floruere; ita hæresis ex aduerso ne vnum quidem è primis numerare habet, nec multos ex alteris: & hi, si qui sint, lectionis eruditionisque laude magis excellunt, quàm scientiæ ingeniique præstantia; præterquam quòd eorum præcipui, in Antiquitatis studio ab euidentia compulsi, in potioribus articulis ab suis hæresiarchis discreparunt, vt Hugo Grotius, & Gerardus Vossius, quos non Catholicos veriùs quàm Caluinianos appellaueris.

CAPVT VIII.

Vtrùm Concilium reformauerit, an deformauerit Ordinem Ecclesiasticum.

AIt secundo loco Suauis, à Tridentino Concilio Principes expectasse, vt Ordo Ecclosiasticus in formam digniorem redigeretur; sed contrà ab illo effectum, vt eueneritt eiusdem deformatio supra omnem priorem ætatem, ex quo nomen Christianum exortum est. Equidem, quidquid esset in

me,

me, alicui libenter dederim, qui tam præcipuam assumptionem, hoc inuolutam mendacio, veram efficeret. Ea est, ex quo viuit Christianum nomen, numquam in Ecclesiasticis maiorem morum deformitatem fuisse, quàm post Concilium; adeoque maiorem eâ quam hodie cernimus, & quæ cuicumque nationum ætatumque perito erit quidem dolori, non autem admirationi, præterquam ex paruitate. Tunc enimuerò detraheretur obtentus hæreticis, quòd antiquam Fidem abiecerint, eius Custodum licentiâ commoti. Tunc euanescerent ea omnia Suauis molimina, quibus conatur ostendere, discinctos Ecclesiasticorum mores, fuisse nitratum puluerem, cuius vi Lutheri scintillæ in subitum incendium crepuere. At perdolet, quoniam illud negare cogar, quod peruellem posse concedere.

Verum quidem est, deformitatem Concilio antecedentem, maiorem in ordine Ecclesiastico non fuisse, quàm proportione in profano, vt posteriùs ostendemus; neque causam præbuisse ad hæresim excitandam, sed colorem & adminiculum ad sustinendam. De reliquò, quicumque aspectum circumuerterit ad anteacta & præsentia, intuebitur & admirabitur immensam morum correctionem à Concilio adhibitam in tam ampla terrarum Orbis parte, quæ Catholicorum vniuersitatem complectitur; ac præcipuè in præclarissimam illius classem, quæ ipsius magis subiacebat legibus, magisque eius curæ erat commissa; hoc est in Clero. Conferatur vtriusque temporis sacrarum functionum dignitas, sacrificiorum frequentia, assiduitas chori, Ecclesiastici ritus obseruatio, cultus ac celebritas in templis, moderatio in cultu corporis, in agendo, in viuendo licentiæ compressio, parsimonia immunitatum, firmitas in commissis Ecclesiis residendi, ætas, doctrina, in iis requisitæ qui ad hunc Sacrum ordinem adscribuntur, & qui per gradus ascendunt, ac denique pietas quæ inde in reliquum populum est diffusa; & opus erit omnino confiteri, à nullo vmquam hominum conuentu post Orbem conditum, tantum ad homines probitatis incrementum prouenisse. Neque hoc ceu chymicum fuit alexi-

alexipharmacum, quod initio restituere sanitatem videtur, sed ægrum citò in suo languore destituit: fuit potiùs ceu vitæ arbor, quæ spiritum in Ecclesia renouauit firmiter in pristinam iuuentutem. Centum ferè anni sunt ex quo Concilium est absolutum; & tamen eius vis sanandi roborandique eadem viget, eiusque leges in dies magis salutares atque opportunas experientia demonstrat.

2 Verùm si boni mensuram petere volumus ab eo quod præstari par esset (quod infinitæ Diuinitati debetur, quodque hinc æternæ beatitatis, inde æternæ miseriæ respectus exigeret) & non potiùs ab eo quod sperari licet in hac Adami fæce, & quod ex eadem per tot annorum millia potuit obtineri: si Rempublicam cogitemus non ex paruo perfectorum numero conflatam, sed tot millia hominum complectentem, quot fideles vetus nouusque comprehendit Orbis; perdurat proculdubiò deformitas immoderata. Sed hæc Concilij dedecus non est: dedecus est nostri natiui nihili, dedecus nostræ naturæ fragilis, belluisque consimilis, dedecus primi parentis, qui eam contaminauit: est etiam immensi Numinis gloria, cuius infinitæ præstantiæ nullum vmquam exhiberi potest obsequium sine infinito defectu. Ceterà Concilium ab humano genere tantum expressit, vt temerarium fuisset id sperare, nisi spem in Diuina potentia collocando. Quare si rerum pretium non æstimatur numero, sed præstantiâ, plurisque fit parum auri, quàm plurimum æris; licebit fortasse credere, Diuinam prouidentiam maiora cultus ac probitatis in Republica Christiana incrementa traxisse ex Concilio, hæresis Lutheranæ causâ coacto, per integram pietatis accessionem parti Catholicæ factam, multò ampliorem quàm quod ab hæresi detractum fuerat, ademptis veræ Fidei tot, tam latis, tamque frequentibus Prouinciis. Iactare res præsentes veteribus deteriores, comicorum verba sunt, & vulgi querelæ: nec Suauem tam expertem eruditionis arbitror, qui hoc crederet. Quod autem attinet ad præsentia: per omnes orbis plagas discurrat animus, reperire num queat tantam ho-

minum multitudinem ſanctitate, ingenio, doctrinâ excellentium, in quibus tanta morum honeſtas, tantus Diuinitatis cultus, tanta proximos iuuandi cura, tanta ſenſuum coërcitio, tantum ſtudium æternitatis emineat, quantum in pluribus centenis millibus Eccleſiaſticorum, qui ex vtroque ſexu peculiarem Romano Pontifici ſubiectionem profitentur.

CAPVT IX.

Num euentus Concilij ſpem ſefellerit Epiſcoporum, de auctoritate priſtina recuperanda.

VEniamus ad Epiſcoporum ſpem, qui, vt autumat Suauis, 1
primæuam ſe auctoritatem ope Concilij recuperaturos confidebant, & arctiori quàm vnquam ſeruituti ſe addictos experti ſunt. Equidem quod ad primum attinet, neſcio quaſnam ſpes & quæ deſideria nonnulli Epiſcoporum animo fouerint: illud compertum habeo, in quouis ordine capitum frequenti, quantumuis ſacroſancto ac ſublimi, interdum ſe inſerere ignorantiam, ac multos variare animorum motus; atque hinc ait moralis Philoſophus, *eſſe etiam vulgus Regum.* Iam verò ignorantiæ proprium eſt cum vehementi affectione coniunctæ, quamcumque ſuperiorem poteſtatem auerſari, quamquam ſæpè ad proprium præſidium ſponte conſtitutam ab iis ipſis communi conſenſu, quam poſteà peculiari odio ſinguli proſequuntur. Id autem ideò contingit, quòd deliberationes communes intentis multorum millium oculis conſiderantur; at peculiares ſingulorum affectiones commouentur interdum ex vnico negligentique contuitu. Verùm, vtut res habuerit, duo ſunt in hoc extra dubium.

Primum eſt, Epiſcoporum ordinem numquam extitiſſe adeò magnificum ac potentem, quemadmodum poſtquam Romanus Pontifex plenam ſuper eum iuriſdictionem exercuit. 2
Antiquiſſimâ tempeſtate videbantur quidem Epiſcopi minùs ſubiecti quàm in præſentia, ſi ad Pontificem referuntur; ſi verò ad ceteros, non ad eam quâ nunc eminent auctoritatem aſſurgebant.

ſurgebant. Profectò eruditus quiſque huic dicto conſentiet: mihi verò erit aliàs opportunum pluribus ea de re diſputare. Quidnam præpoſſent ſupra corpora inferiora manus ac pedes hominis, ſi totidem eſſent capita, nec ab vno capite vim omnem directionemque ſuſciperent?

3 Alterum æquè certum eſt; ad omnes prudentiæ leges hanc Epiſcoporum erga Pontificem obedientiam, ex ortu nouæ hæreſis nihil imminuendam fuiſſe. Ne vulgus quidem ignorat, Romanos, quamuis adeò de libertate ſollicitos, ſi quando ab hoſte valido premerentur, Dictatorem creaſſe. Vniuerſa Eccleſia, vniuerſa Religio, maximè verò vniuerſus Eccleſiaſticorum ordo petitum ſe atque oppugnatum à Lutheri phalangibus ſentiebat; & ſanúmne fuiſſet conſilium, à ſupremo Duce diſiungi, ac per varias minorum capitum turmas diſpergi? Nuſquam nauclero tantum obſequij, quàm in procella.

4 Hæc ſatis ſit diſſeruiſſe de iis, quæ tunc Epiſcopi ſperare atque optare prudenter debuiſſent. Sed alteram poſitionis Suauianæ partem excutiamus; id videlicet quod effectum eſt. Effectum enimuerò eſt, vt Epiſcopi, ne minimâ quidem ſubiectione erga Pontificem ſibi adiectâ, quæ ſanè opus non erat, eam poteſtatis acceſſionem eodem aſſentiente obtinuerint, quâ permotus prudentiſſimus Hiſpaniæ Rex Philippus II. dixiſſe memoratur: *Hi homines Concilium tamquam tot Parochi adiere; iidem ceu tot ſummi Pontifices rediere.* Imò ne vniuerſa quidem ſeries Conciliorum reperietur ſimul tot ſanxiſſe Decreta, tam conducentia iuriſdictioni Epiſcoporum cũ detrimento Romanæ Curiæ, vti ſolum Tridentinum. Sed de hoc fuſiùs capite ſequenti.

CAPVT X.

An Romani Pontifices depreſſionem auctoritatis ſuæ à Concilio formidarint; & an hæc auctoritas aucta fuerit.

1 DEſcendamus ad obiectum vltimo loco: quòd exiſtimauerit Aula Romana, ne ipſius auctoritas per Concilium decreſceret; quam tamen poſtmodum ab eo ita confir-

matam vidit, vt neque tanta neque tam altè fundata vn quam extiterit, ſi noſtro Suaui fides.

Verum equidem puto, Romanam Aulam timuiſſe ſibi, & etiam aliquamdiu abhorruiſſe à conuocatione Concilij. Ac primùm quidem, ſi nomine Aulæ multitudinem Aulicorum intelligamus, certum eſt, fore vt eorum auribus ſemper moleſtum obſtrepat nomen emendationis, hoc eſt nouæ ſeueritatis, noua vincula, vita minùs commoda minuſque iucunda. Hæc autem animi affectio ſic naturâ ineſt homini, vt eam quicumque cœtus, etiam ſui deſpicientiâ & ſanctitate conſpicuus, experiatur. Illud etiam extra dubium eſt, à Concilio non niſi correctionem expectari potuiſſe. Neque ſanè ea ſola correctio expectabatur ab Aulicis, ita moderata, ac circumſpecta, quæ poſteà extitit, & cui Patrum prudentia homines obtemperaturos ſperauit; ſed quædam emendatio imaginaria, quam imperiti quidam boni viri deperibant, qui optima factu ab optimis iuſſu nihil ſecernunt; quique multa vituperant, ſolùm vni intenti malo quod inde manat; non verò libratis malis, quæ ex aduerſo prodirent, quorum poſteà non rarò experientia infelix magiſtra eſt. Præterea mos eſt cuiuſque multitudinis ad extrema prolabi, vel timiditatis, vel audaciæ; adeoque mihi nouum non eſſet, multos ex Aulicis timuiſſe Pontificatus ruinam.

Verùm ſi Aulæ nomine Pontifices accipiamus: alius longè 2
reſpectus eos difficiles ad vocandum Concilium reddebat. Retinebant memoriâ effatum præclariſſimi illius Patris: * Numquam ſine periculo atque offenſione, Sacerdotum haberi conuentus: vbi enim plures adſunt mentes, ac plura corda, ibi ſemper aliqua ineſt ſententiarum appetitionumque diſcordia. Porrò diſcordia contentionem parit; contentio verò tam in corporis quàm in animi temperamento corruptionis origo eſt. Obuerſabantur animo ſatis recentia Baſileæ incommoda: intelligebant, cunctorum eſſe Principum regulam, generales Ordines abſque ſumma neceſſitate non eſſe cogendos. Animaduertebant, conuerſionem hæreticorum per Concilium fieri non poſſe;

* Nazianzenus in Epiſt. 51. ad Procopium, alibi 42.

posse: at ex altera parte, in eo Præsulum cœtu, in quo plures interessent regendis populis inexperti, verendum esse, ne sensa erumperent immoderata, & Ecclesiæ quieti turbulenta, quibus Pontifex sine Reipublicæ detrimento assentiri non posset. Existimo pariter, vt liberè loquar, non illis omnibus Pontificibus, quorum ætate de conuocando Concilio agitatum est, placuisse, vt nonnulla ipsorum facta in huiusmodi theatrum prodirent, ac præcipuè propensio erga proprium sanguinem, in eorum nonnullis planè immodica. Erat etiam timendum, ne importuna quæstio reuiuisceret de prærogatiua inter Concilium ac Pontificem, quæ ob eorum dissidia eos cogeret ad Concilium dissoluendum cum graui Ecclesiæ offensione. At de cetero, quòd Concilium auctoritati Pontificiæ detrimentum illaturum fuisset, nequaquam erat à prudentioribus formidandum. Id perinde fuisset, ac vereri, ne peruerteretur Ecclesiasticum Christianæ Reipublicæ regimen, & magna etiam ex parte Politicum: ne tot Concilia damnarentur, in quibus ea potestas constituta & confirmata legebatur: ne repelleretur communis Scholasticorum doctrina: ne pronuntiaretur, Ecclesiam per tot sæcula iam errasse: vno verbo, ne cuncta reuocarentur in dubium, inireturque cum Luthero concordia. Neque tamen negare asseueranter ausim in illis Pontificibus huiusmodi suspicionem; cùm exploratum mihi sit, quemadmodum in pupilla quodcumque pulueris granum dolorem acerbissimum excitat, ita in rebus maximi pretij à quantumuis remoto periculo acerrimum timorem creari.

3 Alterius quoque partis falsitas satis patet; nimirum Pontificiam potestatem numquam fuisse tantam, nec tam solidè fundatam quàm fuit operâ Concilij Tridentini. In hoc Concilio ne vna quidem conspicitur syllaba pro nouo Pontificis emolumento. In Florentino, valdè propinquo, eius Primatus supra totam Ecclesiam fuerat definitus: in vltimo Lateranensi eiusdem prærogatiua supra Concilium disertè continetur: in hoc Tridentino, neque tales neque alij promulgantur articuli ad

Pontificem pertinentes. Quin vti ex Historia nostra cognoscetur, vbi actum est de tribuendo Pontifici eo vno quod à Florentino tribuitur, deque eiusdem prorsus verbis adhibendis, cùm Patrum pars multo maxima assentiretur, solùm habita ratio est paucorum Gallorum, qui ne decima quidem Concilij pars erant: Pontificem Legatosque detinuit, ne ad firmandum Decretum progrederentur. Sic ille concordiam satisfactionemque paucorum suo quamuis iusto commodo antehabuit. E contrario, vbi priùs multæ gratiæ immunitatesque liberè à Romana Sede concedebantur, in hoc Concilio illorum vsus vsque adeò est coarctatus, vt si Pontifex eas leges transgredi nolit, suæ beneficentiæ fons media ex parte exarescat. Et quamquam ipsi liceat se hisce legibus soluere; tamen Pontifices conscientiæ atque existimationis gratiâ exigunt plerumque causas ita graues, atque ita raras, vt facultates concessæ in rebus à Concilio interdictis haud expleant partem vicesimam prioris in eo genere largitatis. Idem accidit causis, quæ ex prima petitione Romanam in Curiam trahebantur; idem priuilegiis, quibus complures priuati se ab Episcoporum iurisdictione subducebant (quod certè aliud non erat, nisi plures hominum se proximè subdere Pontificis Tribunali;) idem denique plurimis negotiis, quibus à Concilio datum est Episcopo, vt præsit tamquam à Sede Apostolica delegatus; quod sanè, quantum attinet ad potestatis Episcopalis incrementum, perinde se habet ac si proprio nomine præessent.

Hæc sunt potentiæ lucra ab Aula Romana facta in Tridentino Concilio. Et quoniam Suauis concludit, hoc Concilium 4
nostrorum temporum Iliadem vocari posse; ego censeo, huiusmodi nomen aptiùs eius narrationi congruere: quippe quæ ex vna parte ingeniosâ arte concinnata est, mirisque referta; ex altera, ab eo auctore contexta, qui ex affectione cæcus erat, ex mendaciis Poëta.

CAPVT XI.

Discutiuntur variæ assumptiones à Suaui præmissæ de veteribus Concilijs: ac primùm de celebrato ab Apostolis.

1 PRiusquam Suauis narrationem suam ordiatur, in pauca redigit originem Conciliorum in Ecclesia. Affirmat ea fuisse maximè opportuna remedia, tam ad conciliandas in doctrina discordias, quàm ad vitia in moribus corrigenda. Ac propterea, viuentibus adhuc pluribus Apostolorum, quatuor ex ipsis, vnà cum ceteris fidelibus Hierosolymæ commorantibus, primum Concilium habuisse, vt excitatam controuersiam componerent, An Christi cultores præceptis legis Mosaïcæ tenerentur.

2 Missum faciamus, his paucis verbis propemodum significari, in eo Concilio solùm quatuor ex Apostolis, non verò quinque interfuisse; cùm tamen, præter Petrum, Paulum, Iacobum, & Barnabam, quos ibi locutos refert sanctus Lucas, Paulus in Epistola ad Galatas suum iter in Hierusalem narrans, de sancto Ioanne Apostolo ibi à se reperto mentionem faciat.

3 Pergo ad grauiora mendacia, dicentis ad Concilium illud omnes Christianos Hierosolymæ degentes conuenisse. Id à Suaui Suauisque antesignanis ideò legentium opinioni insinuatur, vt inde colligatur, non solos Episcopos, sed omnes Ecclesiasticos & profanos suffragij ius in Concilijs obtinere: cuius deductionis mole conati sunt hæretici Tridentinum concutere, quod huius suffragij vsum profanis interdixit. Verùm ne ipsi quidem Centuriatores * Magdeburgenses pronuntiare sunt ausi, in Apostolorum Concilium Christianos omnes admissos ad pertractanda Religionis negotia; satis habentes, præter Apostolos ac Presbyteros, introduxisse alios non paucos. Et sanè affirmatio Suauis prorsus incredibilis euadit. Tria circiter hominum millia ipso Pentecostes die * Fidem susceperant, Petro concionem habente: mox vbi ad eiusdem Apostoli imperium

* Centuria 1. lib. 2. cap. 9.

* Act. Apost. cap. 2.

* Act.c.4. perium claudus repentè conualuit, * noua quinque millium accessio facta est; ac sub idem tempus in Actis Apostolorum
Cap.5.& 6. legimus,* notabiles aliquot conuersiones adiectas. Quæso, quonam pacto hi omnes potuissent Hierosolymæ ad Concilium conuenire, vbi Christiani insectationibus exagitati, neque templum, neque commodum vllum hospitium obtinebant, sed solùm in ædiculas confugiebant, in quibus, vt dicitur à S. Luca, panis frangebatur? Præterquam quòd præclarum enimuerò Concilium fuisset, ad quod immensa turba imperitorum, mulierum, puerorum conflueret, ad sententiam de cæli negotiis ferendam. Asserit quidem Diuinus Historicus: *Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba.* Sed quis ignoret, nomen *Ecclesiæ*, quod originem ducit à *conuocatione*, sæpissimè à sacris Litteris adhiberi pro quacumque hominum multitudine ad rem aliquam certam congregata? Quin etiam hac de re exempla non desunt vel apud profanos scriptores, non Græcos modò, sed etiam Latinos, præsertim verò apud Plinium Epistola 111.

Adfuere ibi sanè cum Apostolis alij etiam Episcopi, ac præ- 4
tereà Sacerdotes, aliique pauci fideles, qui cum plausu excepere Decretum ad Antiochenos scribendi ex Petri & Iacobi sententia: sed neque illi nisi pars valdè exigua fuerunt è tot Christianorum millibus, neque se immiscuere causæ decisioni. Possunt, ac solent ex laicis nonnulli doctrinâ, dignitate prudentiâque conspicui ad Concilia admitti; sed tamquam Consiliarij, non tamquam Iudices: hic verò semper in Ecclesia mos fuit, eiusque exemplum illustre cernimus in Chalcedonensi Concilio.

CAPVT XII.

Vtrùm vera sint, quæ asseruntur à Suaui de Concilio Nicæno.

PErgit Suauis affirmare, sæuientibus adhuc in Ecclesiam 1
persecutionibus, quæ commercia impediebant, controuersias vnâ ciuitate, vel vt maximè vnâ prouincia non egressas; adeo-

adeoque ad eas ſedandas haud opus fuiſſe Conciliis generalibus vſque ad tempora Conſtantini. Poſſum equidem hîc oſtendere, ante Conſtantinum decem planè hæreſes in Eccleſia excitatas, quæ non vnâ continebantur prouinciâ, ſed quoquouerſus vagabantur, ducto initio ab hæreſi Simonis Magi, qui ab Ignatio Martyre primogenitus diaboli nuncupatur, ceteraſque ſubſequentes enumerando Nazarenorum, Ebionis, Carpocratis, Cerdonis, Valentini, Montani, Praſſeæ, Nouati, Manetis; at inducere in animum haud poſſum, totum id non occurriſſe homini in Eccleſiaſtica Hiſtoria minimè rudi, qualis erat Suauis: vnde imitari non placet quod in eo reprehendo, id eſt, inſincerum malignumque ſtudium cauillandi verba ſingula, ſeu ſcripta in Concilio, ſeu prolata à viris doctis illi operam dantibus. Lex eſt tam apud Dialecticos quàm Legum Peritos, hominum exiſtimationi propitia, vt quodlibet dictum multiplicis ſignificationis capax, vbi dubium ſit, ad eam ſignificationem trahatur, quæ conſonat vero. Hinc iuuat opinari, Suauem loqui non de hæreſi quacumque, ſed de illis quæ primâ fronte ſpeciem aliquam præ ſe ferebant, & quas profitebantur ij, qui ſimul Chriſti cultum profitebantur, ac proinde fidelium Conuentu ad eas exagitandas opus foret.

2 Ingrediamur in alteram quæſtionem longè ponderoſiorem. Subdit, poſtquam Dei beneficentiâ pax Eccleſiæ conceſſa eſt, felici Conſtantini ætate erupiſſe hæreſim Arij, quæ Cæſarem compulit, vt ex vniuerſa ditione ſua Concilium Nicææ congregaret, atque illud Concilium à principio *Magnum & Sanctum* fuiſſe appellatum, non verò *Oecumenicum*, nec *Generale*, ſed poſteà ſequenti ætate hiſce titulis decoratum: quia ſicuti tellus Romanis Principibus ſubiecta, tametſi non æquaret decimam totius orbis terræ partem, per aſſentationem vniuerſus orbis nominabatur; ita Concilium illud ex Epiſcopis totius Romani Imperij conflatum, *Concilium generale vniuerſi orbis* appellatum eſt; eodemque modo per ſuccedentia tempora vſque ad Imperij diuiſionem titulus *Concilij Oecumenici* illis etiam eſt appoſitus,

positus, quæ à Constantini posteris ex Romano Imperio vniuerso collecta sunt.

Hæc narratio duo perniciosissima intendit; alterum est, quòd, 3
assumendo, primum illud Concilium, atque inde subsecuta, solâ Constantini, eiusque Successorum auctoritate fuisse conuocata, tacitè insinuat, potestatem congregandi Concilia penes Cæsares esse, non penes Pontifices.

Alterum est, quòd, indicando epithetum *Oecumenici* neque 4.
Nicæno Concilio coæuum fuisse, neque proprium, sed posterius, & per abusum, persuadet, titulum *Oecumenici* esse nomen ascititium, aliquibus inditum Conciliis, non ex ipsorum natura intima, quâ secernantur à Synodis peculiaribus, sed ab externa vniuersitate illius profani Imperij, ex quo vocati sunt Episcopi qui interfuere.

Iam verò, sicuti falsæ sunt conclusiones, ita & principia falsa 5
sunt, quæ ad eas colligendas Suauis dissseminat; imitatus in hac re artificium in Poëtis ab Aristotele commendatum, quo dramatis initio quædam ponunt haud momentosa tunc ab auditoribus existimata, ideoque minùs discussa, minusque agitata vt fide indigna, è quibus posteà in fabulæ progressu oriantur illa admirabilia, quæ comminisci Poëta meditabatur. Mei non est consilij, quæstionem hîc inducere dogmaticam de natura atque origine Conciliorum; satis erit breuissimâ probatione refellere quod ille absque vlla probatione asseuerat.

Nequaquam sanè verum est, Nicænum Concilium solâ Con- 6
stantini auctoritate coaluisse. Omissis ceteris longioribus, aut minùs claris demonstrationibus; in sexta Synodo generali, non Romæ, sed Constantinopoli habita, disertè narratur, Concilium Nicænum fuisse congregatum à Siluestro simul & Constantino: sed quia hoc argumentum nobis alibi in manus recidet, ibi ostendemus, quo pacto tam illud Concilium, & etiam posteriora auctoritatem acceperint à conuocatione Pontificum, non autem Cæsarum; qui se illis intermiscebant, non quòd iurisdictionem in causis sacris obtinerent, sed quia, cùm parte maximâ

mâ Christiani orbis potirentur, Concilium in ipsorum ditione semper celebrabatur; & lege cautum erat [a], ne collegia cœtusque haberentur eorum iniussu ob seditionum suspicionem, præterquam quòd ipsorum sumptu res tota peragebatur.

7 Prætereà neque verum est, Concilium illud à suis vsque natalibus non fuisse appellatum *Oecumenicum*. Testes duo certissimi & eiusdem ætatis id euincunt; [b] Eusebius in Vita Constantini, vbi hoc illi nomen tribuit, vt ex Græco exemplari palàm est; & [c] S. Athanasius, qui sæpissimè sic illud appellat: qui ambo, cùm ante Constantinopolitanum scripserint, quod fuit secundum Generale, vtique suspicari non licet, ab eo hanc appellationem mutuatos. Idipsum confirmat factum insigne à [d] Nicephoro allatum. Narrat, duos Episcopos, Chrysantum & Musonium, diem obiisse, priusquam suo chirographo Decreta illius Concilij firmassent; ceteros verò collegas Episcopos ad eorum sepulchrum accessisse, eosq; rogasse, vt si Deo complacitum foret, communi ipsorum sententiæ, quam ibi exaratam in pagina deposuerant, suum adscriberent suffragium; postero die reuersos subscriptam reperisse, his verbis: *Chrysantius & Musonius, qui cum Patribus in prima sancta Oecumenica Synodo consentimus, subscripsimus.* Iam verò aut memorata narratio pro vera recipitur, & Suauis assertio corruit; aut repudiatur ceu falsa; atque, vt hoc maximè sit, certum est, Nicephorum, quippe in antiquitate sacra peritum, ac in monumentis Græciæ, vbi natus est & educatus, potuisse quidem fortuito peculiari euento quamuis falso fidem habere; sed longè melius quàm Suauis pernosse, quo fuerit nomine Concilium Nicænum initio appellatum: quare si titulus *Oecumenici* posteà fuisset indictus, non adeò oscitanter subscriptioni duorum Episcoporum illum apposuisset: quemadmodum, si quis nunc scripturam aliquam commemoraret, vbi fieret mentio cuiuspiam Cardinalis qui centum ab hinc annis vixerit, vsque eo stultus non esset, vt eam putaret, ac referret tamquam auctoritate dignam, in qua haberetur recens titulus *Eminentiæ*. Sed parum refert, an hoc certo nomine primis temporibus vsi fuerint in Concilio Nicæno Patres, cùm in comperto

[a] Vide Bellarminum lib. 2. de Concil. c. 13.

[b] Lib. 3. cap. 6.

[c] Videantur eius Opera Græco-Latina, impressa Parisiis an. 1627. in Orat. 2. contra Arianos, pagina 288. & seqq. & in Epistola de Decretis Nicænis contra Arianos, pag. 251. & 257. in lib. de Synodis Arimin. & Seleuciens. pag. 883. & 889. & in Epistola ad Arianos, pag. 932. & seqq.

[d] Lib. 8. c. 23. Vide Baronium ann. Christi 325.

ſit, obſeruatam in eo fuiſſe vniuerſalem illam amplitudinem atque auctoritatem eo nomine ſignificatam.

Tertiò, tam adulterina eſt deriuatio nominis *Oecumenici* per 8
Suauem deducta ab Imperij amplitudine, vnde Concilium coactum eſt, vt facto ipſo reuincatur. Nam à regionibus Occidentis Romano Imperio ſubiectis eò non ampliùs conueniſſe conſtat quàm * tres Epiſcopos, & præterea paucos quoſdam Presbyteros, vti habetur in quinta Synodo generali, & liquet ex ipſis Nicænæ ſubſcriptionibus. Adeò vt Perronius Cardinalis, vt explicet quâ tandem ratione Concilium illud fuerit reuerà Oecumenicum, ex coniectura dicat, Legatum aliquem communi Epiſcoporum Occidentis nomine eò veniſſe; verumtamen huiuſmodi legationis nullum extat in tota antiquitate veſtigium; adeoque verior firmiorque defenſio eſt, Concilium Nicænum per legitimam poteſtatem indictum apertumque omnibus, atque vt Oecumenicum poſteà confirmatum ac receptum, eaque ex cauſa non caruiſſe ob multorum abſentiam titulo ac prærogatiua Concilij vniuerſalis, ſicuti euenit in reliquis etiam Cœtibus atque Conuentibus. Idem confirmat exemplum Epheſini, quod pro legitimo, ſatiſque pleno ſeſe cenſuit, cùm ad Neſtorij damnationem proceſſerit priuſquam Occidentis Epiſcopi Epheſum perueniſſent.

* Quem Epiſcoporum Cœtum requirat Concilij generalis eſſentia, benè diſputat Suarius de Fide, diſp. 11. ſect. 1.

E diuerſo nec ſimiliter verum eſt, è ſolis Romani Imperij 9
prouinciis conueniſſe Epiſcopos Nicæam ad Concilium; interfuit etiam Ioannes in Perſide Epiſcopus, cuius nomen ſubſcriptum legitur ad eiuſdem Concilij calcem; cuius etiam meminit Euſebius ibi tunc præſens: quin Gelaſius Cyzicænus, qui eius Acta deſcripſit, inchoat: *Quæ in ſancta & magna & vniuerſali Synodo, ex omnibus, vt ita dicam, Romani Orbis prouinciis, & ex Perſide.* Et tamquam Perſidis Epiſcopum connumerat in Tabulis prædictum Ioannem. Satis autem liquet, Perſidem nullâ ratione Romano Imperio paruiſſe Conſtantini tempore; qui verò certiorem notitiam quæreret, legat in Euſebio mutua officia inter Conſtantinum ac Saporem Perſarum Regem.

Neque ſolus hic Epiſcopus adfuit ex Perſarum Regno; inter- 10
fuere

fuere pariter quinque Armeniæ maioris Episcopi, quæ vsque ab ætate Philippi Cęsaris fuit ab Romano Imperio seiuncta, & Persis tradita, ex quo ipsius incolæ Persarmeni vocitati sunt, vt ex Euagrio constat, donec Iustini tempestate, nimirum longè post Concilium Nicęnum, ob dominationis Persicæ sæuitiem ad Romanorum confugêre patrocinium, eorumque se imperio subdidere. Hi sanè quinque Armeniæ maioris Episcopi in Concilij Nicæni syllabo continentur. Quapropter neque dici potest, Episcopos vt Nicæam conuenirent, solo Constantini imperio adductos, sed alterius imperantis iussu, qui sacram iurisdictionem exercebat vltra profanos Cæsaris fines; cùm allici non potuerint suimet ipsorum gratiâ, vt amplas suas Diœceses, adhuc adolescentes in Christiana pietate, desererent, quò incommoda sumptusque ad tam longa atque ardua itinera deuorarent; neque in Conciliis appellationem *Oecumenici* aliud non sonare, nisi collectionem ab vniuerso Imperio Romano. Profectò mirandum non est, conari hæreticos hasce tam validas tamque firmatas rationes variis molitionibus eludere: vbi enim intellectus in vna sententia se pertinaciter circumuallat, alterius munitiones prospectat, non acie machinatoris vt examinet, sed libratoris vt feriat. Mirum sanè est, hunc hominem ea tam confidenter affirmare, quibus tam apertè repugnat vetus Historia prorsus ab illo prætermissa; sed perinde ac si essent euentus adeò certi, sicuti est, Iulium Cæsarem fuisse Dictatorem.

CAPVT XIII.

Vtrùm vera sit Suauis doctrina de nomine Oecumenici *attributo Conciliis post diuisionem Imperij celebratis.*

1 AFfirmat eâdem confidentiâ Suauis, post occupatum à Saracenis Imperium Orientis, Occidentis verò in varios dominatus diuisum, *Concilij Oecumenici* nomen apud Græcam Ecclesiam perstitisse in iis Conciliis, quibus omnes quinque Patriarchæ interessent; apud Occidentales verò illis datum, quæ fuissent coacta ex ea parte fidelium, qui in rebus Ecclesiasticis Pontifici Romano parerent.

Contexitur hæc narratio formulis, quà falsis, quà alienis, eodemque spectat, quod suprà monuimus, videlicet ad eneruandam Oecumenicorum Conciliorum auctoritatem, indicando hanc esse vocem ambiguam, variæque significationis, ideoque obtinere non posse certam quamdam naturam, ex qua dimanent certæ statæque proprietates, hoc est, indubitabilis veritas, ac potestas vniuersalis, quas Catholici in iis Conciliis agnoscunt, quibus tale nomen apponunt.

At ille quidem haud propriè loquitur; quoniam titulus *Oecumenici* non denotat interuentum neque quinque Patriarcharum, neque Ecclesiarum Pontifici parentium, sed Concilium totius Christianę Reipublicæ; quæ vel vniuersa conuenerit, vel vniuersa legitimè vocata fuerit, vel cuius totius nomine fuerit Concilium celebratum, ac tota deinde ratum habuerit. At verò cùm vniuersus Christianus orbis quinque Patriarcharum curæ commissus sit, verè conficitur, sed non vi significationis, Concilium illud esse Oecumenicum, ad quod Ecclesiæ confluant quinque Patriarchis subiectæ: quo pacto, exempli causâ, hic titulus, *Successor S. Petri*, significat Episcopum, non verò Dominum Ciuitatis, cuius Episcopus S. Petrus decessit, hoc est Romæ; sed quia reipsâ qui Romæ sedet Episcopus, Romæ etiam dominatur; reipsâ & certâ consecutione, non verò quia vocabulum ex intelligentia communi hoc significet, qui Romę dominatur, est itidem S. Petri Successor. Imò ostendant mihi si possunt Suauis patroni, interfuisse Constantinopolitano Concilio fideles quinque Patriarchis obtemperantes: soli Græci adfuere, iidemq; soli vocati; & tamen extra controuersiam est, *Oecumenici* appellationem optimo iure ei conuenire. Quid ita? quia vt tale à S. Damaso vniuersalis Ecclesiæ capite fuit approbatum. Verum sanè est, sicuti cetera legitima Acta, ita & hæc non posse acceptari, seu, vt sic loquar, rata fieri ab eo, cuius nomine gesta non sunt: ac propterea quamuis Concilium Arausicanum, aliaque fuerint à Pontifice comprobata, & à Catholicis recepta; tamen cùm pauci illi Episcopi non egerint vniuersæ Ecclesiæ nomine, vt egerunt Patres Græci in primo Constantinopolitano; hinc est, quod neque Pontifices

ea comprobarunt tamquam totius Ecclesiæ Acta, neque vniuersa Ecclesia tamquam talia rata habuit.

2 Peccat deinde Suauis vitio non locutionis haud propriæ, sed falsæ, dum asserit secundo loco, titulum *Oecumenici* in Ecclesia Occidentali datum esse Conciliis collectis ex iis solum Regionibus, quæ Romano Pontifici obediunt. Datum fuit ab Occidentalibus vltimo Constantinopolitano, quò tota Ecclesia ad Photium damnandum se contulit: datum Concilio primo Lugdunensi sub Innocentio IV. ad quod Pontifex Præsules ac Principes totius Christiani orbis inuitauit; & quò simul cum Græciæ Imperatore conuenere Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus: datum secundo Lugdunensi sub Gregorio X. in quo refert Historia consimilem inuitationem habitam, & adfuisse Legatos Græciæ Imperatoris: secundo Lateranensi sub Innocentio II. ad quod par etiam fuisse inuitamentum, & mille Episcoporum concursum, narrat Historia: tertio Lateranensi sub Alexandro, quò similiter omnes conuocati, vt tradit Robertus in Appendice ad Sigibertum. Ob eumdem concursum omnium ferè Græcorum, siue per seipsos, siue per Procuratores, ait Surius, nemini sanæ mentis dubium esse, quin quartum Lateranense sub Innocentio III. Oecumenicum fuerit. Nec aliter ad Viennense in Gallia sub Clemente V. omnes etiam conuocati sunt, eòque interfuere Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus. Ac denique idem valet in Constantiensi, Florentino, atque in postremo Lateranensi sub Iulio & Leone.

3 De aliis Conciliis, de quibus nec inuitatio, nec præsentia, nec acceptatio vniuersalis Catholicorum probatur, titulus ac æstimatio Oecumenici incerta etiam esse posset. Dixi, nec inuitatio, nec præsentia, nec acceptatio, quoniam, vt ostendi capite præcedenti, vniuersalis præsentia non extitit in Nicæno, nec in primo Ephesino, cùm damnatus est Nestorius; sed satis fuit, legitimam inuitationem antecessisse, & acceptationem vniuersalem fuisse consecutam; atque, vt suprà consideraui, neque præsentia, neque inuitatio vniuersales fuere in primo Concilio Constantinopolitano; & tamen satis fuit, vniuersalis Ecclesiæ nomine fuisse celebratum,

bratum, & posteà pro vniuersali acceptum ab vniuersa Ecclesia.

Scio illud etiam verum esse, quædam Concilia, quibus Pontifex interfuit ab vniuerso Christiano Orbe non conuocatis, eiusdem auctoritate confirmata, ab omnibus recepta fuisse in Fidei dogmatis, tamquam certa ac pariter indubitata, atque ipsa Oecumenica. Hinc palàm fit id quod Suauis nollet, aliorumque vocum vmbris obuoluere nititur, Pontificis videlicet auctoritatem extra falsi aleam esse in quæstionibus Fidei terminandis: at veritas instar Solis est, ex quo semper sublustre quiddam per obductas illi nubes erumpit. 4

Hunc equidem Apparatum præmittendum censui, quò lector firmiori vestigio per narrationum seriem incedat. Placuit Opus in capita partiri, quippe historiâ & apologiâ permixtum, multisque contextum doctrinis, quamuis non ex professo, neque consuetâ illâ Scholasticorum seueritate agitatis. Itaque cùm varia lectoribus inesse possint cùm ingenia tum studia, operæpretium putaui, in cuiusque, vt sic loquar, semitæ aditu proponere, an plana ea sit, an prærupta, & quorsum ducat; vti liberum cuique sit, vbi ita maluerit, amœniorem historiam apologeticis digressionibus haud interrumpere, atque in amœnitate iucundiùs immorari, quæstionum asperiorum vepribus euitatis. Neque verò meras quoque narrationes in capita diuidere illustrium Auctorum exemplo caret, vti Suetonij ac Flori inter veteres (siue partitio ab ipsis scriptoribus facta sit, siue ab iis qui posteà vt opportunam illorum operibus agnouère) & Philippi Cominæi, Ioannis Villani, aliorumque inter nouos. Sed vtcumque res sit, non quòd Homerus sua Poëmata libris non distinxerit, improbatur idcircò mos posteà inductus ea distinguendi, præfigendique sua singulis libris argumenta. Quare non esset reprehensione, sed potiùs commendatione dignus inuentor claritatis, apud veteres insitatæ; quemadmodum apud eosdem in more non fuit, rerum indices libris apponere, quibus recentes tam facile reddidere literarium iter, quàm magneticâ pyxide maritimum. 5

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

STatus Reipublicæ Christianæ ineunte sæculo decimo sexto nostræ salutis. Origo & exitus falsi Concilij Pisani. Indulgentiæ à Leone X. promulgatæ: eædem à Luthero impugnatæ, aliaque præterea Fidei dogmata. Dies illi dicta ab Auditore Cameræ Apostolicæ. Eius causa Thomæ de Vio Cardinali, tunc in Germania Legato, commissa. Huius cum Luthero congressus. Lutheri prouocatio à Cardinali tamquam à suspecto Iudice. Legati ac Lutheri studia contraria apud Saxonem: secundi præualent, & quare. Timor Lutheri, & eiusdem ad futurum Concilium prouocatio. Declaratio interim à Pontifice promulgata super Indulgentiarum vi. Mors Maximiliani Cæsaris, & incommoda inde consecuta. Carolus Meltitius ad Saxonem allegatur à Pontifice, occasione Aureæ Rosæ ei deferendæ; at potissimùm Lutheri causâ: quomodo is exceptus. Duos annos in ea tractatione versatur diligentiùs quàm prudentiùs. Eius cum Luthero colloquia; atque huius ad Pontificem literæ. Solemnis disputatio Lipsiæ habita inter Carolostadium ac Lutherum ex vna parte, & Ioannem Eckium ex altera. Exordia Zuinglianæ hæresis in Heluetia. Lutheri doctrina in variis Academiis damnata: Leonis in eum

Diploma. Lutheri libri nonnullis in locis concremati ob Diplomatis obseruantiam. Mutua combustio solemniter à Luthero habita VVirtembergæ eiusdem Diplomatis, totius Iuris Canonici, aliorumque voluminum. Ad Carolum Cæsarem, nouum Imperatorem, Nuntij à Pontifice missi Caracciolus & Aleander, cui præcipuè negotium de Luthero datum. Propensa in Carolo voluntas, atque in Belgio Diplomatis executio. Difficultates ad id exequendum Coloniæ & in aliis Germaniæ vrbibus obiectæ, ac superatæ. Generalis Conuentus à Carolo VVormatiæ habitus. Varia tum in eius Consiliariis, tum in diuersæ conditionis viris de causa Lutheri sensa. Proponitur Conuentui edictum Cæsareum contra Lutheranos. Perorat ibi tres horas Aleander. Euocatio & accessio Lutheri, fide publicâ acceptâ. Interrogatur, & admonetur in Conuentu; eiusque responsa. Timor ab eiusdem fautoribus Conuentui incussus. Adhortationes, quibus priuatim Principes erga Lutherum vsi sunt; eiusque pertinacia. Eiusdem inde dimissio, discessio, ac voluntarius in itinere raptus. Edictum Cæsaris, contra Lutherum, eiusque asseclas ac doctrinam promulgatum.

CAPVT PRIMVM.

Rei Christianæ status ante Lutheri hæresim, & Iulij Secundi ingenium & mores.



IVVAT meam inde narrationem inchoare, vnde planè Suauis inchoat; vt pari passu gradiens, possim subinde lectorem admonere de iis locis, vbi ille vel per ignorantiam labitur, vel per fraudem lapsum alteri parat. Nostræ salutis sæculo sexto supra decimum perdurabat schisma atque hæresis in Oriente, è cælo multata supplicio æquè graui ac lamentabili Regnis etiam Catholicis; tyrannide scilicet Turcarum, qui paulò antè Constantinopoli expugnatâ regiâ, opprimebant eodem tempore partem Christianæ gentis noxiam seruitute, innoxiam terrore, cùm in Occidente vera Fides regnaret, vix leuiter contaminata; quippe minutis quibusdam labeculis, ac penè visum fugientibus aspersa ignobilium ac desp. ctarum hæresum, apud gregem exiguum rusticorum ac rudium; reliquias nempe 1

nempe vel antiquorum Waldensium, vel factiones Ioannis Hussi, damnati combustique superiore sæculo in Constantiensi Concilio. Verùm ex hisce neglectis reliquiis accidit, quod in contagiis vsuenit; in quibus aliquoties incuria sordidi panniculi cremandi efficit, vt post aliquod tempus pestilentia sæuior ex improuiso repullulet.

2 Huiusmodi calamitatum aliquem priùs metum incusserant contentiones Principum cum Capite Religionis: his tamen feliciter compositis, debilior viliorque auctor tantam Europæ vastitatem postmodum intulit. Discordiæ inter Iulium Secundum, atque Ludouicum Duodecimum Galliæ Regem, ab eo Sacris interdictum, accedente aliquot Cardinalium ambitione, quorum quisque, prout fert huius vitij natura, sperabat inter schismatis fluctus Petri Naui se potiturum, horribilem anteà procellam in Ecclesia exciuerant. Etenim vbi Ludouicus à Iulij obedientia secessit, exstimulatus pollicitationibus Maximiliani Cæsaris, Pontificem pariter auersantis, indixit coëgitque (Cardinalibus, quos memoraui, vnà conspirantibus) Concilium Pisis, animo, vti vulgabant, Ecclesiæ reformandæ cùm in membris tum in Capite, hoc est Pontifice, adeoque ipsius exauthorandi. Sed Pisani, Florentinæ Reipublicæ, cui parebant, imperio adducti, apertis execrationibus cœtum illum vti sacrilegum excepere: neque se ab vlla significatione contemptus & auersationis abstinuere; conclamante per liberam indignationem populo, longè indigentiorem reformationis esse quemlibet coëuntium, quàm ij ad quos reformandos se conuenisse iactabant. Clerus non modò recusauit Synodi functionibus interesse, sed non aliter, quàm iussu Reipublicæ coactus, vsum Ecclesiæ sacrique ornatus concessit. Translatus deinde cœtus ille Mediolanum, magnâ Gallorum Antistitum lætitiâ, qui vnà cum Alibreto Cardinali, dumtaxat metu Regis concurrebant; ideoque opportunitatem quamlibet eius dissoluendi cupidè conquirebant. Verùm Mediolani cum despectu Regiæ auctoritatis excepti, non vt Cardinales (quæ dignitas in Christiana Republica maximo in honore habita est) sed vt perditi ac scelerati homines, atque vt cometæ infausti, quocumque peruenissent. Quin etiam, tametsi Galli memorabili ad Rauennam victoriâ potiti, Mediolanum duxissent captiuum Ioannem Mediceum Cardinalem, exercitus Pontificij Legatum, qui posteà creatus Pontifex, Leonis X. nomen sumpsit; haud tamen victores milites cohibuere se, quin incredibili frequentiâ confluerent ad venerandum vt Legatum Christi Vicarij, quem captiuum habebant; absolutionem postulantes, quam illis impertiri poterat, quòd contra

Iouius & Guicciardinus in Historia eorum temporum.

Ecclesiam arma captassent; datâ fide, se id inposterum haud commissuros. Tanta inest Christiano populo Religionis vis, tantoque illi horrori est, obuolutam Religionis pallio siue ambitionem siue vltionem deprehendere.

Opposuit Iulius huic Concilio, quasi quoddam propugnaculum vnde quateretur, alterum Concilium ad Lateranum indictum. Adscribitur id consilium ab aliquibus [a] Thomæ de Vio à Caieta, Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, ac Theologo præstantissimo, qui postea à Leone adlectus ad Purpuram; ab aliis, [b] Cardinali Antonio à Monte S. Sabini [c] Iulij Tertij patruo, eiusque fortunæ auctori; qui Antonius à Iulio Purpuram acceperat, præmium sententiæ à se in Romana Rota fortiter dictæ, aduersus iteratas atque ardentissimas eiusdem Pontificis commendationes. Consilium autem eò tendebat, vt omnem seditiosis auferret speciem, quòd viderentur velle auctoritate Concilij, obtentæ necessitati Ecclesiæ consulere ob incuriam Pontificis, quando iam ipse Pontifex (cuius erat pro sua summa inter Christianos auctoritate illud indicere) satis superque consulebat per Concilium à se conuocatum. Verùm, quia solet ab hominibus respui satisfactio vti deficiens, vbi non quæritur ex causa, sed ex colore alienationis; Concilij Pisani fautores negabant, esse amplius in facultate Pontificis Concilium congregare, cùm iam ipsi præoccupassent: quin aiebant, debere Pontificem adesse ipsorum Concilio, quò fuerat ab illis citatus. 3

a Flauius in Oratione habita in illius funere; & recensetur in Ann. 1. Bzouij.
b Guicciardinus lib. 10.
c Cappellonus in suis dissertationibus.

Quamquam autem Christianum genus toruis oculis tueretur hosce seditiosos ac turbulentos, neque Rex Catholicus suos Hispanos Antistites eò misisset, neque Maximilianus Cæsar, vti promiserat, Germanos, imò permisisset, Conuentum Præsulum Germanorum Augustæ habitum ferre suffragium contra Pisanum Concilium, tamquam schismaticum; non tamen post eos turbines coorta serenitas est, nisi vt euenire solet in discordiarum vlceribus inueteratis aduersus Principes per electionem creatos, nimirum Iulij obitu. Nam Cardinales schismatici, Iulio contumaces, Purpurâ ab eo exuti, ideoque à Pontificiis Comitiis exclusi, mox ad Leonis, qui Iulio successerat, benignitatem confugêre, [*] ac supplices veste non Senatoriâ sed priuatâ, in Pontificio Senatu detestati solemniter Pisanum Concilium vti spurium, seque reos fassi, eorum criminum, ob quæ gradu moti fuerant, veniam, ac pristinam dignitatem impetrarunt. Itidem Rex Galliæ cum Ecclesia in gratiam rediit; Concilium verò Lateranense, promotum absolutumque à Leone, pro legitimo acceptatum est. 4

* Guicciardinus lib. 11.

Diem

5 Diem clausit Iulius (vti * Franciscus Guicciardinus, seuerissimus illle censor summorum omnium virorum, & inprimis Pontificum, tradit) pari constanriâ ac pietate. Fuit indolis tam præcelsæ, vt si profanum tenuisset dominatum, inter Heroës meritò recenseretur. Sed ea est celsitudo virtutis, quam sibi vendicant nomen illud Sanctissimi, & auctoritas Sequestri inter Cælum ac terram, vt maculæ in ceteris hominibus inobseruabiles, euadant in ea luce monstrosæ. Prætereà tam difficile est explere simul in alios Principes & partes Parentis in rebus Diuinis, & identidem æmuli in humanis, vt interdum à Fama carpantur Pontifices, quasi nimiùm rei suæ, vel parum alienæ studiosi, quòd subiectos sibi populos tueantur seu recuperent, ad quorum parrocinium obligatione mutuâ dominantes ac subditi rrahuntur: & tamen, quò ditionem suam defenderenr, ferro non pepercerunt vel ij * Pontifices, quorum nomen fidelium pietas erectis Aris veneratur. Erat quidem Iulius feroci animo arque iracundo: sed hi animi impetus etsi nonnumquam contra virtutem dimicant, sæpè tamen dimicant pro virtute. Næ ille, si tam ferox non fuisset, numquam Ecclesiæ recuperasset maiorem potioremque suæ ditionis partem, quæ peculiari Dei prouidentiâ attributa Pontifici videtur, cùm neque tam modica sit, vt à profanis Principibus violentiam ferre facilè cogatur; neque tam magna, vt cultus Christiani obseruatio humano timori, non studio Religionis possit adscribi.

* Eodem lib.

* S. Leo Nonus.

6 Quoniam autem contra Iulium incipit Suauis dentes suos semper mordaces exercere, placet hîc sincerè ac breuiter meum iudicium de Iulio proferre. Indulsit ille quidem militiæ studiis supra quàm opus fuit, ad recuperandam & conseruandam Ecclesiasticam ditionem, & supra quàm tanti Capitis sanctitatem deceret. Sed quis tam perfecte sui compos est in rebus gerendis, præsertim iis quæ citra æstum & impetum fieri nequeunt, qui numquam extra fines arctissimos honesti dilabatur? Inter eos fines ne maximi quidem sapientissimique Sanctorum, etiam in castigando corpusculo, se plerumque conrinuere. Vnde S. Bernardus vti nimias & imprudenres damnauit corporis afflictationes, quibus diu fuerat vsus in hac vita; in qua (vt Catholica Fides contra Pelagianam arrogantiam nos docet) nulla quidem virtus obtinetur nec ab omni perturbatione secura, nec ab omni labe incontaminata. Pro se quisque perpendat, an maiorem mereantur laudem constântia ac vigor Iulij, quibus iam senior, posthabitis otij commodis, tot tantisque laboribus ac periculis sese obiectauit, vt lacerum Petri pallium re-

sarciret, paucos sibi annos gerendum, neque posteà consanguineis relinquendum; an maiorem vituperationem, quòd succensam semel, nec iniustè, bilem cohibere nequierit, nequando in flammam minùs moderatam exarserit; sicuti peritissimus militum imperator nequit semper exactissimâ disciplinâ suas copias coërcere.

Verùm his omissis quæ Iulio vertuntur vitio, non à Suaui magis quàm ab aliis historicis Suaui acceptissimis, dum Pontifici oblatrant, regrediamur ad Pisanam Pseudosynodum. Neque verum, neque ab alio quoquam auctore traditum est id quod Suauis pronuntiat, huius cogendi necessitatem inde ortam, quòd Iulius cum Cardinalibus ac Principibus iusto imperiosius ageret. Quod attinet ad Cardinales, concordant in hoc eius ætatis * Historici, nihil sanè Pontifici studiosi, discordiarum follem, vt suprà significauimus, fuisse ambitionem Pontificatus, quam singulis sui met ipsorum amor pollicebatur; fallax enimuerò dialecticus, dum intentus ad obseruata in aliis obstacula, exclusis singulis, per necessariam consecutionem seipsum includit. Principibus verò, eius Concilij auctoribus, non tam in Iulio imperiosa agendi ratio displicuit, quàm mansueta. Cameracensi fœdere perdurante, nihil in eo reprehensum, ceu minùs sedatum moderatumque quàm communem Parentem deceret: mox initâ per eum cum Venetis pace, videri cœpit intolerabilis; & qui regredi ad memoratum fœdus recusauerat, alioque arma conuerterat, ipsum abdicare moliti sunt, tamquam facem Christianæ Reipublicæ. 7

* Iouius & Guicciardinus suprà citati.

Nulla mihi cum Iulio nec publicè nec priuatim studia sunt; nihil ille de Tridentino Concilio; nondum Lutherus eius ætate bellum intulerat Ecclesiæ. Et quantum spectat ad Romani Pontificatus gloriam, qualiscumque tandem fuerit Iulius, satis exploratum est, Romanos Pontifices quamplurimos extitisse sanctitate spectabiles, nonnullos verò deteriores quàm Iulius, vt Suauis aliique confirmant. Sed ingenui scriptoris officium nequaquam est, permittere vt laudis rectè quæsitæ gloria, adulationis potius beneficium quàm virtutis præmium videatur, nec dedecoris ignominia à morsu liuoris quàm à vitij pœna profecta; vtrumque enim horum vim illam debilitat, quæ Natura in bonæ famæ appetitione ad honesti custodiam esse voluit. 8

Equidem haud procul absim ab ea existimatione, Iulium in ea parte excessisse, in qua Suauis eum defecisse reprehendit. Affirmat hic, non magnoperè eum Sacerdotali deditum fuisse muneri. At ego ex aduerso censeo, vtcumque ille fortasse naturæ, vel sæculi, 9

non-

nondum à Concilio Tridentino emendati vitio, aliquid in eo genere defecerit; nullâ tamen re aliâ magis rei Christianæ nocuisse (quamquam recto animo, & quòd ita res tulisset) quàm molimine operis summi Sacerdotis, ac summi pariter Principis, adeoque supra vires ærarij sui; nouâ, inquam, ædificatione admirabilis Basilicæ Vaticanæ. Hanc religiosâ Constantini potentiâ priùs extructam, dein maiori, hoc est temporis potentiâ dirutam, decreuit ille ampliorem in formam magnificentiùs restituere. Ferebatur Iulius suopte ingenio ad gloriosa facinora: quod sanè studium, cùm ita quærit humanam laudem, vt in ea quasi in vltimo fine minimè consistat, ad eamque nititur per bonas artes, honestate non caret ex Patrum doctrina. Venerabatur Iulius præcipuâ quâdam pietate Principem Apostolorum, non modò quòd eius muneri successerat, sed quòd priùs Cardinalis titulum tenuerat ab Æde sacra, vbi vincula eiusdem Apostoli asseruantur, iam tum ab ipso exornata eximiâ porticu, quæ adhuc visitur. Quare beneficio Pontificatus Apostolo obligatior, ac viribus auctior, statuit templum eiusdem honori dicatum extruere, Bramantis nobilis Architecti operâ delineatum, omnium post homines natos pulcherrimum. Sed pietas sumptuosa Salomonis tunc planè est cumulatè laudabilis, cùm opibus Salomonis innititur: alioqui magnificentiæ studium, etiam pietati seruientis, in Principibus Aulæ quàm in priuatis cautius oportet esse. Hi de suo sumptum faciunt; illi, de alieno quæsitum pro suo patrimonio subditorum substantiam habentes. Quapropter hæc Vaticani templi structura cæmentaria, magna ex parte ruinam traxit ædificij quod in animis pietas struxit: quò enim tot decies centena aureorum millia colligerentur, quæ operis immensitas absorbebat, necesse fuit Iulij successori ea aggredi, vnde Lutheri hæresis duxit originem, quæ multo pluribus decies centenis animorum millibus absumptis depauperauit Ecclesiam.

CAPVT II.

Natura & mores Leonis Decimi Iulio suffecti, & Indulgentiæ ab eo promulgatæ.

1 SVccessit Iulio ex concordi integerrimaque suffragatione Vaticani Senatus Ioannes Mediceus suprà memoratus, non modò excellenti variâque literaturâ præditus, sed egregiæ probitatis opinione conspicuus, vt * Guicciardinus ipse testatur; & qui iuuentutem egerat intaminatæ innocentiæ famâ, vti Iouius in eius Vita comme-

* Guicciardinus lib. 12. & 14.

commemorat: quæ res indicio est, Patres per ea suffragia euehendæ virtuti studuisse.

Opponit Suauis, magis illum in literis profanis versatum, quàm in sacris & ad Religionem pertinentibus. Haud quidem illi repugno. Leo ingenio capacissimo, ac singulariter studiis addicto donatus à Deo, vix pueritiam egressus, cùm se in supremo Senatu Ecclesiæ collocatum cerneret, suo planè officio defuit, neglectâ in literarum studio parte non solùm nobiliore, sed suæ magis congruâ dignitati. Grauior apparuit deformitas, quando trigesimo septimo ætatis anno Præses ac Magister Religionis constitutus, non continenti solùm studio profanarum literarum curiositati se totum impendit, sed in Regiam ipsius Religionis maiori curâ eos accersiuit, quibus essent perspectæ Græcorum fabulæ, Poëtarumque deliciæ, quam Ecclesiæ Historia ac Patrum doctrina. Haud sanè omisit idem Theologiam Scholasticam remunerari Purpuræ honestamento in Thoma de Vio, in Ægidio Viterbiensi, in Adriano Florentio eiusdem successore, & munere Magistri sacri Palatij in Siluestro Prierate, quorum lucubrationes sacram disciplinam immortaliter illustrarunt: sed non æquè Theologorum ac Poëtarum consuetudine est delectatus, nec iuxtà sacram eruditionem promouit ac profanam, relictâ Ecclesiâ in ea quam reperit penuria virorum, qui post infelicem plurium sæculorum ignorantiam in lucem reuocarunt sacram eruditionem, quâ iam fruebatur profana. 2

Certè vtriusque noxæ pœnas exoluit. Si namque Theologis assueuisset, cautiùs profectò in distributione Indulgentiarum eorum consilio se gessisset; & nisi virorum copia in Ecclesiastica eruditione præstantium ei defuisset, fortassis eorum scriptis primas Lutheri scintillas facilè oppressisset. Sed vsitata est incuria Principum, subditos in pacis otio ad arma non exercere, minimè reputantium, non posse breui tempore homines imbui disciplinâ militari, cùm improuisa ingruit necessitas præliandi; atque ideò multarum cladium pretio, militum deinde peritia comparatur. 3

Addit Suauis, Leoni haud magnæ curæ pietatem fuisse. Primùm quidem nosse oportet, in illo vsque à pueritia extitisse semina admiranda virtutis, ac præsertim pietatis: vnde Angelus Politianus, agens Innocentio Octauo gratias quòd eum adolescentem ad Ordinem Purpuratorum euexisset, ita de illo scribit: *Cultum pietatis & religionis penè etiam cum lacte nutricis exsuxit, etiam tum ab incunabilis sacra meditans Officia, quando nondum editum, eum tamen Ecclesiæ iam genitor prouidentissimus destinarat.* Et paulò antè: *Natiua in eo probitas* 4

tas à genuinæ quoque diligentia parentis ita impensè exculta est, vt ex illius ore non modo non fœdius dictu verbum, sed ne leuius quidem vnquam aut licentius exciderit. Hunc vitæ existimationisque tenorem secutus ille est vsque ad Pontificatum, vt vidimus: cùm verò Pontifex factus est, affirmare non ausim, tantam in eo curam pietatis eluxisse, quantam celsitudo illa penè diuina postulabat. Neque mihi est in animo, Leonis hîc mores vniuersim commendare, vel certè defendere. Nam vt ea prætercam, quæ sub famæ suspicione magis quàm affirmatione delitescunt (quæ fama semper amplificandi cupida, ibi libentiùs exprimit maculas, vbi deformiores apparent) constat venationes, facetias, pompas adeò frequentes, fuisse in Leone vitia partim sæculi, partim potentiæ, partim etiam ingenij: non tamen exigua in eo inter mortales fastigio, cui nulla par esse potest, nisi summa perfectio.

5 Non tamen prætereunda silentio ingens eius decus & maiestas in sacris functionibus obeundis, supra ceteros anteà Pontifices; simul etiam abstinentiæ rigor, cùm bis per hebdomadam ieiunaret, & insuper quartâ quaque feriâ colendæ Virginis gratiâ mensam priuaret carnibus, sextâ verò, ob memoriam Christi patientis, herbâ tantùm ac legumine vesceretur. Tam crebra sensus maceratio in Principe iuuene, animoque deliciarum appetente, coniuncta cum periculo diminuendæ vitæ, quæ à potentibus ceu numen quoddam plerumque amatur & colitur, diu non potuisset produci, nisi per vim validissimæ pietatis: neque certè, quòd non pertigerit quispiam propositam virtutis metam, eò reticendus est gradus ille, ad quem peruenerit; aliter nullum inter improbum & non optimum discrimen erit. Sed ad inceptum redeamus.

6 Leo, post Iulium in Romana Sede collocatus, se quidem hebetari passus est ab ea specie, quæ magnificum cum bono confundit, plausumque multitudinis cum Reipublicæ emolumento: quamobrem illectus quodam magnificentiæ splendore, quæ instar ignis tantum fulget quantum consumit, eam adhibuit in functionibus, in supellectili, in donariis; potissimè verò animum adiecit ad vix inceptum à Iulio opus Vaticanæ Basilicæ perficiendum: quo nimirum animi impetu, honestique specie iuxtà ferebatur; nec animaduertit, cauendum esse, ne in plures riuos dissipetur fons, à quo ingens lacus est deducendus. Cùm ergo immensæ pecuniæ vim opus absumeret, & ærarium esset exhaustum, ad subsidia confugit collationis cuiusdam efficacis simul ac suauis, quippe liberæ, & tamen exactæ, quia conferentibus conducibilis. Indulgentias per

Christianas regiones promulgauit, ſimulque facultatem lactis ouorumque comedendi diebus ieiunio ſacris, ac etiam deligendi quem ſibi quiſque vellet ad excipiendam peccatorum confeſſionem, dummodò voluntariam eleēmoſynam ad conſtruendum Templum Principis Apoſtolorum conferret.

Profectò à vero diſſentit id quod Suauis narrat, hoc ſubſidium 7
ab exhauſta iam prodigentia Leonis inductum. ª Iulius Secundus ante illum ad inopiam pecuniæ redactus, cùm ob bellum maximis impendiis confectum pro recuperandis vrbibus ſibi ademptis, tum ob neceſſariam maritimarum arcium reparationem contra bellicos Turcarum apparatus, intendit animum ad has fidelium ſuppetias vltrò conferendas, quibus inchoatam Baſilicam promoueret. Eas primò per annum indulſit, quod poſteà ſpatium ad ſuum arbitrium produxit, adiunctâ etiam ad Indulgentias ac priuilegia conſequenda veneratione templorum, quæ eligeret Hieronymus Torniellus, Vicarius citra Montes Ordinis Minorum, illi negotio à Pontifice cum poteſtate præfectus in vigintiquinque Prouinciis, in quibus Vicarij munere fungebatur; atque illi poſtmodum anno 1508. demortuo ſubſtituit 2. Ianuarij 1510. Franciſcum Zenum, eidem in Vicarij munere ſubrogatum; inde 23. Iulij ann. 1512. Zeno etiam vitâ functo ſuffecit, poſt alios quoſdam minori cum poteſtate delectos, quos breuitatis gratiâ prætermittimus, Timotheum Lucenſem, & Alphonſum Matritenſem eiuſdem Ordinis, Diplomatis vſu ad Heluetios pariter porrecto. Neque ſanè tunc ſibi defuit aut Chriſtianorum pietas in argento elargiendo ad opes diuinas comparandas, aut Iulij magnificentia in attollendo auguſtiſſimo ædificio. Iam verò tametſi ab eo vſque tempore Maximiliano Cæſari ᵇ libellus oblatus fuerit, exponens decem grauamina Germaniæ per Curiam Romanam illata, quorum octauo nouarum Indulgentiarum conceſſio arguebatur, veteribus aut abrogatis aut ſuſpenſis; Cæſaris verò reſponſio aliquam præſeferret ceteris in capitibus querimoniam, de hoc tamen nullum prorſus verbum fecit; vtpote qui & in Pontifice auctoritatem agnoſcebat, & in re honeſtatem. Quare non poteſt iure Leo neque cupiditatis neque inconſiderantiæ condemnari, quippe in ea re exemplum anteceſſoris ſecutus, Populorum pietate ac Principum iudicio comprobatū.

Sunt qui huiuſmodi conceſſiones vituperant tamquam lucro in- 8
hiantes, perinde quaſi cæleſtes theſauros pretio venales Pontifex faceret: alij tamquam prodigas carpunt, quòd pro tantulo argento immenſi pretij priuilegia diſpergantur. Sed primæ accuſationi facilè

a De Indulgentiis conceſſis à Iulio II. ob fabricam S. Petri habetur diſtincta mentio in Diplomate Leonis in lib. 3. Diplomatum Secret. fol. 9. vbi extenduntur ad aliquas Galliæ Prouincias eas exoptantes: atque in quodam Diplomate die 9. Auguſti an. 1515. vbi confirmatur deputatio facta anno præcedēti Fr. Chriſtophori Foroliuienſis Vicarij citra Montes Minorum obſeruantium, tamquam Commiſſarij earumdem Indulgentiarū in Polonia fol. 255. Et harum omnium deputationum Fratrū Franciſcanorum per hos annos diſtinctè mentionem facit Fr. Lucas Waddingus Tomo 8. ſuorū Annalium.

b Extat in lib. ab hæreticis impreſſo

cilè occurritur, si animo recolamus, pecuniam esse necessarium instrumentum ad obtinendum quidquid est in aliorum hominum potestate, siue id opes sint ab illis possessæ, siue illorum labores & opificia. Quocircà, cùm fieri non posset, vt Vaticana Basilica extrueretur absque substantiis multorum millium hominum, & absque multorum etiam millium sudoribus; perinde erat impertiri Indulgentias & priuilegia cuicumque partem aliquam illius Basilicæ ædificanti, atque eadem concedere tribuenti pecuniam idoneam ad cæmentorum partem aliquam comparandam, & aliquibus operis mercedem persoluendam. Ceterùm quis ignoret, hominem nihil habere, & nihil esse nisi terram? ac propterea ad cælum emendum nihil posse de suo conferre, nisi terram? Deus autem hac terrâ contentus, pro ea nobis soluit, non quanti ea est, sed quanti à nobis æstimatur: idcircò Regem illum hortatus est Daniel, vt eleëmosynis sua peccata redimeret. Sacrilegus quidem est, qui cæli thesauros argento commutat in propria lucra conuerso, non qui eos spondet vti præmium oblatæ Deo pecuniæ, & ad eiusdem cultum expensæ. Enimuerò si opus huiusmodi æternum Diuinæ amicitiæ, claræque Dei visionis incrementum mereri potest; quidni mereri possit condonationem alicuius pœnæ certo tempore post mortem luendæ, & alicuius Ecclesiasticæ legis laxationem, modò id ritè & ordine fiat? Qua de re alibi copiosius disputandi erit locus.

an. 1535. cui est titulus: Fasciculus rerum expetendarum, & fugiendarum.

9 Alterum quod opponitur, trahit originem ab ignoratione cuiusdam principij, quod totius prudentiæ, moralisque ac politicæ scientiæ fundamentum est; Quo statuitur, oportere, vt alicuius rei sanctio bona sit, haud respicere ad ea quæ fert in singulis peculiaribus euentis, sed quæ in eorum omnium collectione conferat: alioqui punire ciuem capite, quòd haud malo consilio ficam gesserit, Magistratuum feritas esset. Nouimus, sub aliquorum placida dominatione iuuencam conficere, haberi pro capitali delicto. Hæ leges iustæ sunt ob ingentia incommoda, quæ pateretur Respublica, si frequentiùs ea opera committerentur: quod sanè eueniret, nisi grauiter eadem prohiberentur vniuersè. Iam verò quod in pœna contingit, pariter vsu venit in præmio. Actiones quædam modicam de se vtilitatem conferunt; sed earum frequentia tantum affert emolumenti, vt ad id obtinendum validissimo præmij illicio eas condire operæpretium sit. Hinc obseruare licet, Græcorum Respublicas, vt perpetuo militiæ tyrocinio ciues excolerent, prout finitimorum ratio postulabat, victores in luctatione vel cursu, honoribus, vt ait Tullius, Romanum Consulatum æquantibus

fuiſſe remuneratos. In quibuſdam etiam regionibus, infecundi ſoli foſſoris ars exornatur ampliſſimis priuilegiis, quæ peculiari foſſori, ob peculiare commodum nauatæ à ſe operæ, minimè concederentur. Hac ſanè ratione præſtantiſſimæ illæ Indulgentiæ ac immunitates, quæ Cruce ſignatis attributæ ſunt, rectè tribui videntur binos denarios conferentibus: nam ex innumerabili multitudine exiguarum collationum Rex Catholicus maxima ſubſidia ſuauiter conflat, quibus ingentes claſſes ad Chriſtianorum tutelam poſſit inſtruere.

CAPVT III.

Conſideratur, quâ ratione Leo pecuniam expenderit ex Indulgentiis collectam.

1 NVllum Suauis verbum facit, quo indicet conceſſas fuiſſe Indulgentias causâ colligendæ per eleëmoſynas pecuniæ ad Vaticanam Baſilicam extruendam; quod tamen in Lutheri literis ad [a] Moguntinum Septemuirum diſertè habetur, & in theſibus, quibus primò claſſicum cecinit contra Religionem Catholicam: adeoque ea ſilentio prætermitti non poterant ab horum euentuum ſcriptore, niſi maligno.

2 Quòd ſi mentionem de his feciſſet, eius quidem obtrectationem excuſarem, quâ Leonem accuſat, quòd Magdalenæ ſorori ſuæ prouentum quarumdam Germaniæ partium, nempe Saxoniæ, finitimarumque regionum dono dederit. Hoc non temerè Suauis tradidit: quippe à [b] graui auctore mutuatus. Quod ipſum, ſi verum foret, fuiſſet vituperatione dignum ob ſpeciem quamdam potiùs fœditatis; non tamen quòd ea ineſſet enormitas reipsâ, quam ſpecies præſeferret, ac ſupponit Suauis, ſemper aduerſus geſta Pontificum mordaciſſimos hiſtoricos ſecutus. Leonis animus nobilis atque excelſus aditum ſuſpicioni præcludit, templum Vaticanum corrasâ per Indulgentias pecuniâ ab eo fuiſſe defraudatum. [c] Scimus in Sacerdotiis conferendis ſe integerrimum præſtitiſſe, impenſeque Puccio Cardinali commendaſſe, ne ſibi auctor eſſet quædam largiendi, quorum poſteà pœnitendum pudendumque; in fruſta interdum concidiſſe oblatos ab aliquo è ſuis Cubiculariis libellos, quibus tale aliquid poſcebatur; ac de ſuo eis elargitum, quod illi ab indecora conceſſione ſibi decerpendum ſperaſſent. Neque minùs conſtat cùm ex eius Vitę ſcriptoribus, tum ex eius Operibus adhuc extantibus, quàm ille magnificentiæ appetens fuerit, & in primis

[a] In Tom. 1. Operum Lutheri impreſſ. Ienæ Saxoniæ anno 1556. & 1557. quę impreſſio ſemper intelligetur citata in Luthero, cùm inpoſterum citabuntur Tomi omnium eius Operum generatim.

[b] Guicciardinus.

[c] Iouius in Vita Leonis lib. 4.

mis in ædificiis. Ecquænam augustior digniorque fabricæ moles, quàm ea templi structura in Orbe terrarum facilè principis? Inter Diplomata Pontificia à Bembo edita, duæ sunt Leonis Epistolæ, ab eodem scriptæ ad Raphaëlem Vrbinatem, quæ miram Pontificis sollicitudinem illius ædificij declarant: in illarum altera Raphaëli demandat, vt ideam templi à Bramante descriptam, ex eiusdem morientis consilio in opus deducat, atque perficiat; ibique præter amplissimæ laudis stipendiique stimulos, hisce verbis vtitur: *Nos, quibus nihil est propè antiquius, quàm vt Fanum id quàm magnificentissimè quamq; celerrimè construatur.* & mox: *Te verò hortor, vt huius muneris curam ita suscipias, vt in eo exercendo, cum existimationis tuæ, ac nominis (quorum quidem in iuuenili ætate bona fundamenta iacere te oportet) tum spei de te nostræ, paternæq; in te beneuolentiæ, demum etiam Fani, quod in toto orbe terrarum longè omnium maximum atque sanctissimum semper fuit, dignitatis & celebritatis, & in ipsum Principem Apostolorum debitæ à nobis pietatis, rationem habuisse videare.* Legitur etiam de Leone, in aulæa sacris historiis picturata ad Pontificium Sacellum exornandum, cum simul insumpsisse quinquaginta aureorum millia, quæ ad ætatem nostram collata, ducentorum millium summæ respondent. Verùm, vt identidem vsuuenit, Principes in sumptu faciendo parum solertes, cuiusmodi erat Leo, conuertere in vsus minoris momenti pecuniam siue ad bella destinatam, siue ad alia quæuis necessaria, quibus sperant se posteà subuenturos argento aliunde quæsito: ita, si verè affirmetur ea largitio, Leoni contigisset, adnitenti rependere sorori, quidquid familia Cibo, cui nupta fuerat, sibi iam impenderat in priuata atque infortunata ipsius conditione.

3 Dixi, Si verè affirmetur ea largitio: quòd rem commentitiam certè comperio ex accurata diligentia in perscrutandis omnibus illius temporis concessionibus decretisque Pontificiis Felicis Contelori, in hisce rebus vel maximè experti, quique Vaticani Tabularij diu custos impensissimo studio ea peruestigauit, & incomparabilem eorum cognitionem est adeptus. Hic ergo in Opella à se conscripta, quæ lucem præfert huic argumento, vnde multarum ego rerum ceteros latentium notitiam traxi, fidentissimè affirmat, nusquam reperiri præfatam donationem in vllo eorum librorum, in quibus oportuisset tam ex vsu, quàm quò cautum esset Apostolicæ Cameræ administris, illam referre. Neque sanè quidquam ab eo nos dimoueat auctoritas Guicciardini. Is enim sæpiùs in palmares apertosque errores labitur in harum rerum narratione, vti palàm à

 nobis

nobis fiet, præſertim pluribus in locis ſecundi ac tertij libri. De reliquo, conuertantur oculi ad inæſtimabilem illam Baſilicam: atque hic obtutus ſatis erit ad liberandum Leonem, ceteroſque Pontifices ab ea opinatione, quâ quiſque temerè ſuſpicetur, diſtractas ab illis in propria emolumenta (prout Suauis diblaterat) eleëmoſynas, à Fidelibus eidem ædificandæ Baſilicæ oblatas. Tam vaſta moles adeò ingentem theſaurum abſorbuit, vt eleëmoſynæ illæ vltrò collatæ penè atomus fuerint tanto coloſſo.

4 Quod autem hic Indulgentiarum prouentus peculiaribus quibuſdam redemptoribus fuerit diuenditus, turpem quoque ſpeciem præfert; vſque adeò, vt ingenuè fatear, ſatius fuiſſe quodcumque incommodum deuorari, quàm hoc ſcandalum, vt ſcholæ loquuntur, vel actiuum, vel paſſiuum Chriſtianis populis afferri. Verùm ſi res ipſa per ſe perpendatur, quicumque de hominum commerciis peritus, intelliget vix aliam iniri potuiſſe rationem. Quis Principum in cunctis vectigalibus quæ conſtituit, non cogitur idem exequi? Nam tametſi hac viâ modica pars ad Principem perueniat, multò tamen minùs perueniret, ſi per adminiſtros ſuo nomine eadem exigeret. Et tamen coacta vectigalium exactio eam ſecum affert ex inflicta violentia perturbationem, quæ in collatione voluntaria, qualis prouenit ex Indulgentiis, timeri non potuit. Quare in multis quidem peccauit Leo;ſed non ita grauiter,vt ab iis reprehenditur,qui ſtudio ſinceritatis volunt apud populos illum vituperare,à quo quies publica pendet,id eſt Principem.

5 Verumtamen finge, in eo genere pluſquam ſacrilegum extitiſſe Leonem. Admirari ſatis nequeo, quo pacto Suauis hinc ortum hæreſis deducat. Lutherus ipſe cum ſuo Sleidano hominem arguunt mendacij: neuter enim rerum nouarum hanc cauſam fuiſſe commemorat.

6 Eſt itidem eiuſdem calumnia, Indulgentiarum promulgationem fuiſſe demandatam non Eremitanis S. Auguſtini, vti mos fuerat, ſed Patribus Dominicanæ familiæ, quo quid auctius exprimeretur, nihil verentis infamiæ notam inurere Ordini religioſo, qui non minùs integritate quàm doctrinâ Eccleſiam perornauit.

7 Ac primò quidem falſum eſt, conſueuiſſe hoc munus iniungi Eremitanis, cùm à Iulio Minoribus impoſitum fuerit, vt ſuprà declaratum eſt: [a] ſimiliter Minorum Moderatori vnà cum Archiepiſcopo Moguntino commiſerat Leo in pluribus [b] Germaniæ locis die vltimâ Martij anni 1515. Equites etiam Teutonici paulò antè Patres Prædicatores adhibuerant ad promulgandas quaſ-

[a] Hæ conceſſiones Indulgentiarũ à Leone factæ pro Fabrica continentur in libro 3. Diplomatum Leonis fol.9. & lib. 1. & 2. Diplomatum ſecretorum Sadoleti.

[b] Lib. 4. Diplomatum à Sadoleto ſcriptorum fol. 60.

quaſdam ſimiles Indulgentias, ipſis collatas à Pontifice in ſubſidium aduerſus Turcam.

Secundò, Suauis in pleriſque aliis circumſtantiis memorat fuiſſe promulgatas à Leone Indulgentias per cunctas Catholicorum regiones, [a] cùm re verâ peculiares conceſſiones in hac materia contractæ fuerint ad peculiares regiones, ac diuerſo tenore. Idque ab eo factum anno 1517. quo anno Lutheri hæreſis incepit. Sed repugnat facti euidentia, cùm legantur Apoſtolicæ literæ ſuper ea re confectæ anno 1514. & initio anni 1515. & vulgatæ anno 1516. Curam etiam conquirendæ pecuniæ ex promulgatis Indulgentiis in tractu Saxoniæ, cuius prouentus, vt ipſe vult, Magdalenæ fuerat dono datus, commiſſam fuiſſe Arcimboldo [b] Epiſcopo, qui aſſumptâ Epiſcopi dignitate, mercatoris Genuenſis artem non exuerat; & tamen Arcimboldus neque id temporis erat Epiſcopus, neque fuit Genuenſis, neque mercator, ſed Mediolanenſis Patritius. Et, quod magis refert, eius delegatio regiones illas haud pertingebat, ſed omnino alias; præcipuè verò tractum Rhenanum, Belgium, & Burgundiæ Comitatum, vt conſtat ex eius Diplomate. Liceat hinc delibare quanta fuerit in Suaui ſeu peritia ſeu veracitas.

a Ea delegatio fuit 2. Decembris an 1514 & legitur lib. 2. Diplomatum ſecretorum Leonis à Sadoleto deſcript. fol. 65.

b Delegatio Arcimboldi eſt an 1514. 2. Decembris, & legitur in lib. 2. Diplomatum ſecretorum Leonis, ſcriptorum à Sadoleto fol 65.

8 Vt redeamus ad Fratrum Prædicatorum delegationem; hæc electio nec à Pontifice, nec à degentibus Romæ Adminiſtris habita eſt. Pontifex hoc negotium iniunxerat Alberto Archiepiſcopo Septemuiro Moguntino, è Brandeburgenſi familia, videlicet viro tunc in Germania præſtantiſſimo, ipſis quoque [c] hæreticis fatentibus. Et tamen tantæ dignitatis Principi Lutherus ita non parcit, vt affirmare non dubitet, lucri dimidium illi promiſſum, ad excitandam Alberti diligentiam; quod tamen ne Lutheri quidem teſtimonio recenſeri poteſt inter cauſas, quæ eas turbas excitauerint; ſiquidem ipſemet fatetur, illud ſe non reſciuiſſe, cùm aduerſus Indulgentias inuectus eſt. Alioqui tamen Moguntini aſperitati totam turbarum culpam aſſignat. At verò Suauis, quò Pontificem premat, nihil planè hac de re loquitur. Itaque Septemuir delegatus, Indulgentias promulgandas dedit Ioanni Tetzelio Dominicano, qui paulò antè ſimilem delegationem adminiſtrauerat pro Teutonicis Equitibus; quique tam doctrinâ, quàm munere Quæſitoris Fidei, quo fungebatur, ſatis ad hæc idoneus, ſatis dignus haberi poterat.

c Georgius Sabinus hæreticus apud Seraſſium in Alberto.

CAPVT

1517.

CAPVT IV.

Lutheri contra Indulgentias turbæ.

HÆc delegatio Ordinis Prædicatorum Eremitanos offendit, siue ob dispendium cunctis mendicantibus commune, tam voto paupertatis obstrictis, quàm solutis, dum eleëmosynæ ex Indulgentiis partim ad Curiæ Romanæ commodum, partim ad subsidium stipendiumque Quæstorum reductæ, sustentationi ceterorum pauperum popularium videbantur subtractæ; quod incommodum opinione, vt assolet, exaggeratum, animos commouit multitudinis egenorum, ad ferociter tumultuandum contra eiusmodi concessiones alioquin optabiles: siue ob exortas planè per eos dies contentiones quasdam inter vtrumque Religiosum Ordinem, quæ tum in sacra tum in profana militia solent graui cum damno ac dedecore ardentiùs inter commilitones quàm inter hostes feruescere. 1

Degebat inter Eremitanos Martinus Lutherus, in Saxonia natus, tam peruicaciter audax, vt ad eum deterrendum opus fuerit cælo * fulmen impendere, quo afflatus, & tantùm non fulminatus, relictis laribus profugerit ad Cœnobium. Sed fortasse à suimet experimento eam doctrinam didicit, cuius posteà ipse auctor euasit; posse quidem à timore hypocritam effici hominem, sed non probum. Acuto viuidoque fuit ingenio, propensus ad studia literarum, & in iis corpore ac mente indefessus. Cùm inops literaturæ non esset, longe ditissimus videbatur; quippe cui in lingua, tamquam in numerato sua omnia in promptu erant; eiusque linguæ dexteritate, laterum etiam robore pollentis, eorum semper plausum sibi conciliabat, qui sensu magis quàm mente de disceptante iudicium ferunt. Hæ dotes replebant animum mirâ superbiâ, & apud vulgus opinionem, quæ illam aleret, prouocabant. Ex hoc animi tumore oriebantur despectus spectatissimorum Scriptorum, & arrogantia, quâ suam scientiam iactitabat, quasi non ab antiquis Doctoribus hereditariam eam haberet, sed totam ingenio suo comparauerit. Idcircò * duo nomina, ad summam in scholis venerationem euecta, Aristotelem in Philosophicis, sanctum Thomam in Theologicis euertendos susceperat: & iam tum huius facinoris spargebat semina in Wirtembergensi Academia. Igitur ab euulgatis Indulgentiis libenter opportunitatem arripuit; quippe quæ ob caussas à nobis traditas viam sternebat ad res nouas inducendas absque inuidia, imò cum domesticorum fauore, 2

* Lutherus in Opusculo de Votis monasticis. Floremundus Remundus de Origine hæresum lib. 1. c. 5.

* Lutherus tom. 1. Epistolarum, Epistola 8. 18. 27.

uore, non minùs ad comparandum difficili quàm necessario, ne nouitas priùs suffocata quàm orta dispereat. 1517.

3 Consilium immanis audaciæ plenum suscipit, persuadendi, humanum genus vniuersum decipi, erroribus, non nisi à se detectis, implicatum. Contendebat, nullius esse emolumenti Indulgentias, quas fideles tam impenso labore ac pietate consequi satagebant; quo ictu æmulos quoque vulnerabat, illas promulgantes, & ad cælum euehentes. Cœpit, fouentibus ipsius Moderatoribus, eos paruipendere priuatis colloquiis, traductâ in amarum derisum Aulâ Romanâ, cui acerrime infensus erat; fortasse quia quod ambiit adeptus non est, vti aliquis [a] Historicus narrat: quem sanè tam in maleuolentia, quàm in eiusdem caussa, imitatus est Suauis. Vnde mirum non est, quòd hic calamo defendat, quem facto secutus fuerat. Illud certum est, Lutherum scripsisse ad Argentoratenses, se initio ad res nouas compulsum, non studio erga Deum, sed odio erga Romanam Curiam adductum. Lutheri obtrectationes & cum voluptate excipiebantur à populo, semper inuido potentioribus maiorique reuerentiâ conspicuis, & à Poëtis in satyrarum oblectamenta trahebantur; qui se ignobiles putant argutiarum iaculatores, nisi sublime quid feriant. Hinc animosior Lutherus, statuit vniuersis in multorum theatro proponere, quæ singulis priuatim cum plausu insusurrauerat. Atque vt posset absque inuidia multitudinis, plerumque à turbulentis auersæ, ad alterum extremum excurrere, extremi contrarij aduersam partem insimulauit. Ad Septemuirum Moguntinum [b] scripsit, Concionatores quos non audierat, à se quidem non reprehendi; sed per vulgus serpere audacem fiduciam, suadentem, quicumque eleëmosynam quæsitam conferret, æternæ gloriæ certum esse, nec aliâ satisfactione indigere, vt culpâ simul & pœnâ soluatur: nihil reperiri posse Sacris Literis repugnantius eâ persuasione, cùm à S. Petro doceamur, *vix iustum esse saluum*, & apud Amos ac Zachariam æquiparentur electi torribus è medio incendio subtractis. Vim aliam Indulgentiis haud inesse, nisi à pœnis Canonicis liberandi, quas imponit Ecclesia. Ipsius Septemuiri nomine circumferri libellum, in quo affirmabatur, eleëmosynas tribuentibus nihil opus esse peccatorum dolore conteri, neque ad Indulgentias impertiendas defunctis, neque ad absolutionem obtinendam ab eo, quem sibi delegissent ex priuilegio ad peccatorum confessionem audiendam. Non posse ampliùs sibi temperare in tam graui fidelium errore: proinde se Christi nomine remedium efficax à Septemuiro sup-

a Colligitur è Vitis vtriusque impressis, & è Vita Suauis, præcipuè pag. 201.

b Lutheri Oper. tom. 1.

1517. pliciter postulare. Ita scripsit Lutherus: at non eam, quam petebat, medicinam optabat; quin etiam fortasse morbo lætabatur, quò speciosius foret venenum, sub medicinæ forma ab eo paratum. Propterea ad epistolæ calcem adiecit; Quò Septemuir pernosceret quàm dubia hæc de Indulgentiis materia esset, si ipsi liberet, à se positas in pagina de ea re Conclusiones perlegeret, quas illi mittebat. a Eodem die, responsis haud expectatis, nonaginta septem theses proposuit, quibus sanè multa vera continebantur; sed vafrum consilium eò solùm spectabat, vt Indulgentiarum religionem eleuaret, fidemque adimeret eas promulgantibus, inter quos, & Eremitanos æmulatio ardebat. Atque ad id multa falsa veris immiscuit, excerpta plurimum à quopiam Scholasticorum, sed contraria sententiis magis receptis, magisque consonis Ecclesiæ sensui: ea quippe suis consiliis conducebant.

a Conclusiones eodem die fuisse propositas, colligitur à die literis subscripto, qui est vltimus Octobris; quo die fuerunt expositæ Conclusiones, vt testatur Spondanus in Auctario anni 1617. & Martinus Crusius in Annalibus Sueuicis lib. 10. c. 6.

b Lutheri Oper. tom. 1.

Hæc porrò erant: b Per Indulgentias aliam pœnam non remitti, præter impositam à Sacerdotibus. 4

Pontifici nullam inesse potestatem absoluendi, sed solùm declarandi aliquem absolutum, & comprobandi quòd in ea re factū foret.

Defunctorum animas, nisi hac in vita summam charitatis attigerint, tolerare in Purgatorio timorem desperationi parum dissimilem: hinc paruo discrimine Purgatorium ab inferno differre.

Posse prædictis animabus charitatem ac meritum augeri: oppositam verò sententiam in Sacris Literis fundamentum non habere.

Quidquid potest circa eas animas Pontifex, æquè posse intra fines suæ iurisdictionis Episcopum ac Parochum.

Quemcumque ex animo peccatorum pœniteat, plenam consequi pœnæ remissionem, absque Indulgentiarum auxilio.

Saluatoris & Ecclesiæ thesauros ita esse proprios fidelibus, vt iisdem nullum ius ad illos addere Pontifex queat.

Ecclesiæ thesaurum, vnde Pontifex Indulgentias extrahit, non constare Christi meritis ac Sanctorum.

Hæc erat capitum summa, quibus illæ theses à doctrinis communibus discrepabant. Idcircò prodit se Suauis perperàm edoctum in duobus quæ narrat. Alterum est; Martinum initio signa sustulisse solùm aduersus Quæstorum abusus, posteà verò per occasionem discutiendæ materiæ, Indulgentiis generatim se opposuisse. Alterum est; Cùm Romani contra Lutherum vterentur argumentis desumptis ab Ecclesiæ doctrina de Purgatorio, Pœnitentia, Remissione peccatorum; fuisse ideò propositam à Luthero disputationem de his articulis. Vtrumque conuincitur falsitatis, tam ex eo-

ex eo quòd conſtet, efficaciam ac vtilitatem Indulgentiarum re ipsâ impugnari à Luthero, quàm etiam quòd errores pertinentes ad alia memorata dogmata congerantur in iis ipſis theſibus, quas Lutherus ad Archiepiſcopum Moguntinum miſerat unà cum primis querimoniis contra Quæſtores, quaſque ſolemniter eodem die ipſe defenderat. 1517.

6 In illis, inter errores ſuprà narratos, multa popularia ſophiſmata ferebantur, ad inuidiam promulgantium, Indulgentiarumque deſpicatum. Aiebat illic Lutherus, ægrè rationem reddi, cur à Pontifice, centum Craſſis ditiore, templum illud omnino de ſuo conſtrui non deberet. Quod argumentum quàm leue eſt apud homines rerum experientes, ſatiſque conſcios anguſtiarum in omnibus ærariis ſummorum Principum vicies locupletiorum Romano Pontifice; tam eſt validum apud vulgus, cui perſuaſum eſt, Principes Midæ manus habere, ac potiſſimè Tyberim à Poëtis *Flauum* nominari, quòd auro liquefacto fluat.

7 Deberet, addebat ille, Romanus Pontifex, ac vellet (hac vtebatur ironiâ, quaſi ad animum Pontificis à vituperatione liberandum; ſed reipsâ, vt in eiuſdem res geſtas licentiùs inueheretur) deberet, inquam, ac vellet Baſilicam S. Petri diuendere, quò ſubueniret pleriſque eorum, à quibus nonnulli Concionatores eleëmoſynas corrogabant; ſineretque potiùs eam in cinerem redigi, quàm carne & oſſibus ſuarum ouium ædificari. Qua in re nolebat Lutherus diſcrimen animaduertere inter exactiones coactas, & eleëmoſynas voluntarias, quæ tunc acceptiores Deo ſunt, cùm à minùs pecunioſis proueniunt; quemadmodum duo illa minuta à vidua in gazophylacio poſita. Prætérquam quòd tenuitas pecuniæ à ſingulis oblatæ leui erat incommodo cuicumque offerentium, & alioquin in ſummam Dei gloriam redundabat, cùm Chriſtiana Religio ſui ſpecimen faceret in magnificentia templi cunctorum maximi quæ habet Eccleſia, erecti liberali ſuorum omnium membrorum pietate. Quod ſi Lutheri ſophiſma vim haberet, multò magis oporteret tot alia templa damnare, infimæ plebeculæ pecuniis vltrò collatis extructa. Quid porrò? num ad Principum ædes, villarumque delicias conſtruendas aliunde auri copia defluxit, quàm à ſubditorum tributis, non quidem liberis, ſed coactis?

8 Vociferatur hîc Lutherus, magis à Concionatoribus amplificari emolumenta Indulgentiarum, quæ reipsâ ſolùm à pœna ad tempus nos liberant, quàm operum charitatis, quæ meritum augent æternæ felicitatis. Sed non intelligebat, opera pro acquiren-

C 2 dis

1517. dis Indulgentiis iniuncta, cùm sint opera pietatis, vtrumque simul emolumentum conferre, cùm à rectæ mentis radice gignuntur.

Affirmat, responderi vix posse, cur, si potest Pontifex impertiri defunctis inexhausta Redemptoris merita, Purgatorium vniuersum vno verbo non exhauriat. Obiectum enimuerò tam validum, quàm quicumque non hebes agnoscet. Quasi verò hoc ipso, quòd Deus instituit Purgatorium, non satis liqueat, nolle Deum illud vacuum; & perinde ac si Romanus Pontifex prædicaretur à Catholicis tamquam dominus, non tamquam administrator diuini ærarij; adeoque in largiendis Indulgentiis vti posset liberalitate extra omnem caussam rationi consentaneam. Simile id foret ac percontari: Si Princeps pœnas merentibus indulgere potest, cur custodias vinctis, & triremes compeditis non exhauriat. 9

Quiritatur, si ad æris vnius campani sonitum promulgantur Indulgentiæ, centum profectò pulsanda essent, cùm recitatur Euangelium, quippe citra omnem comparationem sanctius. At verò cui non est exploratum, actionum solemnitatem non tam esse dimetiendam dignitate rei quæ fit, quàm raritate? Quidquid enim frequentius est, maximè solemne esse nequit sine tædio & incommodo intolerabili. Quis est regnantium, qui sæpè incedens per vrbem, tantum sibi concursus pompæque postulet, quantum fieri solet, cùm alij minores magistratus procedunt in publicum celebrioribus quibusdam diebus? Ex hoc Lutheri præscripto omnes quidem Principes meritò essent obiurgandi, quòd maiori solemnitate, quàm prædicetur Euangelium per dies singulos in quouis templo, leges humanæ in regiis conuentibus promulgentur. 10

CAPVT V.

Quid Lutherus egerit post literas & theses ad Septemuirum Moguntinum missas.

HAs Conclusiones proposuit ipso Sanctorum omnium peruigilio in templo magnifico, ipsorum nomini dicato in modum propugnaculi in arce Wirtembergensi ab eodem Saxoniæ Septemuiro. Et quò pluribus in locis vno tempore suscitaretur incendium, ac difficilius comprimi posset, eas imprimendas, & per omnem Germaniam dispergendas curauit. Sed gnarus, disputationes scholasticas, vt quæ intellectu difficiles, non frequentari à multitudine (quæ tamen potissimum maximeque necessarium ciendis turbis instrumentum est) haud certè desiit ad populares artes confugere, hoc est ad conciones. Hinc vnam habuit solemnem in templo 1

plo memorato ſuper eodem argumento; eamdemque ſimul habuit per vniuerſam Germaniam typorum facundiâ. 1517.

2 Proponebat Lutherus recenſitas ſententias, vti mos eſt noua molientibus, per ſimulatam moderationem à vero metu profectam. Aiebat, idcircò ſe nihil affirmatè pronuntiare, ſed ſolùm dubitantis modo; atque omnino Eccleſiæ iudicio ſe ſubmittere. Et ſanè credibile eſt, id quod ipſe ſcribit in præfatione primi voluminis, eum non concepiſſe initio ſpiritus ſic elatos, cuiuſmodi poſteà ab euentus proſperitate in illo ſunt excitati, atque eos turbines caſu commotos. Ex quo palàm eſt, eum cæli interpretem non fuiſſe, vt Prophetæ ac Diuinus Redemptor, qui nos veram legem edocuere. Hi etenim ab eo Spiritu confirmati à quo mittebantur, electo populo prædixerunt per promiſſa, quæ id temporis pro eorum ſtatu humanæ ratiocinationi temeraria videbantur, ingentia illa incrementa, quæ poſtmodum euenere. Neque vmquam trepidè verbum locuti: quin Chriſtus aſſeueranter dixit, Cælum ac terram tranſitura, numquam verò ſuorum verborum tenorem.

3 Præter eà Lutherus, vbi priùs in theſibus quos diximus Concionatores incuſabat, quòd acrius compellerent homines ad diluendam per Indulgentias pœnam finiti temporis, quàm ad charitatem augendam per opera præmium merentia; paulò pòſt, eſſe meritum negauit, illiuſque boni operis emolumentum; imò affirmauit, in omni opere lethalem culpam ineſſe.

4 De Pontifice diſſerebat ille quidem alicubi cum quadam ſubmiſſione, quò eum ſopiret, ac ſibi gratiam conciliaret oſtentatione modeſtiæ: alibi verò cum deſpectu, quò illius venerationem minueret, à quo ſe condemnatum iri præuidebat.

CAPVT VI.

Oppoſitiones contra Lutheri doctrinam, priùs habitæ à priuatis, mox à Cæſare & Pontifice.

1 ADuerſus Lutheri Concluſiones expoſuit alias Tetzelius Francofurti, vbi Quæſitorem Fidei agebat, quibus probi Theologi partes expleuit, cùm breuiſſimè & intra theſium limites Lutheri fallacias detexerit, & Romanum Pontificem atque Concionatores aduersâ opinione purgauerit, qualem ipſis conflabant vafræ aſtutæque verborum formulæ, quibus Lutherana ſcripta texebantur. Verumtamen hæ theſes, quòd obiectabantur ab æmulo, quodammodò antiperiſtaſim imitatæ ſunt, ad obfirmandam in ſententia 1518.

1518. Lutheri pertinaciam. Addit * Melanchthon, iussu Tetzelij igni traditas Lutheri theses, vti hæreticas: sed hic in suis literis nullam huiusce rei mentionem facit, seu ob illius combustionis falsitatem, seu ad rei notitiam dissimulandam, quò pariter vltionem dissimularet; cùm parem acceperint contumeliam à flammis Wirtembergæ octingenta exemplaria thesium Tetzelij. Quod tametsi in foro publicè peractum fuerit ante conspectum totius Vniuersitatis, * scribit tamen Lutherus, Duce, Magistratibus, ac se inscio, imò ægrè ferente, id fuisse patratum. Adeò rarum est cirò ad extremum audaciæ deuenire, vt non modò superiorem subditus conculcet, sed à se conculcari profiteatur.

* In Lutheri Vita.

* Tom. I. Epist. 42. & 47.

2 Scripsit illicò aduersus Lutherum breuissimas quasdam notas Ioannes Eckius, Ingolstadij Procancellarius, & Augustæ Concionator, vir doctrinâ & eloquentiâ præpollens, prout eius Opera typis edita palàm faciunt. Hunc à se despici simulabat publicè Lutherus, quò eius contradictionem auctoritate exarmaret. Ea verò ab Eckio fortasse minùs acerba confici potuisset, quò non tam hosti spiculum inferret, quàm erranti facem preferre videretur. Fortè oppugnatores, dum præposterè hæreticum indigetant, hæreticum faciunt: & fortè è contrario in ipso opere necessitas sese obtulit, obtecti veneni patefaciendi, ad cautelam prouisionemque imperitorum, nobis absentibus haud explorata. Constat planè, ad has Eckij notas atrocissimo animi sensu Lutherum excanduisse, eique per extrema conuitia respondisse. Verùm in * epistola priuata satis aperuit, quanti faceret in Eckio virtutum præstantiam, quantumque doleret, tam egregium virum, priùs secum amicitiâ coniunctum, sibi aduersarium experiri: quod certè pleniorem auctoritatem addidit Eckij oppositionibus, quippe à sincero iudicio, contra studij propensionem, profectis. Quòd si plures Eckio pares nouis Lutheri placitis occurrissent, quod ille ex parte repressit, illi penitus oppressissent.

* Epist. 44. tom. I.

3 Non adeò in rem fuit scriptum, quo ea Romæ reiecta sunt, vbi primùm de Germaniæ turbis rumor peruenit. Illic Siluester Prierias, sacri Palatij Magister, ac generalis Quæsitor Fidei, Theologiæ præsertim Moralis peritissimus, vt ex eius voluminibus liquet, opusculo Pontifici dicato ea refutauit. Sed quàm appositè proponebatur ibi fallacia Lutheri sophismatum, tam ieiunè rationes afferebantur, ad reuincendam falsitatem illius assertionum; cùm eæ non semel tamquam hæreticæ ibi damnarentur, non alio ferè argumento, quam Pontificiæ auctoritatis. Quare scriptum illud

lud & Lutherum exasperauit, quòd se altè petitum cerneret probris æmulorum, quibus humana superbia numquam se victam fatetur; & planè ipsum edocuit, hanc infamiam euitari non posse, nisi oppugnatâ Romani Pontificis potestate; induxitque vt crederet, eâ semel expugnatâ, nullum aliud superesse vincendum magni roboris obstaculum. 1518.

4 Eiusmodi nouitas in controuersia Religionis à Luthero excitata, maiori sollicitudine Germaniam quàm Romam vrgebat: quippe homines cordati, qui proprium bonum malo eorum quibus inuident metiri non solent, satis præuidebant, vtcumque ea Romæ aliquam auctoritatis detractionem potuisset afferre, Germaniæ quidem allaturam exitium innumerabilium animarum per hæresim, innumerabilium verò corporum per bella ciuilia. Quapropter cùm solemnis tunc iniretur Conuentus Augustæ, Maximilianus Cæsar exposuit ibi Septemuiris, ceterisque Procerum Ordinibus nouas doctrinas, quas Lutherus de Indulgentiis & de auctoritate Anathematis disseminabat; circa quod etiam scripto vulgauerat perniciosam concionem à se habitam, quò se suosque audaciâ muniret contra fulmen illud, quod in se vibrandum præuidebat. Illinc etiam per literas certiorem fecit Pontificem, Martinum obdurescere in suis hæreticis doctrinis, quas vt tales Magister sacri Palatij notauerat: adiecitque, eum foueri patrocinio quorumdam Principum. Proinde Pontificem enixè rogabat, vt auctoritate suâ prospiceret & consuleret: quidquid enim à Sanctitate sua, ad quam res pertinebat, fuisset sancitum, effecturum se vt in omnibus Imperij sui locis obseruaretur.

5 Hæ Maximiliani literæ, in * Operibus eiusdem Lutheri impressæ, à Suaui certè prætermittendæ non erant, si Lectorem de hac caussa sincerè voluisset edocere; quippe quæ iactatam vulgò in Leonem accusationem diluissent, quasi nimis properè Lutherum irritasset, plagamque perfricuisset. At situm hoc est in animis mortalium, vt in aduersis rebus culpa semper attribuatur ei quod patratum est, magnique existimetur emolumenti id quod prætermissum: atque hinc est, quòd præterito ac præsenti numquam satis contenti, maximam in futuro voluptatem speremus, plurimumque commodi fingamus in eo quod non fuit, posito quod fuisset. * Tomo 1.

6 In vno fortasse defecit Leo, sed excusabili defectu, quippe summis Principibus consueto: nimiùm scilicet credidisse, posse re ipsâ obtineri à se, quod iure potuisset; illectum tamen ad eam opinionem à prolixis plenisque obsequij Cæsaris pollicitationibus.

Hinc

1518. Hinc omisit planè rem priùs cum Saxone stabilire, à quo eius effectus pendebat; quandoquidem neque sacra Pontificis auctoritas vim obtinet contra nolentem, neque profana Maximiliani se tam validam ostentabat, quæ posset suo iussu pollentem viribus Septemuirum deterrere. Quare Saxo, qui ante susceptam priuati hominis tutelam fortasse honori sibi duxisset, duobus hisce summis Principibus sponte gratificari, compulso ad reuerentiam Luthero, dum opportuna erga se officia negligebantur, se paulatim abduci passus est ab ea vi, quam incutit viuida eloquentis hominis vox, & auditorem doctrinâ superantis: adiecto etiam delectamento, quo gaudent Principes, hominem in sua ditione natum supra ceteros exteros sapientiâ ac ingenio excellere, & consuetâ propensione putandi, debiliorem à potentiore opprimi.

Romæ itaque, vbi lentiùs quàm pro rei magnitudine mora trahebatur (vti mos est in Aulis maximis, in rebus quæ nondum ingentes videntur, ac præsertim procul spectatæ ipsâ longinquitate minuuntur) Augusto ineunte, nimirum nono mense post excitatas à Martino turbas, mandato Pontificis expeditæ ad Lutherum literæ ab Apostolicæ Cameræ Auditore, quibus in ius ritè vocabatur Romam, vbi intra sexagenum diem præsens causam diceret super iis quæ ipsius doctrinæ opponebantur. Causæ Iudex idem Auditor delegatus, qui ex suo munere Pontificias omnes sanctiones exequitur. Sed quò Theologi iudicio dirigeretur, collega illi adiunctus sacri Palatij Magister, cuius supra facta est mentio, ad quem caussa spectabat, quippe tunc generalem Fidei Quæsitorem: cogitaret interim Lutherus, an illum vellet, vt ipsi fas erat, suspectum denuntiare, ob commissam priùs inter eos contentionem. 7

CAPVT VII.

Effecta post diem Luthero dictam.

HÆc in ius vocatio, Lutheri animum summoperè exagitauit; 1
quippe certum non parere, incertum an impunè id posset. Promiserat illi Saxo, se non permissurum vt vi extra Germaniam traheretur: sed idem non ignorabat, Principes etiam non semper posse præstare, quod cùm promiserant, se posse putarant. Neque tum illi erat tantum impudentiæ, vt satis esset ad sustinendam à Pontifice in causa Fidei damnationem citra pudorem. Eapropter iteratas scripsit, * atque anxias literas ad Septemuirum, Conuentus causâ commorantem Augustæ, & ad Georgium Spalatinum, illius Aulicum,

* Epist. 41. tom. 1.

Aulicum, sibíque fidum. In earum nonnullis eos enixè rogabat, vt Septemuiro ac Cæsare intercedentibus, à Romano Pontifice delegarentur suæ causæ Iudices intra Germaniam; vnde obligatione Pontifici se statuendi soluebatur, simulque manebat facultas ad eum post primam sententiam prouocandi, & interim patronis & asseclis se muniendi. * Curauit etiam, vt idem peteret à Pontifice Wirtembergensis Academia, quæ Leoni testata est, Lutherum contaminatum non esse vllâ doctrinâ repugnante Romanæ Ecclesiæ, cui Academia ipsa, cuius alumnus erat Lutherus, integram consensionem atque obedientiam profitebatur: sed tantummodò propositas ab eo fuisse disceptantis, non affirmantis modo theses aliquot, liberiùs quàm eius æmuli ferre potuissent.

1518.

* Tom. 1. Operum Lutheri.

2 Veritus tamen Lutherus, ne Pontifex illis postulatis non assentiretur, * aliis literis à Septemuiro postulauit, vt simularet se à Luthero rogatum, vt ipsi liceret per Septemuiri ditionem, eius interpositâ fide, iter facere quo Romam peteret; se verò recusasse, adscriptâ literis die veram diem antecedente: vt Lutheri postulatio mentiretur tempus opportunum (quod iam defluxerat) ad eam re exequendam priùs quàm sexaginta dies præscripti elapsi fuissent. Addebat etiam nescio quæ sophismata, quo factum à mendacio liberaret: nullius tamen testimonio mihi liquet, Saxonem ad eam indignitatem adductum: solùm rogauit Saxo Caietanum Cardinalem, quem suprà memoraui, tunc apud Cæsarem legatione fungentem, vt exoraret à Pontifice illius causæ delegationem in Germania. Iuuat hîc in transitu notare, falsum esse quod communiter hac de re scribitur, Caietanum scilicet, vtpote insignem Theologum, in Germaniam missum, vt Martini nouis conatibus obsisteret. Eius legatio casu, & ex aliis causis orta est: siquidem eo tempore Italia metu perculsa ob Turcæ propinquas victorias, quas in dies reportabat, Romanus Pontifex Christianorum Principum fœdus contra communem hostem promouebat: eiusque gratiâ 14. Martij, an. 1518. * destinauit in Vaticano Senatu quatuor Legatos, ad Cæsarem, & ad Reges Hispaniæ, Galliæ, & Angliæ. Ad primum designatus fuit Alexander Farnesius Cardinalis, cui Sadoletus, à Secretis Pontifici, mandata præscripserat, in quibus nihil de nouis Lutheri cœptis, quippe de re nullius tunc existimationis. Posteà, ægrotante Farnesio, suffectus in Senatu Vaticano habito die 26. Aprilis * Caietanus Cardinalis. Cùm igitur is in Germania ob aliam causam versaretur, suas interposuit ad Pontificem preces, Septemuiro impellente.

* Epist. 56. tom. 1.

* Blasius Cæsenas in Diariis Leonis X. ann. 1518. & Acta Consistorialia die 14. Martij.

* Blasius Cæsenas vbi suprà. & Acta Cõsistor. 26. Aprilis.

1518. At verò gliſcebat Romæ indignatio contra Lutherum, ex nun- 3
tiis de gliſcentibus in Germania eius erroribus. * Propoſuerat ille in Vniuerſitate Heydelbergenſi, priuſquam Romam acciretur, aliquot ab eo nuncupata *Paradoxa*, appoſito ad ea confirmanda tractatu.

* Lutheri Operum Tom.1.

Affirmabat illic: Humana opera omnia eſſe peccata lethalia; ſolumque venialia euadere, ſi fiant cum metu ne ſint lethalia.

Solam Fidem ad ſalutem ſufficere.

Poſt peccatum Adami nullas in homine remanere reliquias liberi arbitrij.

Voluntatem nihil operari in bonis actibus, ſed ſolùm exercere miniſterium cauſæ *Materialis*, vt dicunt, & *Paſſiuæ* in iis excipiendis, non verò eos producere; atque idem ante Adami peccatum eueniſſe.

Quæ opinationes ex ipſius Lutheri confeſſione adeò enormes viſæ ſunt, vt riſum ſæpiùs in corona excitauerint. Fuit etiam ibi qui diceret, ſi ruſtici eas propoſitiones audirent, haud ſanè ſe à iactu lapidum abſtinerent. Sub idem tempus, per effrænatam obloquendi licentiam, eſt debacchatus in ea quæ apud Philoſophos maximæ ſunt reuerentiæ, pluribus poſitionibus productis tam genericis quàm peculiaribus, in ſummum Ariſtotelis eiuſque doctrinæ contemptum, Anaxagoræ, Pythagoræ, ac Platonis placitis antepoſitis.

CAPVT VIII.

Cur Lutherus huiuſmodi opiniones docuerit, & præſertim inter eas quædam adeò incredibilia; & tamen aſſeclas nactus ſit.

IAm verò ſi hæ opiniones de Luthero narrarentur, non autem in 1
ipſius voluminibus palàm eſſent, eas equidem vel amplificationes, vel malignas interpretationes, vt crebrò aſſolet, æmulorum putarem. Sed cùm eas iterùm atque iterùm ille pronuntiarit, ac diu ſuſtinuerit, mirum ſanè videtur, quo pacto ipſe non agnouerit falſas, & aliis perſuaſerit pro veris. Verumtamen, ſi rem intimè perſcrutemur, deprehendemus, vbi ſic primò exilire cœpit, aliam nequiuiſſe viam inſiſtere, quæ duceret quò inhiabat. Me non latet, quandoque Scriptores ſibi fingere myſteria & prouida conſilia, in eo quod reapſe cæci caſus fortuitum opus fuit; nec pro certo affirmauerim, non idem mihi euenturum in ſequenti coniectura. Quòd ſi ex vna parte debilium ingeniorum eſt, ſibi ſuadere, cunctas mortalium actiones altiſſimum ſibi finem præfigere; quemadmodum

modum ferè oculi, siue ex infirmitate siue ex tenebris, ad obuia quæque, quamuis parua, quasi ad grande quiddam expauescunt: ex altera nos docet Natura, vbi obseruatur actionum ordo consentaneus operi ab iis effecto, existimandum nobis, earum artificem fuisse consilium. Quapropter si fortè aberrauero, non ideò temerè agam in exponenda textura Lutheri, quæ mihi visa est deprehendi in eius liciis, ad telam, quam contextam videmus, conficiendam. 1518.

2 Erat ille, vti diximus, appetens non tam veri quàm noui. Cœpitque aliquid nouare in ea materia, quò motus animi hominem compulit, suorumque domesticorum fauor impulit. Conatus itaque Indulgentiarum venerationem abiicere, quamdam reperit opinionem à S. Thoma confutatam; earum nempe vtilitatem in eo solùm sitam, quòd Canonicas pœnas remittant. Et quoniam S. Doctor hinc vt absurdum deducit; Si hoc ita foret, Indulgentias damno futuras, quippe quòd pœnæ canonicæ nihil aliud erant, nisi medicamenta; vnde ab iis soluere peccatores, perinde esset, ac soluere ægrotos à suscipienda medela: libenter Lutherus hanc sententiam arripuit, quò eamdem consecutionem concederet, ob cuius falsitatem S. Thomas eam refellit; vtriusque animis ad opposita è regione spectantibus, cùm hic studeret defendere, ille impugnare commodum, quod fideles sperant ex Indulgentiis sibi decerpendum. Haud tamen audebat vafer ita derepentè Indulgentias omnino contemnere: idcircò alteram simul sustinendam sibi suscepit opinionem, asserentem, Indulgentiarum beneficium, quod spectat ad pœnam Purgatorij, aliud non esse, quàm declarationem illius fructus, quem opus bonum ex se obtinebat ad eiusdem pœnæ remissionem. Atque hæc sententia concordabat cum ea, quam minùs consultè dixerat Magister cum aliis Scholasticis; nimirum in foro Pœnitentiæ nihil aliud esse Absolutionem, nisi declarationem veniæ à Deo datæ ex vi perfecti doloris, quem pœnitens sibi inesse Sacerdoti confirmat. Propterea Lutherus hanc etiam doctrinam assumpsit: sed quoniam hinc oriebatur, Sacramenta nouæ Legis, cuiusmodi est Pœnitentia, verè gratiam non efficere, sed tantummodò significare, ideoque in hoc non excellere supra Legis antiquæ Sacramenta, hoc ipsum etiam Lutherus libenter admisit.

In 4. Distinct. 20. Quæst. 1. Art. 3.

3 Ad hoc: quia vt Indulgentiæ possent à nobis impertiri defunctis, videbatur opus esse consensu in excipientibus tale donum: ideò Lutherus sedulo perquisiuit cunctas opiniones, quà probabiles quà improbabiles, quibus hunc nodum nequiùs implicaret. Ac primò quidem cum aliquibus consensit, * negantibus, eas animas de sua

* Dionysius Carthusianus, quem postmodum secutus est Michaël Baius.

1518. ſua ſalute certas eſſe: vnde arguebat, eaſdem non poſſe dono aſſentiri, quandoquidem, an illius eſſent capaces, ignorabant; non animaduertens, dum illæ non experiuntur ſe Deum odio habere, ſatis noſſe, extra inferos degere, adeoque in tuto verſari; niſi fingamus, eam cognitionem, quam in hac vita Fidei beneficio obtinuerant, amiſiſſe. Propterea ſignificauit, ſe propendere in aliorum ſententiam, opinantium, eas animas interdum recuſare huiuſmodi leuamentum, vt in ipſis diuina Iuſtitia expleretur: perinde quaſi magis in ſe amarent effecta Iuſtitiæ, quàm Miſericordiæ ex meritis Redemptoris.

Tertiò: quoniam potiſſima cauſa, cur fidelium pietas conetur opem ferre illis animis, eſt impotentia ſibimetipſis opitulandi, quippe ſitis extrà merendi ſtatum: & hoc itidem negauit Lutherus, affirmans ibi charitatem augeſcere; ac proinde par non eſſe, vt fideles ſibi bonum ſubtrahant, vt porrigant illi, qui meliùs poſſet idem ſibi comparare de ſuo. 4

Iam verò, tametſi nonnullas ex dictis opinionibus tenuerit, vt ſignificatum eſt, nonnemo Scholaſticorum; tamen S. Thomas, animaduerſis abſurdis inde manantibus, eas confutauit, & cum eo communis conſenſus Doctorum maximi nominis; quorum doctrinæ adhæſerat iam Eccleſia tum in Conciliis expreſsè, veluti in efficacia nouorum Sacramentorum, ac ſpeciatim Abſolutionis in Sacramenro Pœnitentiæ; vt Florentinum declarauit: tum in Diplomaris, vſuque Pontificum, veluti in eo quod ſpectat ad Eccleſiæ Theſaurum, ac vim Indulgentiarum pro viuis ac defunctis; vt apparet in celebri Conſtitutione Clementis Sexti. Eapropter Lutherus adniſus eſt non modò S. Thomam, communemque Scholaſticorum conſenſum, ſed Pontificis etiam atque Eccleſiæ auctoritatem, eiuſque traditiones paruipendere. 5

Intellexit porrò, ſubtracto hoc fundamento corruere multa noſtræ Fidei dogmata, quippe claris verbis à Sacris Literis haud expreſſa: ipſe verò (vt ſolent qui iam æſtuant ardore certaminis) haud retraxit pedem, quin in peiorem nouandi exarſit cupidinem; & quæcumque dogmata putauit aliunde probari non poſſe, impudenter reiecit. 6

Deducebatur ex his, non eſſe in terris certum Sacræ Scripturæ Interpretem, nulliquе obnoxium errori: vnde, ne fateretur Fideles temerè atque incerrò credere, affirmat; ſibi quemque interpretem Dei eſſe, habentem pro certa ſuæ fidei regula diuinum afflatum, quem in ſemet experitur.

Huiuſ-

7 Huiusmodi doctrina secum trahebat, negandam esse Romano 1518.
Pontifici eam iurisdictionem, quam in Ecclesia vniuersa tamquam Christi Vicarius exercet; tametsi nonnullis Principum molestam, existimantibus, tantumdem ipsorum detrahi potestati. Accedebat auiditas in iisdem potiundi amplis illis prouentibus, quos vel maiorum, vel subditorum suorum pietas Ecclesiæ donauerat, & quorum libera distributio penes Romanum Pontificem erat, tamquam penes Ecclesiæ Caput. Lutherus igitur consentaneo suæ doctrinæ, suique propositi consilio, cœpit concutere omnem auctoritatem Legum Canonicarum, & iurisdictionis Ecclesiasticæ, omnesque Sacerdotiorum institutiones, seu merè Ecclesiasticas, seu etiam Religiosas.

8 Sed hæc illicia non erant populis accommodata, quibus vsui sunt immunitates illæ, quas secum affert Clericorum status, atque illi reditus, qui cùm à Pontifice non possint sibi retineri, inter priuatos distribuuntur, ac plerumque inter vniuscuiusque Regionis populares. Vnde posteà experimento compertum est, Prouincias ab Ecclesiæ obedientia subtractas, non idcircò pecuniosiores ditioresque quàm anteà fuerint euasisse. Et alioqui iucundum ac speciosum cuilibet accidebat, eminere in Christiana Republica Aulam vniuersalem, quæ promiscuè fideles omnes complectatur, & absque multo Patriæ nataliumque discrimine supremum Principem eligat, ac tot prætereà Senatores regio in honore habitos à tam magna tamque præcipua generis humani parte, præter innumerabiles Antistitum præfecturas, honorum ornamenta, Sacerdotiorumque vectigalia: quæ omnia ibi dispertita recreant quamplures re, omnes spe; quæ forsitan inter mortales magis recreat quàm res ipsa, nobis penè exhibens delibanda ea bona, quæ maiora videntur ac dulciora animo concepta, quàm re experta.

9 Itaque quò populos alliceret, sine quibus Principum cuilibet non plus inest virium quàm vni de populo, aliâ illecebrâ ad eos inescandos opus habuit. Ea verò fuit sensus licentia, abiectio metus gehennæ, & liberatio à morsibus conscientiæ. Ad hoc aliquid verè conferebat indicata iam solutio à legibus Ecclesiasticis; non tamen satis erat, dum naturales ac diuinæ perstarent, duriores fortasse catenæ, & absque dubio maximè indissolubiles. Idcircò Lutherus eas etiam perfringere conatus est: cumque in Epistola Pauli ad Romanos animaduertisset, argui ab Apostolo tam Iudæos quàm Ethnicos, quòd sibi salutem sempiternam pollicerentur merito operum, ad obseruandam siue scriptam siue naturalem legem exhi-

 bitorum,

1518. birorum, monstratque neutros propriis viribus posse memoratas leges implere, animæ verò iustitiam haud esse mercedem operis nostrâ vi parari, sed fructum fidei nobis à Redemptore donatæ; hæc verba inconditè accepit, docuitque præceptorum obseruantiam haud esse possibilem; opera esse ad salutem inutilia; solamque fidem sufficere: quamuis idem Apostolus in secunda memoratæ Epistolæ parte, pluribusque aliis locis bona opera, præceptorumque effectionem ardenter inculcat, denuntians, eos qui vetita peragunt, cæleste Regnum haud ingressuros. Quoniam autem confidens animal homo est, ac libenter extollitur in remerariam fiduciam, fidemque tribuit facienti spem certam boni, desumpsit quædam eiusdem Apostoli dicta, vbi Christianos cohortatur, vt plurimum spei collocent in eius Domini ope, qui ipsos fide suâ illuminauerat: omissisque aliis verbis, quibus idem Paulus redigit in memoriam metum, quem quisque de suo statu coram Dei oculis debet concipere, pronuntiauit: Nobis firmitate Fidei credendum esse, diuinam gratiam nobis inhærere.

Vltrà progressus, specie quidem quasi diuinæ misericordiæ omnia tribuenda censeret, sed re verâ, quò omni onere curâque humanam ignauiam liberaret; negauit in hominis anima esse vim efficiendi honestos actus, sed merè eos à diuina gratia excipiendi, non aliter quàm aqua calorem ab igne accipit; detorsitque ad huiusmodi sententiam varias Sacræ Scripturæ & Augustini assertiones, quibus dicitur, nos ex nobisipsis nihil posse; neque solum quod possimus, sed etiam quod operemur, Dei donum esse: quasi verò eadem locutio oppositum non conficeret. Quandoquidem si nos posse Dei donum est, ergo possumus: quòd si etiam Dei donum est nos operari, ergo reipsâ operamur. Ita etiam dici solet, Quidquid possunt,& quidquid efficiunt corpora inferiora, cæli beneficium est: non quod ea non sint effectrices causæ nouorum effectuum; sed quòd à cæli affectionibus excipiunt eiusmodi impulsionem, vigorem, atque adiumentum, vt absque ipsis nihil efficerent, & nihil possent. 10

Opinionem iam indicatam, quæ tollebat è medio necessitatem operum à Diuinis legibus iniunctorum, quòd nimis incredibilis videbatur, studuit ille quodam mysterio mitigare; affirmauitque, ea opera in manu nostra non esse, propterea quòd Adami noxa liberum arbitrium nobis sustulerat: non quidem ad actiones ciuiles (quâ ratione humana commercia, leges pœnasque à Principibus profanis illatas illæsa seruabat) sed ad pietatis opera, atque animæ saluti 11

saluti conducentia. Atque vt hanc doctrinam persuaderet, abusus est quibusdam effatis diui Augustini contra Pelagianos, peccatum originale negantes, arrogantesque naturæ viribus perfectam legis obseruantiam & salutem; statutâ ceu suæ ratiocinationis basi aduersus id quod Caietanus Cardinalis scripserat, hac assertione: Tribuere exsuperantiam Augustini locutionibus in hæreticis impugnandis, idem esse, quod infirmare Ecclesiæ fundamenta contra Pelagium, & vniuerse veterum Patrum auctoritatem. Cùm ergo S. Augustinus dicat, sublatis per peccatum Adami iustitiæ originariæ donis, haud posse nos bene agere, nisi denuò nobis Deus opituletur gratiâ Redemptoris, & quidquid nos ex nobis, non verò ex vi gratiæ agimus, esse peccatum; docuit Lutherus, quodcumque nostrum opus reipsâ peccatum esse, sed à Deo pro sua miseratione, culpæ non assignari fidelibus.

1518. In thesibus defensis præsidente Luthero à Francisco Guntero Wittembergæ anno 1517. num 1. 2. & 5. in tomo 1. Operum Lutheri.

12 Sic itaque per ostentationem submissi gratique animi erga Deum, sublatâ ab homine omni facultate, adeoque omni debito recte agendi, perfregit molestissimos illos dentes, quibus seuera conscientia mortales arrodit; eâdemque operâ seipsum absoluit ab ea vitæ innocentia, ad quam alioquin ipsum adstringebat ratio personæ, quam agendam susceperat in hac scena, diuini internuntij: quam certe personam, nisi priùs eâ opinione inductâ, retinere non potuisset absque sibilis theatri, vitam ducens inter petulantiam ac furorem animi excandescentis, interque crapulam ac lasciuiam concupiscentis.

13 Quòd autem hæc doctrina principiis rectæ Philosophiæ ex præscripto Aristotelis aduersabatur, tanti Philosophi existimationem euertere aggressus est, vtpote multos errores contra Fidem scribentis: dissimulato discrimine inter ea, quæ protulit in medium Aristoteles tamquam dubitationi obnoxia, & per prolixam obscuramque argumentationem deducta, in quibus humanæ mentis imbecillitate nonnumquam labitur; & ea, quæ idem statuit tamquam positiones naturâ perspicuas, cuiusmodi sunt: Inesse nobis tam agendi libertatem, sine qua neque supplicia neque præmia mereremur, quàm innatam ad liberè agendum vim, sine qua actiones nec voluntariæ neque vitales esse possent.

Animos prætereà addidit ad has doctrinas disseminandas temporis quædam conditio, quæ spem copiosæ messis augebat. Hæc fuit secta, quæ adhuc in propinqua Bohemia vigebat, Hussitarum, plures ex iam dictis erroribus asserentium; cùm scilicet vi infinitis partibus maiore opus sit ad rem ex nihilo procreandam, quàm ex paruo propagandam.

Hæ

1518. Hæ igitur, quantum poſſumus aſſequi coniecturâ non vanâ, fuere cauſſæ, cur Lutherus, in ludum fortuitò ingreſſus, eâ in alueolo diſpoſitione repertâ, latrunculos in hanc formam promouerit. Et quemadmodum ingens inde, tametſi damnoſum lucrum prouenit, ita longè maius forſitan reportaſſet, niſi geminum obſtaculum offendiſſet. Alterum ex parte Dominantium, quippe qui animaduerterant, idem eſſe à Romani Pontificis obedientia ſe ſubducere, ac ſubditis exemplum præbere, quo ſe pariter ab ipſorum Principum obedientia ſubducerent: tum ex eo quòd cuiuſcumque Principis auctoritas in profanis haud nititur validioribus firmamentis diuturnæ poſſeſſionis, exiſtimationiſque communis, quàm Romani Pontificis in rebus ſacris. Quare dum alteram ipſi concuterent, docuiſſent alios de altera dubitare; tum quòd eâ perſuaſione ſublatâ, quâ Monarchicum regimen à Christo inſtitutum putatur, cùm hoc (ſaltem inter Eccleſiaſtica) ſit perfectiſſimum, multò ſanè fortiùs Monarchia depellitur à Dominatu profano, in quo eam rationes minùs validæ ſuffulciunt. 14

Alter obex, qui Lutheri progreſſus retardauit, fuit ex parte populorum. Diffractâ ſiquidem vnitate Fidei, res in vnica ſectione contineri non potuit, ſed neceſſariò ferè in infinita diſtracta. Et ratio in aperto eſt: nam ſublatâ regulâ, vnica, certa, ac ſenſibus manifeſta credendi, ſed conſtituto pro regula impulſu interno; confeſtim neceſſe eſt, vt pullulent tot ſectarum genera, quot ij ſunt, qui arrogantes ſibi aliquam ingenij præſtantiam, perſuaſum habent, penes ſe eſſe clauem ad reſerandas arcanas cæli notas in Sacris Paginis exaratas. Profectò ablatâ per tam multiplicem partium diuiſionem cuicumque ſectæ vnitate, aufertur concordia ac firmitas, adeoque vis & veneratio. At verò Catholica Eccleſia regulam ſuprà memoratam retinendo, atque ita concordiam & firmitatem, ſemper venerabilis præpotenſque perdurat. 15

CAPVT IX.

Pontifex Lutheri cauſam Legato committit: & quid inter eos actum ſit.

HAud grauatè Pontifex annuit Frederici precibus de committenda Lutheri cauſa in Germania, quando præſentia ibi Legati opportunitatem ſuppeditabat, eumdem cauſſæ Iudicem conſtituendi; quod videbatur rerum conditionibus mirificè accommodatum. Simul enim Principem obſtringebat ad exequendam ſenten- 1

sententiam Iudicis, quam ipse postulauerat; simul etiam negotium collocabat in Theologo eius ætatis spectatissimo, ac facilè principe: adeoque decisio non potuisset sperari vel directa meliùs à doctrina, vel commendata magis à fama: cui famæ oportebat satisfieri & propter dignitatem Pontificis, & quò sententia per venerationem id efficeret, quod per vim extorqueri non poterat. 1518.

2 Grauis tamen ea delegatio Luthero accidit; quippe tria illa mirum in modum eminebant in Cardinali, à quibus maximè Lutherus abhorrebat: Non solùm esse Iudicem Ordinis Dominicani, sed eiusdem supremum fuisse Moderatorem: Ingenium obtinere vsque adeò Scholasticis doctrinis refertum, vt in illis planè regnaret: Inhærere tam studiosè Theologiæ à S. Thoma traditæ, vt in ea interpretanda reliquos omnes, adeoque seipsum superauerit. Verumtamen à Frederico confirmatus, plurimisque illius commendationibus communitus, Augustam se contulit; sed noluit Caietano se sistere, nisi priùs à Cæsare fide acceptâ: neque Cæsar eam interposuit, nisi priùs voluntas Legati sibi suboluisset. * Hic verò, quò procliuior esset congressus, assensus est: noluit tamen assensum suum patefieri, ne hac ratione comprobaret, à profano Principe fidem porrigi reo, in causa Religionis ad Romanum Pontificem iam delata.

* Epistola Cardin. Caietani ad Ducem Saxoniæ, tomo 1. Operum Lutheri.

3 Mandauerat Leo Cardinali per diploma, cuius exemplar extat in ipsis Lutheri libris, vt cùm sibi liqueret ex fama, aliisque certis indiciis, Martinum Lutherum hæreticarum opinionum fontem esse, vbi tamen hic sponte se sisteret, errorésque retractaret cum intimæ pœnitentiæ significatione, in Ecclesiæ vnitate benignè eum reponere: sin minùs, accitâ profanorum Principum operâ, eum carceri manciparet. Quòd si Lutherum in sua potestate habere non posset, illum eiusque asseclas, atque eos omnes qui hominem defenderent, excepto Cæsare, percelleret anathemate; Sacris etiam interdiceret cunctas regiones ipsum excipientes, & quemcumque locum quousque ibi degeret, ac ternis posteà diebus. E diuerso concessit Legato, vt cunctis sibi obtemperantibus in ea re, plenam Indulgentiam, aliaque priuilegia ac beneficia tribueret. Tom. 1.

4 Mentitur hîc Suauis, dum narrat iniunctum fuisse Caietano, vt Sacerdotia & præmia Luthero polliceretur, si de illius obedientia spes affulgeret. Hoc haudquaquam legitur inter Pontificis mandata, in ipsius Lutheri voluminibus impressa. Perinde certè id fuisset, ac ab illo licitari simulatam quamdam obedientiam, non eum flectere ad veram. Imò non tam id præ se tulisset speciem obsequentiæ

1518. ſubditi erga Principem, quàm concordiæ ac pactionis inter duos æquo iure diſceptantes. Ne ipſe quidem Lutherus quidquam indicat de huiuſmodi condirionibus, in prolixa illius congreſſus narratione. In reliquis pariter Suauis hiſtoria de hac re diſcrepat ab eo quod hinc Lutherus, hinc Ioannes Baptiſta Flauius, ibi Legato ab Epiſtolis, referunt. Quod oſtendit, illum haud ſatis fuiſſe vel diligentem in rerum notitia perquirenda, vel fidelem in proferenda; & inſtar Poëtæ potiùs quàm Hiſtorici, haud valdè laboraſſe de veritate.

Conuênit Martinus Legatum, à quo humaniſſimè, vt ipſemet fatetur, acceptus eſt. Si eidem credimus, tria petiit ab eo Caietanus: Vt propoſitiones perperàm à ſe edictas improbaret: Vt eas in poſterum ne proferret: Vt abſtineret à quauis alia doctrina, Romanæ Eccleſiæ auctoritati contraria. Si Luthero, inquam, credimus: nam indicata narratio Ioannis Baptiſtæ Flauij, à Secretis Cardinali, habet, ſatis Legato fuiſſe, ſi Lutherus ſcripto affirmaret, ſe ſubdere doctrinæ quam Eccleſia Romana fideles docuerat, nullâ impoſitâ expreſsâ palinodiâ. Sed quoniam hoc non conſonat aliorum narrationi, aſſenſionem hac ab re cohibemus; tametſi magis idonea ad notam duritatis in Legato delendam, quam illi in huius rei tractatione hominum rumor inurit. 5

Negauit Lutherus, prolatam à ſe ad eum vſque diem aſſertionem vllam contrariam dogmatis Eccleſiæ. Tunc duas illi Cardinalis obiecit. 6

Prima dicebat, In Eccleſiæ theſauro merita Chriſti & Sanctorum non contineri.

Secunda, Ad obtinendum fructum Sacramenti, opus eſſe credere Fidei firmitate, illum obtentum iri.

Adiecit Legatus, alteram repugnare Conſtitutioni Clementis Sexti, cuius initium eſt, VNIGENITVS: alteram, refelli claris Scripturæ dictis, negantis poſſe quempiam certò ſcire ſibi gratiam ineſſe.

Reſpondit ad primam Lutherus, perlectam à ſe fuiſſe Clementis Conſtitutionem, & alteram Sixti Quarti, illi concordem: non tamen idcircò ſe per eas dimoueri; cùm anteferenda ſint Pontificum ſententiis Scripturæ oracula, à quibus diſſidebant in multis binæ illæ Conſtitutiones, prout ipſe conabatur oſtendere. Ceterà, Pontificum Romanorum auctoritatem haud eſſe falſitatis immunem, quin etiam Conciliorum cenſuræ ſubiectam eſſe. Ibiqùe reuocare cœpit in medium Gerſonis ſententiam, recentiſque Synodi Baſileenſis. Qua in re ſatis aperuit, verba, quibus identidem affirmarat 7

marat se obtemperaturum Pontificis decisioni, omniqúe planè obsequio Romanæ Ecclesiæ sensis adhæsurum, simulationes fuisse ad tempus aucupandum, & ne plus audaciæ in eo negotio ostentaretur, quàm in præsentia opus foret. Si namque, vbi se premi sensit, Clementem & Sixtum erroris damnauit, Sedemque Apostolicam vniuersè fallacem pronuntiauit; intelligi satis poterat, idem quoque in Leonem ausurum fuisse, vbi res compulisset. Ipsemet disertè memorat, paratum se ad obsequendum exhibuisse ad speciem quamdam vrbanitatis, at obfirmato animo se numquam reuocandi. 1518.

8 Ad secundum obiectum varia protulit Lutherus Scripturæ dicta, quæ vel nobis præcipiunt fidentiam in diuina misericordia, vel tamquam necessarium cuicumque ad Deum accedenti, vt ipsum credat se quærentes remuneraturum. Atque hoc pacto confundebat nunc Fidem cum Spe, nunc vniuersalem iudicij firmitatem de remuneratione diuina, cum peculiari de præsenti in nobis habitudine, qualem postulant diuinæ promissiones remunerandi quærentes Deum vt oportet.

9 Legatus optime intellexit, neque decorum esse, neque conducibile cum eo disceptare, qui & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ repudiabat, & eò venerat non animo subdiri quo se submitteret, sed tamquam aduersarius vt altercaretur, nixusque ingenio, quasi peruersæ affectionis patrono, noua semper effugia reperisset. Ex altera verò parte, si Cardinalis, vt accidit in æstu & improuisis ictibus disputationis, rationem aliquam responsionémve minùs firmam adduxisset, Luthèrus & ipsius asseclæ mille tubarum clangoribus per vniuersam Germaniam triumphum cecinissent. Quod sanè Romanæ Sedi dedecus conflasset, causæ verò aduersam opinionem apud imperitum vulgus; quod tamen summam obtinet potentiæ, adeoque si non iure, saltem re summum tribunal existit. Legatus igitur, graui simul ac benigno vultu subridens, declarauit se nolle cum eo contendere; sed hortari parentis modo, vt reuocaret errores, seque Ecclesiæ iudicio submitteret. Quo in sermone dulcedinem suadentis, aliquâ minitantis acrimoniâ appositè temperauit; satis gnarus, tunc sanè timorem esse causam efficacissimam interiùs ad hominem permouendum, cùm exteriùs honestior adest species quâ moueatur. Et quoniam videbatur Lutherus his consiliis acquiescere, quippe qui nihil amplius reluctatus discesserat; tunc sanè Caietanus (vt cuique mos est magnam sibi efficaciam in suis suasionibus polliceri) certam concepit spem sibi hominem restituisse.

E 2 Rediit

1518. Rediit postridie ad Legatum Lutherus; sed inopinato comita- 10
tu, nimirum cum scriba publico, & quatuor Senatoribus: nec ita
multò pòst superuênit Ioannes Srupitius, Vicarius Generalis eius
Ordinis in Germania. Contestarionem scriba legit, quâ denun-
tiabat Lutherus: Nolle se vllo in articulo Romanæ Sedi obsistere;
quin illi subdere quidquid dixerat, & quidquid seu tunc, seu postea
dicturus esset. Addebat, Propositiones à se ad eam vsque diem
assertas, probas esse, diuinisque Literis consentaneas. Denique, se
paratum esse id ipsum quâuis disputatione defendere; acquieturum
verò iudicio cuiuscumque Academiæ ex tribus Cæsareis celeberri-
mis, hoc est Basileensis, Friburgensis, & Louaniensis; nec recusatu-
rum vniuersalem studiorum matrem, nempe Parisiensem.

At verò Legatus non poterat absque indignitate sui Principis 11
cuicumque tribunalium causam committere. Præterea satis explo-
ratum erat, ea omnia moras esse ac diuerticula, non quò sibi satis-
fieret de Iudice, sed quò alius ex alio semper commutaretur, vt nul-
lum tandem haberet: quod ex euentu posteà compertum est, cùm
iudicium Coloniæ ac Louanij, & paulò pòst etiam Parisiorum,
damnationem Pontificis comprobantium, Lutherus tam petulan-
ter est aspernatus. Quapropter Cardinalis hiscenugis abruptis, de-
nuò cohortatus est vehementer hominem, vt errata retractaret,
ostensâ huius remedij necessitate, ad euitanda pericula quibus pre-
mebatur. Sed Lutherus adduci non poterat, vt accepto vulnere
tam acerbo sanitati consuleret. Et quo pacto vsuuenit litigantibus,
qui vbi causâ ceciderunt, semper conqueruntur se à Iudice inaudi-
tos, quia noluissent factum sibi vmquam audientiæ finem, litemque
diiudicatam; impensissimè flagitabat, vt causæ suæ momenta scri-
pto consignata expenderentur, quandoquidem pridie eius diei se-
cum Legatus satis * digladiatus erat.

* Verbum Lutheri.

Ad ea Legatus subiecit: *Fili, nec tecum digladiatus sum, nec di-* 12
gladiabor, aut disputabo. Charitate parentis contendi, vt ad obsequia Pon-
tificis & Ecclesiæ redires; nec abnuo ex commentario cognoscere quæ à te
adducuntur, vt omni ex parte tibi fiat satis.

Nimis enimuerò arduum accidebat homini arrogantis ingenij, 13
& qui tantum in eo negotio processerat, palinodiam canere. Ex
altera parte, dum ille non ampliùs cogitatione, sed oculis voragi-
nem metiebatur, cuius ad oram se præcipitanter adduxerat, planè
exhorruit; dolensque se eousque progressum, cupiebat pedem re-
trahere, dummodò terga non verteret. Hæc animi perturbatio ef-
fecit, vt eâ nocte ingenij vires omnes impenderet, quò nouam ali-
quam

quam sibi viam aperiret, quâ suam opinionem tueretur, simulque infamiam effugeret despectæ auctoritatis Sedis Ecclesiæ Romanæ. Quare Constitutionem VNIGENITVS legens eo microscopio, quo omnes atomi non solùm sub aspectum veniunt, sed migrant in species ingentes, comperit ibi affirmari, Thesaurum Ecclesiæ fuisse à Christo acquisitum. Quare die postero ad Legatum regressus, prolixum obtulit commentarium, plurimis argumentis refertum, pro more litigantis ex animi commotione: at præcipuum, & quo magis intumescebat, quasi ea Constitutio sibi faueret, illud erat; quòd cùm ea diceret acquisitum fuisse thesaurum Ecclesiæ à Christo propriis meritis, oportebat hunc thesaurum à meritis secerni, vti à causa secernitur effectus. 1518.

14 Verùm nimis in aperto erat responsionis infirmitas. In primis Constitutio ait, Thesaurum donatum Ecclesiæ, fuisse acquisitum à Christo: non ait, Christum propriis meritis acquisiisse. Sed vt hoc illa asseruisset; quis ignoret vocis *merita* duplicem significationem esse, & vtramque propriam, atque vsitatam? Altera exprimit actum, quo meremur; exempli gratiâ actum dimicandi pro patria, exercendi Reipublicæ munia, & consimiles. Altera designat ius illud, quod inest in nobis ex vi huiusmodi actionum ad remunerationem excipiendam: atque hoc sensu dicimus, multa vni homini adesse merita ad gradum aliquem obtinendum. Ius illud permanens, est fructus quidam earum actionum, quæ fluxæ sunt; atque hoc pacto verissimè dicitur, à Christo per sua merita, hoc est per ea quæ passus est, fuisse acquisitum thesaurum suorum meritorum à se Ecclesiæ relictum; illud videlicet ius adeptum esse, quo apud Patrem potis est condonationem pœnæ homini debitæ impetrare. Hanc autem esse memoratæ Constitutionis sententiam adeò perspicuum est, vt ad eam pernoscendam sola lectio abundè sit, nisi quis per offucias de industria hallucinari velit.

15 Ex his intelligens Cardinalis, ad quæ sophismata Lutherus seu ab ingenio seu ab arrogantia adduceretur, eò firmiùs in sententia perstitit, in disputatione bonæ spei nihil esse, quo ille resipisceret: cùm quædam ingenia minùs difficulter per obsequium voluntarium auctoritati se mancipent, quàm ratione tamquam expugnata se dedant; in altero sibi indulgentia, quasi ex obtentu virtutis, ab altero abhorrentia, quasi à confessione debilitatis.

Itaque ostensâ breuiter Luthero noui fulcimenti imbecillitate, sublatâque omni quæstionum disceptatione, multus in eo fuit, vt grauiter & amanter adhortando perduceret hominem ad reuocanda

1518. da quæ dixerat: iniunxitque, ne ad se rediret, nisi id perfecturus. Legatus enim existimabat, non aliud noui colloquij emolumentum fore, nisi per contentionem Lutheri ingenium acriùs incendere, & ita altiùs in æmulatione defigere, dum in dies magis assuesceret reuerentiam erga Pontificis Maiestatem in eius Legato imminuere.

Duo manifestè peccat Suauis, vbi de his colloquiis mentionem 16
habet: alterum minoris momenti, dum solùm duo colloquia numerat, tertio prætermisso: alterum grauius, dum affirmat à Cardinali cum contumelia Lutherum depulsum. Primi falsitas palàm fit literis Legati æquè ac Lutheri, vtrisque rem exponentibus Saxoni Septemuiro, & tria colloquia, vt à me suprà recitata sunt, concorditer narrantibus. Nec minùs secundi falsitas ex iisdem literis deprehenditur, atque ex peculiari etiam euentuum narratione à Luthero euulgata: non solùm enim ille ne verbum quidem vspiam facit de huiusmodi contumeliosis verbis (quæ sanè fuissent vsui ad suam causam, prouocationemque à Legato, tamquam ab iniquo Iudice purgandam) sed ait se fuisse ab eo humanissimè exceptum; eumdem à se compertum in comitate alium hominem atque eius Concionatores Ordinis Dominicani, de quibus ipse conqueritur; paternam secum ab eo cohortationem adhibitam: appellat *optimum & humanissimum*. Solùm queritur, conatum Caietanum fuisse, ipsum adigere ad se nondum conuictum reuocandum. At hominem conuincere, conuinci nolentem, non est in potestate vllius sapientiæ, nisi Omnipotentis. Hinc Legatus, desperato ex hac parte remedio, ad aliam cohortationem se conuertit; ad id quoque Stupitium adhibuit, apud Lutherum quà pollentem auctoritate, quà amicitiâ gratiosum, cùm & Vicarius Generalis in Germania familiæ reformatæ esset, & illi quàm maximè intimus. Sed Lutherus ingenio ac doctrinâ suo præside maior, & cum eo coniunctus æmulatione erga Dominicanos Quæstores, eumdem suarum partium fecerat. [a] Quin etiam sunt qui velint, à Stupitio demandatam primò fuisse Luthero impugnationem Indulgentiarum, haud præuisâ ruinâ è succenso cuniculo mox futurâ. Stupitius itaque & renitentem se ostendit demandatæ à Legato procurationi; eâque haud fideliter peractâ, [b] Lutherum, vt idem narrat, reipsâ dehortatus est ab eo quod in speciem suadere illi studebat.

a Florimundus Remundus de Orig. hæresum lib.1 cap.8. Spondanus in Auctoario an.1517.
b In dicta relatione.

CAPVT

CAPVT X. 1518.

Oblata à Luthero, & à Cardinali recusata. Discessus, ac prouocatio ad Pontificem. Quæ ea in re gesserit Cardinalis expenduntur.

1 ITaque Lutherus à conspectu quidem Cardinalis abstinuit, sed per literas exposuit, retractationem suam infructuosam futuram: cùm ex vna parte non valeret ipse rei per hæc veritatem euertere; & ex altera, conscientiâ prohiberetur: neque S. Thomæ, & Scholasticorum auctoritatem sibi tanti esse, vt in ea conquiescendum existimaret.

2 Obtulit illi, vti semper obtulerat, velle se auctoritati Ecclesiæ subiacere: sed ab ea obsequentis specie bracteolam apertæ contumaciæ prætendi satis apparebat, ex quo Lutherus à Legato pressus negauerat vel ipsam Ecclesiæ auctoritatem, damnatis Clementis & Sixti Constitutionibus; tunc verò derrectabat iudicium Legati à Latere, ab ipso Pontifice Romano ad eam causam cognoscendam constituti.

3 Duo prætereà alicuius momenti addebat. Alterum, cùm animaduerteret se prolapsum in verba minùs reuerenter in Pontificem iacta, quamquam ad ea ab aduersariis lacessitum, tunc errorem è suggestu se reuocaturum, nec in posterum id commissurum: alterum, de articulis Indulgentiarum se habiturum silentium, modò haberent aduersarij.

4 At verò circa id apertissimè labitur Suauis, narrans hasce literas fuisse à Luthero datas post prouocationem ad Pontificem, & postquam Augustà decesserat: vtrumque enim refellitur à die literis adscripta, & à memorata narratione Lutheri.

5 Ea quæ literis quas diximus exhibebantur, haud poterant satisfacere Legato. Primò, quia Lutheri errara non solùm Indulgentiis aduersabantur, sed grauissimis aliis capitibus, vti narrauimus. Secundò, quia promissum silentium solùm effecisset, ne multiplicarentur errores, non verò vt iam asserti corrigerentur; cùm semper Lutheri scripta perstarent typis ab eo edita, ac diuulgata; essetque cunctis exploratum, ipsum in sententia persistere. Tertiò, quia pro tali silentio pretium ille postulabat, cuius solutio nimis foret indigna Pontificiæ Maiestati; nimirum, par frænum ori Catholicæ veritatis, & ab Ecclesia traditæ iniiciendum. Satius igitur habuit Legatus, Lutheri literis nihil respondere; ratus fore vt

1518. follis ille ventosâ elatione distentus, nulloque repercussus ictu, de se tandem humi consideret. Secùs tamen ac speratum erat accidit. Nam priùs quidem Stupitius timore correptus, siue eorum monitis, qui solent amicitiæ studium ostentare, pericula atque infortunia præsagiendo, siue interioribus minis conscientiæ, ob operam minùs fideliter Legato nauatam, gnarusque nullâ sibi fide publicâ cautum, vti Luthero; clàm se subtraxit, Cardinali Caietano insalutato. Ac paulò pòst Martinus etiam, suspicione atque intolerantiâ agitatus, improuisò discessit; contestatione priùs habitâ per acta publica, quæ post eius digressum in Augustæ foro defixa sunt, destinatisque ad Legatum literis excusatione plenis. In iis, recensitâ facti serie, ostendebat: Fieri non potuisse, vt se Romam conferret ex præscripto diei sibi priùs dictæ, quà corporis inualetudine, quà inopiâ, & quia Romæ intutum videbatur domicilium ipsi Pontifici, nedum aliis; indicans, opinor, coniurationem ibi contra Leonem recèns conflatam. Duobus Iudicibus priùs à Pontifice delegatis se diffidere, propterea quòd sacri Palatij Magister ante delegationem contra ipsum scripserat: Auditor verò Apostolicæ Cameræ potuisset quidem pro sua scientia diiudicare de causa Iuris Ciuilis, non tamen dogmatis Theologici; vnde ab auctoritate Collegæ se trahi siuisset. Cùm autem posteà ad interpositas Septemuiri preces impetrata fuisset huius causæ cognitio in Germania, ac Legato demandata, voluisse aduersus multorum consilia Augustam pedibus adire, & graui cum incommodo, quò eum redderet de causa certiorem. Fuisse quidem ab eodem humaniter exceptum; sed impetrare nequiisse, vti res ex diuinæ Scripturæ testimoniis expenderetur, atque omnino iussum se retractare, quod sibi pro sua conscientia fas non erat; nosse etiam, gratiorem suo Principi prouocationem, quàm retractationem fore. Proinde cùm ob paupertatem illic diutiùs commorari ei non liceret, statuisse decedere, contestando, vbicumque foret, se obedientem Pontificis & Ecclesiæ filium, se suaque omnia Leonis pedibus substernentem; prouocare se interim à Legato, tamquam à suspecto Iudice propter Dominicanorum Ordinem, cui nomen dederat; propter Scholasticam disciplinam, quam profitebatur; propter doctrinam S. Thomæ, in qua fuerat eductus: prouocare pariter à Pontifice, tunc causæ suæ malè conscio, ad eumdem Pontificem, cùm de ea meliùs fuerit edoctus.

Hunc extremum actum habuit ea scena, in qua Martinus duplicem & oppositam personam gessit; alteram contumacis & contemptoris, 6

temptoris, alteram obtemperantis & obsequentis Romani Pon- 1518.
tificis auctoritati. Etenim non in literis modò ab eo ad Legatum scriptis, solemniq́ue prouocatione, sed in aliis plurimis ad Leonem missis, incredibile est quàm prolixis pollicitationibus plenam exhibeat obedientiam mentis ac voluntatis, atque etiam operis ad eius nutum. Porrò ex se quisque animaduertit, quàm bellè adeò fallax & subdola agendi ratio congruat homini, qui se Dei nuntium venditabat, missum ad emendandos mortales, lucemq́ue Religioni affundendam. Verùm subsecutis annis studuit ipse duplici arte huius fœditatem maculæ ab alienis oculis remouere. Alterâ, Christianam demissionem affectando, quâ seipsum damnabat; quippe id temporis nondum satis cælesti lumine afflatus & adhuc Saulus erat, fidemq́ue tribuebat Romani Pontificis auctoritati. Alterâ, profitendo fuisse vrbanitatis officium, in ea rerum conditione huiusmodi subiectionem exteriùs obtendere. Atqui si Saulus id temporis erat, ergo tunc haud cœperat, vt sibi arrogat, Gentium Apostolus esse. Et si tunc fidem tribuebat auctoritati Pontificis, cur eidem simul refragabatur? Vrbanitas verò postulat ea quidem obseruantiæ officia, quibus tamen numquam in iis, quæ scripsit, vsus est Lutherus, vel ab ipso Melanchthone suo in eo genere reprehensus; at minimè postulat vt offeratur veræ Fidei abiectio: alioquin fas erit, per vrbanitatem idola venerari. Quare sacrilegus extitit Lutherus, si veram existimauit eam fidem, à qua obtulit se recessurum, si Pontifici id probaretur, quem legitimum diuini Verbi interpretem non censebat.

7 Equidem fateor, antequam hoc opus aggrederer, harumq́ue rerum veritatem peruestigassem, ductum me ab opinione vulgari, cui quisque in eo quod sua non interest facile credit: idcircò inducebam in animum, hinc imperitiam, vti ferebatur, Caietani in Ecclesiastica eruditione, postremis deinde annis ab eodem sibi comparata; hinc eiusdem imperiosiorem in agendo asperitatem, fuisse medicinæ defectum ingenio, & venenum animo Lutheri. At postmodum hanc rerum seriem ab ipsius Martini calamo edoctus, haud intelligo, tametsi Cardinalis viuum fuisset totius Ecclesiasticæ eruditionis ærarium, quînam potuisset per eam quidquam proficere illi negotio, assumptis sibi disceptantis partibus, per se quidem minùs conducibilibus, & odiosis illi cui succumbendum est; adeoq́ue debilitatâ Iudicis auctoritate, instar quorumdam militarium Imperatorum, qui ad digladiandum cum suis militibus per iram se adduci patiuntur. Alioqui tantâ moderatione se gessit erga fratercu-

1518. lum hæreticum, & nondum in ea conditione fortunæ positum, vt posset Wittembergâ Augustam equum conducere; ibique emendicato * Religiosis Carmelitis hospitio exceptum, victuque nutritum; quod si secùs accidisset, maiore ratione fuisset Caietanus incusatus, dignitatis suæ minùs fortiter sustentatæ. Quinetiam potuit adeò sibi imperare, vt vbi sensit se tam audacter ac solenniter à Luthero repudiatum, tamquam iudicem suspectæ iustitiæ, eumdemque nullâ petitâ abeundi facultate à se contemptim digressum; non tamen effecerit id quod in simili negotio quicumque iudex pedaneus effecisset, videlicet reum damnare. Sed est in more positum apud homines, adulari fortunæ, & alienam imprudentiam calumniari, in cunctis malis publicis illam ceu insontem absoluendo, hanc vti sontem damnando.

* Lutherus in literis & narrationibus citatis.

CAPVT XI.

Acta inter Caietanum Cardinalem, & Fredericum Septemuirum. Technæ Lutheri cum Septemuiro adhibitæ: & quæ inde consecuta.

DElusâ Legati spe, quam conceperat sibi conciliandi vel mentem Lutheri doctrinâ, vel obsequium auctoritate, vel animum comitate, vel submissionem terrore, non idcircò ab ea fiducia se deduxit, quam summi viri in suorum bonorum præstantia collocant; sed illum per se deiicere posse putauit ab existimatione Septemuiri, solo impetu suæ præpotentis testificationis. Itaque ad Fredericum dedit literas, quibus ipsum de re summatim docebat, rationibus prætermissis, quarum vim intelligebat ab eo Principe haud percipi non posse; sed certiorem suo testimonio eumdem faciebat, Martinum hæresi pollutum esse, suisque obiectis responsa relatu indigna reddidisse: quæ verba spectabant ad ea quæ Lutherus iactauerat de erroribus, in quos Romani Pontifices inciderant in Constitutionibus contra se adductis pro Indulgentiis. Quapropter rogare Saxonem, vt conscientiæ decorique suo consuleret, siue reo Romam dimisso, siue à sua ditione depulso, suâque tutelâ exarmato; eidem se denuntiare, pestilentem eam tabem non posse ita persistere, & causam tunc à se dilapsam, mox Romæ agitandam, ac iudicio decidendam. 1

Epistolæ omnes, aliaque scripta, quæ hic successiuè citantur hanc rem concernentia, impressa sunt primo tomo Operum Lutheri.

Sed quemadmodum propinquo igniculo acriùs incalescimus, quàm toto sole longinquo; ita maiorem intulere vim Frederico præsentia Stupitij ac Spalatini verba ad prosequendam Lutheri defensionem, 2

fensionem, quàm Cardinalis absentis scripta ad eleuandam ipsius fidem. Erat Stupitius ex nobili familia Fredetico subiecta, magno ingenio, haud ita magnâ literatutâ; sed tamen tantâ, quæ apud omnino illiteratum magnam vim haberet. Dignitas Vicarij Generalis auctotitatem addebat: eiusque causæ agnoscebatur ab eo Lutherus quidem vt minister, ipse verò vt auctor præcipuus. Spalatinus, qui Saxoni à Secretis erat, & primarius sacrorum Curator (quod magno erat argumento, fidelem simul ac pium à suo Principe habitum) in eo negotio rem suam agebat, quamuis minùs cognitam, ideoque potentiorem: nimitum non tam Lutherum quàm suum de illo prolatum iudicium tùebatur. Vti non rarò contingit, primum beneficium quà studio quà temerè conferri, cetera verò ad iam collati prudentiam sustinendam.

1518.

Cocleus de actis Lutheri an. 1517. & 1518.

3 Impetrarunt hi, vt Septemuir Legati literas ad Lutherum transmitteret. Nec ille sibi defuit tam difficili tempore. Rescripsit ad Septemuirum, adhibitis cunctis artibus, quas docet homines vera Rhetorica, hoc est ingenita, quâ pollebat, & quâ negotia promouentut; non illa quæ arte comparatur, cuius expers erat, & quâ plausus excitatur in scholis. Hinc Frederici ingenium mirificè extollere, ipsumque sibi Iudicem deposcere: Populares quasdam rationes adducere, quæ vti doctioribus contemptui essent, ita rudioribus inaudita responsione vim faciunt: Recensere colloquia cum Caietano, sed in rem suam, & quâdam moderatione, quæ fidem conciliaret; perinde ac si mentiri voluisset, non esset tam ieiunè mentitus: Præseferre studium ardentius erga Dei causam, quàm erga propriam existimationem; atque eaptopter non æquè difficilem se ostendit ad vtramque propositionem reuocandam, cùm ex altera, nempe de thesauro Ecclesiæ, leuis momenti conclusiones deduci posse videtentur; quâ, inquit, ptopositione retractatâ non idcircò Indulgentiarum natura peruerteretur. Circa alteram propositionem, quæ asserit credendum esse, Fidei firmitate gratiam recipi à suscipiente Sacramentum, se iactitat inflexibilem, quòd conscientia tefugiat à Sacris Literis abnegandis. Simulat præterea, tetineri se à reuerentia erga Cardinalem, quem hic, vti diximus, *optimum* & *humanissimum* appellat, ne ampliùs sui causâ arma denudet, ab iis ipsis desumpta, quæ contra se Cardinalis ad Septemuirum scribit; atque optaret, inquit, scriptum illud fuisse ab aliquo Siluestro Prierate. Sed interea per reticentiam congerit in eum quæcumque in animo habebat. Atque vbi Caietanus memorat, eos errores à Martino fuisse appositos in suis Thesibus haud af-

 firmandi

1518. firmandi & solùm disceptandi gratiâ, sed ex aliis eius scriptis palàm fieri, eos ab illo pro veris habitos; ibi submissâ voce triumphum canit, & argumentatur: *Ego*, inquit, *Romam non aliarum scriptionum, sed thesium causâ accersitus fui; adeoq́, si nihil per eas asseruit, euanescit delicti titulus, quo reus agor.* In ea porrò ratiocinatione fastuosam quamdam comitatem venditat; instar lanistæ, qui inrenter aciem pectori imperiti Dynastæ, ac deinde ictui parcat. Quasi verò modus ipse, quo Theses Lutherus confecerat, satis non indicaret, à se veras credi, curarique vt veræ ab aliis crederentur; quamquam, conscius easdem Ecclesiæ Romanæ dogmatis aduersari, abstinuerit ex formidine tunc in publico diserte eas confirmare; & perinde ac si hæc præsumptio fulciri non posset in iudicio ex aliis ipsius commentariis.

Accusat deinde acerbissimè huiuscemodi vim tyrannicam, quâ cogitur quispiam ad palinodiam, neque ratione compellente, neque disputatione concessâ; sed ex potentioris libidine, seipsam anteponente cuiuscumuis probationis ponderi, & Sacrarum Literarum auctoritati. 5

Hæc redargutio semper fuerat Lutheri Achilles; sed Achilles ille suppositirius, de quo canitur, Achillis specie non robore instructum diu certasse. Et idcircò à Cardinali per suas ad Fredericum literas detrahenda paucis fuisset ea larua: quod sanè affatim præstitisset, indicatâ illi Principi fallaciâ, cum percontatus: An Iudices à Septemuiro constituti, qui tandem supremi non erant, eam legem vel ex debito, vel ex vsu accepissent, ne quem damnarent reum, nisi priùs suæ noxæ verbis eum conuicissent, & cum eo tamdiu disceptassent, donec ipse fateretur, nihil sibi quod opponeret superesse? 6

Ad Lutheri literas redeamus. Implorabat ille Ducis clementiam, ne se mitteret suorum hostium victimam ac ludibrium. Concludebat postremò, se libenter inde digressurum, ne quid suboriretur, quod quietem Septemuiri, & cum Romano Pontifice concordiam turbaret; ibique eos ciebat studij, beneuolentiæ, & commiserationis affectus, vt satis introspiciatur in eo fuisse obtentum abeundi desiderium, quod ipsum reputaret firmissimum obicem ne abiret. 7

His erant eius literæ subfarcinatæ. Simul etiam commendatitiam epistolam ad Saxonem obtinuit ab Academia Wittembergensi: sed eius commendatio fuit admodum tepida, & cum diserta conditione, quâ tepor ille in glaciem demigrabat; videlicet: Modò Lutheri patrocinium non disiungeretur à Romanæ Ecclesiæ 8

magi-

magisterio, aut Pontificis voluntate; vti in ipso Septemuiro, quamuis se non monentibus, sponte statutum esse sciebant. Equidem ex ea quam accepi rei tunc agitatæ notitia ita censuerim: Si Romanus Pontifex ex tot Theologorum sententia, suorumque Senatorum suffragio id temporis, vti posteà factum est, solemni anathemate perculisset non modò geminos illos Lutheri errores subtiliores, a Caietano impugnatos, & quos Leo primùm damnauerat, sed etiam tot impie & insanè ab eodem scriptis editos, enumeratosque à Diplomate Leonis postmodum promulgato; Septemuir nondum ad Lutheri defensionem tam vehementer affectus erat, vt eius causam sibi suscipiendam putasset. Sed fortasse prudenter actum est: nam si non optimum, certè id peractum est, quod homo prudens optimum cēsuisset pro rei notitia quæ tunc habebatur. 1518.

9 Itaque Saxo, ratus Caietanum, vtpote suorum sodalium studiosum, Lutheri depressionem affectare, vsum pro ratione potestatis vi, subacerbè rescripsit Legato per epistolam, vt credibile est, à Spalatino, qui à Secretis erat, confectam. Se quidem aiebat promissa præstitisse, misso ad illum Luthero: ex præcedentibus Cardinalis literis spem longè diuersam concepisse de iis quæ ibi Lutherus fuisset experturus; nec in animum vmquam induxisse, benignæ missionis vice, nisurum ipsum fuisse, antequam rationibus eum conuinceret, solo imperio ad palinodiam cogere; nunc verò denuntiare causæ curam à se dimissam, & Romæ damnationem minitari. Quamplures pios ac doctos viros, tam ex sua ditione quàm ex aliis Academiis testari, doctrinam Lutheri probam esse, quamuis eiusdem eruditio eorum commodo, qui pro re sua illi obstiterant, nequaquam esset accommodata. Idcircò suam Academiam tam erudito viro priuandam non esse, donec vel rationibus, vel iudicio earum Academiarum, quibus suam causam permittebat Lutherus, in sua responsione Cardinali à Saxone communicata, compertum foret ipsum iure esse puniendum.

CAPVT XII.

Prouocatio Lutheri ad Concilium. Pontificis Romani declaratio de Indulgentiis. Maximiliani Cæsaris obitus.

1 Cardinalis literæ ad Septemuirum incussere Luthero metum suæ damnationis Romæ breuì ferendæ; statuitque eam præuertere per prouocationem ab imminente sententia, ne illâ post sententiam protractâ, videretur solùm ex eo denegasse supre-

1518. mam Pontificis auctoritatem, quòd se damnasset. Igitur, cùm vsque ad id temporis in suis commentariis, actisque iudiciorum, plenam subiectionem sui suarumque rerum Pontifici professus esset; tunc scripto publico palàm fecit, se inprimis nolle aduersari Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ magisterio, ac Pontificiæ auctoritati: sed adiecit, Romanum Pontificem, tametsi Dei Vicarius in terris esset, tamen obnoxium esse tamquam hominem erroribus; quod in Petro patebat, qui idcircò legitur à Paulo acriter obiurgatus. Quapropter sicut paratus erat obtemperare Pontifici probe edocto; ita vbi hîc suorum æmulorum suasu quidquam in se, vel per se vel per suos iudices statuisset à iure Sacrisque Literis alienum, prout Legati literæ ad Ducem minabantur, prouocare se ad futurum Ecclesiæ vniuersale Concilium, quod Romano Pontifici præest; vnde in Pontificum potestate non fuerit huiusmodi prouocationes interdicere. Studet eo scripto Martinus causas diffidentiæ rationibus fulcire, queriturque Cardinalem tyrannicè secum egisse, dum palinodiam imperabat, eius ratione haudquaquam adductâ, simul etiam crudeliter ob minas, nisi pareret; non tamen hîc eas refert contumelias, quibus affirmat Suauis fuisse hominem à Cardinali repulsum.

Intereà cognito Romæ congressus euentu inter Caietanum ac Lutherum, antequam hic in secundam prouocationem suprà expositam prorumperet, scribit Suauis, Legatum ab Aula vituperatum, quòd Luthero vel ipsam Purpuram non obtulisset, si conquiesceret: sed hæc vel sunt ad Aulæ inuidiam dicta, vel ab aulicis imperitis profecta, qui solùm statuarum mobilium obtinent vicem. Ex altera parte, cùm in eorum gestorum monumentis ne scintillula quidem tam exaggeratæ auctoritatis emicet Cardinali concessæ, neminem in Romanæ Aulæ negotiis expertum latere potest, non esse in manu Legatorum ea offerre, quæ penes Pontifices summa sunt inter vel beneficia conferenda, vel præmia; eâ præsertim tempestate, quâ illorum paucitas qui Purpurâ donabantur, eiusdem augebat perinde æstimationem ac difficultatem. Verùm, vt fuerit in potestate Legati, quis sanæ mentis fuisset auctor, vt Purpuram fœdaret eo capite, quod paulò antè Cæsar ac Pontifex manifestarum hæresum cloacam declarauerant? Vbinam vmquam huiusmodi exempla in Ecclesia Catholica memorantur? 2

Variatum quidem Aulæ sententiis, an seuerè, an leniter contra Lutherum agendum foret. Mitiora consilia antehabita, & vti magis ad ingenium Pontificis accommodata, & vti minus erga se peri- 3

periculosa ac turbulenta, vbi cum eo agitur, qui non habetur in potestate, & potest vltionem tentare. Verisimile quidem erat, Lutherum, toties pollicitum & verbis, & literis, & actibus publicis, subiecturum se iuxtà Leonis arbitrio, ac si foret ipsius Dei, nihil aliud postulasse, nisi Romani Pontificis declarationem super articulis impugnatis; & tam ipsum quàm eius asseclas quieturos fuisse, vbi palam fieret, Pontificiam auctoritatem circa Indulgentias nequaquam, vt ipsi dicebant, amplificationem Fratrum Quæstorum fuisse, sed Ecclesiæ Romanæ doctrinam. Et alioquin hac generali decisione, neminem nominatim proscribente, locus relinquebatur Luthero sine pudore pedem retrahendi, quando multi etiam ex Patribus, in Ecclesia doctrinâ ac sanctimoniâ spectatissimis, sententias habuere, quæ nunc post sancita ab Ecclesia dogmata haberentur hæreticæ, neque idcircò vllam inde maculam eorum nomen contraxit. 1518.

4 Itaque nouo diplomate Pontifex declarauit, in Ecclesiæ thesauro Christi ac Sanctorum merita contineri, atque etiam iure clauium eo Romanos Pontifices vti posse, Indulgentias elargientes ad emolumentum viuentium ac defunctorum. Missum est hoc diploma ad Legatum Lintzij commorantem, quod est oppidum Superioris Austriæ: ab eo verò euulgatum, pluribus per Germaniam exemplaribus transmissis.

Diploma & aliæ scripturæ infrà citandæ leguntur impressa in 1. tomo Lutheri.

5 Tres in errores hîc incidit Suauis. Primus est, dum recitat tenorem Lutheranæ prouocationis ad Concilium, non solùm mutilum & confusum; sed etiam à vero discrepantem. Experimento fit, cùm asserit Lutherum ibi dixisse: *Nolle Pontificis auctoritati se opponere, vbi vera doceat:* quæ loquendi forma ridicula planè fuisset, cùm certum sit, neminem vnquam profiteri, se opponere veritati; at Lutherus ait; *se non intendere aduersari definitionibus Pontificis* * *bene consulti.* In aliis pariter hallucinatur, prout quisque comperiet, cui libuerit eius narrationem conferre siue cum hac nostra, siue cum ipsa Lutheri scriptura: qua in re haud certè sim longior, ne dum lectoribus Suauem commonstro erga ipsos negligentem & infidelem, eisdem ipse minutus ac morosius euadam.

* Sunt Lutheri verba.

6 Alter est; dum affirmat, ad eam prouocationem impulsum fuisse Lutherum à diplomate per Legatum promulgato. Et tamen promulgatio huius diplomatis habita fuit Lintzij 13. Decembris; prouocatio verò Martini iam præcesserat Wittembergæ 28. Nouembris. Quin ex quo idem diploma fuit Romæ subscriptum 9. Nouembris, etiamsi Pontifex illud eodem die ad Lutherum mi-

sisset,

1518. sisset, cùm ferè menstrui itineris spatio Roma distet Wittember-
1519. gâ, haud planè peruenisset in eius manus, nisi longè post illum diem, quo die legitur peracta à Luthero prouocatio. Et, quod idem conficit, in ipsa prouocatione nuspiam fit sermo de tali diplomate; à quo Lutherus disertè prouocasset, si quam eius notitiam accepisset.

Tertius error in eo situs est, quòd dicatur, Lutheri prouocatio- 7
nem rationi consentaneam existimatam, & ideò Leonis diplomate incendium non restinctum. Eius prouocationis cum ratione consensio neque credita est, neque credi poterat à cordatis viris. Non est credita; propterea quòd illicò prodierunt censuræ aduersus Lutherum ex Academiis Coloniensi ac Louaniensi, decretum Pontificis, eiusque in definiendo auctoritatem comprobantes. Neque poterat credi; quia in huiusmodi causis vel admittitur quoquo modo auctoritas Pontificia, vel omnino negatur. Si prorsus negetur, non est prouocatione opus; quemadmodum frustrà esset prouocare à sententia hominis priuati. Sin aliquo modo admittatur, vti disertè ibi admittebat Lutherus, Romanum Pontificem appellans Dei Vicarium in terris, tametsi talis auctoritas tamquam Concilio subiecta admitteretur; non idcircò Pontificiæ sententiæ executio, præsertim contra priuatum hominem, suspenderetur prouocatione ad futurum Concilium. Alioqui vel oporteret cuiusuis litis gratia Oecumenicum Concilium cogere, vel quilibet penderet anceps, donec opportunitas incideret Oecumenici Concilij in Ecclesia conuocandi. Pari ratione, quamquam sint Principes, qui subiecti sint generalibus Regni Ordinibus; nisi tamen exciperetur, qui contenderet, executionem sententiæ, à Principe in priuatum latæ, ad Ordinum Generalium conuentum retardandam. Posito quòd Pontifex errare posset in Fidei dogmatis declarandis, essent quidem soluti fideles obligatione credendi indubitanter quod ille definit; sed non ex eo soluerentur obligatione extrinsecus obseruandi, quod in eo genere idem præciperet, dummodò hoc præceptum Scripturæ, seu Legi diuinæ euidenter non opponeretur: quæ euidentia nequaquam poterat à Luthero prætendi, vbi tam magna fidelium ac Theologorum pars illius nouitati reclamabat.

Ex alia igitur causa, quam suprà indicaui, hebetata fuit acies 8
diplomatis apud multitudinem; quia videlicet declaratio ab Indulgentiis cœpta est, in quo populi opinabantur, & à Pontifice studiosius agi in rem suam, & à potentia Dominicanorum (qui
in

in eo articulo certamen exciuerant cum Eremitanis ac Luthero) declarationem extortam, pro qua ſacræ Scripturæ ac Patrum teſtimonia haud omnino clarebant. 1519.

9 Quòd ſi damnationi feciſſet initium aliqua ex tot odioſis ſententiis, & iam à Luthero prolatis, propter quas (vt ipſe à nobis ſuprà memoratus fatetur) in theatro Heidelbergenſi fuerat irriſus; multò proniùs eius exiſtimatio apud homines concidiſſet. Quare vel fuiſſet neceſſe palinodiam canere cum exiſtimationis iactura; vel ſi pertinaciter obſtitiſſet, pro hæretico habitus popularem auerſionem ſibi conflaſſet.

10 Verùm nihil vim Pontificij diplomatis adeò debilitauit, quàm Maximiliani Cæſaris obitus die 17. Ianuarij anni 1519. plane poſt menſem ab promulgato per Legatum diplomate. Etenim non ſolùm firmum illud Catholicæ Religionis columen cecidit, quod potiſſimè contra Lutherum auctoritatem ſuam, quà vrgendo, quà offerendo, tam ſtrenuè impenderat; ſed Septemuiro Saxoniæ Vicarij munus pro Imperio gerente, in iis Germaniæ locis, vbi præſcripta conſuetudineſque Saxoniæ ſeruantur, tam amplam illam regionem, deiecto quaſi aggere, Lutheri errores inundarunt, quorum plerique iam cùm ex fama curioſiores, tum ex ipſo Quæſitorum aduerſantium interdicto auidiores euaſerant.

Literæ Cardinalis Caietani ad Leonem X. tomo 1. literarum ad Principes 29. Iunij 1519.

CAPVT XIII.

Leo ad Saxoniæ Septemuirum Lutheri causâ Miltitium mittit: & quid initio actum.

1 SAtis intelligebatur Romæ, ad ſubiectum ignem extinguendum, fomitem auramque Septemuiri ſubtrahenda eſſe; ſed opus arduum id ipſum agnoſcebatur: eò quippe is palàm proceſſerat, vt in damnando Luthero ſeipſum vnà damnaturus videretur. Quare cùm alia priùs tentata incaſſum ceſſiſſent, ſtatuit Leo, ad Saxonem datâ operâ delegare virum aliquem ipſi gratioſum, in regionis illius moribus expertum, & qui titulum præferret Septemuiro acceptum atque honorificum. Mos eſt Romanis Pontificibus, quarto die Dominico Quadragenalis ieiunij ſolenni ritu Roſam auream conſecrare, eamque intra aliquod tempus vni ex Principibus de Religione benè meritis dono mittere. Inter hos meritò recenſendus erat Fredericus, non Maiorum modò pietate, ſed propriâ, ſi eum ante Lutheri tabem* conſideremus.

* Vide Cocleum de actis Lutheri 1517.

1519. Magnificum hic templum extruxerat, vti dictum est, Sanctorum omnium venerationi dicatum in arce sua Wittembergensi, illudque incredibili planè studio insignibus Sanctorum lipsanis ditauerat, copiosis prouentibus instruxerat, splendidoque Canonicorum cœtu cohonestarat. Eadem in vrbe egregiam fundauerat Academiam, præstantissimis tam sacræ quàm profanæ disciplinæ Magistris ab vniuersa Germania eò aduocatis: atque vtrique operi perhonorifica priuilegia à Romano Pontifice obtinuerat. Sed in hoc liquidò compertum est, non æquè in Politica, atque in Natura licere à seminis probitate fructus præstantiam præsagire. 2

Memorata Ædes Sanctorum omnium nomini sacra, seruatoque ibi sacrorum cinerum thesauro venerabilis, primum fuit hæresis Lutheranæ theatrum, venerationem cunctis Cælitibus abrogantis, ipsorumque cineres flammis ventisque dispertientis. Andreas Caroloſtadius, in ea Archidiaconi dignitate functus, hoc est præcipuâ post Sacerdotem administratione augustissimæ Eucharistiæ, præcipuus extitit hæresiarcha in Eucharistia conculcanda, illi prorsus abnegatâ Corporis ac Sanguinis Christi præsentiâ. Martinus Lutherus, qui ordinarium Theologiæ scholasticæ magisterium exercuit in Academia Wittembergensi, in hostem abiit supra ceteros infensissimum scholasticæ Theologiæ. Philippus Melanchthon, eò conductus humanarum præceptor literarum, diuinarum euasit corruptor deterrimus. Adeo verum est, quemadmodum è vipera concisa pharmacum conficitur saluberrimum, ita ex optimi corruptione venenum nocentissimum conflari; nec aliunde in hominum Rempublicam sæuiorem inuadere pestilentiam, quàm è duabus rebus planè diuinis, è Sacerdotio scilicet atque Doctrina, vbi ea deprauari contingat. 3

Sed inceptum prosequamur. Memorata pietatis nomina viam Pontifici sternebant, ad honorem Frederico Rosæ munere citra adulationem ostentationemque deferendum. Carolum Miltitium elegit, suum intimum cubicularium, qui eam deportaret, è familia in illis regionibus prænobili, & quem priùs Academia Wittembergensis rogauerat, impetraret à Pontifice, vt causa Lutheri Romam citati in Germania dignosceretur. Pontificis literas efficacissimi studij plenas secum detulit, non solùm ad Ducem, sed etiam ad Spalatinum, aliosque primarios administros, vti Principem à Lutheri tutela deflecterent; vnaque harum consimiles literas Iulij Cardinalis Medicei, Leoni sanguine coniunctissimi, atque in gradu quà auctoritate quà fiduciâ supremo, qui posteà Romano Pontifi- 4

Quæ spectant ad aduentum ac tractatus Miltitij, pariter impressa sunt in primo tomo Operum Lutheri.

Pontificatu ſuſcepto, dictus eſt Clemens Septimus, eritque noſtræ 1519.
hiſtoriæ haud exiguum argumentum.

5 Sciſcitatus per viam Miltitius, quanam eſſet in æſtimatione Lutherus, cùm imperitos plerumque percunctaretur, quibus quodcumque nouum eſt ingens, ſenſit de eo cum admiratione homines loqui. Vbi Ducem adiit, nec benignè nec honorificè exceptus eſt; adeò vt ne obtinere quidem potuerit, vt ſuâ manu ſolennique ritu illi Roſam offerret, ſed ſolùm vt priuatim alteri traderet, qui Ducis nomine acciperet: nimirum ne videretur Saxo donum illud magnipendere, cui gratiam rependere recuſabat.

6 Comperio in literis Hieronymi Aleandri, paulò pòſt in Germaniam à Pontifice miſſi ob eaſdem Lutheri turbas, vt mox exponemus, ſibi ſuboluiſſe, Fredericum, hominem alioquin animi haud praui, adductum ad Lutheri patrocinium, non modò Conſultorum ſuaſionibus, ſed peculiari, quamuis occultatâ indignatione, tam generatim in Clerum, & præſertim in Moguntinum, in quem prima tela contorſerat Lutheri lingua, quàm in Romanam Aulam, de cuius dignitate certabatur. In Clerum, inquam, ac Moguntinum, ob quamdam de oppido Erfordiæ controuerſiam: in Aulam Romanam, quoniam cùm filius nothus & occultus Ducis Romæ impetraſſet, vt Sacerdotij commendati fieret adiutor; in reditu in Germaniam Bononiæ factus eſt certior de morte Commendatarij; quæ cùm incidiſſet antequam ipſe per diploma Adiutoris titulo inſigniretur, opus fuit, vt de integro ſolueret bonam pecuniæ vim, vt ſibi Sacerdotium illud obtineret. Nouit itaque Aleander, eâ re palàm à Frederico diſſimulatâ, homine taciturno, ſuique obtegente, ſtomachum illi corruptum aduerſus Romam: quòd enim Ducem ſingulari læſerat incommodo, eumdem adduxit, vt crederet vniuerſa, quæ de Romana auaritia per immodicam amplificationem ſerebantur. Enimuerò, vt in omnibus Aulis auiditas miniſtrorum amori decorique Principis ſæpiſſimè officit; Romanam Aulam longè grauiùs lædit, vbi Sanctitas Principatus, & ratio Sacri per omnes conceſſiones permixta, quamcumque auaritiæ labeculam fœdiorem reddit.

7 Haud quidem aſſerebat Saxo, velle ſe tueri quidquid Lutherus contra Indulgentias protulerat: ſed negabat velle ſe eſſe Iudicem, qui hominem damnaret opprimeretque. Eâ verò ratione tantum licentiæ ac ſecuritatis Luthero tribuebat, quantum ſatis erat, vt in Pontificem, Sedemque Romanam tela ex tuto iacularetur.

8 Idcircò cùm animaduerteret Miltitius, haud poſſe Lutherum

1519. vel ob ſequacium numerum deſpici, vel ob acquiſitam potentiam deiici, putauit lenitatis fomento poſſe molliri. Is ergo (vt mos eſt nouis miniſtris, ad peragendum negotium ſuffectis, infeliciter ab aliis adminiſtratum) maluit euentus improſperi accuſare Caietani duritiem, quàm negotij arduitatem. Quapropter rationem agendi prorſus oppoſitam inire ſtatuit. Sed cùm Cardinalis ex dignitate Sedis Apoſtolicæ ſe geſſiſſet, Lutherumque cohibuiſſet, ne quid in ſuo conſpectu inſolentius ageret; Miltitius ita ſe viliter abiecit, vt demiſsè timideque cum eo collocutus, reſponſa ignominioſa Pontifici, ſibi ſcripto reddita tolerauerit: inſigni documento, cuicumque homini rem quampiam gerenti, æquam laudis vituperationiſque menſuram non à ſolo euentus commodo incommodóve petendam; ſed etiam à maiori incommodo per ſuam ſolertiam euitato, vel à maiori commodo per ſuam inconſiderantiam haud acquiſito.

CAPVT XIV.

Colloquia Miltitij cum Luthero, eorumque effecta.

INtentus itaque Miltitius Luthero ſibi conciliando, impegit in arduam eius alloquendi difficultatem, cùm hic audire refugeret, quem exaudire nolebat. Sed congreſſus tandem Ducis auctoritate impetratus. Colloquio initium fecit per verba præſeferentia exiſtimationem nominis, plauſumque, quem erga Lutheri doctrinam per Germaniam exceperat: vſque adeò, vt (ſi credimus ipſius Martini commentario) illi affirmauerit, ab integro iam ſæculo nullum negotium Eccleſiæ contigiſſe, quod maiorem illi ſolicitudinem incuſſiſſet: quin etiam in itinere pro ſingulis Romæ fauentibus, ternos offendiſſe Lutheri ſtudioſos. Ad hæc vel profuſis lacrymis ipſum orauit, ne tam pernicioſam Chriſtiano generi tempeſtatem cieret. Prætereà, ſiue placandi hominis gratiâ, ſiue mulctandi Tetzelij eius æmuli noxas, forſitan à Caietano neglectas, tam acriter Tetzelium obiurgauit pro malè geſto Quæſtoris munere, vt ille miſer ex ægritudine animi extinctus ſit, prout refert Lutherus; qui gloriatur inſuper, ſe humaniter illi per literas conſolationem exhibuiſſe. Additque, ſi ab initio huiuſmodi ratione ſecum fuiſſet actum, nequaquam futurum fuiſſe, vt tam graues turbæ excitarentur: ſed primam mali labem Septemuiro Moguntino adſcribendam, cuius aſperitas ipſius animum exulcerauerat. Quæ omnia magis magiſque declarant, quàm falsò Suauis Lutheri irruptionem Ponti-

Pontifici assignet, pecuniam ex Indulgentiis corrosam distrahenti. 1519.

2 Summa posteà rei transactæ hæc fuit. A Miltitio quinque rerum capita scripto accepit Lutherus, vt ipse affirmat, harum turbarum fontes: Populum fuisse seductum ad prauas de Indulgentiis opiniones: Eius seductionis auctorem fuisse Martinum: Eidem datam ad id occasionem à Tetzelio: Ab Archiepiscopo Magdeburgensi (erat is Moguntinus Septemuir) ex lucri cupidine Tetzelium impulsum fuisse: Tetzelium fines iniuncti sibi muneris transgressum. Sperauit hac ratione Miltitius fore vt Lutherus faciliùs deglutiret amaritiem culpæ in se coniectæ, dum eâ vituperationis dulcedine suis æmulis inustæ aspergebatur.

Primo tomo Lutheri pag. 221. secundùm impressionem citatam.

3 Lutherus viciſſim scripto respondit: Culpam esse Pontificis, quippe qui non debuerat vel Moguntinum soluere Ecclesiæ legibus, ad tot Episcopatus gerendos; vel, ob pretiorum pro palliis exactionem, illum inducere ad pecuniam sibi conquirendam per abusus Quæstorum, quibus ipse Indulgentiarum promulgationem imposuerat: simplex verò Pontificis ingenium ab auaritia Florentinorum illi ministrantium circumduci. Tam impudentis sententiæ responsum scripto suscepit is qui personam Pontificis agebat à priuato fraterculo; quod sanè responsum reddere per tam apertum contemptum nemo summorum Principum ausus fuisset. Denuò tamen palàm fit, ad hanc effrænatam obloquendi licentiam nihil omnino impulsum fuisse Lutherum, ex dictitata erogatione illius pecuniæ à Pontifice sorori facta, neque ab iis, quæ in hac re Suauis congerit ad Leonem prægrauandum.

4 Ceterà, cuique compertum est, an possit Germaniæ Principibus denegari, ne pluribus Ecclesiis admoueantur: quod quamuis posteà interdictum fuerit à Concilio, haud tamen in ea regione seruari potuit. Tunc primùm quidem per legis Ecclesiasticæ solutionem duo ibi Archiepiscopatus Alberto concessi: * Datum hoc fuerat non solùm generis amplitudini, sed viri etiam præstantiæ, ab ipsis hæreticis, vt meminimus, supra ceteros qui tunc in Germania florebant, celebratæ, & à Trithemio Germano, eorum temporum probato Scriptore, per plura admirabilis pietatis gesta commendatæ. Hinc porrò pro se quisque expendat, quam extorquendæ pecuniæ occasionem præbuerit Pontifex Moguntino, dum exigeret ob indulta, vti diximus, beneficia eos legitimos prouentus, quibus alimenta supremo Patriarchæ suppeditantur, quatenus citra dominatum profanum consideratur: quos certè prouentus quicumque Princeps atque Magistratus exigunt extra omnem vitu-

* Vide Ciacconum in Vita Leonis X. vbi agit de Alberto ad Purpuram promoto ab eodem Leone, & Ughellum in Appendice ad Ciacconum.

1519. perationem, ex prærogatiuis immunitatibusque collatis pro consuetis singularum Regionum statutis.

13. Martii 1519. in primo tomo Lutheri.

Expressit tamen à Luthero Miltitius, vt cum aliqua obsequij specie literas ad Pontificem daret. Studuit in his anteacta à se tamquam necessaria excusare: de integro silentium est pollicitus circa Indulgentias, dummodò aduersarij æquè silerent. Scripti prætereà vulgationem obtulit, quo populos hortaretur ad purum Ecclesiæ Romanæ cultum, damnaretque suam nimiam acerbitatem, & iacta vehementiùs contra suos æmulos maledicta; contra quos tamen, dum hanc ipsam pœnitentiam expromit, vtitur nouis atque asperrimis maledictorum aculeis. Hæc etiam verba subdit: *Nunc etiam, Beatissime Pater, coram Deo, & omni creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle Ecclesiæ Romanæ, ac Beatitudinis tuæ potestatem vllo modo tangere, aut quacumque versutiâ demoliri; quin plenissimè confiteor, huius Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quidquam siue in cælo, siue in terra, præter vnum Iesum Christum Dominum omnium.* 5

Hæc ille. Sed quod spectat ad oblatum silentium, quî poterat Lutherus tacere, quando per tot ora loquebatur, quot aperiebat scriptionibus innumeris, ab eo Latinâ linguâ ac Germanicâ disseminatis? Quî autem poterant eius aduersarij tacere, quando ipsius errores præcipua Fidei dogmata corruperant? Fieri hoc nequiisset, nisi simul Theologiæ, adeoque Religionis euulsis linguis. 6

Alia igitur excogitata sunt: conatusque Miltitius est Lutherum adducere, vt suam causam in aliquo iudice reponeret; à qua re numquam se alienum professus fuerat. Conuenerunt de Archiepiscopo Septemuiro Treuirensi, & de Confluentia, loco congressus. Sed cùm res arctiùs vrgeretur, Lutherus variis adductis Miltitio excusationibus per prolixam epistolam resiliit; quarum multæ agnoscebantur arte quæsitæ, vel inani specie obtentæ: Se vitæ suæ insidias formidare; æris inopiam ad iter conficiendum prætendere; in eadem vrbe commorari Legatum quicum agere recusabat, quòd eum Christianum haud putaret. Aliæ honestiorem speciem præferebant: Nondum Româ peruenisse consensum, suæque delegationem causæ Treuirensi Septemuiro. Et re verâ delegationis huiusmodi tenuis dabatur spes, posteaquàm causa à Legato de Latere fuerat abdicata; & Pontifex eò processerat, vt illam delegare haud ampliùs posset, nisi alicui supremo, sibique fidissimo è suis ministris. Altera excusatio opportunè contigit Luthero; nempe Disputatio, ad quam ipse ab Eckio Lipsiam vocabatur. 7

Hic

8 Hic sæpiùs cum Luthero Augustæ verba miscuerat, & partim 1519.
studio Religionis, partim æmulatione præferuidus, nihil cupiebat ardentiùs, quàm sui specimen præbere in solemni disputatione cum æmulo. Præstabat Eckius indole, huiusmodi palestræ mirificè accommodatâ, promptus ingenio, memoriâ, facundiâ; vox ac gestus animi vim ardoremque spirabant; atque hæc omnia sedulâ exercitatione pro virili exacuerat. Quare huic inhiabat certamini eo animi æstu, quo milites pugnæ auidi prælij signum efflagitant. Videbatur illi Orthodoxæ Fidei ignominia non ferenda, Martinum tam frequenti petulantiâ quemcumque sibi aduersantium prouocasse, vti secum in litterario puluere doctrinæ periculum faceret, singulisque indictum certamen subterfugientibus, formidatum quasi Goliam, vniuerso Dei populo insultasse. Itaque auctoritate priuatâ Eckius ad huiusmodi certamen Lutherum prouocauit; quod alter per varias excusationes declinare studuit, vt qui aduersarij robur, suasque opiniones parum acceptas satis intelligebat. Hinc tergiuersari, ne discrimen subiret, quo ad eam palinodiam ageretur, præ cuius horrore ne ipsa quidem tartara exhorrescebat. Sed ab vrgente Eckio stimulatus, cum eo tandem conuenit, vti Lipsiæ congrederentur, & vnde haud longè aberant amborum domicilia, & vbi Dux Georgius à Saxonia Frederici patruelis imperitabat.

9 Huic congressui obstitit Episcopus Marseburgensis, in cuius Diœcesi Lipsia sita est. Nec certè sine causa: etenim, vt in locis vbi permissu Principum hæresis grassatur, hæ concertationes incredulis lucem affundunt; ita vbi Catholica Religio sola dominatur, sinceros fidelium animos importunis nebulis inuoluunt, atque in controuersiam reuocant id quod pacificè possidebatur. Nihilominùs impetrarunt hi à Duce Georgio fidem publicam, & campum certamini destinatum. Initum illud fuit in Aula prægrandi, adstante Principe, Senatu, & Academiâ. Delecti sunt Iudices ad dirimendas, si quæ acciderent de forma disceptandi lites: impressæ vtrimque controuersiarum theses, & euulgatæ per varia Germaniæ loca, finitimis ad spectaculum inuitatis. Conuenit prætereà inter eos, vti publici scribæ vtrimque dicta aut gesta subinde perscriberent. Verùm difficile planè fuit de arbitro concordare, qui sententiam circa discussas quæstiones postmodum ferret. Lutherus quemcumque pro Iudice postulabat, ne quemquam haberet. Aiebat, ad vniuersos mortales pertinere iudicium, hoc est ad tribunal cuius colligendis calculis nulla vrna satis capax. Vrgebat

Eckius,

1519. Eckius, vt aliquis peculiaris arbiter legeretur; nec vllam Academiam, citra Wittembergensem, aliasque perpaucas, recusabat. Post varias altercationes, nominauit Lutherus Erfordiensem, & Parisiensem: in altera tamquam in altrice sua confidebat; in altera propter quasdam offensiones ab ea nuper Romæ susceptas. * in vtramque Eckius consensit.

* Vide de hac disputatione specia tim Cochleum de actis Lutheri anno 1519. & Bzouium eodem anno, num. 22. vsque ad 30. atque eius acta leguntur impressa ab hæreticis vnà cum variis literis & apologiis.

CAPVT XV.

Summatim narratur disputatio Lipsiæ habita inter Eckium & Carolostadium, priusquam Lutherus congrederetur.

Ipsiam cum magno comitatu Lutherus se contulit, ac præsertim cum Andrea Bondenstein, qui à patria sua Carolostadia, Franconiç oppido, Carolostadij sibi nomen fecit; Archidiaconus, vt suprà indicatum est, Wittembergæ, & à quo Lauream Doctoris in Theologia Martinus acceperat; hic, quippe doctrinis Lutheri addictissimus, voluit earum propugnationem in se recipere. 1

Cœpta igitur inter illum & Eckium disputatio die 29. Iunij: ac prius quidem vterque contestatus est, se haud in animo habere, per ea quæcumque dicturi essent, Ecclesiæ Catholicæ sensis repugnare. Fama huius literarij conflictus, quà per ora, quà per scripta hominum expectatione admodum celebrata, mihi persuadet, vt illius præcipua delibanda lectoribus exponam; quantum tamen in me erit, cùm prolixitate, tum austeritate vitatâ. 2

Primum quod Eckius impugnandum suscepit ex aduersarij thesibus, fuit: Nostrum liberum arbitrium in actibus bonis nihil operari; sed eos in se recipere tamquam potentiam merè patientem. Sex ipsos dies super hoc articulo habita quæstio: ac primum Eckius protulit locum Ecclesiastici, quo dicitur *Deus fecisse hominem, & eum reliquisse in manu consilij sui*; & subdit: *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposui tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ verba quiduis aliud profectò sonant, quàm acceptionem quamdam, omnis libertatis omnisque efficientiæ vacuam. 3

Fore sperauit Carolostadius, vt hoc telum declinaret, respondendo, Ecclesiasticum loqui de homine in innocentia creato, non verò de eodem, qualis in præsentia est post originarium peccatum. Verumtamen repulsa ab Eckio responsio: Tametsi verum sit, Diuinum 4

uinum Scriptorem ibi exordiri ab Adami creatione; tamen certum 1519.
eſſe, per conſequentia verba modò recitata loqui cum hominibus qui nunc ſunt, & quales nunc ſunt; non autem cum Adamo, qui ampliùs inter mortales non verſatur; neque cum eius progenie, in eo innocentiæ ſtatu conſiderata, in quo fuiſſet ſi Adamus non cecidiſſet.

5 Præterquam quod, addebat ille, ſancti Patres conferunt hominis arbitrium ante lapſum cum eodem poſt lapſum, tamquam ſanum cum infirmo; atque ita S. Ambroſius locutus de arbitrio prout nunc eſt, appellat *vulneratum*, & S. Auguſtinus appellat *claudicans*. At vulneratus viuit, claudicans ambulat; quamuis vterque indigeat peculiari auxilio.

6 Proceſſit Eckius ad idem confirmandum eâ Euangelij parabolâ, vbi ſeruus fidelis dixit Domino, acceptis à ſe talentis fuiſſe totidem lucratum, & ob eam rem à Domino & laude & præmio affectum. Ergo, arguebat ille, ad ſummam gratiæ à Deo acceptæ, acceſſionem aliquam adiicere poſſumus operosâ induſtriâ noſtræ negotiationis.

7 Caroloſtadius, vbi ſe in anguſtias coniectum vidit, reſpondit, ſuam theſim ab Eckio haud fideliter redargui: Non negari ab ea noſtro libero arbitrio omnem efficientiam ad actus honeſtos; negari ſolùm quamdam naturalem efficientiam, eamque diſtinctam à gratiæ operatione. Verùm Eckius oſtendit illicò, cùm ipſe tredecim theſes propoſuiſſet, oppugnatas à Caroloſtadio per ſeptemdecim ab eodem confectas; in earum decimaquarta illum hiſce verbis locutum: *Dominus Ioannes haud perſpiciens, quo pacto opus bonum ex Deo totum ſit, & opus Dei, adhuc legit, & recipit Scripturam per Moyſis velamen.* Quibus verbis refellebat ſeptimam Eckij theſim ita aſſerentem: *Errat, qui negat liberum hominis arbitrium eſſe dominum actuum hominis; quod ad ſolum malum habeat ſe actiuè, & ad bonum tantum paſſiuè.* Produxit etiam aduerſario nonnulla eiuſdem opera, in quibus dilucidè aſſerebatur, liberum arbitrium recipere tantummodò, non item efficere actum honeſtum: adiiciebat; tametſi nunc ille admitteret in eo vim ad agendum à gratia ipſi communicatam, ſatis id ſibi fore. Hîc verò Caroloſtadius miſeris modis tergiuerſari; & quandoque preſſus argumentis, Ariſtoteli maledicere, cuius doctrina Theologiam corrupiſſet. In vno ſemel rectè Eckium confutauit: nam cùm is pro ſe adduxiſſet Epiſtolam ad virginem Demetriadem, S. Hieronymi inſcriptam nomine, monuit ille, (quod paulò antè didicerat ab Eraſmo, quem principem Theologorum nominabat) eam verè non eſſe S. Hie-

1519. ronymi Epiſtolam, ſed alicuius auctoris Pelagiani.

Protulit viciſſim Caroloſtadius rationes ſuas aduerſus Eckium: ſed hæ nonniſi in aliquibus Scripturę & Patrum aſſertis nitebantur, quibus affirmatur, Non eſſe me qui honeſtè operor, ſed gratiam Dei mecum: Abſque diuino adiutorio nos nihil poſſe: Totum opus honeſtum, Dei eſſe. Prima retorſit Eckius, argumentatus: Si gratia mecum operatur, ergo non ipſa ſola operatur: Si ego à Deo adiuuor, ergo ſimul operor pro mea parte; quicumque enim adiuuatur, oportet aliquid de ſuo conferat. Poſtremis reſpondit: Quamquam totum opus Dei ſit, non tamen, vti dicunt, *totaliter* à Deo eſſe; quemadmodum totum pomum efficitur à Sole, ſed non à Sole *totaliter*, & ſine plantæ efficientia. 8

Mirabile ſanè eſt, diſcrimen illud, quod intereſt *efficere totum*, & *efficere totaliter*, cuicumque ſtatim obuium, qui primum aſcendit Philoſophiæ gradum, & adeò intellectu facile, viſum fuiſſe Caroloſtadio, eiuſque aſſeclis, portentum quoddam ſophiſticum: ita vt per deriſum Eckium fuerit percontatus, vbinam Patres eam diſtinctionem vſurpauerint. Ad ea reſpondit Eckius, Conſimili modo Arianos egiſſe contra S. Athanaſium, poſtulantes ab eo, vt in Scriptura & antiquis Patribus reperiret diſtinctionem inter vocem ὁμούσιον, hoc eſt, *eiuſdem ſubſtantiæ*, & ὁμοιούσιον, hoc eſt *ſimilis ſubſtantiæ*; quapropter ſe iuxtà reſponſurum ac ille reſpondit: Opus non eſſe eadem reperiri nomina, modò eadem ſenſa reperiantur. 9

Iuuat paucis ſimul ea contexere, quæ inter hos duos agitata ſunt, etſi eorum diſceptatio ab altera inter Eckium ac Lutherum, vti dicemus, fuerit interrupta. Itaque diſceptatum eſt poſteà de duabus aliis theſibus. Altera fuit, * Liberum arbitrium operando quod in ſe eſt, non poſſe auferre impedimenta gratiæ. In quo de nomine ferè certatum: nam Eckius oſtendit, ſe in ſuis variis commentariis docuiſſe, nos efficere quod in nobis eſt, nequaquam idem eſſe, ac efficere ſine Dei auxilio; ſed perinde eſſe, ac aſſentiri iis inſpirationibus, quæ iuſtitiæ infuſionem anteueniunt, adeoque obſtaculum peccati amouere; non vti Deus efficit condonando, ſed per diſpoſitionem præmittendo condonationi actus honeſtos. Nec ab eo videbatur longè diſſentire Caroloſtadius, affirmans, ſe non fuiſſe reluctaturum tribuenti hanc agendi virtutem hominis arbitrio, ſi ea loquendi forma apud ſacras Literas in vſu fuiſſet. Quâ planè ratione recuſaturus erat vocabulum *Diuinarum Perſonarum* * vti iam Eckius obiecerat, quòd non legatur in Sacris Literis. 10

* Erat decimatertia Caroloſtadii contra Eckium.

* In fine diſputationis de primo articulo.

Poſtre-

11 Postremò disputatum est super Eckij thesi, quæ sic habet: 1519
• *Quamuis peccata venialia sint quotidiana, tamen negamus iustum peccare semper in quolibet opere bono, etiam benè moriendo.* Cui positioni ab Carolostadio superbæ, impiæ atque hæreticæ inusta nota, producente dictum illud Ecclesiastici: *Non est homo iustus in terra, qui faciat benè, & non peccet.* Eckius contrà opposuit fallaciam ab *vniuersalitate suppositorum*, vti Scholæ loquuntur, *ad vniuersalitatem temporum:* peccare quidem omnem iustum, sed non omni tempore; idque confirmauit multiplici testimonio, ac præsertim S. Hieronymi * dicentis: *Qui cautus est ac timidus, potest ad tempus vitare peccata.* Tandem addidit, incredibile videri, S. Laurentium peccasse super craticula, quando Ecclesia ipsi in ea posito accommodat ea Psalmi verba: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.*

* Conclusio secunda.

Cap.7.

* Lib.3.contra Pelagianos.

CAPVT XVI.

Disputatio inter Eckium & Lutherum.

1 HÆ duæ postremæ theses interruptè, vti narrauimus, exagitatæ fuere. Nam Lutherus, animaduerso minùs prospero Carolostadij certamine, a subiit ipse pugnam, confirmatâ prius pro Romana Ecclesia Eckij contestatione; professus etiam, inuitum se trahi ad eam haud necessariam atque inuidiosissimam quæstionem. Verùm illa contestatio, vel inter disceptandum à Luthero subinde iterata, facto repugnabat; cùm ipse in suis thesibus poneret: b *Romanam Ecclesiam esse omnibus aliis superiorem, probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum decretis citra quadringentos annos natis, quibus aduersantur historiæ approbatæ mille ac centum annorum, textus Scripturæ Diuinæ, & Decretum Nicani Concilij omnium sacratissimi.* Itaque Eckius hanc positionem refellere orsus est, adductis Scripturæ dictis, & veteri communique sanctorum Patrum interpretatione, quæ S. Petro eiusque Successoribus fauent. Ad hæc Lutherus respondere non dubitauit: *Si Augustinus etiam, omnesque Patres, per Petram* (à Christo nominatam cap. 16. S. Matthæi) *intellexerint Petrum, ego iis solus obsistam cum auctoritate Apostoli:* arrogatâ sibi vni intelligentiâ sermonis Apostoli supra sanctos Patres vniuersos. Opponebat alter, à quocumque hæretico pro se Scripturam produci: ita factum ab Ario, vbi Filij Diuinitatem abnegans afferebat ea Christi verba, *Pater maior me est:* hoc interfuisse inter Arium & S. Athanasium, quòd ille sensum à vero aberrantem memoratis Euangelij verbis appingebat; hic verò eadem secun-

a Disputatio inter Eckium & Lutherum est impressa in primo tomo Operum Lutheri.

b Decimatertia Lutheri thesis.

1519. dùm Spiritum ſanctum interpretabatur. Quænam autem ſit ſecundùm Spiritum ſanctum interpretatio, ex nullo teſtimonio probatiori certius fieri, quàm ex concordi veterum ſacrorumque Doctorum interpretatione.

Protulit in medium pro ſe Lutherus Concilium Africanum, allatum diſtinctione 99. in Canone *Primæ*, vbi cautum eſt, Ne primæ Sedis Epiſcopus appelletur *Summus Sacerdos*, vel *Princeps Sacerdotum*; atque adiicitur, Ne etiam Romanus Epiſcopus dicatur *Epiſcopus vniuerſalis*. In ea Concilij productione vtrimque non ſemel erratum. Quod certè documento eſſe poteſt, quantum ſubeat periculi, qui improuiſæ vocalis diſceptationis aleæ magni momenti controuerſiam committit. Prima pars memorati Canonis ineſt quidem Africano Concilio: ſed in eo, vbi nominatur Epiſcopus primæ Sedis, ſermo eſt non de Romano Pontifice, qui etiamſi, vti Lutherus contendebat, fuiſſet Occidentis tantummodò Patriarcha, haud ſanè potuiſſet legem accipere ab vnius Africanæ nationis Concilio. Sermo igitur ibi eſt de peculiaribus Primatibus Africanis. At verò ſecunda pars, vbi fit certa mentio Romani Epiſcopi, pars illius Concilij neutiquam eſt: neque vt talis ea recenſetur à Gratiano; ſed ab eodem ſubſcribitur Canoni iam allato diuerſis characteribus, veluti ſumma ab ipſo confecta duorum Canonum ſequentium; quos ille continuò regerit decerptos ex literis Pelagij II. & Gregorij Magni Pontificum Romanorum. Et nihilominùs tam Lutherus quàm Eckius in pluribus congreſſibus egerunt de illa interdictione, tamquam de re Concilio Africano contenta. 2

Verùm adhuc neceſſe habebat Eckius, vt literis modò indicatis Pelagij & S. Gregorij ſatisfaceret, quæ pariter à Luthero opponebantur, ſed ſeparatim ab eo Concilio. Ad eas porrò manifeſta erat Eckij defenſio, recuſatum ab illis Pontificibus titulum, quatenus videbatur ſignificare, ſolum Epiſcopum & Patriarcham Romanum potiri dignitate ac iuriſdictione Epiſcopali ac Patriarchali. Neque poteſt in dubium reuocari, hunc eſſe germanum illorum ſenſum; cùm ratio ſuprà allata huiuſmodi interdicti legatur diſertè poſita in iiſdem literis, vnde laudati Canones excepti ſunt. Quamuis autem Lutherus contrà opponeret, Neminem tam ſtolidæ mentis eſſe potuiſſe, cui dubitatio ſuboriretur, an ſolus Epiſcopus Romanus eſſet Epiſcopus, adeoque non potuiſſe eius tituli interdictionem eò ſpectare, vt ſuſpicionem huiuſmodi ſignificationis auerteret: cum tamen Eckius monuit legere quæ ſcripſerunt Aluarus in libro de 3

Planctu

Planctu Ecclesiæ, Cardinalis à Turrecremata in Summa de Ecclesia, Guillelmus Occamus in Dialogo, ibique compertum, huiusmodi dementiam in quibusdam capitulis exortam; nihil tamen opus esse ad coniecturas confugere, vbi memorati Pontifices hanc apertè rationem reddunt, cur huiusmodi titulum recusent, vt à nobis demonstratum est. 1519.

4 Asserebat insuper * Eckius, hoc solùm sensu sublato, posse nominatum titulum illis conuenire, ideoque eodem vsos Sixtum ac Victorem Pontifices Romanos; quin etiam eâdem S.Gregorij Epistolâ vt compertum referri, fuisse illum titulum eius decessoribus oblatum à magno Chalcedonensi Concilio, Patribusque subsecutis.

5 Tunc Lutherus retorquere probationem contra aduersarium adnisus est, perinde quasi inde conficeretur, Pontificis Romani Primatum, quippe à Concilio illi oblatum, esse solùm ex humano iure, non item diuino. Sed ea reiectio nimis languidè cessit: siquidem huiusmodi appellatio nec à Concilio nec à Patribus subsecutis oblata fuit Episcopo Romano, quasi tunc primùm supra vniuersam Ecclesiam principatum deferrent; quod fieri nequiuisset, si Christus in ea non vnius supremi, sed multorum æqualium regimen constituisset; multoque minùs talis principatus offerri potuisset à Patribus subinde secutis, quibus nulla inerat potestas totius Ecclesiæ vni Episcopo subiiciendæ. Fuit igitur ab eo Concilio Romanis Pontificibus oblatus hic titulus, immò delatus cum quadam acclamatione publica, vti narrant S. Thomas, & S.Leo IX. adducti in Notis Gratiano additis, tamquam illis debitus propter summum Imperij fastigium, quod in iisdem supra vniuersam Ecclesiam agnouit: nisi enim id fuisset agnitum, hoc illos insigniri titulo fas non erat.

* De titulo Oecumenici seu Vniuersalis, seu simili, vsitato à Pontificibus Romanis, vel erga eosdem, vide Hora tium Iustinianum, posteà Cardinalem, in Notis, collatione 22. Concilij Florentini num. 9. pag. 325.

6 Rursus æquè vtrimque peccatum, ab Eckio in proferendo testimonio, ab Luthero in recipiendo. Aiebat Eckius, Gregorium Magnum in recusando Episcopi vniuersalis titulo, neutiquam potuisse in animum inducere, Primatum, vt Lutherus arguebat, sibi non conuenire; quando in eius epistola encyclica à Gratiano relata, in quæstione sexta causæ secundæ, in Canone *Decretum*, pronuntiat, ab Ecclesia Romana ita dispertitam reliquis fuisse suam iurisdictionem, vt illæ quidem admittantur in partem sollicitudinis, non verò in plenitudinem potestatis. Sed enim reuerà hæc Epistola non est Gregorij Magni, sed Gregorij IV. quod fortasse eâ tempestate non erat adeò exploratum, nondum eâ diligentiâ recognitis collatisque locis à Gratiano citatis, quâ posteà iussu Gregorij XIII. id

 peractum.

1519. peractum est. Quare cùm ibi Gregorius Papa citaretur, credidit vterque disceptantium, illum esse, qui sic per antonomasiam vocitari solet absque additamento. Iam verò, Gregorium Magnum agnouisse in se huiusmodi principatum, & Eckius ex historiis probauit, & ex variis Operum Gregorij locis patefieri licebat. Quapropter conclusit Eckius in tituli quæstione, oportere ad tollendam de medio nominis ambiguitatem, appellari Romanum Pontificem, non quidem *Episcopum vniuersalem*, sed *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*, hoc est, *Ecclesiæ vniuersalis.*

Ita respondit Eckius præcipuo Lutheri obiecto: alterum enim, è quodam Canone Concilij Nicæni deductum, minorem intulit difficultatem: quod cùm posteà fuerit accuratiùs discussum à recentioribus, & inter ceteros à Ioanne Matthæo Caryophyllo aduersus Nilum Thessalonicensem, atque à Iacobo Sirmondo, nihil attinet de eo differere. 7

Verùm implicatiori nexu Eckius Lutherum inuoluit ex auctoritate Concilij Oecumenici recenter in ipsa Germania celebrati, videlicet Concilij Constantiensis. Damnantur ibi hæ quatuor positiones Ioannis Hussi. 8

Petrus nec est, nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.

Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse vnum Caput in spiritualibus, regens Ecclesiam, quod semper in militanti Ecclesia conuersetur.

Papalis dignitas à Cæsare inoleuit.

Papæ præfectio & institutio, à Cæsare inoleuit.

Ex harum positionum damnatione liquidò constabat, Pontificis Romani potestatem & ortam in S. Petro, & esse necessariam, nec ab hominum arbitratu pendere, nec inductam auctoritate Cæsarum fuisse, vti Lutherus asseuerabat; illecebrâ supremæ huius eminentiæ appetentiam Cæsaris, ac Principum, Cæsarumque imperio fauentium, ad suam doctrinam pellecturus.

Hisce tam vrgentibus assertis illius Concilij vniuersalis, cuius summa perdurabat in Germania veneratio, respondit quandoque Lutherus; Illius Acta ab aliquo impostore potuisse peruerti. At illius memoria in illis Prouinciis adeò vigebat, vt facile fuerit hoc illi profugium occludere. Subiunxit, effata Ioannis Hussi interdicta, non omnia indiscriminatim hæresis fuisse damnata; sed per disiunctionem, alia aliis censuris affecta, quæ reapse propositioni quamuis veræ possunt appingi. Sed hæc vicissim repulit Eckius; quoniam aliquam certè censuram merentur singulæ ex iis reliquis censuris, per disiunctionem à Concilio inustis, nimirum, vel esse *erroneas*, 9

vel

vel *ſcandaloſas*, vel *temerarias*, & alia huiuſmodi. Vnde Luthero neceſſe erat fateri, ſuam doctrinam aliquâ ex nominatis cenſuris eſſe dignam ſecundùm Concilij definitionem; ſeque in ea publicè defendenda violaſſe ſolennes Vniuerſalis Eccleſiæ leges, & tamquam reum ſubiici pœnis in contumaces ibi ſtatutis. 1519.

10 Lutherus itaque, vbi ſe coarctari ſenſit, voluit pedicas prorſus excutere; diſerteque pronuntiauit, Concilia quoque falli poſſe; neque illis conceſſum, vt noua dogmata adderent Fidei. Nitebatur dicti auſteritatem lenire, ita quaſi moderando: Errare Concilium poſſe *in rebus præſertim ad Fidem non ſpectantibus:* ſed vox illa *præſertim*, allatæque ab eodem probationes ſatis oſtendebant, eò illum tendere, vt Conciliorum Decreta omni auctoritate falli neſciâ ſpoliaret.

11 Aſſeruit poſteà peculiariter, Conſtantiæ Concilium erraſſe, dum aliquot Huſſi poſitiones condemnat apertè Catholicas: & quatuor adduxit:

Prima erat: *Vna eſt ſancta Eccleſia Catholica, quæ eſt prædeſtinatorum Vniuerſitas.*

Secunda eſt: *Vniuerſalis Eccleſia tantùm eſt vna, ſicut tantùm vnus eſt numerus prædeſtinatorum.* Has ille aſſertiones eſſe ſancti Auguſtini, & Magiſtri Sententiarum contendebat.

Tertia: *Duæ naturæ, Diuinitas & Humanitas, ſunt vnus Chriſtus.*

Quarta: *Diuiſio immediata humanorum operum eſt, quòd ſint vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, ſic agit vitioſè; & ſi virtuoſus eſt, & agit quidquam, ſic agit virtuoſè.*

12 Clamitabat proinde, in eo Concilio Pontificum adulatores præpotuiſſe: nec poſſe cenſeri vti neceſſarium ad æternam ſalutem, credere eam ſummam in Pontifice eminentiam, quam mille & quadringentos annos Orientis Eccleſia, viris ſanctiſſimis decorata, minime crediderat.

13 Sed Eckius contrà redarguit: Si Oecumenicæ Synodi erroribus eſſent obnoxiæ, & in dubium reuocari poſſet, an re ipsâ nouos illæ articulos adiecîſſent Fidei; omnes Fidei articulos, ab Eccleſiæ primordiis ad eam vſque horam ſancitos, vacillare incertos, neque firmi quidquam in Eccleſia permanere. Nullum ex Conciliis magis eſſe alienum à ſuſpicione aſſentationis erga Pontificem, quàm Conſtantienſe, à quo ij abdicati fuerant, qui ſibi Pontificatum vindicabant; damnataque Huſſi effata, quando Pontifex nullus habebatur. Orientis Eccleſiam fuiſſe eam quidem Sanctorum fecundam, vel maximè ſpectabilium; ſed ante ſchiſma, & quo tempore

pore

1519. pore tam ipsa quàm illi agnoscebant supremum Romani Pontificis principatum, vt per exempla non pauca eruditè comprobauit: sed postquam illa ab Ecclesia Romana desciuit, nominaret Lutherus, si posset, eos egregios Doctores, eos præclaros sanctimoniâ diuos, qui floruissent in Oriente.

Supererant diluendæ quatuor positiones, quas Lutherus protulerat vt iniustè proscriptas à Constantiensi Concilio. Ad primas duas perspicua fuit responsio, cùm earum proscriptio supra Hussi sensum ibidem explicatum incideret, qui erat: Ecclesiam nonnisi ex prædestinatis conflari; cùm tamen eam Christus æquiparauerit decem virginibus, quarum quinque fatuæ, & quinque prudentes. Tertiam rectè damnatam affirmauit Eckius; nam Dei coniunctio cum homine non est facta in natura, sed in Persona Verbi, ac propterea Symbolum S. Athanasij aliter loqui, dicens: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Et responsio satis quidem obiecto soluendo erat; non tamen ex mente Concilij, quod narratam assertionem improbauit secundùm absurdissimam intelligentiam auctoris sui Wiclefi, cui Hussus adhæserat. Ea erat, Humanitatem per se solam, vti etiam Diuinitatem per se solam esse Christum. Quod pariter de anima à carne separata pronuntiabat; adeoque docebat, quando dicitur Christus fuisse in sepulchro, id non intelligi solùm per figuram synecdochen, nomen totius parti tribuentem; sed illud quod sepulchro continebatur, propriè & citra figuram fuisse integrum Christum. Enimuerò meretur hæc opinio non minùs insaniæ quàm hæresis nomen, & figmentum calumniæ videri posset, nisi Wiclefi verba extarent exposita in Thoma Waldensi Carmelita, qui eâdem quâ illi hæretici vixit ætate, eorumque opinamenta egregiè confutauit. Sed hoc Hussi erratum vel Eckium latuit, vel in tempore non occurrit. 14

Minus etiam aptè tutatus est Eckius quartæ positionis censuram. 15
Etenim cùm aliàs ipse docuisset, præter actiones honestas, ac præter prauas, esse quasdam indifferentes, libenter admisit, opinionem suam tamquam certam fuisse à Concilio confirmatam. Quod neque factum fuit, neque esse poterat, per notam contrariæ sententiæ, admodum ab Scholasticis receptæ, appositam. Sed apertissima solutio ab ipsa damnata positione petenda erat, asserente: *Quidquid agit iustus, esse opus virtuosum*; &, *Quidquid agit malus, esse actum vitiosum.* Vtraque autem pars manifestis Scripturæ effectis contradicit.

Interim Lutherus atrociter debacchabatur, petitus Eckij acu- 16
leis

leis; numquam cessantis in tam celebri corona illum ostentare, 1519.
vti studiosum Bohemicorum hæreticorum, eoque demersum tabo, cuius vel nomen per Germaniam grauissimè olebat. Ita quando Eckius vt Bohemorum sectatorem Lutherum insectabatur, is obiectatione mendacij Eckium interpellabat; nec Latinâ contentus linguâ, Teutonicâ identidem vtebatur, seu quò meliùs ab adstantibus perciperetur, seu quòd ira ad natiuum sermonem excitare solet. Hinc incredibili anxietate conari accusationis ictum frangere, asserendo modò, se in Bohemis damnare solum schisma, vti Charitati virtutum reginæ contrarium; modò, satius esse, illos ratione conuincere, quàm contumeliis exasperare. At cùm vrgebatur ad expromendum quidnam de opinione sentiret, haud licebat inficiari, suam ex earum esse numero, quas in Ioanne Husso, & in Wiclefo Ecclesia improbarat. Atque ita fieri non poterat, vt sibi maculam abstergeret, si minùs hæretici, saltem temerarij, simulque contumacis; quippe qui tueretur id quid Oecumenica Synodus damnauerat atque interdixerat. Qua in re iuxtà violabat leges initio disputationis à Duce Georgio præscriptas, ne in dubitationem reuocarentur quæ à Conciliis Oecumenicis fuissent definita.

17 Protinus circa alia capita quæstiones initæ: *An animæ in Purgatorio mereantur, ac pro se ipsis satisfaciant*, vt volebat Lutherus: *An Indulgentiæ sint alicuius emolumenti: An Pænitentia possit à timore initium ducere:* vtrumque enim ex his postremis ille pernegabat.

18 Sed ea contentio, quæ septemdecim dies absumpsit, multis horis in dies singulos impensis, atque impressa plurimas paginas oppleuit, in paucas redigi non potest, nisi pictores imitando, qui in repræsentando duorum exercituum conflictu, nobiliora quædam distinctiùs, & quasi propiùs exprimunt; cetera, procul & confusiùs adumbrant.

Ad exitum certaminis, vti solet, nulla prodiit decisio. Posteà Parisiensis Academia, altera ex iis quarum iudicio litem commiserant disputatores, vt narrauimus, Lutherum damnauit: sed frustrà, cùm Iudici parum sit iurisdictio, nisi vis adsit ad compellendum. Ab altero iudice, qui erat Erfordiensis Academia, vllàne prolata fuerit sententia, incertum est. Dux Georgius, & Lipsiæ Gymnasium in antiqua Fide perstitere, facto comprobantes, vtra partium, ex ipsorum sententia, validioribus fundamentis inniteretur.

1519.

CAPVT XVII.

Libelli de Lipsiensi disputatione vulgati, & nonnulla circa eos expensa.

LVtherus, eiusque fautores, varios huiusce conflictus commentarios edidere; qui triumphi quidem epinicia præseferunt, sed si attentiùs legantur, infelicis pugnæ apologiæ agnoscuntur. Conqueritur Melanchthon in quadam ad incertum epistola, & in altera ad Ioannem Oecolampadium hæreticum (de quo mox sermo habendus est) Eckium, relictâ potissimâ Lutheri thesi, affirmante, Liberum arbitrium sine gratia nihil nisi ad peccandum valere, declinasse ad eam quæstionem, An arbitrium sit causa efficiens, an solùm patiens actus honesti. Additque, oportuisse de primaria thesi disceptare, quando Scholastici, quorum vniuersè doctrinam Eckius propugnabat, communiter admittunt, posse liberum arbitrium per suas vires meritum congruum obtinere; in quo Scholasticos communiter consensisse affirmat pariter Lutherus in sua huius disputationis narratione ad Spalatinum, excepto Gregorio Ariminensi, quem solum ait cum S. Augustino & cum S. Paulo sentire. Verùm stupore perfunditur mihi animus, tam intrepida Melanchthonis ac Lutheri effata lustranti. Enimuerò, num hæc sit communis doctrina Scholasticorum, vt isti pronunciant, an tantùm quorumdam peculiaris, est in comperto cuicumque eorum scriptis assueto. Nec difficulter equidem hîc palàm id ostenderem, si per argumentum susceptum liceret in re adeò explorata diutiùs morari. Nec sanè redarguebat Eckius, quidquid Lutherus ab aliquo Scholasticorum dissentiret, cùm liceat in pluribus quæstionibus eas sibi inuicem aduersari: redarguebat id quod sentiebat opponi Ecclesiæ sensis, & vnanimo Scholasticorum consensui; vti hoc ipsum solum posteà & à Leone & à Tridentino Concilio damnatum est. 1

Derident Melanchthon & Carolostadius Eckij responsum, quo aiebat honestam operationem esse totam à Deo, sed non *totaliter*; & autumant hîc se didicisse, quid sit sophistam agere, operam perdere, nouasque pro libidine distinctiones comminisci. Impudens profectò mendacium, vel enormis inscitia! Cuius vnquam aures, sicuti Eckius in quadam breui defensione sua loquitur, adeò hebetes aduenæ in schola, vt millies non audierint hanc fundatissimam distinctionem; cùm dicimus *totam* generis naturam, exempli gratiâ, animalis esse in quacumque specie, sed non *totaliter*; cùm insit 2

etiam

etiam in ceteris speciebus: à Beatis videri Deum *totum*, sed non *totaliter*; quia ab iisdem non comprehenditur pro immensitate diuinæ essentiæ: animam esse *totam* in pede, sed non *totaliter*; quòd reliqua corporis membra pariter informet. 1519.

3 Ludos etiam facit insulsè mordax Lutherus, se tot sumptus disputationi Lipsiensi impendisse, vt addisceret, Pontificem Romanum non esse quidem *Episcopum Vniuersalem*, esse verò *Ecclesiæ Vniuersalis Episcopum*. Et tamen satis est literas nosse, vt quis perspiciat eam distinctionem esse omnino ex mente illorum Pontificum, qui titulum *Episcoporum Vniuersalium* recusarunt; cùm adduxerint pro ratione, posse inde videri, ceteros non esse Episcopos. Idcircò nolebant sibi eam appellationem, quæ præseferret, Romanum Pontificem, vti est Romæ, itidem esse cuiusuis alterius Ecclesiæ Episcopum: haud contrà negarunt, eum fuisse Ecclesiæ Vniuersalis Episcopum; videlicet quatenus ea non consideratur in varias Diœceses partita, sed accipitur vt vna, vnumque caput adspectabile postulat à quo regatur. Nec huius in communi sermone discriminis exempla desunt: Metaphysica haud nuncupatur Scientia vniuersalis, sed scientia quædam peculiaris rerum *in vniuersali*: è diuerso, Diuina cognitio est scientia vniuersalis rerum omnium *in peculiari*.

4 Hîc per ludibrium argutatur Lutherus, ex æquo negari posse, eodem temporis momento de vno eodemque homine, esse Moguntinum Episcopum, simulque concedi, eumdem esse Episcopum Moguntiæ. Sed quid ille, si in huiusmodi etiam formulis nominandi, titulisque deferendis eluceret sibi constans ea distinctio, quam ipse tamquam ridiculam per exempla traducit? In promptu res est. Duo Patriarchæ Constantinopolitani eliguntur, alter Græcus, alter Latinus. Poterit ergo Latinus dici vere esse vnus ex Patriarchis Græciæ; non item dici poterit idem esse Græcus Patriarcha. Quin harum rerum exempla affatim suppetunt. Carolus Magnus fuit Germanorum Princeps; & nihilominùs non est certum fuisse Principem Germanum. Rex quoque Hispaniæ numeratur esse quidem inter Dynastas Italiæ; sed non adeò propriè inter Italicos Dynastas. Ad summum, despectus Aristotelis facultatisque Scholasticæ effecit, vt homines ingeniosi atque eruditi, quales erant Lutherus & Melanchthon, in confutationibus subtile cum sophistico malè confuderint; ideoque tam verbo quàm scripto rationes adhibuerint, populo magis quàm sapientibus accommodatas. Hinc est quòd eorum secta haud in magno sit pretio, &

1519. inter illius aſſeclas ægrè recenſeri poſſint præſtanti admodum intelligentiâ ſcriptores.

De Eckio aliter Lutherus, aliter Melanchthon pronuntiant, Ille 5
ſemper probris inſectatur, quaſi hominem, cuius lingua diues quædam eſſet ineptiarum fodina: hic fatetur, in altercatione Lipſiæ ipſorum pleriſque fuiſſe admirationi Eckium, propter varias & inſignes ingenij dotes.

Verumtamen infructuoſus euentus illius diſceptationis palàm 6
comprobat non æquitatem modò, ſed etiam prudentiam Legati in repellendis Lutheri poſtulationibus iteratis, huiuſmodi doctrinæ ſuæ experimentum vrgentibus; cùm ex dimicatione Lipſienſi compertum fuerit, nihil aliud in Luthero per eam confectum, niſi quò tenaciùs inhæreret contumaciæ, veritus ne per mutatam ſententiam videretur non obtemperaſſe Pontifici, ſed ſuccubuiſſe aduerſariis, atque vti conquereretur de Lipſiæ Vniuerſitate, ipſoque Duce Georgio indignis modis, tamquam de iniquis arbitris in præſcribendis ratione legibuſque certaminis. Porrò in ceteris effecit, vt acta huiuſmodi conflictus euulgata, pro eo ac variant hominum ingenia, aliquos in dubitationem adducerent circa eos articulos, quos anteà pro compertis recipiebant, dum quædam ex argumentationibus vel ſolutionibus Eckij minùs inexpugnabiles videbantur; cùm ſibi perſuaſiſſent, in eius lingua coactum in compendium, quidquid eſſet in Eccleſia rationum. Hiſce tamen detrimentis aliquid commodi fuit intermiſtum: patuit namque, quàm audacter Lutherus in Sedem Romanam perduellem ſe geſſerit, & commune Scholaſticorum iudicium irriſerit. Cùm enim haberetur diſputatio, non quidem rationibus, quas cauillationes appellabat, ſed merâ auctoritate ſacræ Paginæ, ac Patrum, in qua ſe triumphare gloriabatur; ab ea tamen in extremas redactum anguſtias haud ſemel manifeſtò ſe ſenſerat.

CAPVT XVIII.

Noua Miltitij ſtudia, quibus Lutherum reuocaret; eorumque exitus.

NOndum tot preſſus difficultatibus animum deſponderat 1
Miltitius, quin alias iniret vias ad recuperandum Lutherum, per duos ferè annos in ea procuratione conſumptos, nec itinerum labore defatigatus, nec repulſarum pudore deterritus. Dignus profectò non mediocri laude, niſi eam obſcuraſſet,

non

non solùm abiectione sui, parum illi decorâ qui personam Pontificis gerebat; sed factis ac dictis, Aulæ causæque sui Principis officientibus. Etenim oblitus, quas partes ageret, nec ab intemperantia conuiuiorum abstinuit, nec ab vsu immoderato vini, quo tortore varia de Romana Aula deprompsit, simulque (vti assolet) motis gerendi gratiâ amplificauit; quæ ibi, tamquam Romæ ipsius confessiones, libenter excepta sunt ex ore Nuntij Pontificij ad confirmandam Lutheranam obtrectationem; exprobrata postea, vti inficiationi haud obnoxia, in Wormatiensi Conuentu. 1519.

Continetur in secreta instructione Aquensi Episcopo tradita Septembri an. 1536. à Paulo III. Nuntio misso in Germaniam, vt Concilium Mantuæ habendum indiceret.

Iam verò post Lipsiense discrimen, Milritius nouæ industriæ nihil patens, ad operam Eremitanorum Patrum Congregationis Teutonicæ confugit, qui tunc ad Generalia Comitia conuenerant; sperauitque Lutherum, vti suorum gratiâ pugnam susceperat, suorum itidem gratiâ quieturum. Nec grauatè Lutherus tulit, huiusmodi sibi deprecatores adhiberi, suæ arrogans potentiæ, quòd ea planè agnosceretur dimoueri non posse imperantium viribus, sed solùm flecti precibus amicorum. Quare nouas literas ad Leonem 6. Aprilis 1520. dedit, sed veneno turgentes aduersus Romam, eosque quos Pontificis adulatores appellat. In his verò non æqualem modò se gerit, sed superiorem, oblatis, quasi per commiserationem, pacis conditionibus. Atque sicuti nihil æquè ac Eckium abominabatur; ita molestissimum quod possit in eum conatur, in inuidiam modis omnibus Eckium vocans apud Pontificem, cuius ille causam defensabat, & cuius gratiam vnicè cupiebat. Itaque contumeliosis vsque scommatis illum carpens, impensè studet in eum regerere, quidquid passa fuerit detrimenti Romanæ Ecclesiæ auctoritas: quapropter eidem obiicit, non solùm per importunum eius accitum ad Lipsiensem pugnam, abstractum se fuisse à concordia, quæ iam fuisset inita coram Septemuiro Treuirensi; sed argumento capto ex voce, quæ sibi casu exciderat de Pontificis potestate, ad disputandum ex professo fuisse protractum; eleuatâ illius potestatis existimatione in Lipsiensi certamine, ex iis quæ fuerant exagitata tum in ipsa concertatione, tum per eiusdem occasionem.

6 Aprilis 1520.

2 Verùm, quod ad primum spectat: quâ fronte id ille scribebat Leoni, cuius Nuntio paulò antè scripserat, non hanc vnicam, sed sex septémve præterea causas, quæ ipsum, ne Confluentiam adiret ad Septemuirum Treuirensem, retinuerat? Quod verò ad alterum: perlustretur an verbulum vnum fortuitò iactum fuerit. Hæc est Lutheri thesis ab Eckio oppugnata: *Romanam Ecclesiam esse omnibus*

1519. *nibus aliis superiorem, probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum Decretis, intra quadringentos annos natis; contra quæ sunt Historiæ approbatæ centum & mille annorum, textus Scripturæ diuinæ, & Decretum Nicæni Concilij omnium sacratissimi.*

Equidem cùm oculis vsurpo tam aperta Lutheri mendacia, sordidasque contumelias, quibus onerat suos omnes æmulos, quamuis dignitate, probitate, doctrinâ præclaros, stupore planè defigor; quînam fieri potuisse reputans, vt is non modò sibi nactus fuerit sententiarum sectatores, sed virtutis etiam laudatores.

At nihilominùs in iis literis, tantam exhalantibus infamiam in 3
Romam, tantam despicientiam in Romanum Pontificem, cui simul audent librum impudentissimum scribere, *De libertate Christiana*, clariùs atque apertiùs falsum deprehenditur id quod Suauis persuadere laborat, causas hæresis Lutheranæ à non satis pia Leonis vita ortum duxisse: sic enim de Leone Lutherus hîc loquitur: *Scilicet celebratior & augustior est in omni terrarum orbe tot tantorumque virorum literis cantata opinio, & vitæ tuæ inculpata fama, quàm vt à quouis vel maximi nominis possit quauis arte impeti. Non sum tam stultus, vt eum incessam, quem nullus non laudat.* Eum verò nominat modò *agnum in medio luporum*, modò *Danielem in medio leonum.* Dein importunam Caietani Cardinalis tyrannidem Lutherus accusat; quippe qui nullis habitis ad id mandatis, se ad palinodiam adigere voluisset, eâ violentiâ trahens etiam Pontificatus ruinam. Quasi perspecta Luthero non fuissent, & ab eo edita in suis voluminibus, præscripta Cardinali mandata illius puniendi, nisi per clara pœnitentiæ indicia resipuisset. Narrat deinceps, quid secum egerit Carolus Miltitius, commendatque hominis sedulitatem ac postremam industriam in poscenda tandem à suis Eremitanis ope ad ipsum flectendum, quando spes reliqua non erat ad opprimendum. Ceterùm ait, Pontificis prouolutum pedibus sese abiicere, sed geminâ conditione: alterâ, ne secum ampliùs agatur de sententiis mutandis; alterâ, ne lex ipsi statuatur in diuino verbo interpretando. Quod perinde sonat, ac esse immunem in dogmatis Fidei Pontificia iurisdictione.

CAPVT

CAPVT XIX. 1519.

Initia hæresis Zuinglianæ.

1 LVtheri exemplum in Germania effecit, quod in seditionibus fieri solet, vt alia ex alia concitetur, cùm homines factiosi haud vmquam desint, qui per speciem reuocandi populos in libertatem, sibi ambiunt principatum tum potentiæ, tum doctrinæ; animosque ad illum affectandum excitant in iis, qui in aliis euentum prosperum animaduertunt.

Hanc propensionem animi fouebat Vlricus Zuinglius, obscuro natus genere in Heluetia, sed ingenio aptissimo ad omnes disciplinas addiscendas, adiutus etiam idoneâ corporis habitudine ad exercendas maximè actuosas, & ostentandas maximè contemplatrices. Variis se linguis instruxerat, ac eruditione multiplici; atque vt pollebat gratiâ atque facundiâ, validissimis in populari dominatu illecebris, amorem atque commendationem apud suos ciues sibi comparauerat. Ferunt illum iam inde à puero in familiaribus sermonibus nihil ardentius, nihil crebrius anhelasse, erumpentibus ab intimo votis, quàm aliquam sibi viam aperire ad nominis immortalitatem. Militiæ Ecclesiasticæ nomen dedit, cui fatale quasi quiddam est, atrociora vulnera à suis accipere. Hic post administratam animarum curam in aliis obscurioribus locis, Parochi munus obtinuit Tiguri, quod oppidum inter primaria, vni ex Heluetiæ Tribubus nomen fecit. Cùm itaque nouitatis Lutheranæ rumor hîc personaret, à Zuinglio repercussa est Echo, eam laudibus extollente. Lutheri tamen defectionem ita laudabat, vt æmulum se, non discipulum profiteretur. Quare perditè exæstuans ambitione attollendi, non subsequendi vexilli, gloriatur se, cùm primùm in Ecclesiam inuectus est, ne vllum quidem rumorem de Luthero inaudiuisse; cuius facinoris primordia eius asseclæ tribuunt anno 1516. At si non hæresim a Luthero, audaciam certè didicit; eius namque vox sonum edidit nullum, aut certè surdum, nisi præcinente Luthero. Quinetiam post infaustos hæresis Lutheranæ natales, narrant ann. 1518. die festo S. Michaëlis in Eremi templo, vbi ille curabat antequam ad Tigurim gradum faceret, suam prædicationem exorsum cum ea ambiguitate, quæ formidinis idioma est. Patentiùs eam profitebantur ipsius discipuli, minùs quippe per ætatem cauti, magisque arrogantes. Deridebat ille Indulgentias, vota, dona templis largita, quin & ipsa templa; quippe cum

1519. cùm Deus vbique esset, nec peculiarem sibi sedem vsquam figeret. Venerationem erga Sanctos improbabat, perinde ac honoratio illa detraheretur Deo, quia illis impertiebatur. Asserebat ad ea vsque tempora Euangelium nondum fuisse denunciatum, cunctis sub infidelitatis tenebris vitam ducentibus. Aiebat tamen, etiam sub infidelitate posse vnumquemque salutem adipisci: & cùm Lutherus solam fidem exigeret ad consequendam salutem, Zuinglius contrà minimè necessariam existimabat; adeoque non minus cælestis gloriæ compotes credebat Ouidium ac Martialem, quàm eos quos vti cælites veneramur; tametsi hoc ipsum posteà nisus est [a] temperare, falsâ potiùs quàm hæreticâ doctrinâ asserens, potuisse eos homines ob Christi merita obtinere cognitionem aliquam Dei, prout est auctor naturæ, quæ laxiori quâdam significatione nomen Fidei mereretur, & cui vis inesset eos promouendi ad honestos actus, ipsorumque saluti sufficientes. Quod redigi posset ad quorumdam [b] Scholasticorum opinamenta, nisi deprauasset impiæ falsitatis adiectu. Postremò, discrimen quodcumque inter Romanum Pontificem & Episcopos, inter Episcopum & Sacerdotem, inter Sacerdotem ac laicum, repudiabat.

a In libro inscripto, *Declaratio peccati originalis.*

b Vide inter recentiores Io. Martinum de Ripalda de Ente supernaturali, & contra Michaëlem Baium.

Tigurim posteà profectus, vt modò scripsimus, illud hæresis suæ domicilium elegit, quemadmodum elegerat centum ante annos Arnaldus Brixiensis; cœpitque eam in vulgus edere initio anni 1519. Demandarat [c] Romanus Pontifex Indulgentiarum promulgationem in ditione Heluetiorum Francisco Lichetto Brixiensi, Ordinis Minorum Generali Visitatori, celebrique Theologo, à quo suffectus est quidam Samson eiusdem Ordinis. Hic Tiguri exorsus administrationem muneris sui, magno cum pietatis sensu fuit à Tigurinis exceptus: sed illicò in illum Zuinglius iuxtà se gessit ac Lutherus in Tetzelium. Hoc etiam in loco labitur Suauis fides, dum Samsonis aduentui, adeoque Romanæ auiditati colligendæ pecuniæ, nouam Zuinglij hæresim adscribit; quæ reuerà orta fuerat priùs quàm Samson eò peruenisset, neque primordia, vti Lutherana, ab argumento Indulgentiarum accepit, sed ab aliis pluribus grauioribus, maximeque diuersis dogmatibus. Memorata hæresis corpus Reipubl. Heluetiorum in partes discidit, æquè ac Lutherana corpus Imperij Germanorum. Sed hæc ad se nos reuocat, vnde primam ac præcipuam traxit originem huius Historiæ argumentum. 2

c 5. Ianuarij in lib. 4. Diplomatum secretorum Leonis.

CAPVT

CAPVT XX. 1519.

Leonis X. in Lutherum Diploma.

1 Abscissâ itaque omni spe recuperandi Lutheri, seu per Pontificis mansuetudinem, seu per coërcitionem Septemuiri, statuit, studuitque Legatus Leoni suadere, necesse iam esse illius doctrinam tamquam hæreticam proscribere, quò ab ea illi saltem abhorrerent, qui etiam tum integri erant, eiusque contagionis puri; cùm longè faciliùs amoueatur ab esu venenatæ dapis, qui eam nondum degustauerit, quàm qui eâ iam pastus, reuomere compelleretur. Augebatur autem necessitas, Martini erroribus in dies gliscentibus. Quemadmodum etiam in linea, initio cùm à recta deflectit, modicus eius deflexus haud facilè deprehenditur, sed quò procedit longiùs, eò manifestiùs obliqua conspicitur; ita vsu-uenit ingenio, vbi à recta principiorum semita, aut philosophando aut credendo deerrare cœperit. Lutherus igitur, vbi semel arrogauit, licere sibi auctoritatem consuetudinesque Ecclesiæ aspernari, & ad libidinem diuinas Literas interpretari; non solùm progressus est ad errores suprà recensitos, sed negauit subinde vim inesse Sacramentis ad diuinam gratiam infundendam, & Baptismati ad noxam originalem delendam: Mulieribus etiam absoluendi potestatem concessit: Reprehendit negari ab Ecclesia laicis vsum Calicis: Scripsit generatim contra Ordines Mendicantium: Affirmauit animas in Purgatorio noua peccata contrahere: eoque deuenit, vt Christianos argueret, quòd se tutando Turcis obsisterent: De Pontifice, de Vaticano Senatu, de Aula Romana, quà voce quà calamo depromebat quidquid contumeliarum congeri possit ab ingenio, & naturâ facundo & rabie concitato. Hæc omnia Legatus ad Leonem perscripsit. At quoniam literæ verba sunt inanimata & depicta, Romam ipse Eckius se contulit, & linguæ efficaciâ clariùs exposuit animarum stragem ab ea peste in Germania editam, propterea quòd adhuc denuntiata non esset.

Vide Epistolam Iulij Card Medicei ad Card. Bibianæ in 1. tomo literarum ad Principes 27. Martij 1519.

2 Equidem existimo, hanc tantam * Eckij sedulitatem, quâ multus ac impiger fuit in proscribendis Lutheri sententiis; ac Pontificium diploma eidem concreditum, quod quasi victoriæ suæ trophæum in Germaniam detulit, quodque ex munere delegati Nuntiique Apostolici ad plerosque Germaniæ Principes, ac præcipuè ad Saxonem Septemuirum, promulgandum exequendumque pro virili curauit, haud minimam fuisse causam, cur Lutherus illum ictum

* Delegatus 18. Iulij an. 1520.

1519. exciperet, non tanquam à securi legitimi lictoris, sed à telo infensissimi hostis, atque ex eo pudorem in furorem vertisse, ac per dexteritatem suæ factioni eum ostentasse, non à Fidei veritate, sed ab odio technisque aduersariorum contra se fuisse pugnatum. Satius enimuerò fuisset, omnem damnationis curam ab eo longiùs remouere, qui disputatione certasset; quandoquidem non res ipsæ, sed earum imagines inuadunt in animos, & ad iudicia cupidinesque compellunt.

a Continetur in veteri libro monimentorum, quæ Cardinalis Moronus reliquit.

b Lib.7. Epistol.

Haud impigrè variæ à Pontifice a consultationes Romæ sunt habitæ, accitis Theologiæ ac sacrorum Canonum peritissimis; ac tandem digesta diplomatis forma à Petro Cardinali de Accolitis, Anconæ Præsule, vnde Anconitanus appellatus. Hic è Tribunali Romanæ Rotæ in Senatum Purpuratorum Patrum à Iulio II. cooptatus fuerat. At de eo b Sadoletus Cardinalis memoriæ prodidit, tantæ fuisse auctoritatis, vt *omnibus publicis Consiliis non interesset solùm, verùm etiam præesset; & propè solus gubernare Rempublicam, ac eam suis sustinere humeris videretur: illius potissimùm monitis ac prudentiâ nitebantur Summi Pontifices, & omnis Italia, Christianumque nomen cunctum consiliis eius acquiescebat.* Diplomatis forma ab Accolito confecta, in frequenti cœtu coram Pontifice expensa; & quamquam de summa rei constarent sententiæ, circa minuta quædam à nonnullis Purpuratorum Patrum aliquid obiectum, donec in sententiis dicendis ad Laurentium Cardinalem Puccium, tunc Datarium, ventum est: qui ratus id sui esse muneris, formam alteram à se conscriptam sinu fouebat, dolebatque se alteri posthaberi; ideoque in ea quam Anconitanus proposuerat, acerbitate magis æmuli quàm studio Consiliarij, plurima perstrinxerat. Nec Accolitus sibi nauiter defendendo defuit. Quare nouis continuò mordacibusque argumentis, tam ab ingenio quàm ab æmulatione vtrique suppeditatis, ita certatum, vt cùm satis non esset seu contrahendæ seu leniendæ concertationi, Pontifex oris Maiestate eam imperij auctoritate compresserit. Inde vocatis ad priuatum consilium viris scientiâ clarissimis, diploma Cardinalis Anconitani, aliquot locis reconcinnatum, mox in noua Congregatione perlectum & concorditer comprobatum. 3

Damnabantur hîc vna supra quadraginta ex Lutheri positionibus, non quadraginta duæ, vti sæpiùs per incuriam inexcusabilem in re tam clarè pernoscenda narrat Suauis. Exponitur, eas fuisse accuratè discussas à Patribus Vaticanis, ab Ordinum Religiosorum Præsidibus, à Theologis, à Iurisperitis. Commemoratur, 4

quàm

quàm benignè cum Lutheto actum sit, quàm clementer Romam 1519.
vocatus, oblatâ fide ac viatico. Additur, quantumuis liceret nunc in eum tamquam publicè hæreticum ferre sententiam; tamen, quò mitiùs procederetur, illi eiusque asseclis certum præscribi tempus ad reuocandos errores, pestilentesque libellos comburendos; quo elapso, eos omnes damnari hæresis, ac pœnas seuerissimas in hæreticos constitutas iisdem confligi: cunctis verò Principibus populisque grauissimas denunciari censuras, nisi iussis obtemperent.

CAPVT XXI.

Quæ Suauis opponat Diplomati Pontificio.

1 Congerit hîc Suauis ea quæ in diplomate reprehenderint *rerum intelligentes*, quâ appellatione reprehensionem confirmat.

Primum est: Forensi stylo decreta de Fidei dogmatis fuisse confecta. At non intelligit, forensem stylum non in damnanda doctrina, sed in denuntiandis interdictionibus, pœnisque statuendis contra inobsequentes adhibitum; quod non pertinet ad Theologos, sed ad fori peritos.

2 Secundum est: Periodum quamdam, cuius initium est, *Inhibentes*, perplexam esse, & quæ ægrè percipi possit, propterea quòd inter eam vocem, ac verbum præcipuum ad quod illa refertur, quadringenta vocabula sint interiecta. Suauis populo potissimùm scribit; adeoque me cogit, ne ea negligam ab illo obiecta, de quorum examine, vti superuacaneo, possint mihi viri sapientes succensere, si mea responsio ipsis tantummodò obuiàm iret. Bonâ igitur horum veniâ pauca hîc apponam, quò multitudini fiat satis. Enimuerò ea periodus tam est clara, vt cuicumque leuiter experto in diplomatis legendis nullâ sit opus animaduersione peculiari, quò illam percipiat. Equidem stylum diplomatis conscribendis iam in Curiam inductum haud probo: sed aliud est, potuisse ab initio quiddam præstantius eligi; aliud, esse nunc variandum quod in vsu est, nullo alio commodo inde deducto, nisi explicatioris concinniorisque sermonis. In quacumque sapientissima Republ. retinentur nonnullæ consuetudines, exortæ aliquo sæculo rudiore, quæ si nunc inciperent, meritò risum excitarent. Nihilominùs eas seruare summa prudentia est, ob rationes ab * Aristotele adductas, ne leges veteraque instituta facilè commutentur, etiam cum potioribus,

* 2. Polit. cap. 6. in fine.

1519. tibus, si leue sit emolumentum. Quænam Respublica prudentior quàm Romana? Lustretur tamen id quod cum risu Marcus Tullius narrat in Oratione pro Murena de Iurisconsultorum vocabulis etiam tum vsurpatis, atque id, cùm illa iam Domina terrarum orbis eiusdem sapientiam complectebatur. Si Adamus alter denuò conderetur à Deo, atque ex improuiso spectaret subiectionem, onera, altercationem, atque iacturam pecuniæ ac temporis, quæ secum adferunt profanæ cæremoniæ, officia inutilia, honorifici tituli ac ritus; crederet profectò cunctos homines desipere, dum perpetuò hisce grauissimis, simulque voluntariis catenis sese sponte reuinciunt. Et tamen haud ita res est: hæ namque consuetudines non omnes simul irrepsere, neque sine vllo compendio; sed paulatim, ac plerumque cum aliquo præsenti commodo. Nunc verò eas stirpitus euellere, vt alibi dicit Aristoteles in Politicis, idem foret, ac malè affectum corpus à cunctis noxiis humoribus vnà purgare; quod sanè vitam extingueret.

Opponit tertiò Suauis: Articulos propositos in diplomate, sub incerta quadam verborum clausula fuisse damnatos, quæ erat, *respectiuè vel tamquam hæreticos, vel tamquam scandalosos, vel tamquam piarum aurium offensiuos*, vel aliâ censurâ; atque adeò ex diplomate controuersum fuisse, quænam esset eorum singulis assignanda censura: aitque, eò magis hinc patuisse Concilij necessitatem. 3

Sed in primis vltima conclusio vsque adeò falsa est, vt potiùs celebre recensque Concilium Constantiæ habitum hanc ipsam damnandi rationem vsurpauerit. Nec ea sanè ratio vacat à laude: etenim, vt aliquis articulus tamquam Fidei dogma statuatur, & summa necessitas vrgeat oportet, & exactissimâ trutinâ examinetur; cùm huiusmodi declaratio imperet hominum mentibus, rem maximè omnium quam Christiana lex habet arduam, id est, vt res obscuras citra omnem dubitationem credamus. Quapropter Ecclesia, quantum licuit, ab eo semper abstinuit. Iam verò quia multæ doctrinæ homines inclinant in hæresim, aliaque infligunt incommoda, par est eas è linguis ac paginis relegare: atque ad id necesse non est, vt illa certò Dei verbis repugnent; satis est, si aut grauia extent indicia huius repugnantiæ, eò quòd aduersentur seu communi Scholæ consensui, seu veteribus Ecclesiæ vsibus, seu sanctorum Patrum auctoritati; aut deprehendantur vt semina operum quæ officiant Christianæ Reipublicæ; ac proinde mereantur aliquam ex suprà memoratis censuris, quæcumque tandem ea sit. Similiter, vt ab aliquo oppido excludatur aduena, non semper est 4

opus

opus vt peste correptus, aut perduellis in aperto sit; sufficit pestilentiæ aut perduellionis suspicio. Non igitur Pontifex habuit in animo, per huiusmodi diploma dubitationem omnem tollere; (quibus dubitationibus libitum est Deo oppletam esse penè omnem huius vitæ scientiam, ac potissimè Theologiam, quippe cui obscuriora obuersantur themata, altiusque nostram intelligentiam supergressa) solum illi consilium fuit, vt certi tantum haberemus, quantum satis erat: nimirum declarauit, eas omnes propositiones perniciosas esse, si tradantur; periculosas, si credantur. Ceterùm innumeræ sententiæ sunt, quæ communi consensione à Theologis reiectæ adhuc in incerto sunt, & ignoratur quânam speciali notâ sint configendæ; cùm alij hæreticas existiment, alij erroneas, alij solùm temerarias seu improbabiles. 1519.

5 Iam quod spectat ad Concilij necessitatem, quam affirmat Suauis fuisse tunc agnitam, quò dubitationes tollerentur circa proscriptas assertiones; stuporem incutit mihi hominis ita blaterantis enormitas, qui palàm in suo toto volumine, & clàm in arcana sua Academia numquam destitit in Concilium Tridentinum oblatrare, quòd eosdem articulos extra necessitatem definierit, adeoque spem omnem reconciliationis præciderit.

6 Obtrudit quarto loco Suauis, partam multis admirationem, quînam in diplomate diceretur, inter positiones interdictas esse Græcorum errores iam damnatos. Profectò nisi mihi comperta esset hominis eruditio, pateretque ipsum interdum haud inopiâ doctrinæ, sed odij affluentiâ prolabi, vterer hîc responso vulgari, admirationem ex ignorantia nasci. Num fortè ignotum aliquod arcanum est, duos ex præcipuis articulis, paulò antè contra Græcorum errores à Florentino Concilio definitis, fuisse *Purgatorium* ac *Primatum S. Petri, Romanorumq; Pontificum?* Nónne pariter in damnatis Lutheri assertis legitur trigesimum septimum, quo negatur Scripturâ vllâ Canonicâ *Purgatorium* probari; & vigesimum quintum cum tribus sequentibus, quæ *Primatum S. Petri*, Successorumque potestatem reiiciunt?

Enimuerò debuerat Suauis in memoriam reuocare, quinam viri Romæ tunc degerent, cùm diploma digestum est. Aderat Siluester Prieras, aderat Ioannes Eckius, aderant Franciscus Ferrariensis, Dominicus Cardinalis Iacouaccius, Ægidius Cardinalis Viterbiensis, omnes sapientiâ præclari, quorum sacra scientia & eruditio typis edita celebratur; aderat denique vnus instar omnium doctissimus Caietanus, è sua legatione iam redux, qui controuersiam il-

1519. Iam diu multumque tractauerat, * & qui, cùm de formanda Constitutione Conuentus iniretur, in Senatum, quamuis æger, deportari se iussit, ob summam rei grauitatem. Ibi verò ne vna quidem admissa syllaba est accurato examine non expensa; adeoque præter priuatos cœtus, apud Cardinalem Anconitanum, à vigesimo primo Maij vsque ad primum diem Iunij quater ad eam causam agitandam Pontificius Senatus habitus fuit, & semel præter Patres Vaticanos octo præstantissimi Theologorum eò aduocati, singulique circa singulos articulos sententiam disertè dicere iussi sunt. Itaque hi viri tam graues non adeò caligantibus erant oculis, vt post intensissimam considerationem non fuissent animaduersuri hallucinationem, quæ tam palmaris tamque manifesta extitisset.

* Totum extat in Actis Consistorial.

Vltima reprehensio sic habet. Determinasse Pontificem de tot articulis solo Aulicorum consilio, re non communicatâ cum Episcopis & Academiis Europæ. Omitto quidem dicere, quos hîc Aulicos Suauis appellat, fuisse eos viros quos modò nominaui, præterquam plurimos alios Theologos minoris famæ. Sed quomodo eum præterit, intra quatuor versus se sibi contradixisse, dum proximè adiecit, Academias Louaniensem & Coloniensem præ gaudio exultasse, quòd ipsarum censuram Pontifex comprobasset, quam censuram idem pauculis suprà paginis obseruarat, * pluribus ante mensibus prodiisse quàm Pontificis diploma? Præter memoratas Academias, idem quoque ait, Pontificem in eam proscriptionem venisse, quasi coactum sollicitationibus Academiarum Præsulumque Germaniæ. Quinetiam per cuncta Europæ Gymnasia totum ipsum biennium nullus certè sermo frequentior, quàm de tam celebri Lutheri nouitate. An fortè consultationes huiuscemodi satis non erant, ne decretum illud inconsideratum censeretur? Quòd si postulabat Suauis, vti de integro diplomatis tenore consulerentur omnes Episcopi, & cunctæ Christiani generis Academiæ, viderentur hæc animi sensa digna potiùs solitario, ideasque rerum speculante, quàm homine in rebus gerendis expertissimo, cuiusmodi erat Suauis; quem fugere non poterat, an quisquam Romanorum Pontificum, ac ceterorum Principum, in vlla vel grauissima constitutione id egerit; an id egerit Iustinianus, cùm vniuersi Romani Imperij Leges in summam digessit; an Gregorius IX. cum in vnum redactum volumen Ius omne Canonicum Ecclesiæ promulgauit: eoque an id citra infinitam molem, implicationem, confusionem peragi possit. Nónne videmus in quauis Republica bene constituta id moris esse, vti decreta certo- 7

* Vide in 1 tomo Operum Lutheri.

rum

rum hominum vnà coëuntium iudicio ſanciantur, quò ex horum certè coniunctione conflectur vnitas Principatus, quâ, ſecundùm * Philoſophi effatum celeberrimum, optima rerum gubernatio nititur? 1519.

* 12. Metaph. in fine.

CAPVT XXII.

Quid Diploma Leonis effecerit tam in aliis quàm in Luthero.

1 PONtificis diploma delatum euulgatumque fuit ab Eckio per Germaniam, ſummâque exceptum lætitiâ; præſertim ab iis Academiis, quæ Lutheranos errores iam damnauerant, ideoque in alterius improbatione propriæ doctrinæ comprobationem intuebantur. Verùm hæc aduerſariorum lætitia quàm graui afficiebat triſtitiâ, tam acri inflammabat ardore Martini pectus, & cuiuſuis etiam eâdem animi deprauatione corrupti. Wittembergæ hæſit quaſi ſuſpenſa diplomatis efficacitas. Cùm Pontifex illi Academiæ miſiſſet * literas, quibus eam hortabatur vt in antiqua pietate perſiſteret, iubebatque ſeueriſſimis pœnis exequi cuncta diplomatis decreta, de iis illa Fredericum certiorem fecit, eo tempore abſentem, quò electo nuper Cæſari aſſiſteret. Ad ipſum etiam Fredericum alias literas Pontifex dederat officij plenas, quibus ſignificabat, ſolâ ipſius causâ dilatam adeò fuiſſe Lutheri proſcriptionem; ſimul etiam famam excitatam, perditum illum deceptorem auſum eſſe ita futere eius præſidio nixum: proinde quò præcellens ipſius virtus, ac nominis claritudo debitum ſibi ſplendorem apud Deum & homines retinerent, illum hortari, rogare, Deique omnipotentis nomine poſtulare, vti vel Martinum oblatâ veniâ ad bonam frugem adduceret, vel ſi obdureſceret, in eum mandata diplomatis exequenda curaret.

* 8. Iulij 1520. vt apparet in libro Archiui Vaticani inſcripto, *Acta VVormatia.*

2 Excepit Wittembergenſe Gymnaſium à Frederico ambiguæ quædam reſponſa; vtpote ab eo, qui nec rem peragi vellet, nec à ſe prohiberi. Lutherus interim anxiè inhiabat captandæ electi Cæſaris beneuolentiæ: is erat Carolus Hiſpaniæ Rex. Spem illi in primis faciebat, tam acerrimum patrocinium quod ſibi apud Carolum Frederici operâ pollicebatur, quàm inæſtimabile beneficium, quo Fredericus Carolum ſibi deuinxerat. Etenim, vti ipſe Legatus ſuis * literis exponit Pontifici, pridie quàm Carolus eligeretur, Septemuiri Imperium Saxoni concorditer obtulere. Is verò heroicâ planè moderatione animi magnificè repudiauit, ſimulque præcipuus auctor fuit, vt in Rege Hiſpaniæ collocaretur, in eo quippe Principe,

* Tom. 1. literarum ad Principes 5. Iulij anno 1519.

1519. cipe, qui posset eam Solij Maiestatem tueri à finitima potentissimorum violentia; & tamen tam inde procul regnum possideret, vt nullâ possent suspicione corripi Germaniæ Principes. Addebat, eumdem populis acceptum fore, & vti in ea regione natum, & vti nepotem Maximiliani, qui militari virtute ac singulari charitate, quibus maximè populi capiuntur, adhuc viuebat percarus in Germanorum memoria, & in ore Famæ, perceleberis ob corporis animique dotes planè singulares.

Verùm tam excelsa repudiatio, in tanta mortalium ambitione portenti similis, diuini propè consilij humanorum arbitri testificatio visa est, volentis quidem affligere Germaniam, sed nolentis omnino deserere: quod contigisset, si ad tantæ dominationis fastigium euectus esset is Princeps, qui Lutheranam hæresim sibi iam quasi filiam adoptauerat. Augebat Luthero spem iuuenta Cæsaris annum vigesimum vix ingressi: quæ ætas, præsertim potentiæ atque fortunæ opibus affluens, libenter audit noua consilia, spectatque nouas excelsitatis ideas, quæ extra omnem legem superioremque auctoritatem regnantem locent. Propterea summo studio Lutherus per varios libellos exaggerare tyrannidem Romanorum Pontificum in Germaniam; extollere iurisdictionem Cæsaris, nulli obnoxiam; antiquas lites inter Romanos Pontifices ac Cæsares refricare; postremò amplificare meritum simul & gloriam, quam verus Augustus, diffracto iugo, inter Germanos consequeretur. Suberat peculiaris quædam noui Cæsaris erga Pontificem diffidentia; quòd is, vt fama erat, tentasset electionem Caroli præpedire, nolletque eamdem comprobare, causatus lege cautum esse, ne in Regni Neapolitani possessionem admissi Romano Imperio potiantur. Sed breuî spes omnis elanguit: Carolus enim noluit oblatum Imperium accipere, nisi prius rogato Pontifice, vt memoratæ legis sibi obstaculum relaxaret.

Continetur in Epistola Caroli V. ad Clementem VII. in lib. 2. cap. 13.

Is itaque, quippe Austriacorum Principum, Regumque Catholicorum sanguine procreatus, & piâ imbutus disciplinâ Adriani, viri religiosissimi, qui paucos post menses Pontifex electus est, non aures quidem gerebat quibus audiret, ne dum animum quo promoueret aliam Religionem nisi Romanam. Quare in Belgium regressus e Britannia, vbi Reginam materteram suam inuiserat, atque a Ministris Pontificiis maturè præoccupatus, declarauit, velle se veterem Fidem tutari, iussitque in vrbibus Brabantiæ, in Academia Louaniensi, aliisque in locis, ex Pontificio diplomate, Lutheri Opera flammis absumi.

Luthe-

3 Lutherus, ex his incendiis alicubi iam peractis grauiter inflammatus, literisque Erasmi sibi studiosi factus certior, Cæsarem eiusque Aulam Romæ fauere, in consilium à desperatione propositum, hoc est ad extremum despectus atque hostilis furoris in Romanam Ecclesiam præceps corruit; nactus facinoris socios, Wittembergenses scilicet Academicos operâ, Septemuirum verò permissu: cùm satis intelligeret, eâ ratione simul vilescere auctoritatem quasi aspernabilem Pontificis, ipsum deprimentis; simul tantæ iniuriæ societate, Academiam ac Principem obstringi ad implacabilem inimicitiam in læsum. 1519.

Idcirco 10. Decembris, erectâ extra mœnia Wittembergæ pyrâ, vocatisque per scripta publica ad spectaculum Academicis, aptoque ad spectandum loco illis destinato, eò se contulit magno cum comitatu, & partim sua, partim suorum manu in ignem coniecit duo volumina Decreti à Gratiano digesti; duo etiam alia, quorum primum continebat quinque libros Epistolarum Decretalium, secundum verò complectebatur librum sextum, Clementinas, aliasque Constitutiones *Extrauagantes* appellatas. Combussit itidem diploma Leonis quo ipse Lutherus damnabatur, Eckij commentarios, atque etiam Emseri, quîcum simultatem contraxerat, quòd hic haud plenè è re Lutheri Lipsiense certamen descripsetat. Dum incendium peragebatur, nouus veluti Propheta in ea verba prorupit: *Quia Sanctum Domini conturbasti, conturbet te ignis æternus.* Similis combustio in duobus vel tribus aliis Germaniæ locis confecta à Martini fautoribus; &, quod admirationi est, non defuere, qui Lipsiæ coram ipso Duce Georgio tam execrandum scelus ausi sunt.

4 Studuit * Lutherus variis commentariis impium facinus excusare: Compertum sibi esse, obstringi se, quippe Christianum, Theologiæ Magistrum, sacrumque Concionatorem, vt mederetur pestilentibus malis, quibus concremata volumina opplebantur; cumque animaduerteret, contestationes, ceteraque officia Romano Pontifici exhibita cessisse irrita, adactum se planè fuisse ad ea capessenda remedia, quæ Pauli suasu adhibuerant aliqui ab eodem ad Fidem traducti, libros igni tradentes quinque millibus æstimatos; in quo numero decies pro singulis spectat, cùm quinquaginta millibus æstimati dicantur.

* In 2. Tomo Lutheri.

5 Fœdiùs tamen mentitur in afferenda causa. Nam si Religionis ardore atque debito compulsus fuit; quomodo non priùs exarsit, nec se obligatum sensit, quàm suorum voluminum flammis incen-

1519. ſus & illuminatus? Cur iis verbis, quæ inter incendium protulit, aliiſque mox memorandis, vltionis gratiâ ſe id egiſſe declarauit? Cur, vbi ſua volumina combuſta reſciuit, Spalatino ſcripſit, ſe aduerſariis oſtenſurum, poſſe ſe par pari reddere, niſi ligna defuerint?

Sed eius apologiæ inſiſtamus. Siue quò in ſumma purulentiæ 6
atque iniuriæ indignitate aliquam certe apud rudiores reuerentiæ ſpeciem erga Pontificem ſimularet, ſiue potiùs quò illum mordere ac deluderet, ſcripſit, exiſtimare ſe, eam incenſionem haud accidere Leoni moleſtam, neque ab illo comprobari errores, quibus combuſti libri ſcatebant; quin etiam Leonis iniuſſu ſuos viciſſim incenſos fuiſſe: verùm, vtcumque res ſe habuerit, parum id intereſſe. Syllabum ad hoc deſcripſit illius prauæ doctrinæ, quam aiebat contineri Iure Canonico; vbi quà ſententiam communem peruertit, quà reprehendit iuſtiſſimas ſanctiones, cuiuſmodi ea eſt, Licere vim vi repellere. Et tamen, quo nihil abſurdius, quoddam ex memoratis ipſius ſcriptis clauditur Samſonis effato cap. 15. Iudicum, quo Martinus contendit, non defenſionem modò per vim, ſed etiam vltionem ſibi licere: cùm enim Samſon aduerſum Philiſthæos ignem igne vindicaſſet, verba tunc ab eo dicta Lutherus mutuatur, *Sicut fecerunt mihi, ita & feci eis.*

Mirum etiam eſt quod contigit Wittembergæ. Nam poſt ignominioſum incendium Legum Canonicarum, illæ ipſæ, vti priùs, è Cathedris expoſitæ in Gymnaſio à Doctoribus ſtipendio conductis; inter quos erat Iuſtus Ionas, ipſius planè Lutheri corculum. Neque hic auctoritatis ac linguæ efficaciâ valuit hoc annis pluribus impedire: ij namque non ratione ſed libidine acti, geſtiebant quidem per contumelias odium euomere in Romanam Eccleſiam; nolebant tamen eo ſe commodo ſpoliare, quod illius diſciplinæ magiſtris proueniebat è ſtatuto ſtipendio, & etiam auditoribus, ex comparata facultate ad eamdem poſteà cum lucro profitendam, & ciuitati, à frequentia diſcipulorum per eam opportunitatem ibi degentium.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Romanus Pontifex Nuntium ad Cæsarem legat Martinum Caracciolum; cui additur Lutheri causâ Hieronymus Aleander. Vtriusque ingenium ac mores. Erasmi obices: & quid actum fuerit priùs in Belgio, posteà Coloniæ.

1 ELecto Cæsari Leo Nuntium misit, qui de more delatum Imperium gratularetur, vnaque de rebus publicis cum eo ageret. Potissima præ ceteris erat, vti Cæsar opprimeret insurgentis hæresis Lutheranæ contagia: quod certè necessarium videbatur tam sempiternæ gregis Christiani saluti, quàm tranquillitati politicæ gubernationis, tum etiam Apostolici Principatus incolumitati. Contulit igitur hoc Nuntij munus Martino Caracciolo, Protonotario Apostolico, ex ea Caracciolæ familiæ stirpe, quæ nunc ad Auellini Principes deducta est, ob generis claritatem conspicuo, & ob munera cum laude obita, etiam in Germania. Interfuerat is haud ita multò antè Cæsareis Comitiis, Augustæ à Maximiliano celebratis, atque vt Orator Ducis Mediolanensis publicam personam gesserat in Synodo Lateranensi ab eodem Leone perfecta: inde temporibus annum de quo scribimus subsecutis, functus iam grauissimis ministeriis, & à Cæsare & à Sede Apostolica sibi iniunctis, Purpuram à Paulo Tertio accepit, simulque Legationem ad Cæsarem, ac inde demum supremam pro eo Insubriæ Præfecturam administrauit.

2 Sed quoniam negotia tunc egregiè peraguntur, cùm, ex documento * Aristotelis, singula singulis solùm committuntur, quòd tunc rei peculiari gerendæ eligere aptissimum licet; id sanè Leo in præsentia spectauit: siquidem adiunxit Caracciolo alterum Nuntium Hieronymum Aleandrum, cui tota solicitudo inniteretur nascentis hæresis euellendæ. Hîc verò operæpretium puto, de hoc viro, qui sæpiùs per huius historiæ decursum nobis erit nominandus, quique postmodum Purpurâ decoratus inter primos Legatos adlectus est ad inchoandum Concilium destinatos, pauca quædam cognoscenda lectoribus proponere. Is in Carnia natus, iam inde ab adolescentia linguarum peritiâ, eruditione tum sacrâ tum profanâ, omnique disciplinarum varietate progressus fecerat planè mirificos. Cùm autem Apostolicus Principatus, quippe sacris Literis innixus, numquam obtineatur à Principe adeò virtutis inope,

* 1. Polit. cap. 1. & 2. Polit. cap. 9.

1519. vt literas aliquo in pretio non habeat; Alexander VI. Aleandrum sub primam adhuc iuuentam accersiuir, vt Duci Valentino à Secretis esset. Dein, mutato consilio, eum Venetiis, vbi morabatur, in Pannoniam ad quoddam negotium transigendum ire iussit, sed infectum ægrotante Aleandro. Posteà, vigesimo octauo ætatis anno, à Ludouico XII. ad Parisiensem Academiam vocatus, cum optimo stipendio ad humaniores literas profitendas. Illinc Leodium transiit in familiam Erardi à Marca, Episcopi ac Principis Leodiensis; ab eo Romam missus, ad auertendam moram à Rege Galliæ iniectam Purpuræ, ad quam Erardus aspirabat. Per eam opportunitatem perspecta est Leoni Decimo viri præstantia. Fuit is à Pontifice Romæ detentus, Erardi permissu, mutuoque vtriusque emolumento. Nam vti succedentibus annis Aleander è Germania officiis suis apud Pontificem pristino Domino viam strauit ad expetitum dignitatis gradum; itidem Aleandri cum Erardo necessitudo eum Principem inflammauit, vt contra Lutheri conatus Romanam Sedem propugnaret. Interim Aleander Iulio Cardinali Mediceo, Leonis Patrueli à Secretis fuit: mox Acciaiolo defuncto, viro in literis præclaro, suffectus est in suprema procuratione Bibliothecæ Vaticanæ; quod munus in præsentia vni ex Purpuratis imponitur.

Ex hoc itaque gradu delectus est Caraccioli comes, ac Pontificis Nuntius ad Cæsarem, vti rem tanti ponderis agitaret. Vt hic 3
potissimùm deligeretur, tria non solùm memoratæ doctrinæ decora Leoni suasere, sed tria insuper alia; Integritas vitæ, quâ prænoscebatur personam Pontificis cum dignitate gesturus & inter hostes, & inter adhuc nutantes; Studium flagrantissimum Religionis, quo causam Principis habiturus esset pro sua; & Ardor indolis, cuius in primis vsus est ad res arduas & indigas celeritaris. * Et sanè incredibile est, quantâ solertiâ iniunctum negotium fuerit prosecutus. In Belgio Cæsarem nactus, nihil habuit antiquius, quàm impetrare à Carolo, vt in eius patrimonij ditionibus Lutherani libri ex præscripto diplomatis flammis vltricibus absumerentur. Eo, vt suprà narrauimus, peracto, obtinuit etiam Edictum Cæsareum ad cuncta sui dominatus Regna, contra Lutheri & cuiuscumque libros in fraudem Romani Pontificis oblocuti. Illinc in Superiorem Germaniam profectus Carolus, Aquisgrani more maiorum Coronam suscepit, mox Coloniæ Vbiorum substitit, tamquam in vrbe finitima Belgio, infulisque Septemuiri conspicua. Ibi Aleander omnem iterùm mouit lapidem, vt in ea celebri Academia,

* Quidquid narratur de Aleandro Nuntio, habetur in suis literis ad Cardinalem Iulium Mediceum, posteà Clementé VII. seruatis in Bibliotheca Vaticana.

demia, ex Caroli iam Cæsaris auctoritate, ante ora summorum 1520.
Germaniæ Principum par anteactis spectaculum exhiberetur.

4 Aleandri conatibus vehementer obstitit Erasmus Roterodamus, ex oppido Batauorum, vnde cognomen sibi traxit. Erat hic eruditione clarus, & amicus Luthero: vitam egerat nouem annos in sacro Cœnobio inter Canonicos Regulares; posteà impatiens omnis non minùs in scribendo quàm in viuendo ligaminis, siue apostatæ licentiâ, siue, quod alij affirmant, Pontificis permissu habitum exuit. Quòd autem rerum omnium scientiam affectaret, nullius perfectam obtinuit; in omnibus tamen eminere non eminentibus visus. Ferebatur singulari propensione ad restituendum Latinæ ac Græcæ literaturæ splendorem, captusque adeò est immoderatâ quâdam vetustatis obseruantiâ, quæ illius æui literatos inuaserat, vt repudiaret vel propria nomina hominum, familiarum, nouorumque Magistratuum, substitutis in eorum locum vocibus ante quindecim & ampliùs sæcula iam vsitatis. Qua in re non ignorationem modò rectæ Philosophiæ præ se tulere, sed eorum etiam, quæ ex rectæ Philosophiæ legibus in eo genere tradiderant [a] Tullius, & [b] Horatius, aliique scriptores ab ipsis planè adorati. Ex hac nimietate obseruantiæ desumpserat sibi Philippus cognomen *Melanchthonis*, tamquam in Græco idiomate consonans proprio cognomini, quod Teutonicè *Tellus nigra* sonabat. Similiter cum adoptiuo *Erasmi* nomine fuit commutatum proprium *Gherardi*, quod apud Belgas *Desiderium* significat, itidem ac apud Græcos *Erasmus*. Ex eo vocum repudio, quæ nec elegantiam neque criticum sonarent, ortum est, vt eâ tempestate literatorum natio infensissimos gereret animos in Scholasticos, adeoque in Dominicanam familiam.

[a] 3. De finibus
[b] In arte Poëtica.

5 In Scholasticos, ob formulas loquendi barbaras ab illis vsurpatas, imò procreatas: præterea, quòd humanarum literarum studiosi suas merces extollentes, deprimentes alienas, informationem strenui Theologi eruditioni, non ratiocinationi tribuebant, eaque propter deridentes argumenta secretioris scientiæ, & quidquid Aristoteles ac S. Thomas attulere, rei summam adscribebant notitiæ linguarum Græcæ atque Hebraicæ; ex cuius notitiæ arrogantia, pro suo quisque arbitratu receptam Bibliorum editionem emendabant; eoque deueniebant audaciæ, vt Carolostadius, cùm Erasmi faceret mentionem in disputatione Lipsiensi, vt tractauimus, *Principem Theologorum* appellauerit, in quorum Republica ciuis salutari vix meruisset.

1520. In Dominicanos verò vt peculiarior, sic acerbior erat inimicitia; propterea quòd, cùm Fidei Quæsitorum illi munus administrarent, non rarò huiusmodi literarum sectatores vetabant sua scripta typis edere, seu quòd in iis nostra Fidei mysteria profanis vocibus antiquæ superstitionis proferebantur, seu quòd nouæ sententiæ perperamque fundatæ contra Scholæ consensum inducebantur, etiamsi de Religione tractarent. Interdum è contrario contingebat (si quibusdam credimus) aliquem ex Quæsitoribus, minùs peritum politiorum literarum, generatimque erga huiusmodi scriptores suspiciosum, opponere quædam parum apta illorum lucubrationibus, quæ, vt assolet apud exlex vulgi iudicium, vniuerso planè Ordini Dominicano & Scholastico existimationem detrahebant; obtendebantque speciosam excusationem querelis ac satyris perfrictæ literarorum licentiæ. 6

Eorum igitur cohors ad Lutherum accessit, signum libertatis attollentem, simul impetum in eorum aduersarios molientem: omnium verò maximè Erasmus, tamquam magnæ auctoritatis testis apud multitudinem, quæ satis habet oculorum ad collustrandum in aliena sapientia latitudinem, non verò ad subeundam dimetiendamque altitudinem, Saxonis animum opinionemque de Luthero confirmauit. Hic enim, dum Coloniæ cum Cæsare versabatur, fluctuans inter hortamenta Aleandri, sedulò commonentis * non posse cum Luthero coniungi, quin seiungeretur à Christo, interque motus æstuantis animi excitos assiduo flabello ministrorum, illi iugiter suadentium ne Lutherum desereret, percontatus est Erasmum, quidnam reuerà de Luthero sentiret. Quod fortasse sciscitabatur non tamquam incertus consilij, vt illud, in vtrumque promptus, amplexaretur; sed tamquam comprobationis securus, vt iniusti patrocinij morsus intimos mitigaret. Erasmus verò respondit, Nihil habere quod in Lutheri doctrina, sed solùm quod in mordendi licentia reprehenderet. Id causa fuit, quòd Saxo tutelam doctrinæ prosecutus, solùm licentiæ Martinum commonuerit, quodque ille in vtraque perstiterit. Verùm vbi posteà Erasmus animaduertit, quónam opinandi libido amicum præcipitaret, subduxit se cùm ab eius amicitia, tum à sententiis, ac tandem obiit malus quidem Catholicus audiens, sed non Lutheranus. 7

* Habetur id in Vita Lutheri à Melanchthone scripta.

Eo tamen tempore, de quo sermo est, summà cum Luthero necessitudine tenebatur. Idcircò non solùm à principio diuulgauit, ipsius proscriptionem esse falsam, nec profectam à Romano Pontifice, atque hoc quò rem tantisper protraheret, dum Cæsar re in- 8

fectâ

fectâ inde discederet; sed redargutus ab Alcandro, ipsius diploma- 1520.
tis autographo coram multis auctoritate præstantibus producto, ad
alias technas confugit, solicitatis per nocturnos congressus ad ami-
ci tutelam Aulicis Carolo acceptissimis, ipsisque etiam Septemui-
ris. Et quò vocis efficaciæ neruos adderet, clam Commentarium
elaborauit, posteà editum à Luthero, vbi Cæsarem hortabatur, ne
Imperij sui primordia per cum seueritatis rigorem malè auspicare-
tur: Lutherum nec Pontificis voluntate, nec ex debita Christi Vi-
cario clementia damnatum, sed æstu impetuque insectantium
maleuolorum: nulli præter duas Academias damnationem illam
probatam; aliarum quoque iudicium præstolandum: audiendum
prætereà Lutherum, vt efflagitabat, in publica disceptatione: sal-
tem ante tam grauem in eum contumeliam, ipsi Erasmo non dene-
gandum super ea re cum Alcandro colloquium. Verùm hic minùs
prudenti solicitudini existimationis suæ nauiter obstitit, quæ pu-
blicum quandoque propugnatorem à priuato lacessitum ad priua-
tum certamen magno Principis causæque damno propellit. Itaque
respondit, ab vrgentis rei tractatione haud sibi nunc otium conce-
di ad aliò diuertendum; post librorum incendium se illi de con-
gressu facturum satis. De quo, re iam peractâ, nulla amplius Era-
smo fuit cura.

9 Proposita Erasmi argumenta, decipiendis populis idonea, haud
ita summi Principis Aulam commouebant, hoc est, vnam ex iis of-
ficinis, vbi eiusmodi opificia quàm exquisitè elaborantur, tam
subtiliter agnoscuntur. Quamobrem frustrà ibi fuit, clementiæ
titulo fucare deformem incuriam, quasi ne flammis pestis fidelium
reprimeretur. Commentitium illud, fuisse scilicet absque Pontificis
assensu promulgatum diploma, nullam apud Cæsarem suspicio-
nem obtinuit; quippe qui de iis quæ Romæ agebantur indubitatos
nuntios à suis administris ibi curantibus accipiebat. In dies satis
etiam liquebat, in Aula Cæsaris postulationem illius moræ, idem
esse, ac postulare inuolutis verbis vel perpetuam operis prætermis-
sionem, vel extremam rei corruptionem; neque quidquam ignem
prodesse gangrænarum sanationi, postquam maiorem aut nobilio-
rem partem corporis occuparunt.

10 Erasmus intereà, qui voluisset quidem nouandi licentiæ patro-
cinari, nec tamen iram Pontificis prouocare, nec infamiam hære-
tici suscipere, literas obsequentissimas Leoni dabat, ab eoque be-
nignas vicissim accipiebat; quæ malè Aleandrum torquebant,
quasi aduersarij existimationem hæ communirent. Sed fortassè
pruden-

1520. prudentis erat consilij, hominis prauitatem dissimulare (quod fuit nomine Pontificis Aleandro significatum) tum quò ille ab apertiori adeoque nocentiori agendi licentia cohiberetur, tum quò ad honestum receptum pons illi relinqueretur. Elusis igitur irrisisque eius artibus, Lutheri Opera Cæsaris iussu Coloniæ in ignem coniecta, ac deinde in duabus Metropolitanis Septemuirorum Sedibus, Moguntiæ ac Treuiris; sed vtrobique durissimis offensis obstaculis, grauissimisque contradictionibus, Aleandri tamen ardore ac dexteritate superatis. Id exemplum subsecuta sunt Halberstadium, Misna, & Musenburgum; quod Lutheri literis deploratur.

Neque tamen complures deerant, qui non quasi aduersarij, sed 11 quasi concordiæ studiosi se interponentes, enixè dissuadebant huiusmodi tam acerba facinora, quippe apta refricando vulneri, non curando; neque parcebant in ea re cuicumque specioso argumento, non solùm apud Cæsaris Ministros, verùm etiam apud Pontificis Nuntios: Doctrinam Lutheri nequaquam in iis pauculis exemplaribus in cineres redigi, iam impressam in paginis, altiusque insculptam in mentibus vniuersæ ferè Germaniæ: Rem eò progressam, vt in vi spes nulla superesset; aut si qua, in vi tantummodò innumerabilium gladiorum qui infinitum populum trucidarent, non paucorum lignorum quæ pauculas chartas comburerent: Dedecere Pontificis Cæsarisque dignitatem hebes illud ludicrumque armorum genus, quæ maculam vestibus inferant, non pectori plagam infligant; coniunctamque cum conatu imbecillitatem ostendant.

Verumtamen aduersæ his rationes maius momentum præ se tulere: fuitque in primis obseruatum, huiusce sententiæ auctores 12 omnes ad vnum fuisse Lutheri partium, eiusque opinionibus contaminatos; adeoque, tametsi quæstio in ancipiti fuisset, nullius prudentiæ videbatur, consilium capere ab inimicis. Sed eædem rationes, suâ etiam sponte suoque pondere examinatæ, leuiores deprehensæ. Etenim ea incendia non erant vana spectacula, vt hi clamabant, sed grandiores veluti characteres, atque omnibus aspectabiles, quamquam obtusis rudium etiam & absentium obtutibus: in hisce verò characteribus legebatur iudicium à duobus in Christiana Republica supremæ auctoritatis arbitris concorditer exaratum; quod non æquè conficere potuissent scripturæ, vtpote à pluribus non visæ, à plerisque non intellectæ.

Nec sanè libros concremari, eorum etiam qui nec in potestate 13 haberi, nec asseclis spoliari possunt, inusitatum est apud summos Princi-

Principes, tam Ecclesiasticos quàm profanos. Quòd si hoc ipsum doctrinam non euertit funditus, certè debilitat. Quâ pariter ratione quicumque Principum facinorosos, si è toto terrarum Orbe nequeat exturbare, nec bonis omnibus interdicere, non idcircò desinit in exilium pellere è sua ditione, ac bonis exuere quibus inibi fruebantur. 1520.

14 Quod autem lenitate potiùs quàm asperitate fuisset opus, mendosum sophisma erat. Conducit profectò lenitas, vt placetur quispiam, reconcilietur, eaque tribuat beneficia, quæ sibi magno detrimento futura non sint: at verò nihil confert, vt quis extremo suo malo consentiat, quale est infamia. Ad hæc mala ferè nemo nisi per vim adducitur; adeoque omnis eos adducendi spes in vi est reponenda. Iam res Lutheri eò deuenerat, vbi auctoritas Pontificia, Fidesque Catholica salua esse non posset, nisi Lutherus à suis veneratoribus agnosceretur & hæreticus, & deceptor, & sacrilegus. At sanè id quod illi contingebat, iis pro portione contigisset, qui linguâ seu calamo ipsum publicè defendissent. Quamquam autem eam ignominiam apud mortales tolerare, fuisset iisdem verè conducibile ad æternam beatitatem consequendam; iam tamen in comperto erat, hominibus adeò perditis non esse oculos, quibus quidquam supra terram aspicerent. Quare, si remedia mordacia pro dubiis habebantur, lenientia sine dubio inutilia prænoscebantur.

CAPVT XXIV.

Instat Aleander, vt Edictum Cæsareum contra Lutherum promulgetur: & quæ in Aula, populisque Germaniæ, animi fuerit affectio.

1 HI tamen ignes vsui quidem erant; sed non satis ad expurgandum aërem Germaniæ iam tabificum. Paucis in vrbibus accendebantur, ibique etiam vt satis essent ad simpliciores commouendos, ad corrigendos improbos non valebant. Etsi benè cesserant ad bibliopolas deterrendos, ne tam execranda volumina ipsi haberent, aliisque diuenderent; parum tamen obtinebant virium, ad eadem extrahenda è domibus potentiorum ac nobilium, quorum alij factionis gratiâ, curiositatis alij apud se retinebant. Nullum potentius occurrebat medicamentum, quàm Cæsaris Edictum in caput & in scripta Lutheri. Hoc enim efficit in Germania, sicuti apud veteres fulmen, vt quicumque eo tactus, horrori sit om-

1520. nibus. Sed initio illud impetrari non poterat, nondum Coronâ de more Aquifgrani Cæfari impofitâ; cùm ante folennem illius fufceptionem, nulli Cæfarum fit in more huiufmodi Decreta edere. Poftea verò itinera, comitatis officia, & moles curarum, in eo rerum æftu magis vrgentium, nullum huic tractationi aditum laxarunt. Subftitit poftremò Carolus Wormatiæ, quò Generalem Ordinum Conuentum indixit. Ibi verò cœpit Aleander rem promouere.

Istam benè affectum Cæfarem nactus eft, vt ad Mediceum Cardinalem fcripferit, à mille planè annis fincerioris rectioriſque mentis eo neminem extitiffe. Dum autem obices refert, in quos ipfe Aleander incurrebat, & de quibus poftea dicemus, noto Iuuenalis carmine leuiter in rem fuam immutato, ait: 2

Et fpes & ratio vincendi in Cæfare tantùm.

Nihilominùs certum erat, haud euenturum fuiffe, vt Carolus, negotiis adeoque Imperio nouus, impelleretur ad telum illud vibrandum (quò venerabiliùs, eò parciùs educendum) in factionem immenfam, tutelifque amplè munitam, abfque Confultorum iudicio, Principumque confenfu. Amborum igitur mentem Aleander explorauit.

Summâ erant apud Carolum auctoritate, in rebus ad pietatem pertinentibus, Ioannes Glapion, ex Ordine Francifcano; in rebus ad politicam gubernationem fpectantibus, Carolus Guillelmus nobilis Belga, ab oppido fuæ ditionis Ceurius dictus. Alter illi aderat à Confeffionibus; adeoque ex confueta Hifpaniæ pietate, in qua fuerat Carolus educatus, plurimum apud ipfum valebat in deliberationibus illius fori: alter, eumdem à puero inftruxerat; vnde potiùs à Carolo obferuabatur vt pater, quàm adhibebatur vt minifter. Confpirabat cum Ceurio Mercurinus Gattinara, fummus Cancellarius, cui Cæfar poftea Vaticanam Purpuram obtinuit. 3

Glapion itaque tametfi aliàs animum non vfquequaque Romanæ Curiæ addictum præ fe geffiffet, id tamen temporis aliter fe affectum oftendebat, benignis officiis recens à Pontifice delinitus. Et fanè in eo toto negotio fingulare probitatis ardorifque fpecimen dedit. Cum præcipuis hærefis fautoribus priuatos magno cum fructu congreffus habuit: Cæfaris Confiliarios quà tepentes inflammauit, quà perplexè cunctantes extimulauit. Neque id effecit, vt nonnumquam vfuuenit, oftentato quodam Religionis ftudio, quod magis præferat potentiæ fpeciem, quàm confcientiæ fanctitatem: imò in eiufdem feuera Inftituti fui cuftodia, cum obfe- 4

obſequentiſſima ſubiectione Pontifici, eluxit pietas demiſſionis tenax, ſuique Ordinis agnomini conſentanea. 1520.

5 Ceurius veterem Religionem in animo quidem conſtantiſſimè tuebatur; ſed vti Politicis negotiis intentus, ſtudebat aliquid in iis emolumenti eâdem operâ conquirere. Quapropter, quaſi ex ore ſibi excidiſſet, auditus quandoque dicere, Cæſarem ita ſe geſturum erga Pontificem, vti ſe Pontifex erga Cæſarem gereret, nec ipſius æmulis opem ferret: quibus verbis Rex Galliæ haud ambiguè ſignabatur.

6 Hæc à Ceurio per conditionem oblata ſupra modum Aleandri animum angebant offendebantque, quòd in dubium vocarent euentum, cuius deſiderio conflagrabat, ſuſpicionemque inicerent, deliberationes ad Fidei patrocinium attinentes humani commodi trutinâ expenſum iri. Sed ea muſſitabat Ceurius, quò rem Cæſaris promoueret; ſatis alioqui gnarus, etiamſi Pontifex Cæſarem deſeruiſſet, non idcircò deſerendam illi Religionem, quam tueri par eſt ipſius Dei, non eius Vicarij tunc gubernantis gratiâ; & cuius deſertio, vel ex humana ratione, futura eſſet quoddam vltionis genus, ipſi vltori maximè perniciosum. Lentiùs etiam agebat Ceurius, opportunitatem opperiens, quâ rem proſequeretur, quando ſimul reſideret omnis grauior Germanorum offenſio; ne ſub Imperij ſuſcepti primordia à Cæſare abalienati, frigeſcerent in ſuppeditando ſubſidio, quod illi pollicebantur, tam ad bella quàm ad Romanum iter vt Coronam capeſſeret.

7 Optimates Hiſpani, non Eccleſiaſtici modò, ſed etiam profani, ad excidium nouæ hæreſis flagrantiſſimè ferebantur; eorumque Princeps Fredericus Albæ Dux, quoties his de rebus ſermo incidebat, videbatur aliquando furentibus modis agitari, & extra ſe impetu pietatis exilire. At contrarius animi habitus apparebat in mercatoribus Hiſpanis, aliiſque Maurorum ſtirpe prognatis. Hi namque palàm pro Luthero loquebantur, cuius Opera Hiſpanicè reddita Antuerpiæ iam fuerant impreſſa. Huius rei cauſa, ſed latens, ea erat, quòd Lutherus negabat, fas eſſe quemquam capite plecti nomine Religionis; atque ita iniuſtas declarabat eas flammas, quibus Hiſpanum Tribunal Fidei Quæſitorum ſæpiùs illorum proſapiæ homines punierat.

8 Hiſpaniæ Senatus, & Ioannes Luſitaniæ Rex, ſanguine & amicitiâ coniunctus Carolo, per Nuntios ad id deſtinatos vehementer illum concitarunt ad hæreſis euerſionem: tametſi Miniſter Luſitanus poſt aliquot menſes primùm aduenerit.

1520. Sed rei summa in Germanis erat, in quorum regione consilia & ineunda, & ad exitum perducenda erant: inter quos non solùm Purpurati Patres, qui erant, Moguntinus Septemuir, Guillelmus Iacobus Croius Episcopus Cameracensis, idemque Archiepiscopus Toletanus, Ceurij fratris filius, qui in ipso ætatis flore præposterâ morte illic obiit, Matthæus Langius Gurgensis, Archiepiscopus Salisburgensis, & Matthæus Schineius, Episcopus Sedunensis; sed etiam Archiepiscopi Septemuiri, aliique Antistites in primis conspicui, causæ Catholicæ apertè studebant, & cum iis Ioachimus Septemuir Brandeburgicus, Moguntini frater, & alij Principes ac Dynastæ. Contrà, Lutheri partes tuebantur non solùm Saxoniæ Septemuir, sed etiam Ludouicus Septemuir Palatinus, Romano Pontifici grauiter indignatus, quòd Romæ certa quædam immunitas tributa fuerat laicis Ratisponensibus, à iurisdictione Ioannis Episcopi illius vrbis, ac Septemuiri fratris. 9

Ita factiones dissidebant. Adeoque præpollebat in Optimatibus, atque in Consiliariis propensio ad hæresim diuellendam: omnes tamen metus incesserat ex plausu, quem sibi Lutherus excitauerat apud multitudinem, quâ infimis atque mediocribus constat in quacumque classe mortalium: nam maxima tandem multitudini est in terris potentia. Apud turbam pauperum nobilium summam ille gratiam obtinebat, præsertim operâ Vlrici Hutteni, claro genere nati, qui variâ literaturâ, facundiâ, efficaciâ, populique beneuolentiâ præpotens, postremò illectus splendore illarum inauratarum vocum *Libertatis, ac morum emendationis*, supra Lutherum ipsum Lutheranus euaserat. Atque vti nobilitas inops, honore simul ac indigentiâ vniuersè compulsa, pronior est ad seditionem ciendam aduersum ditiores; inhiabant hi nobiles illis diuitiis, quas maiorum pietas Ecclesiæ tradiderat, & sibi quisque, vt accidit, opimam inde manubiarum partem pollicebatur. Ad eos plebeculæ vulgus accedebat iisdem ferè de causis,& quòd huius volubilitati semper perplacent noua consilia, ac potentiorum depressio. 10

Grammatici, & humanis literis dediti, quibus abundabat Germania, Luthero militabant sub Erasmi vexillo, ob rationes capite superiori relatas. Eòdem confluebant infimæ notæ causidici, ac leguleij; seu quòd eius doctrinæ quam profitebantur ignari, Doctorumque titulo ad obeunda in suis patriis munia contenti, gaudebant à Lutheri flammis absumi magna ex parte illa volumina, quorum intelligentiam, quâ verè carebant, sibi comparare debuissent; seu potiùs eâ disciplinâ leuiter tincti, valebant quidem ad capiendas 11

piendas difficultates à Luthero populariter obiectas legibus Pontificiis, non verò ad easdem dissoluendas, quibus propterea irretiti succumbebant. In Clero consimilis inerat discordia inter summos & infimos. Ecclesiarum rectores Lutherum impugnabant: at inferiores Ecclesiastici sustinebant; quippe qui indocti iuxtà ac moribus corrupti, auebant falsitatis insimulari eam doctrinam quam ignorabant, atque irritas reiici eas Ecclesiæ leges, quas ipsi violabant. 1520.

12 Tandem augescebat Lutheranorum factio multorum Regularium vtriusque sexus accessione. Aliis odio erat Dominicanorum potentia, quibuscum simultatem exercebat Lutherus: sed pars multò maxima libertatis libidine ducebatur; quemadmodum compediti remiges facilè cum eo conspirant, qui quocumque conflato tumultu illos à transtris exoluit. Hæ omnes hominum conditiones petulanter arroganterque grassantium, vt in vulgi seditionibus contingit, metum cuilibet incutiebant. Quapropter non Aleander modò sensit identidem se capitis periclitari, & cum Cæsare iter faciens, neminem nactus qui auderet ipsum excipere, ad vilia sordidaque hospitia ægrè diuertit: sed de ipso Cæsare inermi, atque inter Germanorum manus agente, quandoque dubitatum est, ne ab Hutteno eiusque asseclis opprimeretur. Adeò se debilem prodit, cùm res vrget, ea Regum potentia, quæ vulgo tamquam omnipotens deprædicatur.

CAPVT XXV.

Aleandri sedulitas, quò Cæsareum Edictum obtineat. Ad id obstacula. Eius concio trium horarum de hac re ad Generalem Conuentum.

1 TRibus potissimùm rebus viam sibi parare aggressus est Aleander. Prima fuit, diploma Romæ deposcere (quod posteà tertiâ Ianuarij datum fuit) vbi Lutherus non sub conditione, si contumax perstitisset, vt priùs in altero, sed absolutè, quando dies iam dicta præterierat, pronuntiaretur hæreticus; non tamen ibi nominaretur Huttenus, aliíve illius factionis. Huiusmodi enim diploma simul eripiebat è manibus fauentium Luthero clypeum illum erga rudiores, quòd is nondum ad eam diem ab Ecclesia fuisset absolutè damnatus; simul parcens nominibus eiusdem assectarum, nec ipsos poterat stimulare, nec eisdem obtendere titulum ad vlciscendam ignominiam contra Pontificios ministros,

1520. ſtros, qui diploma vulgaſſent; cùm Huttenus non fuerit veritus ad Moguntinum Septemuirum ſcribere, ſi is ipſius libros combuſſiſſet, ſe viciſſim ipſius oppida combuſturum.

Secundò, curauit enixè, vt omnibus fieret exploratum, litem cum Luthero non eſſe de ſola iuriſdictione moribuſque Curiæ Romanæ, de quibus Germaniæ populi peſſimè ſentiebant; vnde conceperant opinionem de illorum oppugnatore, quaſi de altero Germanorum Moyſe, qui ipſos ab Ægypti tyrannide ſubduceret: ſed de Sacramentis, aliiſque ſanctiſſimis Fidei dogmatis, ab omni Pontificis vtilitate ſemotis, quæ tot ſæcula maiores ipſorum profeſſi fuerant, ac poſtremò Conſtantienſe Concilium comprobarat aduerſus Wiclefum & Ioannem Huſſum, nomina Germanis nefaſta. Porrò ad hoc ſecundum caput explicandum multum ſanè contulit * cenſura, paulò ante Lutheri aduentum ab Academia Pariſienſi edita in illius ſententias, coarctata planè ad articulos omnino ſeiunctos ab auctoritate Pontificis: quod huius rei gratiâ à ſe effectum ij Doctores aſſeruerunt; ſed à pleriſque creditum eſt id ab ea opinione profectum, quæ ibi dominabatur de Concilij ſupra Romanum Pontificem poteſtate. Quæcumque fuerit cauſa, effectum certè conducibilem peperit. 2

* 15. Augusti apud Bzouium ann.1521. num.21.

3 Tertiò, dedit operam Aleander, vt Romæ perſpecta fieret operis grauitas ac difficultas, atque inde ſibi traheret opportuna ſubſidia. Etenim, cùm ad primos Aleandri cum Cæſare congreſſus in Belgio impetratum fuiſſet voluminum Lutheranorum incendium in iis Prouinciis, edictumque vt per vniuerſam Caroli ditionem ea proſcriberentur, negligens quædam ſecuritas Romam peruaſerat, perinde quaſi turbamenta illa iam conſediſſent; cùm homines diſtenti negotiis, adeoque Principes, libenter inducant in animum id quod ipſos & curarum moleſtiâ, & demiſſione precandi liberat. Quocircà nec Aleandro mandata deferebantur neceſſaria exercendæ auctoritati, vt interdum oportebat, per ſanctiones interdictioneſque nomine Pontificis in ea cauſa, nec pecunia ad varios pro eadem ſumptus, nec literæ Pontificiæ, ad potentiorum tutelam precum actarumque gratiarum pretio coëmendam. Ab his verò alioqui Pontifex auerſus erat, ne ad huiuſmodi ſe inclinans officia, ſuam imbecillitatem indigentiamque Cæſarei præſidij fateretur; adeoque ſineret ſibi in aliis Italiæ negotiis à Cæſare, tamquam à potentiore, inici frænum. Sed hoc ipſum erat in cauſa, quòd animi res Cæſaris adminiſtrantium refrigeſcerent; cùm prima compenſatio, quam exigit humana ſuperbia ab affecto beneficiis, ſit indigentiæ

gentiæ opisque acceptæ confessio. Quamobrem tepidè se gerebant; 1520.
non quò Lutherus præualeret, sed quò Pontifex ab ingrauescente malo disceret plus illi fauere, qui possent malo mederi. Posuit igitur Aleander ob oculos Mediceo Cardinali accrescentem in dies Martini factionem; alienationem Germaniæ populi ab Aula Romana; arduitatem incredibiliter maiorem executionis à Cæsare obtinendæ inposterum in Imperij locis, quàm priùs in sui patrimonij ditione; torporem in potentioribus, quamquam bene affectis, in re Pontificis fouenda, ob Pontificis erga ipsos languorem; periculum denique amittendæ Germaniæ, ex parsimonia monetæ cuiusdam, cuius ærarium inexhaustum in calamo Principes habent.

4 Hæ literæ, periculi solicitudine, ad ipsum periculum propulsandum Romæ animos excitarunt. Vnde mox Aleandro transmissa mandata, pecuniæ, ac diplomata efficacissima ad quoscumque huiusce rei deliberatio præcipuè spectabat. Triplici hac industriâ tunc Aleander ad se animos flexit Septemuiralis Conuentus, sine cuius consensione visum est Cæsaris Consilio nihil esse deliberandum, quippe nonnisi eorumdem manibus posteà perficiendum.

5 Intereà Lutherani cuncta pro se quisque innumeris artibus moliebantur, vti solet numerosa hominum natio, variisque locis diffusa, vbi communis vtilitas vel cuiusque propria reuerà est, vel propria fit ex affectu. Quòd si pariter in exercitu singuli milites causam haberent pro sua nonminùs ac Princeps, is euaderet insuperabilis. Per idoneos homines, ad id arte conductos, cuncta Romæ quoque Lutherani explorabant: ita quidquid ibi actum, quidquid imperatum esset, ipsis liquebat. Diu confirmatam erga Romanum Pontificem reuerentiam euertere nitebantur, eam in argumentum irrisionis traducentes, quà scripturis vincto solutoque sermone, quà picturis; quarum vna, vti fama est, visebatur in ædibus Frederici, indignum sanè eo Principe spectrum: exprimebantur in ea Huttenus antecedens, ac Lutherus subsequens, arcam gestantes, supra quam duo calices extabant cum inscriptione, *Arca vera Dei.* Arcam Erasmus præcedebat cum cythara, quasi nouus Dauid; eam sequebatur Ioannes Hussus: in angulo Pontifex cum Cardinalibus cernebatur septus armatis corporis custodibus. Circumlata quoque per Germaniam effigies Aleandri pedibus suspensi, subscriptis Teutonicis versibus contumeliæ plenis; atque in eumdem scribebant quidquid ignominiosum vel exprimi vel concipi posset. Epistolas ad Cæsarem ac Septemuiros dabant, partim Hutteni, partim nullo subscripto nomine, vindictam, bellum, mortem

1520. mortem minitantes. Inter ceteras verò quamdam foro præfixerunt, cùm instaret damnatio Lutheri, qui ad Conuentum, vt dicemus, aduenerat; eâque deterritus elanguit Moguntinus, Comitiorum Princeps: affirmabatur ibi, quadringentos nobiles viros iniisse fœdus inter se ad eam iniuriam vlciscendam. Quamquam Carolus, Cæsaris non solùm nomen sed animum præ se gerens, timorem Moguntini reprehenderit, & animo ingeniosè præsenti Aleandro dixerit, Quadringentos illos perinde futuros, ac olim ij trecenti à Mutio iactati, hoc est vnicus.

Sed supra cetera Pontificiis erat obstaculo Fredericus Septemuir, qui summâ in Conuentu auctoritate præcellebat, atque ea de re auditus est vsque à conclauibus extra Conuentus aulam tam ardenter altercari cum Septemuiro Brandeburgico, vt linguarum contentio ad manus conferendas eruptura videretur. Insolens profectò res, quæ numquam ibi contigerat; quippe nimis absona summæ reuerentiæ, quâ se mutuo colere solent Principes, præsertim in celeberrimis hisce Conuentibus. Hinc igitur aqua manabat, quæ succensæ pietatis æstum restinguebat, variis pro Luthero defensionibus adductis, quæ per se imbecillæ, vim trahebant ab ore tam præpotentis patroni. 6

Quapropter, cùm peruellet Cæsar, vti cœtus pleniùs edoceretur de tota causa à viro præstante, qui simul deberet ex munere, simul ex ingenio posset ardenter & efficaciter rem agere, Aleandrum aliquoties eò introduxit, præsertim verò quadam die, qui dies Cinerum fuit, priùs tam à Ceurio quàm ab ipso Cæsare admonitus, vt liberè peroraret, nec quemquam pertimesceret. Eo die Saxo, morbum simulatè causatus, à Conuentu se abstinuit; aliquos tamen legauit, qui quæ diceret Aleander scripto summatim notarent. At primò quidem optimum factu duxit Aleander, tam multas hæreses à Luthero disseminatas ante omnium oculos palàm ponere. Allatis igitur aliquot libris ab illo iam impressis, opportuna quædam in eis priùs obseruata videnda obtulit subinde, prout in dicendo ferebat occasio, auditoribus sibi magis propinquis, quibus loco testium luculentissimorum vteretur. Hoc instructus apparatu, tres ille horas perorauit, summâ concionis attentione. Quoniam verò argumenta validissima sunt ab eo hîc producta, quæ spectatis siue conscientiâ siue politicis rationibus, Reges & Regna Christiana permouerent ad insectandam hæresim, seruandamque Romano Pontifici obsequentiam; par esse censeo, quò meliùs ea lectoribus innotescant, illius Orationis summam hîc referre, 7

ferre, quæ quantum colligo ex eius literis, geminoque mandatorum libello, altero ab eo Romam delato, altero quibusdam Cæsaris Oratoribus tradito, quò Saxonem adduceret ad resistendum Luthero, habita est in sententiam hîc mox apponendam. Nec reprehendar, opinor, à lectoribus, quasi veritatis non seruantissimus, si, quò ipsis orationem adeò memorabilem exponam, non veluti in statua quadam inanima, sed in forma quodammodò spiranti, eam in eiusdem Aleandri lingua repræsentauero. A quo tamen abstinere mihi est in animo in Historiæ progressu; tametsi per exempla, perque * auctoritatem plurimorum id licere satis liqueat, cùm fidei magis laudem quàm eloquentiæ quæram. 1520.

Sunt in libro Archiuij Vaticani inscripti, *Acta VVormatiæ* fol. 66. & 99.

* Vide post alios Mascardum lib. 3. de Arte Historica cap. 4.

8 NEmini vnquam accidit, Augustissime Cæsar, Potentissimi Principes, & Præstantissimi Delegati, vt in vllo publico Cœtu verba faceret minori cum periculo ne fallerentur auditores, quàm mihi hodie in præsenti Conuentu. Solent Oratores decipere, boni studium simulantes eorum quos alloquuntur, à dicentis commodo, animique affectione vsquequaque seiunctum. Hinc est quòd aliquando amoris opinione magis quàm rationis pondere persuadeant. At equidem fateor me causam agere, cuius bono studiosissimè consulo, cuius amore vehementissimè conflagro. Agitatur hîc de retinenda in mei Principis vertice adorata cunctis Tiara: agitatur id, cuius gratiâ vel ex priuato animi mei sensu libenter me viuum flammis deuouerem, dummodò mecum vnà monstrum nascentis hæresis arderet. Idcircò vos omnes præmonitos volo, ne vllam mihi fidem porrigatis, nisi quantum meæ probationis robur exquisitissimè à vobis expensa iudicia vestra pertraxerit. Accuratum hoc examen non solùm non formidatur à me, quin potiùs exoptatur. Quas enim adducturus sum rationes, vti fert veri natura, tunc certiores deprehendentur, cùm intentiori simul ac perspicaciori oculo dispicientur. Deliberatur in præsentia, an in Lutheranam sectam Edictum Imperatorium sit intorquendum, id est telum, omnium quæ Cæsaris auctoritas obtinet, maximè formidabile. Ad hoc diiudicandum, tria præcipuè considerentur oportet. Primum, Num hæc secta omnino sit abolenda: Secundum, An id per mitiora quædam, minusque turbulenta confici possit: Tertium, Vtrùm ex hoc decreto maiora impendeant pericula, quàm ex lenta conniuentia atque permissu.

9 Ordiar à primo; quod, si rectè perpensum intellectumque sit, totam causam profligat. Ad id autem opus est, falsam opinationem prorsus euellere, antehac multorum animis insidentem: hoc est,

1529. omnem inter Lutherum Romamque discordiam in quibusdam capitibus sitam esse, quæ conferunt in rem Pontificis, & à Luthero negantur. Tantum id abhorret à vero, vt inter quadraginta & vnum articulos, à Romano Pontifice per suum diploma damnatos, qui ad Pontificiam auctoritatem attinent, exiguam teneant huius numeri partem. Ne forte existimetis, reliqua impietatis effata illi per calumniam obtrudi; huc mecum detuli Martini libros, ab ipso Latinè scriptos ac Teutonicè, & ab eodem impressos atque vulgatos. Satis est oculos in fronte gerere, vt ea clarè intueamini confirmata ac sæpiùs iterata. An forte in leuioribus argumentis? Negat ille necessitatem, vtilitatemque cuiusuis nostri operis ad cælestem gloriam consequendam: negat libertatem ad Legis naturalis Diuinæque obseruantiam; quin affirmat, quálibet actione nos ex necessitate peccare. Quod ex Orci armamentario validius telum ad hebetandos cunctos conscientiæ morsus, ad fræna pudoris perfringenda, ad honestatem aureis spei calcaribus exarmandam? Quod nocentius poculum vel in fabulis excogitatum est, ad homines in belluas deformandos; atque in belluas eò quàcumque aliâ belluâ nequiores, quòd illi peccare soli possunt, & ratione pro armis iniquitatis abuti? Cur veteres sapientes Epicuri sectam adeò sunt execrati, nisi, quòd, quamuis ipse Diuinitatem in cælo fateretur, negabat ab ea nobis vel pœnas infligi propter delicta, vel præmia rependi propter operum honestatem? Cur aiebat vir ille cordatus, posse ciuitatem potiùs sine igne & aqua, quàm sine Religione seruari; nisi quòd ad obtemperandum legibus, ad coërcendas rebelles appetitiones homo, qui sibimet ipsi numen est, numquam adduceretur nisi allectus præmio, supplicioque deterritus, quæ ipse à quadam omnipotenti Iustitia præstolatur? Parum profectò est ad nostram cupiditatem eò redigendam, vt arceat à sese oblectamenta sensibus iucunda vehementiùs instantia; parum, inquam, est respectus remunerationis ac pœnæ, quæ à terrenis Magistratibus adhibentur. Hi quandoque falluntur, quandoque corrumpuntur: modò fugâ vitantur, modò vi repelluntur: humanum supplicium numquam denique maius est malum eo quod cuicumque hominum ineuitabile natura præscribit, videlicet morte. Præmium verò quod accipitur ab hominibus, non exiguum modò, sed rarum est. Hinc sempiterna felicitas, hinc sempiterna calamitas, à Iudice potentissimo sapientissimoque rependenda, si mentis oculis obuersentur, fulcimenta sunt humanæ virtutis, adeoque ciuilis quietis.

Num

10 Num fortè spectat hæc dogmatis doctrina ad Romani Pontificis emolumenta? Spectátne ad eiusdem commoda, vis illa Sacramentis à Luthero detracta gratiæ affundendæ; quâ persuasione in animis credentium omnis extinguitur fiducia, nixa diuinis illis pharmacis, quæ nostræ salutis causâ IESVS CHRISTVS suo Sanguine in Cruce conflauit? Quid iam dicemus de potestate inaudita prorsus, Ecclesiæ fontes absoluendi non solùm laicis, sed planè feminis ab eo tributa; præcipuâ veneratione ab Ordine Sacerdotali sublatâ, & Sacramenti Pœnitentiæ corruptâ efficacitate cohibendi à peccatis, tam ex verecundia in iis aperiendis viro sacrâ dignitate venerabili, quàm ex eiusdem monitis ad emendatiorem vitam sedulò deducentis? 1520.

11 Sed progrediamur. Quænam impietas vel sacrilegio fœdior, vel perturbatione Christianæ Reipublicæ perniciosior, quàm vota religiosa delere, quàm sacrosancta illa vincula dissoluere, quæ sexus vtriusque Regulares intra sacra septa indissolubili nexu deuinciunt? Huiusmodi doctrina profectò abundè, quid sit Lutherus, ostendit. Neminem latet, astum, quo vtuntur initio deceptores, grassatorum duces, perduellionis auctores, in eo situm esse, vt omnis indicatur licentia, quasi stipendium ad numerosam assectarum manum conscribendam, sumptu communis ruinæ. Quænam erit rerum peruersio, quæ populorum offensio, quæ in cunctis vrbibus oppidisque discordia, spectare, quàm turpiter ij qui prædicatione & exemplo Fidei fermentum erant in populis, nunc irritamento doctrinæ sensibus illecebrosæ corrupti, vestes illas abiiciant adeò venerandas, templa deserant prius ob eorum Psalmodiam adeò frequentata, enormibus incestisque stupris sese contaminent? Concitabuntur enimuerò fratrum patrumque pugiones in sororum filiarumque proiecta libidini corpora. Efflagitabunt effrænati apostatæ à suis quisque consanguineis patrimonia, tamquam non ritè abdicata: breuî per cunctas familias dedecus, infamia in re familiari dissipatio, simultas in animis dominabitur.

12 Prætermitto brutalem eam insaniam, quâ docet Lutherus, nefas esse Turcarum aggressionibus obsistere; quippe qui diuinam in nos vltionem Dei vindices exercent. Quod æquè conficeret, nefas esse morbos curare, ne Deo, valetudinem ad noxarum vindictam infligenti, impiè resistatur. An demens non intelligit, hanc ipsam necessitatem obsistendi, bellandique per tot incommoda, per tot metus, esse graue supplicium, & illud planè, quo sperandum nobis est, in suis fidelibus Diuinam clementiam esse contentam? Non

1520. intelligit, vtcumque res habeat, dubitari non posse, ne fortè Diuinam voluntatem nos latentem frustremur, si Deo liberet grauiùs nos punire; cùm certum sit, nostram omnem repugnantiam, ex aranearum telis clypeum ad ictus Diuini gladij nobis euasuram? Sed hæc Lutheri dementia, quò certè maior, eò minùs perniciosa est, cùm fieri nequeat, vt ea in animum inducatur: solùm ostendit, quodnam lumen Diuinum huiusmodi prophetæ mentem irradiet, quænam sit charitas istius vindicis libertatis vestræ, qui mallet intueri Germaniam à Byzantiis canibus deuoratam, quàm à Romanis Pastoribus custoditam.

Et quoniam incidit mentio reuerentiæ quæ Romæ debetur, simulque animaduerto, popularem acclamationem plausumque Luthero excitatum, esse præmium huiusce tam expetitæ libertatis à Romana tyrannide, quam ille iactitat; perpendamus, si placet, quàm is benè de Republica hoc tam salutari nomine mereatur. 13 Qua in re lætor equidem, me verba facere in eorum Consessu, in quibus mens non caligat vulgi opinionibus mancipata, quarum falsitas quibuscumque rationum luminibus conspicua reddi non potest intelligentiæ populari; sed viget maximè perspicax, vel ad eam penitissimam veritatem collustrandam, cuius notitiâ nationum regnorumque fræna moderantibus opus est. Ac primùm quidem præmitto, nolle me hîc disputare de iis omnibus, quæ Romæ sunt in vsu Tribunalibus Curiæque administris. Quemadmodum Regia quoque conclauia suo puluere sordescunt, quo identidem mundentur oportet; ita in Principum Curias quidam etiam abusus irrepunt, qui sanè opus est vt interdum correctione purgentur. Nec tam exigua vel prudentia Cæsaris est, clarissimique huius Conuentus in dignoscenda indigentia Germaniæ, vel auctoritas apud Romanum Pontificem, vt sine tragicis exclamationibus vnius transfugæ exaugurati rabulæ, rerum peritiâ nihil illuminati, ac furore penitus occæcati, nesciant ipsi per se Christi Vicario rem efficaciter proponere, atque ille iustis postulationibus satisfacturus non sit. At quod nititur Lutherus euertere, Pontificia in vniuersum Potestas est, quæ toti præest Ecclesiæ in Diuinis Oraculis exponendis, rebusque Ecclesiasticis moderandis. Præcipuum illius argumentum, & populis maximè accommodatum, ad hanc sanctissimam auctoritatem eleuandam, in eo versatur, quòd affirmet, Romæ aliud manu perfici, aliud linguâ præscribi; adeoque mortales non ex veritate, sed per fraudem doceri. Missum facio, posse cuicumque libuerit, mores Romanos oculatâ luminum fide perspicere,

cere, non malignâ alienæ narrationis calumniâ noscitare, eosque 1520.
oculo purgato, humanaque censurâ, non idearum mensurâ perquirere; ac facile compertum iri, tantum temporis, tantum auri pondus continenter Diuino impensum obsequio, tantam eleëmosynarum largitionem, tantam abstinentiam ab iis quæ sensus appetit, quæque in aliis locis effrænatè arripiuntur, tantam vitæ integritatem in plerisque ex Apostolico Senatu, ceterisque Ordinibus magis ibi conspicuis, vt fateamini necesse sit, in eo quiddam maximè singulare, supraque vires hominum promicare: prætereo, fuisse Christi monitum, eorum nobis documenta non exempla sequenda, qui prima in Cathedra præsident. Sed aio, in argumentatione Lutheri, ex eius supposita sumptione consecutionem legitimam potiùs contrariam esse debere; atque affirmo disertè, luculenta esse indicia falsæ religionis, vbi custodes ordinarij, quantumuis aucti numero, & per quamcumque temporis diuturnitatem id exequi planè soleant quod præcipiunt. Huiusmodi erat veterum Romanorum religio, qui, vtpote ambitione feruentes, non aliam monstrabant viam ad diuinitatem sibi conquirendam, nisi quâ per humani generis stragem potentia atque gloria comparantur. Talis est Mahumetis religio, quæ omnem sensibus petulantiam indulget, sordesque voluptatis inquinatissimæ in omni æternitate pollicetur. Talis est, ne longiùs digrediamur, ipsius Lutheri religio, qui in ignauæ impuræque libidinis suæ gratiam, negat sempiternæ saluti honesti operis necessitatem, & inhonesti detrimentum. At non ita Religio quam Romani Pontifices nos edocent. Eam ipsi talem semper professi sunt, quæ eos omnes damnat tamquam deficientes, multos vt quadantenus reos, nonnullos (dicam ingenuè) vt scelestos; quæ ipsos adigit ad quamdam subiectionem, suarum appetitionum carnificem; quæ plurima illorum gesta extra hanc religionem nihil improbata subdit, tamquam noxia linguarum vituperationi dum viuunt, historiarum infamiæ post mortem; quæ per perennem gloriam, vel hîc inter mortales, antehabet excalceatum fraterculum coronato Pontifici. Quam oblectationem, quam vtilitatem suspicari possumus huius doctrinæ fuisse inuentrices? Quo pacto Romani Pontifices, etsi vitiis quandoque affecti, atque in aliis opinationibus nimiùm inter se discrepantes, adeò constanter omnes ad vnum consensissent in eadem doctrina confirmanda, nisi fuisset iisdem à Veritate dictata, & afflata diuinitus? Delabi Romæ quosdam ex Antistitum ordine in noxas admodum etiam graues, haud ibi superbè negatur, sed verecundè conceditur. Roma

1520. ea eſt, quæ non multis antè ſæculis aras cultumque decreuit Bernardo, illi ſcilicet viro, qui ſuis paginis Romam tam acerbè caſtigarat.

Vociferatur Lutherus, Romam eſſe ſimulationis domicilium. 14
In primis hæc eſt conſueta vitij effrænati calumnia, contra inuiſam reuerentiam virtutis exemplo prælucentis. Verùm, ſit Romæ in quibuſdam hypocriſis: quiſnam ſapiens neſciat, hypocriſim nonniſi in patria ſinceræ probitatis verſari? Nemo certè deſudaret adulterando auro iis in locis, vbi magno in pretio aurum non eſſet: nemo pariter laborioſiſſimæ ſimulationis impendio ſtudebit virtutis ſpeciem præſeferre in ea Republica, vbi animaduertat, virtutem nec affici præmio, nec reuerentiâ coli.

Atque hæc de Doctrina: iam de Iuriſdictione. Queritur Lu- 15
therus, ſupremum in Eccleſia Principatum à Romano Pontifice iniuriâ occupatum. Quînam hoc? Num fortè Alexandri phalangibus, Cæſariſve legionibus? Homines naturâ imperij appetentes, ac ſubiectionis inimici, ex tot Orbis terrarum regionibus, & cum propenſionibus ſtudiiſque politicis ita diuerſis, potuiſſentne vmquam vnanimes adduci, ad venerandum vti Chriſti Vicarium, Romæ Epiſcopum inermem, modiciique terreni dominatus? illi ſe ſubieciſſent ceteri Præſules? ſtrauiſſent ſe ad eius pedes tot diademata inter ſe diſſidentia, niſi veteris doctrinæ traditio iis omnibus perſuaſiſſet, id eſſe Chriſti mandatum ac teſtamentum? Sed penitiùs rem introſpiciamus. Comminiſcamur, paratum eſſe Chriſtum ad Eccleſiam ſuam noſtro arbitratu permutandam, & huiuſce ſapientis Conſeſſus auctoritati permittat, Romanum Pontificem à poſſeſſi Principatus faſtigio deturbare: an id bono publico expediat, expendamus. Quod ſi non expedire deprehendamus, ſatis nobis perſpicuum fiet, à Chriſto Eccleſiam ſuam eâ ratione fuiſſe conſtitutam, quæ maximè congrua eſt felicitati fidelium, etiam humanæ. Vos ad rem tanti ponderis attentiores depoſco. Romani Pontificatus faſtigio deiecto, quodnam erit Eccleſiæ regimen? Quilibet Epiſcoporum ſupremúmne in propria Diœceſi culmen imperij tenebit? Clamabimus, vnam nos tyrannidem extinxiſſe, innumerabiles peperiſſe. Sperare quidem licet, vnum tandem Pontificem ferè ſemper talem electum iri, qui prudentiâ, probitate, rerum experientiâ, atque vt hæc omnia deſint, miniſtrorum auxilio, humanæque laudis cupidine, regat vel probè vel certè tolerabiliter Chriſti gregem. Sed cuinam cadet in animum, hoc poſſe ſperari in immenſa minorum Epiſcoporum multitudine, qui non è Se-

è Senatu Cardinalium, neque ab eorumdem Senatu eligantur; sed 1520.
ex iis, qui paruo contenti censu, & angustis regiunculæ finibus, à popularibus Presbyteris eiusdem regiunculæ deliguntur? Enimuerò in tot Antistites nulli subiectos diuidere Hierarchiam Ecclesiasticam, perinde foret, ac minores dominos in suo quemque oppidulo supremum profani dominatus caput constituere.

16 At enim, inquient, Episcopi Concilio parebunt. Quæro: semperne istud Concilium coactum persistet? videlicet, an semper Episcopi à suis Ecclesiis absentes vnà persistent? Iam vt non ita persistant; quodnam erit adeundum tribunal, si quid grauius acciderit quo tempore non habetur Concilium? Atque huiusmodi Concilium, cuius erit iudicio cogendum, quando, quomodo, quo præside? Nónne intelligitis angustis hisce interrogatiunculis, id si fieret, quantum perturbationis, discordiæ, contentionis exagitaret ac deformaret Ecclesiam? Scio non defuturum, qui audacter respondeat: Penes Cæsarem esse debere potestatem Concilio præsidendi. Sed mihi certum est, Augustissimi Principis, qui me nunc audit, prudentiam ad huiusmodi opinamenta non flecti, non magis possibilia, tametsi forent legitima, quàm à Cæsare terrarum Orbem, à Decessoribus suis possessum, recuperari. Quicumque non cæcutit, satis conspicit, an potentia adeò coarctata, adeoque ab aliis Principibus in profana dominatione oppugnata, obtentura sit vmquam per eosdem supremum sacræ Dominationis fastigium, adeò cum profana confusæ. Communis sententia est, inter formas regendi Monarchiam excellere: sed vt Polyarchia præferatur, nemo sanè sic eam præoptabit, quin perpetuò summum Tribunal exret, & certo in loco, & quod in horas singulas cogi possit: quod sine dubio in Ecclesia non haberetur, si vno capite destituta à disiuncta omnium Episcoporum multitudine penderet. Præterea, quæ Legum, Rituum, ac tandem Fidei discrepantia inter fideles oriretur, cùm singuli populi illud crederent, quod suus cuique Episcopus, alioquin errori obnoxius, tamquam Diuinæ Scripturæ sententiam proposuisset? Reipsâ non ampliùs mereretur Ecclesia nomen *Ecclesiæ*, hoc est *Congregationis*, vbi iam in tot membra segregata, vnitate careret illius animæ, quæ ipsam informat ac regit. Quin etiam breuî huiusmodi Polyarchiæ regimen arrogarent sibi Rectores priuati aduersus ipsorum Episcopos; aduersus Rectores, minores Presbyteri; ac tandem illa verè Babylon conficeretur, quam Romæ Lutherus sacrilegè comminiscitur.

17 Sentio mihi à vulgo populariter opponi: Quonam pacto primæ-

nis

1520. uis sæculis Ecclesia regebatur, quando certum est, tantam potestatem à Pontifice nequaquam fuisse exercitam? Verùm hac eâdem ratione arguendi redigi possent homines, vt rursum glandibus vescantur; Principes, vt sine custodibus, sine aulæ frequentia, sine aulicorum comitatu vitam ducant; Regum filiæ, purgandis linteis operam nauent, quòd eam legimus antiquitus vsurpatam viuendi rationem. Quemadmodum humanis in corpori- 1
bus hominum habitudo indigentiaque pro ætate mutantur, nec iuuenis ad victum, quo idem vsus est infans, regredi posset; non aliter Reipublicæ corpori contingit. Metiamur id quod effici liceat ex eo quem cernimus rei Christianæ statu, non ex eo quod Pontifices quandoque fecere, quà insectationibus coacti, quà paucis probatissimæ sanctitatis Episcopis confisi, quà præpediti potentiâ Cæsaris vbique gentium imperantis, quà etiam ob commercia nationum longè minùs quàm ætate nostrâ vsurpata; vnde fiebat, vt nec facilè nec frequenter Romanus Pontifex adiri posset. Ceterùm etiam Cæsari erga multos inest ius supremum, quibuscum, ob eorumdem potentiam vel distantiam, ille nunc eâ vniuersâ auctoritate non vtitur quam iure obtinet, & quæ alioqui foret interdum opportuna Imperij vnitati, rectæque gubernationi populorum. Atqui satis constat, Romanum Pontificem quouis tempore fuisse habitum vti reliquis Episcopis superiorem, eamque potestatem, quam ille à tot sæculis hucusque adhibet, nequaquam armorum violentiâ sibi comparasse, eamdemque esse in præsentia, vt demonstraui, ad bonum Ecclesiæ regimen necessariam. Constat pariter, per illa tempora, quorum exemplar mihi obiicitur, non extitisse in Ecclesiastica Hierarchia eum concentum, eam propensionem, eum ordinem, eam firmitatem æquabilitatemque Legum ac Rituum, quibus nunc fruitur. Quin multi Episcoporum præcipui atque sanctissimi, definitiones, sanctionesque magni momenti, editas ab Ecclesia circa mores ac Religionem, ignorabant; & in sacris cæremoniis ea varietas inducebatur, quæ in longinquioribus Prouinciis adhuc perdurat. Paulatim etiam potentiores infulæ ac remotiores, in Petri Tiaram insurgere non verebantur, ea schismata concitantes, quæ mysticum Christi Corpus dilacerarunt, & magna ex parte Orientalem Ecclesiam ab Occidentali seiunxerunt. Ex quibus incommodis nullum patimur, postquam Romanus Pontifex in Episcopos inferiores plenâ iurisdictione perfungitur.

Cùm autem ostensum sit, ob vnitatem, gubernationem, maie- 18
statem, vnum esse constituendum supremum Caput, supremumque Recto-

Rectorem Ecclesiæ; oportet eumdem, quò parens communis, ne- 1520.
minique suspectus habeatur, in ditione cuiuscumque ex aliis Principibus haud sedem figere, sed propriam ditionem obtinere, propriam aulam, proprios administros, & qui suæ administrationis amplitudini debeantur. Atque ad hæc omnia vndenam necessarij sumptus suppeditabuntur? Quodlibet oppidum eos suo Parocho suppeditat, quælibet Diœcesis suo Præsuli, quælibet ditio suo Principi, multæque simul ditiones ac regna suo Monarchæ. Neque subditorum detrimentum existimatur, si vnius regionis pecunia deportetur in aliam, modò illi pecuniæ ea merces rependatur omnium maximè necessaria, maximoque in pretio habita, quæ scilicet est ipsa Lex & Iustitiæ conseruatio. Cur igitur extortum nequiter dicendum est id, quod è Christianæ gentis collationibus conflatur ad alendum Ecclesiasticæ Regiæ Principatum?

19 Dicent, ea esse quidem, sed rebus necessariis suppeditanda, non in luxus deliciasque dissipanda, nascenti Ecclesiæ ignoratas, & Euangelio repugnantes. In hac populari querela grauissimo itidem sophismate peccatur. Si de splendore loquuntur, ad magnificentiam ornatumque templorum, ad sacra vasa, ad sacerdotalem supellectilem spectante; hic sanè in Ecclesia primæua parcior fuit, at sæculi prauitate, non Præsulum voluntate. Videamus cuiusmodi splendorem in Hierosolymæ templo Deus præceperit; qualem adhibuerit Constantinus statim ac Fidem susceperat, & quas inde laudes tulerit Sanctorum omnium calamis concelebratus? Nouit id vel Ethnica superstitio, asseruitque, aurum nusquam meliùs quàm in templo fulgere. Quòd si quis mordacior satyristes hunc morem carpsit, scomma retorsit egregiè S. Bernardus, seuerissimus ille paupertatis & austeritatis cultor, dum ait: *Non quid in Sancto, sed quid in fræno aurum faciat, inquirendum.* Quâ ratione Deus, vt ita loquar, cælum inaurauit luce, quò mortalium amorem excitaret; eâdem optimum est, auro templa illuminari, quò populus alliciatur, eoque confluat, sensu cum ratione, voluptate cum pietate conspirantibus. Neque hæc magnifica sanctitas Romæ peculiaris est. Quis vestrûm est, Principes ac Dynastæ, qui eam suis in ditionibus piâ liberalitate non imitetur? Flagitat populus theatra: hinc est non solùm pietati, sed etiam politicæ congruum id agere, vt splendidiora & iucundiora theatra sint, in quibus vitium non alitur, sed curatur.

20 Iam verò, si sermo sit de luxu priuato, par est vt in Ecclesiastico, sicut in quolibet alio Principatu, desiderium à spe discernamus.

1520. Paupertas voluntaria Romæ laudatur; illius auctores adorantur, vituperatores damnantur: non tamen virtus tam excelsa postulanda vniuersè in omnibus, aut speranda. Leges tunc planè sunt pessimæ, cùm exigunt optimum, hoc est, suprà quàm sperari queat perfectum: neque vult Deus vel innatas animis propensiones euellere, vel eisdem heroicam sanctimoniam generatim infundere. Vnde humana incommoda in cultu diuino humanis vicissim commodis compensentur oportet: idcircò pacem, non persecutionem exoptamus Ecclesiæ. Etenim si hæc per victoriam ardui quosdam excitat ad sanctitatem; illa facilitatis ope plurimos euehit ad salutem. Nec sanè humani alicuius illicij adminiculum diminuit operis honestatem Dei causâ suscepti, prout liquet ex multis præmiis terrenis, ab eo in veteri Lege promissis. Si itaque velimus, vti sacra Christianæ Reipublicæ Regia re ipsâ frequentetur à viris ingenio, literis, virtute, nobilitate præclaris, qui desertâ patriâ, præcisâ spe concessâ connubij prolisque non indecoris, cetera subeant onera Ecclesiasticæ disciplinæ; necesse est honorum ac prouentuum spe eorum animi releuentur. Quantum splendoris, quantum firmitudinis nostræ Fidei conferr, spectari Principum ac Dynastarum filios sacerdotio deuinctos, & obsequio summi Sacerdotis addictos? Id verò neutiquam contingeret, nisi pietas Christiani populi eidem summo Sacerdoti copiam remunerandi suppeditaret.

Vereor ne mihi à multis hîc exprobretur, hasce Christiani Orbis collationes posse tandem tolerari, si præmia iis conflata, ex merito, non ex affectu Romæ dispertirentur. Paulisper sistamus. Hac ratione de medio tollenda esset cuique Reipublicæ facultas remunerandi. Nulli enim Reipublicæ Deus tradidit perpetuo veluti fideicommisso, iustitiam ac sapientiam in distributoribus præmiorum. Quidquid humano iudicio committitur, cuidam regulæ committitur, sæpè ab affectu, sæpè ab ignorantia distortæ. Adde, acutiùs ab egregio scriptore fuisse obseruatum, huiusmodi errores esse necessarios ad quietem Reipublicæ conseruandam; cùm certum sit, si maius præmium, maioris etiam meriti certissimum esset argumentum, neminem æquo animo passurum, se aliis per tam apertum dedecus posthaberi. Gratissimum cuique leuamen est, posse fortunam vt inimicam virtutis incusare. Ceterùm, quæ ab huiusmodi sacræ politiæ rudiori examine proueniunt expendamus, vti facto opus est in cunctis legibus moribusque ponderandis. Liquet profectò, ex tot tamque amplis remunerationibus à Pontifice distributis, oriri nostræ Religioni splendorem illum incompa- 22

comparabilem à me laudatum, propterea quòd in Christianis nationibus flos nobilitatis, doctrinæ, virtutis, Christi Aris deuouetur; quod certè, humanæ imbecillitatis vitio, in Ecclesiæ inopia non eueniret. 1520.

22 Neque hoc est (vt oblatrant aduersarij) sanguinem Christianæ gentis exsugere, quo Roma pinguescar. Nam si Sacerdotia consideremus, ea quocumque in loco, eiusdem loci populares plerumque obtinent: & quibus hoc non contingit, alia aliis in aliorum patria, per quamdam compensationem vicissim impertiuntur. Sin pecuniam consideremus, quam sibi Pontifex è diplomatum, aliarumque facultatum traditione desumit; ea sane veritatis calculo computata, tanta non est, quanta mediocri Principi sustentando sufficiat; cùm videamus multos Principes non maximos, nihilo minorem quàm Pontifex in alenda familia sumptum impendere. Et tamen ij prouentus solam conficiunt partem illius summæ, quam Pontifex ad id insumit; cùm pars altera, nec tenuis, ab eiusdem profana ditione illi suppeditetur. Rationem subducite, quam particulam eorum singula verè conferant. Præterea illâ ipsâ particulâ quinam, rogo, perfruuntur? Romana Aula, non est Aula ibi à stirpe nascentium: Aula est Ecclesiasticorum, ex variis Orbis Christiani Prouinciis eò confluentium: ac propterea decora, diuitiæ, commoda illius Aulæ ad cunctas etiam Orbis Christiani Prouincias pertinent. Quis verò, nisi vecors aut improbus, inficiabitur, conferre plurimum ad incitamentum virtutis, communem quamdam Christianis omnibus Aulam esse, in qua possit pro se quisque conniti per meritorum gressus ad summa & dignitatis, & opulentiæ, & dominationis fastigia?

23 Dimetiamur denique huius principatus vtilitatem normâ magis apertâ, sensibus & vulgo etiam expositâ, id est effectis. Nulla perinde Respublica vt Christiana tam numerosè, tam splendidè tuetur ac fouet nobilitatem, nimirum decori, honestatis, virtutis, ingeniorum altricem, & quæ meritò apud inclytam Germanorum nationem tanti æstimatur. Id autem ex eo prouenit, quòd cùm in Christiana Religione, dignitatibus reditibusque nobiles alliciantur ad vitam cælibem, quà inter Militares, quà inter Clericalem ordinem profitendam, efficitur, vt patrimonia familiarum ab iis facilè integra retineantur, vbi alioqui maiorum natu iura minoribus fratribus euaderent intolerabilia. Nulla alia hominum natio adeò vel maximè abundat literis. Quid ita? Quia supremum obtinet Principatum, atque in eo tam sublimes gradus, quibus tam-

1520. quam præmiis propositis, ad Palladis studia, non Martis aspirant.
Si (vt paucis multa complectar) vniuersum terrarum Orbem circumspectemus, nulla nobis occurret Respublica aut felicior, aut excelsior, aut ornatior iis dotibus, quæ supra belluas hominem euehunt, ipsisque Angelis admouent, quàm Christiana Communitas obtemperans Romano Pontifici. Neque id naturæ climatisque beneficio tribuatur. Aliis tempestatibus longè felicior, excelsior, & in politicis præstantior extitit Oriens, quàm Septemtrio. Id igitur quoddam bonum est, quod oritur ex ipsa ratione Principatus à Christo constituti, quo suum populum manifestâ prærogatiuâ insigniret in terris; cuius Principatus, vt intelligitis, basis, nexus, rector, ac mouens tamquam intelligentia, Romani Pontificis auctoritas est.

Quare primum ac præcipuum ex capitibus à me propositis ita 24
concludo: Si Lutheri pertinacia, vti iam vobis exploratum est, id enititur, vt Christianæ Religionis cardines diuellat, sublato mortalium operibus respectu supplicij præmiique cælestis, Sacramentis veneratione, votis solennibus custodiâ, fidei sacroque Christianorum Principatui vnitate; atque id expellendo funditus ex animis pietatem, atque à cœtu mortalium felicitatem, vbicumque illius doctrinæ lues afflatur; quæ lues adipi sensuíve infusa, adeò tenaciter, vt in dies experimur, populos corripit, adeò longè lateque per eos grassatur: liquidò apparet, opus esse remediis præsentissimis, vt opprimatur. Animaduertit id perspicaciâ singulari Maximilianus Cæsar, suisque literis Romanum Pontificem stimulauit, vt proserpenti hæresi suarum definitionum auctoritate obuiàm iret, pollicitus se per vniuersum Imperium eas pro virili promoturum. Hac permotus fiduciâ Leo Decimus, non dubitauit sacrosancta sua tela ad pugnam educere, & Apostolico studio suas omnes partes explere. Nolet enimuerò Carolus, despectâ sententiâ, violatâque promissione Decessoris & Aui, Pontificem impiorum ludibrium deserere, ingensque illud incendium sibi præsens negligere, cuius vel primæ scintillæ tantum Maximiliano solicitudinis ardorem intulere.

Hoc ita stabilito; de reliquis duabus partibus pauca supersunt 25
dicenda. Secunda pars est, an sit reliqua spes vlla curationis per remedia minùs acria, minusque mordacia, quàm sit Edictum Cæsareum. Sed quod, oro, huiusmodi remedium non est adhibitum? Pontifex, exclamare ausim, per suum dedecus (si vmquam Christi Vicario dedecori vertenda sit charitas) Pontifex, inquam, perinde

cum

cum Luthero egit, ac si cum magno Principe agendum, non cum 1520.
peruicaci cucullato. Illum acciuit Romam; eoque recusante, causam Romano Tribunali nouo exemplo subtractam, in Germania Cardinali Legato, clarissimo ætatis nostræ Theologo, demandauit. Legatus passus est, vti sese Lutherus adiret Cæsareâ fide munitus: quod idem erat, ac reuinctis Legati brachiis, & linguâ solùm solutâ. Audiuit hominem sæpè quà voce quà scripto loquentem: integram obtulit veniam sceleris, omnium quæ à Christi cultore admitti possunt fœdissimi, modò ipse scelus agnosceret. Amicorum cohortationes adhibuit: tulit posteà se ab eodem indecorè deseri, non modò non impetratâ, sed ne significatâ quidem abeundi facultate, atque vti suspectæ fidei iudicem repudiari, abstinuitque ab ea legitima consuetaque mulcta, quæ est, reum damnare. Deinde, Luthero exhibente plenam animi consensionem cum voce Pontificis, ac si Dei vox foret, Pontifex articulos definiuit in genere, prætermisso Lutheri nomine in diplomate, vt ab ea ignominia intactum relinqueret. Ille intereà in Romanam Sedem, summis Regibus adoratam, tamquam in sceleratorum colluuiem ore & calamo debacchari, ipsius auctoritatem abnegare, & ad Concilium prouocare, quod neque tunc coactum erat, neque erat in promptu vt cogeretur, arrogatâ sibi licentiâ, vel agendi vitam immunem ab omni Ecclesiastica potestate, vel compellendi Ecclesiam, vt ipsius solâ gratiâ Generale Concilium congregaret. Post hæc omnia, Carolus Miltitius, vir in his regionibus satis clarus, Legatus à Romano Pontifice ad præclarissimum Septemuirum Saxoniæ, sæpiùs impendit reconciliando Luthero, nedum lenitatis, sed demissionis officia lacrymasque; neque quidquam ab eo impetrauit, nisi literas ad Pontificem eâ putidas ignominiâ, vt longè vrbaniores illi scriberet Turcarum Princeps. Obtulit tam sæpè Lutherus causam suam subiicere iudicio, inter ceteras, Academiæ Louaniensis: ea doctrinam illius damnauit; sed obsequij loco contumelias retulit. Adhuc Pontifex, vt suæ vocis humanitate orisque maiestate hominem recuperaret, & quò etiam ipsemet adspiceret quantum interesset inter veram Romam, & eam quam idem obtrectationum suarum carbone delineauerat, flexit animum ad eum Romam inuitandum, simulque fidem publicam ac viaticum offerendum: neque destitit, tamquam cum filio fugitiuo cum eo agere, qui secum atroces inimicitias profitebatur. Postremùm, solicitatus Academiarum Præsulumque Germaniæ postulationibus, vt in hunc animorum deceptorem damnationis fulmen iacularetur,

 ipsum

1520. ipsum de ictu imminente præmonitum voluit, eique simul indulsit nouum spatium fulminis euitandi. At quis iam ex tam constanti clementia, tam patienti ac tanta cunctatione tandem extitit fructus? Durior eius contumacia effecta est, eius despicientia petulantior, supra modum impiæ eius blasphemiæ, dum ipse intereà nouos in dies asseclas sibi adiungeret, seu loquacitate deceptos, seu licentiâ fascinatos. Atque hoc denique leuamentum est, quod insaniæ illius perditi capitis mitiora remedia contulere.

Cæsar ex altera parte purgantia, sed minùs acria expertus est. 26
Primùm enim sacrilega volumina interdixit, sed auctorum nominibus pepercit; & ea tamen volumina auctiore semper numero ac fœdiore contumaciâ pullularunt. Eadem comburi iussit, Academiarum magni nominis iudicio, vnaque Archiepiscopis Septemuiris auctoritate ac exemplo rem comprobantibus. Lutherus contrà ausus est aliis flammis ea volumina absumere, quæ maximè, secundùm sacras Literas, venerationi sunt Christianæ Reipublicæ, quippe certa regula rectè credendi atque viuendi. Augentur in dies concionum impietas, libellorum petulantia, satyrorum aculei, conuenticulorum seditio, querimoniarum etiam insolentissima confidentia. Quoniam ergo quodcumque aliud telum draconis huiusmodi squamis retunditur atque hebetatur, quid iam reliqui sit, nisi Edicti Cæsarei tormentum explodere?

Verùm, ne quis obiiciat, ex hoc ipso incrementum mali pertimescendum, si fortè Lutherani, ex desperatione ferociores, potentioresque ex multitudine, in apertam adeoque insuperabilem perduellionem erumpant; oportet ad vltimum caput ex tribus allatis accedam, expendamque breuiter, vtrum ex duobus consiliis maius nobis detrimentum minitetur. Edicto supersedeat Cæsar. Quid, nónne Cæsarem pro inimico Lutherani iam habent? Nónne Cæsar ex vniuersa ditione sua illorum doctrinam profligauit? Nónne per incendia eidem simul cum auctoribus suis infamiæ notam inussit? Nónne hoc ipsum etiam tres à me laudati Septemuiri perfecerunt? Quam sibi pacem ab his Principibus sperandam putent, post tam acerbam nequitiæ suæ declarationem? Et post offensionem adeò grauem, quam ab illis vltionis efferatæ vicem hi Principes expectare non debeant? Vbi inimicitia iam capitalis est & in aperto, tergiuersatio hoc vnum facit, vt opportunitas detur hosti se muniendi, & ictum præoccupandi. At verò, etiamsi animi iam exulcerati non essent offensionum acerbitate, satis adhuc forent damna tam funesta, de quibus iam differui, ab hac secta imminentia

tia sinceritati Religionis, populorumque tranquillitati, vt quodcumque minus periculum præ illis leue reputaretur. 1520

28 At vndenam vmquam, per vestram fidem, hæc pericula formidamus? Nonne in hoc amplissimo Senatu tota Germaniæ potentia coalescit? An ignoramus infinitam in hac natione populorum erga Principes reuerentiam? Enimuerò quibuscum tandem contenditur? cum turba, quæ vti formidabilem ante certamen ob temeritatem sese ostentat, ita in conflictu contemnendam se prodit propter timiditatem. Plurimi sunt, non inficior; non tamen innumerabiles, vti videntur quòd voce turbulenter obstrepant: qui autem impendit totum spiritum vt obstrepat voce, nihil sibi retinet, quò manu rem gerat. Quantò ex Dei beneficentia numerosior est factio Catholicorum? neque solùm numerosior, sed instructior, atque validior cunctis illis dotibus, quæ in certaminibus numero potiores sunt? At sapientiæ existimationem exposcitis? Academiæ celeberrimæ Lutherum damnarunt. Gradus venerationem requiritis? omnes Germaniæ Episcopi, Præsides, Rectores Ecclesiarum maximè conspicui Lutherum execrantur. Vultin' dominationis potentiam? Cæsar in sui patrimonij ditione Lutheri Opera publicè concremauit, potiorque pars Germaniæ Principum ac Dynastarum Lutheri nouitatem abominatur. An fortè Principum exterorum tutelam extimescitis? Gallorum Rex Lutheri doctrinæ sua in Regna ingressum prohibet; certisque coniecturis habetur, consensu Regis à Parisiensi eiusdem Academia censuram in Lutherum excudi ac fabricari, quam hîc breuî spectabitis. Rex Britanniæ, vt perlatum est, vulnus Luthero intentat, suâ manu infligendum, dum in illius errores librum elaborat. Quid Pannonia, quid Italia, quid Hispania sentiant, satis liquet. Nemo ex finitimis, tametsi vos odisset, hoc vobis malum optaret. In hostili domo, si propè sit, exoptatur quidem febris, non tamen pestis. Quid tandem sunt Lutherani, nisi farrago ex arrogantibus grammaticis, ex inquinatis clericis, è discinctis regularibus, ex illiteratis causidicis, ex nobilibus delapsis, è seductis plebeiis? Concors decretum huius præstantissimi Consessus simplices animos illuminabit, monebit incautos, nutantes pertrahet, pauidos confirmabit. Quòd si quis ex Primoribus huic sectæ hucusque patrocinatus est, nolet in Luthero importunè defendendo inuictissimi Cæsaris, & Augustissimi huiusce Senatus Maiestatem offendere; quippe se suo inobsequens capiti, suo discors corpori membrum ostensurus.

Verum-

1520. Verumtamen, vtcumque hominum improbitas, temporumque 29
calamitas efficerent, vt ad tam grauem ictum nefaſta hæc planta adhuc viua perſiſteret; viuet adeò debilitata, vt ſperare iam liceat, non ſolùm eius germina in præſens reprimenda, ſed ipſam ſæculo feliciore caſuram. At verò abſque huiuſce ſecuris ictu illam videre mihi videor occupantem ſuis ramis ingentem hanc Christi vineam, eamque in horridum nemus, in omnium beſtiarum luſtra miſerrime deformantem: vnde contingat Germaniæ, ob effrænatam Lutheri hæreſim, id quod Aſiæ contigit ob fœdam Mahumetanam ſuperſtitionem.

CAPVT XXVI.

Lutherus accitus ad Conuentum, datâ Cæſaris fide; adeſt: interrogatur: quid reſpondeat.

Coetus ille vehementer commotus eſt Aleandri rationibus, 1
eâ eloquentiâ adductis, quâ ipſas intenderet neruis, non effœminaret pigmentis. Quapropter cùm eodem anteà propenderet, rebus pluribus, de quibus ambigebatur, euaneſcentibus, à pleriſque in eam ſententiam itum eſt, Lutheranam hæreſim eſſe funditus euellendam. Carolus verò eam adeò auerſabatur, vt oblatas à Luthero literas, quibus ad excutiendum Pontificiæ auctoritatis iugum à Germaniæ ceruicibus illiciebat, legere recuſauerit; quin eas repentè conciderit, itaque conciſas tradiderit Aleandro, qui ad Leonem mitteret. Non tamen ceſſabat factio Lutherana ſaltem moras innectere, ſatis gnara, tempus commutationum omnium patentem eſſe. Studuit idcircò ad æmulationem diſtrahere Aleandrum diſputationis inuitamento, quam ille ſapienter repudiauit, quemadmodum Coloniæ priùs egerat; meritò Romæ ob eam rem collaudatus, mandato etiam iniuncto, vt in eadem repulſa vſque perſiſteret.

Operam etiam dedere, vt idem laceſſitus iniuriis incandeſceret, 2
ſi fortè ad priuatam vltionem conuerſus à ſollicitatione cauſæ publicæ dimoueretur: eoque deuentum eſt, vt homo vilis, Conſilij Cæſarei ianitor, animo Lutheranus, Aleandrum pugnis eius pectori admotis repulerit. Ille verò excelſi animi moderatione iniuriam tolerauit; cùm ſatis intelligeret, perperàm ab eo pugnari, qui à configendo hoſtium Imperatore ſe flectat, quò acceptum à lixa vulnus vlciſcatur: oſtenditque ſe probè callere diſcrimen inter verum honorem, cuius menſura bonum publicum eſſe debet, ac popularem,

pulatem, qui idolum quoddam est, ab ingeniis stolidè ferocientibus fabricatum. 1520.

3 Non tamen euitare licuit obstaculum planè molestum à Saxone propositum, aiente, dubitari posse, an multa ex impiis Operibus, quę Lutheri nomen præ se gererent, eum reuerà auctorem haberent; ideoque non æquum videri, hominem non vocatum & inauditum damnari. Timuit Aleander, ne hic hominis accitus eò tenderet, vt in solemni disputatione Lutherus audiretur, cui ille inhiabat auidè, fretus linguæ suæ volubilitate, animi sui audaciâ, & communi auditorum inscitiâ. Quamobrem sedulò contestatus est apud Cæsaris administros, non esse in controuersiam adducendum id quod à Romano Pontifice, supremo Iudice in rebus Religionis, sancitum fuerat; præterquam quòd non esset in potestate illius Conuentus, vtpote profana, huiusmodi causis præesse: Lutherum denique Coloniæ palàm edixisse, recusari à se Philosophos, Canonum peritos, & vniuersum Ordinem Ecclesiasticum; proinde solùm esse reliquum, vti Tribunal ab illo admissum ex meris Grammaticis ac Poëtis constitueretur.

4 Sed statim factus est certior, vocari Lutherum; non quò proscriptos à Pontifice Romano articulos in concertationem adduceret, sed quò declararet, an eos tamquam suam doctrinam agnosceret. Nihilominùs, tametsi illius rei causâ is acciretur, nec mora nec periculum vitabatur; quoniam homo factiosus, ac linguâ promptus, ardore vultus, & oris spiritu ad concitandam seditionem plurimum valuisset. Cùm etiam haud lateret, à quibusdam veluti sanctum illum coli, eiusque imaginem excusam fuisse, appicto supra verticem diademate more Sanctorum.

5 Vrgebat Aleander, hæreticum manifestarium, à Romano Pontifice iam damnatum, neutiquam audiendum. Quòd si adhuc citandus esset, vt nouæ damnationis forma seruaretur, haud certè fidem publicam illi præbendam, quæ concedi non debet pro eo crimine, cuius nomine reus citatur. Sed in causa magnis vtrimque patrociniis fulta, media plerumque consilia præualent: præsertim verò Germaniæ libertatis mos est, in re dubia mitiorem sequi rationem damnandi. Missus igitur Fecialis minister Cæsaris, qui fidem publicam Luthero deferret. Hîc Lutherus, quamquam multis dehortantibus, statuit eò se conferre; confisusque suæ linguæ viribus, quâ elatus vniuersis Imperij Ordinibus solicitudinem incusserat, sperauit ad sua signa vniuersos Imperij Ordines eâdem se pertracturum.

1520. Effecta huius aduentus (quæ probrosissimæ fuerunt ignominiæ, 6
supra quàm Lutherana vmquam hæresis passa sit) describuntur à Suaui eâ artis industriâ, vt non per plurimum falsitatis, sed per plurimæ veritatis silentium, rem tamquam illi sectæ admodum honorificam repræsentet; sculptores imitatus, qui è rudi saxo pulchrum simulacrum conformant, non addendo, sed demendo. Nos itaque, quò Lectorem edoceamus, rem distinctè pleneque proponemus, existimantes longitudinem breuitatemque narrationum ab eorum voluptate commodoque metiendam, quibus illæ scribuntur.

Venit ad Conuentum Lutherus, centum equitibus, quos nobi- 7
les eiusdem partium instruxerant, comitantibus. Iter facienti occurrebant populi, nonnulli studio, cuncti curiositate commoti. Cum octo solùm equitibus Wormatiam ingressus, ad hospitium prope Saxonem diuertit, atque è curru desiliens exclamauit: *Deus pro me stabit.* Eodem die tota ciuitas solicitè confluxit, quò monstrum spectaret seu sapientiæ seu nequitiæ. Conspectus tamen minuit existimationem apud multos doctrinæ, apud plurimos probitatis. Defecerat opinio doctrinæ, quòd eius argumenta, vti est natura sophismatum, amiserant fulgorem illum improuisò, quo aciem perstringebant; atque aduersus ea iam cognita in ipsius commentariis, exactâque sapientium virorum trutinâ perpensa, satis se quisque munierat: ac propterea ipse potiùs ad obiectorum nouitatem inermis euaserat. Ex altera parte aduersantem sibi experiebatur fauorem ac studium ipsius famæ. Sicut enim illa suis exaggerationibus hominis ingenium quasi supra conditionem humanam extulerat; ita quidquid in eo infra hanc mensionem apparebat, despicatui ducebatur. Quod verò ad probitatem attinet: rudiores haud deerant, qui sub ea loquendi agendique ratione per lymphaticam auctoritatem, nescio quid diuinum suspicabantur; vti ex aduerso alij, ob eamdem causam malo dæmone obsessum existimabant. At magis cordati, illius animum metientes tam eo quod per os eius intrabat, quàm eo quod exibat, planè agnoscebant in ipso multum intemperantiæ, superbiæ plurimum, plurimum iracundiæ, vno verbo, summam peruersionem inferiorum appetentiarum, quibus edomandis studuit Euangelium. Quare haud illis verisimile videbatur, eum à cælo fuisse destinatum, tamquam ipsius nuntium & interpretem singularem. Atque in primo ad Cæsarem aditu tantum modestiæ in verbo ac gestu ne tantisper quidem valuit sibi mutuari ab arte ac reuerentia, vt qualis esset reapse dissimularet:

ſimularet: vnde lepidè Cæſar dixit: *Hic certè numquam efficeret vt hæreticus euaderem.* 1520.

8 Poſtridie quàm aduenerat, Cæſarem adiit coram Comitiis die 17. Aprilis. Statimque ex Conuentus mandato interrogatus fuit ab altero Ioanne Eckio (quod nomen Lutheri damnationibus fatale) Treuirenſis Archiepiſcopi Vicario, viro docto, Catholico, & Aleandri neceſſario. Prima interrogatio fuit, an Martinus tamquam ſuos agnoſceret libros ibi productos, alioſque ſuo nomine iam euulgatos. Aderant ibi viginti quinque circiter ex Operibus in lucem editis à Luthero, & Aleandri collectis induſtriâ. Simul etiam quæſitum, an vellet res in illis contentas ſuſtinere. Ad priorem partem reſpondit, eos libros reuerà ſuos eſſe: ad poſteriorem, tempus ad deliberandum poſtulauit in tam arduo negotio, quod ad Dei verbum, animarumq; ſalutem pertineret. His auditis, Cęſar cum ſuis Conſultoribus aliò ſeceſſit, aliò Septemuiri cum ceteris Principibus, aliò etiam liberarum Ciuitatum Delegati. Dein cunctis in vnum conuenientibus, idem Eckius, Cæſaris ac Imperij nomine dixit: Abſurdum videri, ſpatium ab eo ad conſiderandum depoſci, cùm ad dicendam ſuper eo argumento cauſam diſertè in ius vocatus, debuiſſet in promptu reſponſionem habere. In cauſa Fidei prolationem minimè concedi, propterea quòd cum periculo atque offenſione fidelium id contingit: nihilominùs, ex ſumma Cæſaris clementia, vſque ad proximum diem tempus indulgeri. Poſteà illum admonuit, fuiſſe ab eo theſes conſcriptas contra Romanum Pontificem Sedemque Apoſtolicam, ac multas hæreſes diſſeminatas, quibus niſi confeſtim fuiſſet occurſum, nec ipſius retractationem poſteà, neque vim Cæſaris ad incendium extinguendum profutura. Sed hæc poſtrema verba in rem fortaſſe non erant, cùm illi ceu periculum obiicerent id ipſum, quod idem ceu proſperum quid appetebat. Verumtamen viſus eſt Lutherus egredi minori cum confidentia quàm fuerat ingreſſus; quippe intelligebat eò ſe adactum, vt vel partum ſibi nomen exueret palinodiâ, vel Imperij totius indignationem ſubiret peruicaciâ.

1520.

CAPVT XXVII.

Alter Lutheri accessus ad Conuentum; & quæ ibi acciderint.

Quæ Wormatiæ gesta, in causa Lutheri, narrãtur in Volumine Archiuij Vaticani, inscripto, *Acta VVormatiæ*; præter citatas Aleandri literas.

POst huiusmodi colloquium iniunxit Cæsar suo Confessario, ac Vicario Treuirensi, vt postridie manè vnà cum Aleandro conuenirent de iis, quæ cum Luthero postero die essent agenda. At Aleander solicitudine haud prorsus vacabat, gnarus multos, nomini Romano infensos, auctores esse Luthero, vt ea solùm retineret quæ contra Romanum Pontificem eiusque Aulam oblocutus fuerat, ceteris erroribus reuocatis. Quod si accidisset, minimè sperandum videbatur, vt Conuentus conflatus ex tot profanis hominibus, ac sinistrâ opinione corruptis, in sententiam damnationis abiret. At vafri callidique homines, cuiusmodi erat Lutherus, student impensiùs nihil sibi nocere, quàm nocere inimico. Idcircò consilium ab eo reiectum; vtpote quod omnem fidem suæ doctrinæ ademisset, si ore suo palàm omnibus fateretur, se ad eam vsque horam hæresiarcham fuisse, soloque pœnæ metu coërcitum à Christianis seducendis. 1

Itaque sequenti die regressus ad Conuentum Lutherus dixit: Libros suos tripartito diuidi posse: aliis religionis argumenta contineri, & ex iis multa ne ab aduersariis quidem damnari: se non posse, nisi conscientiam lædat, ab eorum doctrina recedere. In aliis, Romani Pontificis Decreta, ac Pontificiorum sententias impugnari: atque illorum reuocationem nihil aliud esse, nisi eam humani generis carnificinam communiri. Hîc verò contumeliosis obiurgationibus debacchari cœpit; quæ tamen illicò Cæsaris auctoritate in illius ore suffocatæ sunt. Quare ad tertiam classem progressus, in ea dixit varios aculeos inesse ac probra in suos æmulos, Romæ assentatores & mancipia; ac sanè ingenuè fateri, se in pungendo mordendoque fines honesti transgressum; sed hoc ipsum in illos reiiciendum, qui se prouocassent: nolle tamen eos libros retractare, vt is qui non sanctitatem sed doctrinam profitebatur. Satis se quidem hominem noscere, adeoque erroribus obnoxium: propterea se paratum esse de suis opinionibus cum quocumque mortalium disceptare; atque vbi sacræ Scripturæ testimoniis conuinceretur, suas offerre manus, quibus suamet Opera in flammas coniiceret. Intereà in ipsis contradictionibus agnoscere se Euangelicæ doctrinæ lineamenta, dicente Christo, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Dignum esse tantis Principibus, supplicem & innocentem 2

tem

tem ab impetu inimicorum tueri: Agi in eo negotio de commu- 1520.
nis Patriæ salute. Consulerent proinde Cæsaris iuuentæ, neque recentis Imperij natalem infaustum redderent eâ imprudenti damnatione, inextricabilibus turbis Germaniam implicaturâ: neque fas, neque congruum esse, humanæ vtilitati res Diuinas accommo-
3 dare. Cumque pergeret fusiùs sacrarum Literarum exemplis ea confirmare, interpellauit Treuirensis Vicarius; Si nouæ ab eo sententiæ proferrentur, fortasse cum Pontifice acturum fuisse Cæsarem, vti doctis integrisque viris examinandæ committerentur. Verùm, hos errores fuisse iam ab Ecclesia proscriptos in hæreticis Waldensibus, Piccardis, Adamitis, in Wiclefo, Ioanne Husso, & Pauperibus Lugdunensibus. Eum deinde percontatus est, velletne Concilium Constantiense recipere, quod adeò Germania venerabatur, quodque fuerat recens collectum ex vniuersis Christiani Orbis nationibus. Negauit disertè, propterea quòd Concilia quandoque aberrauerant, atque inter se discrepabant. Demonstrandum hîc suscepit Vicarius, non posse in rebus Fidei Oecumenica Concilia aberrare, nec discrepare. Sed Cæsar ad postremum Lutheri effatum horrore perculsus, colloquio interciso illum à Conuentu dimisit. Remigrauit ad hospitium Lutherus multis ex Frederici familiaribus deductus, populique infinitâ multitudine, semper auidi exaturandi lumina iis spectaculis, quorum rumor quocumque tandem nomine percrebuerit.

4 Cæsar postridie manè, Septemuiris aliisque Principibus magnâ frequentiâ conuocatis, eorum sententias de Lutheri causa rogauit: petitoque ab illis ad respondendum spatio, subdidit Cæsar, velle se priùs exponere quid ipse sentiret; iussitque recitari scriptum haud breue suâ manu exaratum, quod confestim cum Pontifice per suum Romæ Legatum communicauit. Pontifex verò & in Senatu Vaticano id perlegendum curauit, & Cæsari gratias egit literis studiosissimis, quibus per insolitam Pontificibus amoris significationem in eo literarum genere, suo chirographo aliquot versiculos adscripsit. Scripturæ sententia hæc erat: Compertum esse Conuentui, se ortum ducere ab Imperatoribus Christianissimis, à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, ac Burgundiæ Ducibus, qui omnes cultu ac propugnatione Romanæ Fidei, veterumque Catholicorum Rituum illustres extiterant: proinde studere se, vti venerabatur memoriam, ita Maiorum suorum exempla prosequi, cùm Religionem pristinam tuendo, tum ea potissimè quæ ab iisdem in Oecumenico Constantiensi Concilio re-

1520. cepta fuerant. Aduerſari tunc huic Religioni cœnobitam malè deceptum, qui non ſolùm vniuerſam fidelium claſſem tunc exiſtentem damnabat, ſed vniuerſam etiam à decem ſæculis iam prætcritam. Ideò apud ſe ſtatuiſſe, regna, theſauros, amicos, corpus, ſanguinem, vitam ſpiritumque profundere, ne tantum malum amplius progredi ſineret, cum tam graui ſua ipſorumque ignominia. Cùm ad ea vſque tempora Germanorum natio inter alias præluxiſſet Iuſtitiæ Fideique cultu, non poſſe abſque ſummo apud æquales ac poſteros dedecore, in præſentia pullulantem illic, nedum hæreſim, ſed qualemcumque illius tenuem ſuſpicionem à ſe permitti. Quoniam igitur pridie illius diei pertinax Martini reſponſum omnes audierant, placere tunc ſibi quid haberet in animo Conuentui palàm facere; id autem eſſe, valdè ſe pœnitere, tamdiu moram traxiſſe ad eam hæreſim propulſandam. Quapropter nolle ampliùs Lutherum audire, ſed ipſum dimittere, ſeuere admonitum, vt per viam conditiones in conceſſa fide appoſitas exactè obſeruaret, neque conciones habendo, neque populos ſeu publicis ſeu priuatis ſermonibus ad res nouas motúſve concitando, neque vllo pacto ſuorum errorum tabe inficiendo: dein penè ſtatutum apud ſe eſſe, hominem perſequi vti manifeſtum hæreticum; atque ab ipſis omnibus poſtulare, vt in ea cauſa ſe gererent prout probos Chriſti cultores deceret.

Vniuerſus Conſeſſus iuit in ſententiam Cæſaris, idque agebatur, 5
vt poſtero die Martinus dimitteretur. Sed eàdem nocte Lutherani præfixerunt in foro, vt iam inſinuauimus, denuntiationem minarum, quà quadringenti nobiles coniurati minabantur, primò quidem Moguntino tamquam Conuentus Principi, deinde verò ceteris generatim Ordinum capitibus. Hæc denuntiatio, ſumptis viribus à propinquitate nobilis cuiuſdam Dynaſtæ, militari virtute formidati, ac Luthero ſtudioſiſſimi, Moguntinum perpulit (qui pio magis animo erat, quàm forti) ad Cæſarem communi nomine rogandum, vti per ipſum liceret denuò Lutherum interrogare, atque ad ſaniora conſilia cohortari. Quamquam autem intrepidè Cæſar id pernegaſſet; tamen Saxo dedit operam, vt rurſus vniuerſorum precibus id à Cæſare depoſceretur, adductâ ratione, Vbi nihilominùs peruicaciter Martinus obdureſceret, titulum inde cunctis honeſtiorem futurum ad hominem depellendum. Ad hæc tandem reſpondit Cæſar, Nolle ſe ab eo quod ſtatuerat recedere, neque cuiquam iniungere, vt nomine publico Lutherum adiret; ſed quò poſtulanti Conuentui gratificaretur, indulgere nouum ſpatium trium dierum,

dierum, quibus priuatim exhortari hominem possent: atq; vbi is resipisceret, curaturum se vt à Romano Pontifice venia impetraretur. 1529.

6 Negotium permouendi Lutheri suscepit Archiepiscopus Treuirensis. Erat hic Richardus Griesseclau, Frederico intimè familiaris, sed probus Catholicus, adeoque cupientissimus rei ita componendæ, vt simul amico Principi satisfaceret, simul Religioni nihil officeret. Mos est hominibus, vt si fortè cùm argumenta ad persuadendum idonea se habere arbitrentur, vnusquisque antecedentem pertuicaciam adscribat non tam peruicacis animi duritiæ, quàm prius hortantium infantiæ, confidatque id se perfecturum, quod alij nequiuerint. Conuenerunt apud Treuirensem multi Septemuiri ac Principes, tam Ecclesiastici quàm profani, omnesque Luthero suadebant, ne contra communem sententiam animum obfirmaret, obiectis præsentissimis periculis, in quæ sua ipsum pertinacia præcipitem ageret: sed omnia incassum. Verumtamen Treuirensis sperauit rem sibi meliùs processuram in priuato quàm in publico congressu, atque suum intra cubiculum secum duxit Lutherum cum duobus Doctoribus, sine quibus hic de causa quidquam agere renuebat; adduxit quoque memoratum Eckium Vicarium suum, & Ioannem Cocleum Decanum Francofordiensem, spectatæ pietatis ac doctrinæ virum, qui ex priuato Religionis studio Wormatiam per eam occasionem se contulerat, quò causæ Catholicæ opitularetur; ideoque semper posteà Lutheranæ loquacitatis morsibus dilaceratus est. Hîc denuò plurimis rationibus Martinum Eckius hortatus est ad recipiendam Generalium Conciliorum doctrinam. At ille constanter affirmauit, ea interdum falli; præcipuè verò errasse Constantiense in damnanda positione Ioannis Hussi, affirmante, *solis prædestinatis Ecclesiam constare.* Pro qua quidem positione idcircò Lutherus adeò laborabat, quia cùm promissam Ecclesiæ assistentis Dei tutelam negare non auderet, nolebat Ecclesiam concedere visibilem ac manifestam, cuius iudicio damnari posset, sed quamdam Ecclesiam, ad quam discernendam necesse sit impenetrabilia diuinæ destinationis decreta dignoscere; quò hac ratione cuicumque humano iudici se subduceret, atque vniuersa ad interiorem Dei afflatum referret, hoc est, ad suammet assertionem atque sententiam.

7 Rei euentu ad Principum Congregationem, deinde ad Cæsarem delato, significauit Carolus, videri sibi rei expediendæ tempus instare. Sed conceptæ spei tenax Treuirensis, petiit impetrauitque, deprecante Conuentu, adhuc bidui dilationem. Itaque 25. Aprilis Luthero accito, quietis appetentior Archiepiscopus quatuor obtulit, quæ

1520. quæ tamen Romano Pontifici nec accepta fuissent, neque decora. Primum erat, Vti Lutherus Pontificis simul & Cæsaris iudicio se permitteret: alterum, Vt vnius Cæsaris iudicio; quem pro certo habebat Septemuir, omnia ex Pontificis sententia peracturum: tertium, Vt in Cęsaris Ordinumque Imperij iudicio se reponeret: quartum, Vt enormiora quædam pronuntiata in præsentia reuocaret, cetera futuro Concilio committeret. At sanè media consilia sæpè vtramque partem offendunt, cùm etiam mediarum qualitatum sit extremas corrumpere. Hæc oblata ex vna parte supremam Romani Pontificis in rebus Fidei auctoritatem violabant; adeoque de iis Aleander acerrime conquestus est: apud quem se purgabat Septemuir, sibi fuisse in animo non aliâ ratione ea proponere, nisi quatenus postmodum auctoritate Apostolicâ comprobarentur. Ex altera parte decisionem delegabat iudicibus huiusmodi, quorum iudicium sibi aduersum futurum prænoscebat Lutherus: & propterea repulsam ab eo retulere. Iactabat ille, Romanum Pontificem sibi esse inimicum, Cæsarem suspectum, seque ab Oraculo diuino edoceri: *Maledictus homo qui confidit in homine. Nolite confidere in Principibus, aut in filiis hominum, in quibus non est salus.* Neque minùs suspectos sibi esse Ordines Imperij, eosque omnes aduersos in se animos variis argumentis satis patefecisse. Iudicium futuri Concilij amplexurum se fuisse, dummodò ibi res verè perpenderentur solis Scripturarum effatis, non simul intermixtis seu maiorum traditionibus, seu superiorum Conciliorum scitis, seu Patrum interpretationibus, seu viribus rationum. Quod planè idem fuisset, ac debili oculo (qualis est hominis mens ad Diuina mysteria) paginam legendam proponere minutissimis characteribus exaratam, simulque conspiciliorum omnium vsum negare. Adhuc tamen propendebat ad ea Septemuir, modò Lutherus, vt aliis significauerat, silere sustineret; quòd ita speraret hæresim lentâ tabe interituram. Sed hoc etiam ille peruicax recusauit, cùm articuli futuro Concilio committendi ex iis forent, quos Constantiense proscripserat; certus apud se nequaquam in dubium reuocandi quidquid Hussus & Wiclefus contra vniuersam Ecclesiasticam Hierarchiam effutierant.

Postremò, Archiepiscopus Luthero proponendum curauit, vt 8
quando propositas ab aliis conditiones repudiabat, aliquid ipse depromeret quieti publicæ conducibile. Tum verò Lutherus, ex multiplicatione precum, quâ totum Imperium ad se conuersum spectabat, suarum virium fiduciam exaugebat; adeoque preces illæ solùm valebant ad pertinaciam ex audacia cumulandam. Respondit itaque,

que, nihil sibi opportunius occurrere, quàm id quod ore Gamalielis 1520.
Scriptura pronuntiat: *Si est ex hominibus consilium hoc, opus dissoluetur: sin ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Quâ nempe ratione conficeretur, Mahometis etiam superstitionem, atque idolorum cultum, esse à Deo, cùm per tot sæcula nondum dissolui potuerint: à Deo pariter esse Caluinismum, qui reuerà est quasi quædam hæresis hęreseos Lutheranæ, eamque, multis ipsi ablatis Prouinciis, potentiâ & asseclis superauit. Et etiam verum est, has omnes consecutiones magistro Luthero facilè concedendas esse, cùm ille vel ipsa scelera, Dei opera affirmare non dubitet.

CAPVT XXVIII.

Discessus Lutheri: Voluntarius eiusdem iter facientis raptus: Edictum Cæsareum in eum promulgatum.

1 TReuirensis, deferuescente iam spei calore pacificandæ Germaniæ, adeoque sedatiore animo rem peruoluens, enimuerò sensit, cuinam periculo, oblatis huiusmodi cōditionibus, sese obiecerat. Quapropter ex accepta repulsa lætus, cupidusque se ab illis tricis prorsus expediendi, quidquid actum fuerat Cæsari detulit. Nec destitere Pontificij administri stimulos addere ad rem maturandam. Tunc Cæsar iussit per Curiæ ministros Luthero ita discessum indici, vt intra viginti dies ab vniuersa Caroli ditione decederet, seque per viam à concionibus habendis, concitandisque populis abstineret. De ea denuntiatione per eosdem ille gratias egit Cæsari, addiditque se in omnibus obtemperaturum; sed, vt ait Apostolus, *Verbum Dei non est alligatum:* quo dicto suam obfirmatam contumaciam expromebat aduersus præceptum de concionibus non habendis.

2 Profectus est igitur postero die, qui fuit 26. Aprilis, ipsum deducente eodem Cæsareo Feciali, extra portam Wormatiæ à 20. equitibus suæ factionis exceptus. Post triduum Friburgum peruenit: ibi Fecialem dimisit, cum literis ad Cæsarem animi sui firmitatem purgantibus; reddidit etiam eidem ministro publicæ fidei chirographum, subdens eo sibi ampliùs haud opus esse. Creditum est, fastu quodam id à Martino peractum, quasi semetipso satis esset armatus: sed reuerà id egit, ne per concinnatum ab eo facinus, de quo dicemus, necesse foret custodiam Cæsaream violare; & quò magis fieret verisimile, sibi eo munimine spoliato à suis ęmulis vim factam.

3 Thuringiam ingressus, Saxonis ditionem, post habitam Eysena-

1520. chi publicè concionem, excusásque ibi præmemoratas literas ad
Carolum ab eo missas, quibus res omnibus innotesceret, die 3. Maij
iter Wittembergam versus prosequitur. Siluam ingressurus multos
ex equitibus dimittit, qui ad eum præsidij causâ conuenerant. Alios
è comitibus præmittit, specie hospitij opportunè parandi: ita quàm
maximè potuit incomitatus arripit iter per siluam. Illic duo nobi-
les viri, Frederico fidissimi, hominem inuadunt ore personato; cur-
ruque cohibito, deiectoque, vt imitarentur hostes, in solum aurigâ
& verberato, per vim simulatam abripiunt Lutherum, & equo im-
positum, ac militari chlamyde occultatum, per noctis tenebras clàm
in Westbergam arcem Saxonis, in monte à commerciis semoto si-
tam, adducunt. Perstitit ibi nouem menses, lautè quidem pastus,
sed ita clausus, vt ab vno solùm iuuene nobili videri posset, cibos
quotidie deferente. Quin hoc totum vsque adeò delituit, vt ne ipse
* Bzouius. quidem Fredericus (sicuti * narratur) sciuerit in quanam è suis ar-
cibus Martinus degeret; cùm idem tamen priùs rei peragendæ ge-
neratim dedisset mandata, peculiaris loci notitiâ sibi interdictâ;
quò fas esset in iureiurando, vti fecit, verè Cæsari affirmare, quòd
vbinam Lutherus moraretur ignoraret.

Epistola 31. Aleandri. Confestim raptus Nuntij Wormatiam peruenere. Plerique (vt 4
Aleander Romano Pontifici significauit) ac in primis Cæsar, id
quod erat suspicati sunt; eum videlicet ab aduersariis nequaquam
captum, sed ab amicis subductum, ne in primo æstu Edicti iam im-
minentis grauius aliquid pateretur. Non tamen deerant, tam ex
ipsius asseclis quàm ex aliis inscitioribus, qui cultores Romani Pon-
tificis ob eam rem lacerarent, perinde quasi violatâ fide publicâ
hominem in vinculis detinerent. Et sanè (prout semper in promptu
est aliquis temerarius blatero, qui, quò rerum admirabilium specta-
torem se venditet, suorum etiam oculorum testimonium pro men-
dacio adducit) fuit qui testatus sit, visum à se Lutheri cadauer trans-
fossum, repertumque in argenti fodina sepultum: quæ res præ-
ferocem leuitatem illi fauentium tam vehementer concitauit, vt
ambo Pontificis Nuntij in magnum vitæ discrimen adducti cense-
rentur. Atque hîc mihi veri dissimillimum sonat id quod narrat
Suauis, antequam hoc accideret, proposuisse nonnullos in Con-
uentu, Lutherum esse interficiendum, nullâ fidei publicæ habitâ
ratione, & per vnicam fidelitatis iacturam partâ Christianæ Reipu-
blicæ tranquillitate. Profectò huiusce rei propositæ aliquid subo-
luisset inuestigationi intentissimæ, quâ semper in eo negotio vsus
est Aleander; nec illam sanè reticuissent ipsius literæ, quibus suum
Princi-

Principem de rebus omnibus exactissimè certiorem reddebat: in 1520.
iis tamen nulla prorsus de hoc mentio habetur.

5 Intereà curauit Cæsar, vti publicæ res in Conuentu statuerentur, inter quas obtinuit Legationem ad Galliæ Regem Imperij nomine, suadentis vt abstineret ab inferenda Cæsari molestia: quod si Rex recusaret, decretum obtinuit de conscribendis communi sumptu viginti millibus peditum, equitum verò quatuor millibus, ad Cæsaris præsidium. In quo haud ita facilè consensissent, si quidquam priùs ille vehementius patrasset. Fauor siquidem amorq; in nouum Principem tantisper vigent, dum re ipsâ dominari non incipit, hoc est, potestatem plerisque grauem exercere. Inter hæc Aleandro mandauit, vt Edicti formam conscriberet; quod ille perfecit. Fuit etiam deinde recognita ac reconcinnata in pluribus Cæsareis Conciliis, ac præcipuè in Austriaco, vbi Lutheranum animum multi gerebant, etsi leuior quàm timebatur emendatio fuerit. Verumtamen exequendæ rei mora, cuius arcanum vel ipsum summum Cancellarium latuit, Pontificios Ministros vehementer angebat, cùm soluto Conuentu eâ se palmâ frustratos cernerent, quam suis iam manibus anteà constringere sibi videbantur. At Principes, si velint prudenter rem suam gerere, sæpè imprudentiæ notam patiantur oportet, eas causas obtegentes, quæ, instar radicũ, fructuosæ non sunt nisi sepultę.

6 Perfectis igitur ciuilibus negotiis, Cæsar cum actione gratiarum Ordines dimisit. Iussit tamen ad componendas minores controuersias adhuc quatriduum Wormatiæ vnumquemque persistere. Posteà è domo vbi Conuentus habebatur, proprias in ædes concessit, quatuor Septemuiris comitantibus, cùm Saxo ante biduum fuisset digressus, & Palatinus Heidelbergam præuenisset, eiusdem illic excipiendi gratiâ; relictis tamen ab vtroque Vicariis. Aderant etiam multi Principes, & magna vis nobilium ex Italia atque Hispania. Ibidem pariter iussu Cæsaris eum præstolabantur Caracciolus & Aleander, à quo tunc primùm voluit, vt sibi redderetur postremum Diploma planè studiosissimum, quo & agebantur Cæsari gratiæ ob rem inceptam; & idem, vt inchoata perficeret rogabatur. Acceperat iam ille multò anteà eius interpretationem gallicè ab Aleandro, eam verò tam aptè concinneque contextam, vt ter legerit cum voluptate Cæsar. Quod sanè declarat, quantum conferat negotiis exquisita vel illarum literarum scriptio, quæ meræ sunt vrbanitatis; quantam etiam vel erga maximos, vel in rebus maximis quæcumque res minima curam solertiamque deposcat. Hoc ergo Diploma solenniter exceptum, à magno Cancellario altâ voce recitatum,

1520. cunctisque plaudentibus auditum. Post hæc, vti priùs mandauerat Cæsar, delata sunt alia Diplomata ab iisdem Pontificiis Ministris, singula singulis Septemuiris: ceteris priuatim tradita, ad euitandam ex temporis prærogatiua æmulationem, adeoque offensionem.

Deinde Cæsar Septemuiris ac Principibus exposuit, velle se aduersus Lutherum, iuxta ac in Conuentu sancitum fuerat, Edictum promulgare. Perlectâque ibi eius formulâ, Brandeburgicus Septemuir respondit communi nomine, eam cunctis placere, atque huiusmodi fuisse concordem totius Conuentus sententiam. Quæ omnia in publicas tabulas referenda curauit Aleander. Postridie manè 26. Maij (quamuis subscriptio, vt interdum vsuuenit, ad diem octauum reuocata fuerit) qui eo anno dies erat Dominicus Diuinæ Triadi nominatim sacer, cùm Cæsar in templo adesset Nobilium frequenti coronâ cinctus, innumeràque populi multitudine stipatus, processit illi obuiàm Aleander, duoque Edicti exemplaria latinè alterum, alterum teutonicè scriptum obtulit, obsecrauitque vt Cæsareâ subscriptione vtrumque firmaret: quod ille festiuissimo vultu peregit, adstantibus Cardinalibus Moguntino, qui vti Princeps Conuentus iam illud signauerat, & Sedunensi; ac statim vtraque exemplaria consuetis typis edita, & vndique peruulgata. Placet hîc Edicti tenorem apponere. 7

Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinere, non modò fines Sacri Imperij, ad Orthodoxam viam adductis vel expulsis infidelibus, propagare; verumetiam ne qua hæreseos labes aut suspicio in iam sibi subditis nationibus sacrosanctam Religionem commaculet, summo studio prouidere: ac si qua iam oriri cœperit, eam omni ope, omniq; curâ, iuxta normam à sancta Romana Ecclesia hactenus obseruatam, delere penitus & extinguere. Quemdam fratrem Martinum Lutherum, Ordinis sancti Augustini, erroribus & hæresibus, ab Orthodoxa Fide longè alienis, Religionem Christianam, in inclyta præsertim Germanica natione inficere conatum. A sanctissimo in Christo Patre Leone X. sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifice, ad quem Fidem Catholicam, & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat, prædictum Martinum à principio clementer & paternè monitum esse, vt à nefandis huiusmodi inceptis desisteret, & iam sparsos errores reuocaret. Quod cùm ille neglexisset, & peiora semper prioribus adderet, conuocatis sæpiùs Reuerendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, & aliis Prælatis; necnon Regularium Ordinum Prioribus seu Ministris Generalibus; accersitisq; pluribus scientiâ & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diuersarum Christianarum nationum Doctoribus & Magistris (non paucissimis quibusdam Aulicis, vt 8

Polanus,

Polanus, alibi à nobis memoratus mentitur) *prædicto tamen Martino* 1520.
priùs vocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, vt perniciosa, & Fidei, vnitatiq́ Ecclesiæ contraria, auctoritate suâ Apostolicâ, præfatorumq́ ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & Prælatorum, Doctorum & Magistrorum maturâ deliberatione, damnasse. Lutherum, perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem furens rueret, complures aceruatim libros, non modò nouarum, sed etiam à sacris Conciliis olim condemnatarum hæresum plenos diuulgare: Extremam Vnctionem cum VViclefo, fictionem dicere: Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certâ lege stare, ex Manichæi quidem, & ex VViclefi penu depromere, & tamquam irrefragabili argumento Doctorum carminibus confirmare: De Purgatorio, & animarum quæ in eo expiantur statu, deq́ diuini Sacrificij & veniarum suffragiis, quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum VValdensibus & VViclefistis contra Ecclesiam sentire: De Ecclesia verò ipsa militante, cum Pelagianis & Hussitis, sacrosanctis Conciliis palàm contradicere, & pro suo arbitratu detrahere: Concilium Constantiense synagogam satanæ, quiq́ in eo conuenerant, & Ioannem Hussum Hæresiarcham comburi iusserunt, Sigismundum vtique felicis recordationis Imperatorem, & sacri Imperij Principes, Antichristum & suos Apostolos, homicidasq́ & Pharisæos vocare. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tamquam si hic vnus non homo, sed diabolus ipse sub hominis specie, ad perniciem humani generis assumptâ Monachi cucullâ, quamplurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses iam diu sepultas in vnam sentinam congesserit, & aliquas etiam nouissimè de suo excogitauerit; sub simulatâ prædicatione Fidei, quam ad prætexendos suos dolos tam sæpè tantoq́ opere obiicit, Fidem veram prorsus destruere: sub libertatis, quam promittit, specie, diaboli iugum & seruitutem inducere; & sub Euangelicæ professionis nomine, omnem Euangelicam pacem & charitatem, omnemq́ rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem inuertere, labefactare, & penitus pessumdare moliri.

Dein commemorat Cæsaris clementiam: *Eum in Conuentum accersitum fuisse fide publicâ datâ: concessum sæpiùs ad resipiscendum spatium, crebris doctorum hominum, ac Principum hortationibus monitisq́ adhibitis; oblatâ noxarum veniâ, tum suo nomine, tum à Pontifice impetrandâ: sed eum semper contumaciùs fuisse insolescentem, spretâ, & læsâ Pontificis, Ecclesiæ, Oecumenicorumq́ Conciliorum auctoritate.* Vbi aduertere licet, hîc haud connumerari conditiones à Treuirensi propositas; quippe non publico, sed priuato nomine oblatas.

Mox ait: *Se tandem ad reliquas opportunas medelas, huic pestilentissimo morbo necessarias, Romanoq́ Pontifici & sanctæ Sedi Apostolicæ debitam*

1520. *tam reuerentiam, ex Imperiali & Regia auctoritate, nec non consilio & assensu Electorum, & omnium Sacri Imperij Principum, Ordinum, & Statuum, Martinum Lutherum, vt membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, vt obstinatum schismaticum, & notorium hæreticum habendum decernit: denuntiatisq́; grauissimis pœnis mandat, ne quis præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, sustentare, fouere dicto, facto, aut scripto præsumat. Quinimò, post elapsum viginti dierum terminum, contra eum, vbicumque deprehensus fuerit, procedant: eiusdem Martini complices, fautores & sectatores, nec non eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia capiant, & in vsus suos optimo & pleno iure conuertant.* Mandat insuper: *Ne quis Martini Lutheri scripta, à Summo Pontifice auctoritate suâ Apostolicâ damnata, aut alia quæcumque, tam latino quàm alemannico, seu alio quouis idiomate ab eo hactenus composita, vel inposterum componenda, vtpote mala, suspecta, & à notorio & peruicacissimo hæretico prouenientia, emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi, vel imprimi facere, asserere, sustentare, prædicare, defendere præsumat.*

Prætereà præcepit: *Ne quis famosos libros, seu quascumque alias schedas, scripturas, imagines, contra Orthodoxam Fidem, bonos mores, & id quod sancta Romana Ecclesia hactenus obseruauit: atque etiam inuectiuas, criminationes, & ignominias contra Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Prælatos, Principes, Vniuersitates studiorum, & eorum facultates, honestasq́; personas, componere, scribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere audeat:* iubenturque omnes cuncta hæc igni comburere.

Demum lex promulgatur: *Ne quis calcographus, & librorum impressor, aut alius quiuis, libros vllos, seu aliam quamcumque scripturam, in quibus de sacris Literis aut Fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito priùs consensu & voluntate Ordinarij loci, aut eius ad hoc Substituti & Deputati, cum auctoritate etiam Facultatis Theologicæ alicuius propinquæ Vniuersitatis imprimat.*

Huiuscemodi fuit iudicium ab vniuersa Nobilitate Senatuque Germaniæ solemniter pronuntiatum de Luthero, eiusque doctrina atque scriptis; de auctoritate Pontificis, Sedisque Romanæ; de ipsius definitionum firmitate; de iis quæ Leo X. egit in illa causa; de diplomate, quo illam decernit; de pondere & æquitate eiusdem diplomatis. Quod speciem tam diuersam præsefert ab iis quæ Suauis id temporis Germaniæ sensis appingit, quàm diuersa planè est vera Pontificum Romanorum facies, ab ea quam hæretici quandoque confinxere.

HISTO-

1521.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.



OEDVS *Leonis X. cum Carolo V. eiusque effecta. Reditus Caroli in Hispaniam, & Germanorum languor in exequendo Edicto VVormatiensi. Obitus Romani Pontificis, & Adriani Sexti creatio. Eius consilia & solertia ad Aulam reformandam, & inopinatæ difficultates obiectæ. De Indulgentiis earumque vi disputatio. Norimbergensis Conuentus, quò delegatur Nuntius Franciscus Cheregatus; eique mandata. Responsum, exitusque Conuentus. Lutheri VVittembergam regressus. Obitus Adriani; cui sufficitur Clemens Septimus. Legatio Campegij Cardinalis ad alterum Norimbergensem Conuentum. Quid ibi Statutum. Ecclesiasticorum emendatio à Legato habita. Varietas pullulantium hæresum. Dissensio inter Clementem & Cæsarem. Prouocatio Cæsaris ad futurum Concilium. Spiræ Conuentus, & ortæ in eo discordiæ. Bella. Clementis captiuitas, ac liberatio. Diuortium à Britanniæ Rege tentatum. Noua Legatio Campegij Cardinalis. Auocatio causæ ad Pontificem. Inter hunc & Cæsarem coniunctio. Nouus Spiræ Conuentus: ipsius Decretum. Contestatio sex Principum & quatuordecim Ciuitatum aduersus illud Decretum. Cæsaris indignatio. Fœdus Smalcaldicum, & Protestantium origo.*

CAPVT

1521.

CAPVT PRIMVM.

Varia per Italiam ac Germaniam effecta Edicti Cæsarei in Lutherum promulgati.



OMANVS Pontifex, cùm intelligeret, ea quæ in Lutherum egerat, maiori fidelibus venerationi, maiorique innouantibus terrori futura, publico Imperij accedente consensu, duas Romæ Lutheri imagines comburi iussit; [a] alteram vultus in eius statua, alteram animi in eius libris. Ac adeò vberem conceperat animo voluptatem, [b] tum ex Edicto Wormatiæ edito, tum à Caroli studio in Romanam Sedem aduersus quorumdam politicorum suasiones, vt huius præsertim rei gratiâ statuerit apud se in rebus Italiæ ipsi fauere. Ac primò quidem, [c] ex Patrum Purpuratorum sententia indulsit, vt Imperium simul ac Regnum Neapolitanum Carolus obtineret, solutus lege pactionis ab eo iureiurando firmatæ, cùm in illius possessionem missus est; eodem vicissim assentiente, aucturum se censum annuum septem millium scutorum; frumentum, si annonæ caritas acciderit, suppeditaturum; ac tercentos etiam hastatos, ad rebelles, si opus fuerit, coërcendos: fuitque disertè expositum, eam concessionem diutius retardatam propter obiecta à Rege Galliæ, qui legitimum illius Regni ius sibi tribuebat; sed tunc ad ea deuentum esse, & ob offensiones ab altero Sedi Apostolicæ illatas, & ob alterius merita in Lutherana hæresi deprimenda. Præterea Pontifex res Cæsaris apud Insubres maximè promouit. In quo sibi visus est præter Italici Principis, simul Christi Vicarij munus implere: propterea quòd, quà se cum Cæsare coniungebat, Insubriæ ditionem Italico Duci recuperabat, cuius gratiâ tamquam ex supremo sibi iure subiecti Cæsar bellum gerebat (erat hic Franciscus Sfortia:) eadem contrà Gallo subtrahebatur, cuius ingens ac vicina potentia adiectâ illâ ditione, quasi turgidus torrens intumuisset, nullo alio coërcitus aggere, nisi moderatione voluntariâ, ne vniuersam Italiam occuparet: quà verò magnitudo Caroli ex eo augebatur, accessio fiebat in eo Principe, qui se Petri clauium defensorem, non æmulum exhibebat. At cùm è diuerso Regis Galliæ Ministri rem Mediolani curarent, bellicosi magis quàm pij, Sacerdotia indignis impertiebant, aditumque ad Romanam Curiam prohibebant, non mediocri Clericorum disciplinæ, sum-

miquè

[a] Extat inter monumenta felicis Contelorij.

[b] Iouius lib. 4. in Vita Leonis, & Guicciardinus lib. 13.

[c] In Actis Consistorialibus die 28. Iunij 1521. & in Diario in scripturis apud Ludouisios.

Iouius & Guicciardinus vbi suprà.

mique Pontificatus detrimento. Et quamquam id iniussu Regis 1521.
eueniret, qui semper meritis fauit, pietatique consuluit; eius tamen longinquitas, & administrantium arrogantia ea damna Ecclesiæ intulere, quæ ceteroqui, vt verisimile erat, neque tentata, neque per vim tolerata fuissent, si ad veterum suorum Ducum potestatem Insubria reuerteretur.

2 Quapropter inter Pontificem ac Cæsarem inito fœdere, tametsi primi conatus non admodum prosperè cessere, celeriter tamen Florentiâ in Insubriam missus Mediceus Cardinalis cum amplissima potestate, atque ingenti pecunia, qui, reconciliatis copiarum Ducibus anteà dissidentibus, succensisque præsentiâ & auro militum animis, peperit insignem illam victoriam, in qua Lautrechius, Gallici exercitus imperator, priùs se sensit Mediolano pulsum, quàm armis petitum. Quod contigit cum accessione ditionis facta Pontifici, recuperatis per illud fœdus Placentiâ & Parmâ.

3 Cùm hæc in Italia gererentur, varij in Germania ex Edicto Cæsareo motus oriebantur. Necesse fuerat Cæsari confestim inde in Hispaniam regredi, ad componendas eorum Regnorum turbas; vbi Ceurij, Belgarumque ministrorum auaritia, postremis mensibus cùm ibi Carolus moraretur, spiritus exciuerant haud minùs turbulentos, quàm eos quos posteà Hispanorum Burgundorumque administratio excitauit in Belgio, cùm Philippus Rex, Caroli filius, inde secessit. Euentu tamen valdè dispari. Sicut enim Belgæ, Nobilitatis Principes seditionis suæ principes nacti sunt, quibus inuicti perstitere; ita è contrario Hispani quosdam ex popularibus iudices constituerunt, qui primores abiicere contendebant; vnde hi ab eorum factione recedentes, coniunctique cum Castellæ Comestabili, Castellanæque classi imperante, qui rem bellicam pro Rege administrabant, vilem illum rebellantium gregem profligarunt, ipsorum ducibus laqueo suspensis. Adhuc tamen adeò malè affecti animi agitabantur, vt opus planè fuerit præsentiâ Caroli, quâ sanguis exæstuans tepefieret; & auctoritate, quâ tabidus educeretur.

4 Itaque à Superiore Germania* profectus Cæsar, per Belgium regreditur, iisdem Pontificiis Nuntiis comitantibus; ibique & illius vigore, & horum diligentiâ, ex Diplomatis Edictique præscripto quamplurima Lutheri voluminum exemplaria manu carnificis solemniter flammis tradita sunt, quà Magistratuum industriâ conquisita, quà ab iis apud quos erant sponte delata. Idem actum Antuerpiæ, Bruxellis, ac præcipuè Gandaui, adstantibus quinqua-

* Totum extat in citato Syllabo Aleandri ad Cardinalem Iulium Mediceum.

1521. ginta propemodum millibus hominum, atque ipso Cæsare, qui dum illac transiret, ore subridenti spectaculo plausit. Idem in Superiori Germania contigisset, si Cæsar ibi fuisset commoratus: id enim apud se firmissimè statutum ostendit paulò antè quàm Edictum vulgaretur, ita suum Confessarium allocutus dum fenestræ inniteretur: *Sanctè iuro* (dexterâ pectori admotâ), *quicumque se primò Lutheranum prodet post euulgatum Edictum, cum ex hac fenestra meo iussu suspensum iri.* Sed leges æquè ac machinæ quò validiores sunt, eò potentiore opus habent vi quâ pertractentur, priusquam, vt sic loquar, fuerint ab vsu dedolatæ.

Cæsareum igitur Edictum, post abitum Cæsaris plus retinuit fragoris quàm ponderis. Nonnulli ipsum exequi non audebant, alij non curabant, alij planè nolebant. Præcipuè verò accidit importunè, vt penes duos Septemuiros Luthero beneuolos, Saxonem scilicet ac Palatinum, esset absente Cæsare legitima Germaniæ administratio, in duos Vicariatus partita. Tales autem solent effectus procedere, qualis est causarum conditio, non tam superiorum, quàm propiorum. Accedebat vulgi fauor, ad licentiam, ad nouitates, ad prædas propensus, atque insuper deceptus populari quâdam ratione, quòd Luthero disputationis experimentum, prout ipse flagitauerat, negatum fuisset. Imperiti siquidem, vti sibi persuadent, quicumque ratione præpolleat, eumdem etiam robore præpollere, ideoque monomachiam furenter induxerant; ita inducunt in animum, inesse veritati vim quamdam magicam ad occludendum os aduersario in congressibus literariis; neque intelligunt, in ipsis fortiùs obstrepere non eum qui causâ, sed qui lateribus præstat. 5

Vix ergo Cæsar extra Imperium pedem extulerat, cùm Lutherani voce, scripto, ac re ipsâ denuò tumultuati sunt. Id vbi Romæ rescitum, elanguit lætitia, quæ ibi concepta erat ex Edicti promulgatione, perinde, quasi eius pondere oppressa planeque consepulta hæresis iacuisset. Quare Mediceus Cardinalis Aleandro iniunxit, vt ea de re cum Cæsare in Belgio commorante vehementer conquereretur, eique ob oculos poneret, Si nondum exsiccato eius subscriptionis atramento, ipsoque penè spectante, Lutherani ausi fuerant Edictum paruipendere, quidnam expectandum, vbi primus vigor defluxisset, & vbi Cæsar in Regnis adeò remotis versaretur? Ex tam celebri Caroli V. totiusque Imperij conspirantis studio, nullum aliud emolumentum exriturum, nisi deridiculo futuram petulanti turbæ geminam Christiani Orbis supremam Maiestatem, 6

iestatem, Romanum Pontificem atque Cæsarem. Sed frustrà de morbo cum eo querimur, in cuius potestate remedium non est. 1521.

7 Inter hosce molestiarum aculeos, quos antecedens oppositæ spei iucunditas acerbiores reddebat, nonnihil lætitiæ aspersit Pontifici singulare munus Henrici VIII. Britanniæ Regis. Hic non modò Lutheranæ hæresi aditum in sua Regna seuerissimis denuntiationibus interdixerat; sed etiam, vti iunior disciplinis operam dederat ad vitam Ecclesiasticam exercendam, dum frater natu maior adhuc viueret; ita studuit conquisita sibi literarum decora in causa tam celebri palàm facere. Doctum ergo volumen in aliquot Martini errata lucubrauit, voluitque vt à suo Romæ Legato in Senatu Vaticano Pontifici offerretur VI. Non. Octobris, binis hisce versibus, qualescumque illi sint, adiectis:

Anglorum Rex Henricus, Leo Decime, mittit Bzouius.
Hoc opus, & fidei testem & amicitiæ.

Magno hinc gaudio affectus est Leo, re non tam per se ipsam æstimatâ, quàm ob faustum auspicium optati negotij, quod ipse cum Henrico agitabat. Animaduertebat Pontifex hæresim, studio multitudinis, ac patrocinio quorumdam Principum communitam, affligi non posse, nisi sacra potentia præualida præsidia contraheret à profana. Idcircò in Heluetia, vbi minus certamen futurum censuerat, Duci Sabaudiæ negotium dederat illius seminis euellendi: pro sumptu ad id necessario tribuerat illi aureorum tria millia & sexcenta ex annuis censibus, ceterisque prouentibus Ecclesiasticis ipsius ditionis. At pro Germania, vbi multò validius robur obstiturum præuidebat, negotium instituerat sanciendi fœderis inter Cæsarem & Britanniæ Regem, eius cognatum atque amicum, aduersus eos omnes qui Pontificio Diplomati, Edictoque Cæsareo armis obsistere ausi fuissent; delegato ad eum Regem huiusce rei causâ Nuntio Hieronymo Ghinuccio Senensi, Episcopo Asculano, & Auditore Cameræ (fuit hic posteà Purpurâ exornatus à Paulo) qui ab initio diem Luthero dixerat, ab eoque repudiatus fuerat, tamquam iudex ineptus ad ferendam de Theologicis doctrinis sententiam; quique adeò peculiari quodam sensu erga eam causam affectus, putabatur efficaciùs mandata sui Principis impulsu priuati studij promoturus. Exceptus ibi est honorificè à Rege, euectusque etiam ad nobilem in eo Regno Episcopi Sedem. Sed inceptum negotium intercisum vnà cum vita Pontificis, qui, vt dicemus, paulò pòst decessit.

8 Interim Leo, gratiis amplissimè Regi actis, Indulgentiam impertiit Bzouius an.1521.

1521. tiit cuicumque eius librum lecturo; ipsi verò auctori exoptatum ab eo titulum, FIDEI DEFENSORIS: quem ne quis fortè per leuitatem concessum existimet, & quasi parui pretij donum, quippe tantummodò aurâ sonoque conflatum, haud equidem reticebo, Romæ diu & accuratè super eo consultum. Etenim Thomas Cardinalis Volscus, Eboracensis Archiepiscopus, qui tunc non modò Regi fidissimus, sed penè arbiter eius sensa moderabatur, à Leone petierat, vt illum Principem specioso aliquo titulo decoraret, prout ab Apostolica Sede duo maximi Christiani Orbis Reges. * In consessu Purpuratorum, eâ petitione propositâ, variatum sententiis. Alij censebant, nullam causam adesse noui nominis conferendi: alij dixere, à Iulio Secundo Regem Galliæ titulo CHRISTIANISSIMI spoliatum, donatumque Britanniæ Regem, vti de Romana Ecclesia benemeritum; vnde tunc etiam videri, Regis illius studio in proscribendo Luthero parem aliquam remunerationem rependendam. Varij tunc tituli excogitati, ceu, APOSTOLICI, qui minimè placuit; quippe qui, quamquam alicui priùs Regi concessus, proprius Pontificis videbatur; PROTECTORIS FIDEI, ORTHODOXI, vel FIDELIS vel ANGELICI, alludendo ad nomen *Anglici*; quod tamen plus ioci quàm decoris pro se gerebat. Considerauit Pontifex, eiusmodi titulum seligendum esse, qui ceteris Regibus offensioni non foret: atque ad eam rem commemorauit Ægidius Cardinalis Viterbiensis, conquestum Maximilianum Cæsarem ob insignem CHRISTIANISSIMI titulum Regi Galliæ datum; propterea quòd Cæsares in publicis Ecclesiæ precibus eodem appellabantur. Nihil tamen aliud tunc decretum, nisi vt Pontifex varios notaret titulos, scriptosque ad singulos Cardinales mitteret, quò impendentes quantum par erat operæ, tandem statuerent an ex iis aliqui comprobandi; quibus cum Volseo communicatis, Rex quem præ ceteris mallet, eligeret. Cùm verò quarto pòst mense * offerretur Regis nomine ab eius Oratore laudatus Henrici liber in Senatu Purpuratorum, emicaretque in Patribus singularis voluptas ex ea Regiæ pietatis in Fide tuenda significatione; Pontifex opportunum duxit, de integro ibi proponere tituli concessionem. Improbabant plerique titulum pluribus conflatum vocibus, cuiusmodi erat DEFENSOR FIDEI, eumque maluissent qui vnicâ voce proferretur, ceu aliorum Regum tituli; vnde tres huius formæ positi & comprobati: ORTHODOXVS, FIDELISSIMVS, GLORIOSVS. Verumtamen quà maioris beneuolentiæ declaratione Patres Regi responderent, sancitus est titulus FIDEI DEFENSOR, si nominatim

Totum id recensetur in Actis Consistorialibus.

* 10. Iunij 1521.

* 20. Octobris 1521.

tim expeteretur à Rege. Illum autem Rege petente, diploma fuit 1521.
editum, vnaque literæ Pontificiæ conſcriptæ, & vtraque in alio Senatu recitata * & comprobata. Adeò Rex cognomen illud expetiit, quo aliquot annis cohoneſtatus, perennem impietatis infamiam ſibi cumulauit eodem turpiùs violato.

* 26. Octobris 1521.

9 Hunc Æmulum tam excelſum aliquamdiu reuerenter, quamuis inuitus, tolerauit Lutherus; ſed poſt aliquot annos illi Principi contumelioſè reſpondit, eodem planè contemptu, quo in priuatos aduerſarios vtebatur: quæ inſolens petulantia fauorem illi exiſtimationemque apud vulgus conciliabat; quaſi infra Reges non ſit, qui Reges non veretur.

CAPVT II.

Leonis obitus, & Adriani electio.

1 PAucos poſt dies obiit Pontifex. Quare Mediceus Cardinalis è militari Legatione celeriter Vrbem repetiit, humanæque indulgens ambitioni, ſtuduit ad defuncti Patruelis Principatum aſſurgere. Ad id ſpem fouebat & exiſtimatio ſuarum dotium haud vulgarium, & fauor iuniorum Cardinalium; quippe quos nec æmulos dignitatis, & acceptæ Purpuræ beneficio ſibi obligatos habebat. Et quamquam ſeniores numero præſtarent; tamen cùm ad ſe quiſque rem traheret, non ita omnes coaleſcebant, vt factioni iuuenum poſſent obſiſtere, ad vnius electionem conſpirantium. Nec inter ſeniores erubuit Carauaialius Cardinalis priſtinum Pontificatus ambitum palàm excitare, vnde idem paucos ante annos flabellum ſeditionis euaſerat, nomenque Eccleſiæ nefaſtum. Verùm, tametſi veterani in promouendo vno ſene minimè concordabant, conſpirabant tamen in excludendo quocumque iuniore. Quapropter poſt multos dies, cùm eſſet in comperto, nec abſque factione Medicei Cardinalis, nec ab ea ſola Pontificem creari poſſe; petierunt ab eo ſeniores, per Cardinales à Monte & Caietanum, vt æquo animo cum ipſis conueniret in eligendo Pontifice, ne quid Eccleſia ſine Capite detrimenti pateretur tam difficili tempore; virumque deſignaret, ætate meritiſque cunctis acceptum. Is verò per ſummam animi moderationem reſpondit: Quamquam eſſet exploratum ex amicorum ſtudio, quàm firmo ſua ſpes fundamento niteretur, eam tamen bono publico, eorumque voluntati ſe libenter immolare, idque proximâ ſuffragatione ſatis oſtenſurum. Vbi hoc promiſſo generatim ſe obſtrinxit, voluit in ſeligendo Capite

1521. te diuinis simul humanisque rationibus satisfacere. Conscientiæ monitu sollicitabatur, vt eum proueheret, qui probitate, doctrinâ, studioque pietatis futurus esset idoneus ad recentem Christiani populi contagionem operâ exemploque curandam. Ab humana vtilitate admonebatur, vti faueret alicui non dubiæ erga Cæsarem voluntatis, qui proinde ipsum metu solueret, ne quid sibi fraudi essent offensiones postremò Gallis illatæ. Quapropter beneuolos suos rogauit, vt postridie manè Adriano Cardinali suffragarentur.

Hîc sanè arbitror non abs re fore, nec quasi vanum diuerticulum, aliquid breuiter exponere de hominis moribus, gradibusque quibus ille ascendit, seu veriùs euectus est ad supremum Ecclesiæ fastigium. Etenim si hoc fortasse ad mei operis argumentum non adeò facit, multum tamen ad finem conducit; qui finis est in cunctis actionibus opportuni mensura: cùm per huiusmodi narrationem innotescat, quænam dotes illis etiam temporibus minùs seueris allicerent Vaticani Senatores ad constituendum sibi Caput ac Principem: & an hinc fiat, quòd huius Principatus fundamenta supra virtutem studiumque Religionis iaciantur, an supra fraudem, rerumque fluxarum vtilitatem: in quo magna ex parte controuersia inter me & Suauem agitatur. Atque id etiam generatim prodeerit, ad ea quæ in progressu Operis à me proferentur, aptius confirmanda. * Natus est Adrianus Traiecti, quæ vrbs vni ex Belgarum Prouinciis nomen facit, ex genere adeò humili, vt cùm cognomine careret, illius loco proprium patris nomen, nimirum *Florentij*, assumpserit. Par fuit generi fortuna natalium. Quare Louanium adolescens profectus studiorum causâ, necesse habuit, in vno ex iis Collegiis quæ gratuitò studiosos inopes alunt, sibi locum conquirere. Ac breui quidem mirificè profecit; sed in seuerioribus magis quàm amœnioribus disciplinis: atque in ætate magis lubrica & rudi, æquè doctrinæ præstantiâ ac innocentiæ laude præluxit. Quo factum est, vt cùm vice Maximiliani Cæsaris Margarita eius filia Belgio præesset, accidissetque Paræciæ cuiusdam apud Batauos vacatio, de dignioribus facta certior, ad eam Adrianum promouerit, tamquam famæ iudicio ceteris antehabitum. Quæ certè electio non minùs illi accidit ex improuiso, quàm posteà in Hispania degenti suprema contigerit. Deinde munus Vicecancellarij illius celebris Academiæ illi delatum est; & iam tum cœpit nouum ibi Collegium moliri, in quo pauperes studiosi eodem quo priùs ipse beneficio fruerentur. Quod opus adeò supra hominis vires visum est, vt nonnemo inceptum illud animo non tam generoso, quàm auden-

2 (right margin, beside "Hîc sanè arbitror...")

* Iouius in Vita Adriani.

audentiori tribuerit: is tamen copiosis parsimoniæ prouentibus 1521.
Collegium in priuata fortuna perfecit, si non cum inuidia, certè cum admiratione potentiorum. Porrò cùm in Belgio, vbi natus fuerat, educaretur Carolus Austriacus, Philippi Primi Castellæ Regis filius, ac patre defuncto Cæsaris Aui curæ relictus esset; cumque ageretur de magistro deligendo, qui illum pueritiam iam ingressum literis ac pietate simul imbueret, Adrianus, quippe vtriusque laude spectabilis, à Cæsare ceteris prælatus.

3 At Ceurius pueri moderator, studens integrum sibi Carolum habere, ac nihil alteri concedere, quantum potuit adnisus est, à literarum seueritate ad equestria oblectamenta illum abducere; quod illi ex voto facilè euenit, conspirante puerili propensione. Neque id satis habuit Ceurius; sed animaduertens, à Carolo si non studium, certè magistrum amari, auctor fuit vt Adrianus inde specioso nomine amoueretur, videlicet Oratoris in Hispaniam ad Ferdinandum Catholicum, cui, quippe nepos ex filia, Carolus successurus erat in Regna.

Huius Legationis occasio fuere turbulentissimæ diffidentiæ inter Ferdinandum ac Philippum generum subortæ, ac post obitum Philippi, in Carolum eius filium transgressæ. Ceterùm suauis atque ingenua Adriani dexteritas animum senioris Regis nepoti facilè conciliauit; quod fieri nequiit nisi eodem sibi etiam conciliato; adeoque à Rege Dertusensis Episcopus destinatur.

4 Iam verò Superis hunc hominem prouehentibus per inopinatas rerum vices, Leo Decimus, detectâ multorum Cardinalium contra se coniuratione, constituit amplissimo præcellentium virorum delectu se communire. Cùm itaque Adrianus summis laudibus sibi commendaretur à Cæsare, & voce Guillelmi Enckenforti, Belgæ, magnæ apud Aulam Romanam auctoritatis, egregiæ eiusdem conditiones comprobarentur, illum Pontifex Purpurâ cohonestauit. Post hæc transgresso in Hispaniam Carolo, in cuius Regna extincto Ferdinando successerat, ibique ad Cæsaream Coronam mox adlectus, ideoque in Germaniam regredi coactus, Ceurius oblatam rursus occasionem captauit Adriani à Carolo seiungendi; cui semper æmulus, opposito quamuis consilio, ad supremum dignitatis culmen gradus extruxit. Itaque Regi persuasit, neminem aptiùs quàm Adrianum, cùm ob contractam apud populos reuerentiam, tum ob probatam erga Regem fidem, iis Regnis administrandis præfici posse. Restitit primò Cardinalis, & ex amore quietioris vitæ, quo ferebatur ingenio, & ex perturbatione, quam in animis

1521. animis Hispanorum animaduertebat: sed impensiùs vrgenti Carolo tandem cessit. Hispanorum posteà tumultus exorti, quos suprà significauimus; sed duce virtute, ac Principis felicitate compressi.

Sub idem tempus Galli absentiâ Hispani Regis, & intestinâ populorum discordiâ, in spem erecti illius Regni non frustrà inuadendi, ad recuperandam Nauarram arma intulere. At Hispaniæ populi iam sedati, quò recentem noxæ ignominiam delerent, tanto animorum ardore pro tuenda Principis ditione pugnarunt, vt hostes affectos clade depulerint. Ac per ea præclarè gesta, vt magna pars gloriæ ad Adrianum ex successus prosperitate, ita nihil inuidiæ ex consiliorum asperitate rediit: eius autem in agendo moderatio ac celsitudo virtutis, non modò immunem ab communi in populares suos Belgas odio reddebant, sed venerationem Capitis illi conciliabant, solicitudini Capitis haud obnoxio, & citra sudorem ac sanguinem martiales coronæ deferebantur; quæ literariis additæ, quas obtinebat, Pontificias peperere. Cùm enim tunc ille tam eximiâ scientiæ virtutisque laude floreret, potuit honestâ fronte Mediceus Cardinalis eum proponere, vt Pontifex eligeretur eâ tempestate, quæ ambas hasce dotes in eo postulabat, ad binas in Romanam Sedem seditiones opprimendas; alteram literis, à Luthero excitatam; alteram armis, à variis Potentiorum familiis, quæ ob interregni debilitatem eas ditiones inuaserant, vnde fuerant à Leone depulsæ. Prætерquam quòd Placentiâ ac Parmâ nuper recuperatis, & ægrè vacuâ Pontificis Sede tenentis, Gallorum arma ferociter minabantur. 5

Fauentibus igitur Mediceo Cardinali eiusque studiosis per sua suffragia Adriano, paratisque Caietani auctoritate alterius partis calculis in accessu, fuit is ad Pontificatum euectus. Inaudierat Caietanus Adriani virtutes summoperè per Germaniam celebratas, cui laudis accessionem apud Belgas faciebat popularis in Ceurium inuidia; atque, vt assolet, ad eas Prouincias administrandas ex eo etiam aptissimus habebatur, quòd æmulus ab earum administratione illum arcuerat. Euoluerat prætereà Caietanus eiusdem libros Theologicos iam typis editos: ac prout suam quisque artem pluris æstimat, maximè in rem fore videbatur, eo præsertim tempore, si in Cathedra Diuinæ veritatis magistra tam præclarus Theologus collocaretur. Accedebat, esse compertum, Doctores Louanienses, antequam Lutheri doctrinam proscriberent, * petiisse & accepisse consilium à tam conspicuo illius Academiæ alumno, quamquam absente. Quare haud dubium erat, quin collaturus esset omnem 6

* Sleidanus lib. 2.

nouæ

nouæ dignitatis potentiam ad eam peſtem opprimendam, quam adeò Caietanus execrabatur. His permotus rationibus tam efficaciter ac magnificè de Adriano diſſeruit, vt omnium ſuffragia in eum tranſierint; vno excepto, qui negauit velle ſe in re tam graui decernenda ſoli aurium fallaci teſtimonio credere. 1521.

7 Noui aliter à Guicciardino huius rei ſeriem referri, quaſi prima ſuffragia in Adrianum fuiſſent collata, non quòd quiſpiam eius electionem intendiſſet; ſed quò irritâ ſuffragatione diem illum tranſigerent. Verumtamen maior quàm Guicciardino, id temporis Parmæ gubernatori, fides debetur Iouio, tunc Romæ agenti, & Hiſtorici Pontificis munus exercenti à Leone demandatum; qui præter intimam cum Mediceo Cardinali familiaritatem, certas hauſit rerum notitias à Cardinali Enckafortio, [a] Adriani negotia Romæ gerente eius electionis tempore, vti narrabimus, ac primario deinde illius Pontificis miniſtro, & cui Vitam Adriani Iouius dicat, vbi diſtinctè illius aſſumptionem deſcribit. Adde, ſatis ex eo patêre rem ſeriò agitatam, quòd in *ſcrutinio*, vti vocant, ſuffragiorum media ferè pars pro Adriano concordabat. Id etiam confirmant duæ epiſtolæ à me perlectæ, altera [b] Oratoris Hiſpani Romæ ſcripta ad Pontificem abſentem; [c] altera Pontificis abſentis ad Archiepiſcopum Coſentinum. Neque narrationis Guicciardini fidem augebit apud peritos rerum homines aliquis illi concors Commentarius de iis Comitiis, qui tunc prodiit; cùm ſatis conſtet, huiuſmodi monumenta non raró conſcribi ab Aulicis tenuioribus, quorum cognitio ſiſtit in cortice, quique ſemper ſtudent in noui Pontificis electione eleuare quidquid in eam contulit Cardinalis ille, qui fauore præſtitit in Pontificatu præterito; quia in illum inuidia & magis feruefcit, & incipit obloqui, timoris repagulis ab ore diſcuſſis.

Lib.14.

a Literæ Cardinalis Viterbienſis.

b 18. Ianuar. 1522.

c 5. Maij 1522. inter ſcripturas Barberinorum.

8 Sed adhuc Guicciardinus bis grauiùs labitur in præcipuo noſtræ narrationis argumento. Semel, cùm aſſerit, Saxonem Septemuirum à Leone literis graues pœnas minitantibus perculſum, adeóque non mediocriter irritatum: quod planè ſomnium eſt, refertiſſimis rerum tunc geſtarum monumentis omnino contrarium. Iterùm, cùm ait, Lutherum ab Edicto Cæſareo adeò deterritum, vt niſi à Caietano Cardinali contumelioſis ac minacibus verbis ad deſperationem vltimam fuiſſet adductus, ſed honeſta aliqua viuendi ratio fuiſſet illi propoſita, facilè à ſuis erroribus deſtiturus fuiſſet. Et tamen certum eſt, Caietanum neque tunc, neque poſteà, neque ſatis longo priùs tempore cum Luthero ſermonem habuiſſe; [d] quippe vigeſimo ante propoſitum Edictum menſe Romam regreſſum. Et

d 5. Septembris 1519. vt in Actis Conſiſtor.

1521. quando cum Luthero egit, veniam ei benignè obtulit; vt ipsemet Lutherus narrat. Idemque constat posteà illi sæpiùs oblatum in Wormatiensi Conuentu; sicuti Cæsar in Edicto suo, cuius summam retulimus, testatus est. Ex quibus intelligo, hunc scriptorem in iis quæ non spectabant ad præcipuum ipsius argumentum, notitiâ vsum valdè confusâ: pronum etiam semper fuisse ad deteriora quæque credenda: idque crebra eius in omnes obtrectatio patefacit, quâ apud vulgarem improbitatem veridici existimationem in primis sibi comparauit. Maior quoque aduersus Romanos Pontifices fuit eius acerbitas, cùm ex consueta ministrorum auersatione, quam post obsequia diuturna concipiunt erga dominos, infra spem remunerati; tum quòd fortasse ademptam ab illis patriæ suæ libertatem doleret.

CAPVT III.

Noui Pontificis Romam aduentus; & obstacula in quæ impegit in Aula rectè componenda.

HÆc electio magno mœrori populo fuit: aliquibus, quòd electus ipsis esset ignotus, ac ipsi electo; adeoque eâ carentibus dulcedine, quâ Principis nouitas alit spem, eo tam nobis propenso fruendi, quàm priuatum experti sumus: aliis, quòd ex nationis ingenio, nimiùm ab Italis diuerso, coniectabant, animos parum concordes mutuò futuros: aliis, quòd immodicas morum correctiones sibi metuerent; vnde fit, vt virtutem seueriorem semper quidem multitudo veneretur, rarò ad Imperium sustollat: aliis, vel Gallo vel nulli Principum addictis, opinio de homine nimis in Cæsarem propenso displicebat. Animos denique mortalium communis suspicio cruciabat, eum senij geniique suasu, ac precibus Caroli, sibi in educatione filij, in fortuna parentis, in illius Regnis sedem locaturum; vnde Roma simul ac Pontificatus ea incommoda essent ab Hispania passura, quæ duobus antè sæculis à Gallia tolerauerant. 1

Verùm ab hac postrema solicitudine Aulam confestim Adrianus liberauit. Nam electionis suæ certior factus, præ se tulit quidem quamdam animi æquabilitatem, quæ inter hebes & heroicum non discernentibus stupor videbatur: omni tamen abruptâ morâ, posthabitoque congressu cum Cæsare iam aduentante, enixeque id rogante, in Italiam traiecit. Secutus Ioannis Emmanuelis, Cæsarei Romæ Oratoris consilium, proprij nominis retinendi, quippe 2

fausti

fausti ob egregios cognomines Pontifices, Adrianus VI. appellari voluit. Alterum verò eiusdem consilium non admisit; vt nimirum per Belgium iter faceret, atque ita aspectus Maiestate Germaniæ populos ad sui venerationem alliceret; sed Barcinone Genuam nauigauit, ac summâ vsus celeritate Romam * peruenit. 1521.

* 20. Augusti an. 1522. vt in Act. Consistorial.

3 Res hîc eò adductas offendit, vt non modò ad iam à se conceptam formam eas reuocare nequiuerit, sed necesse habuerit modicæ malorum parti mederi, propriæ existimationis iacturâ. Ac primò quidem, cùm in Principe nulla virtus magis plausum concilìet, seu veriùs mereatur, quàm liberalitas, eamque ipse miris modis exercuisset in minori fortuna, vt diximus; impegit tunc in Principatum non solùm exhaustum, sed oppignoratum adeò, vt coactus fuerit à multis pro potestate repetere reditus à Leone seu concessos, seu perperàm venditos, vti rebatur, quippe in fraudem Successoris. Prodigentiæ siquidem est, hominem tandem adigere ad duriores conquirendi pecuniæ artes, quàm auaritia vmquam adegisset. Accedebat necessitas inusitati sumptus ad recuperandas vrbes, quas Capite destitutas, cuius præsidio defendi possent, plerique occuparant; ad continuandum fœdus cum Cæsare, quod vnà Franciscum Sfortiam, & Parmam ac Placentiam tueretur; ad opem ferendam Ludouico Hungariæ Regi aduersus Turcarum impetum; ad auxilia mittenda Hierosolymitanis Equitibus, in insula Rhodo à Solymanno obsessis. Tot difficultatum tam vrgentium moli nequaquam imparem se Adrianus ostendit, seu studio publici boni, seu animi præsentiâ. Nam receptis in fidem Ferrariæ Vrbiniique Ducibus, ipsorum ope recuperauit Ariminum, propter Pontificis absentiam subreptum à Malatestis, vbi aliàs imperitauerant. Fœdus cum Cæsare sustinuit, sed vnà paternum animum Regi Galliæ patefecit, pacis magis quàm victoriæ cupidus. Caietanum Cardinalem legauit ad Hungariæ Regem, cùm ob earum Regionum experientiam, tum ob præsidium quod ab exemplo & studio Religionis collaturus esset, ad rem Christianam strenuè propugnandam; adiecitque quinquaginta scutorum millia, subsidio futura, si quid egregium pro re tentaretur. Eodemque tempore Franciscum Cheregatum in Germaniam ad Norimbergensem Conuentum misit, quò ab eorum Principum potentia validas illi Regi suppetias impetraret. Sed nec suppetiæ pares indigentiæ fuere, & aduentum Legati grauissima clades Hungarorum intempestiuè pugnantium præuertit. Fines Dalmatiæ & Croatiæ frumento armisque communiuit, imminente ipsis periculo à copiis Ottomannicis. Quò

1521. Rhodo ſubueniret, excelſas naues Genuæ fabricandas curauit; ſed inſolens ventorum aduerſitas nauigationi ſemper obſtitit. Tam immenſis ſumptibus nec parſimonia erga ſe adhibita, nec pleniſſima carnis ac ſanguinis obliuio ſuffecere. Eoque neceſſe illi fuit, ſeuerioribus modis, vt memoraui, pecuniam parare: quæ res apud populum, ad ea ſolùm quæ magis patent oculatum, auaritiæ illi opinionem atque inuidiam peperit.

Ad hæc, cùm ſit proprium hominum acutiorum, quales plerumque ſunt in Italia Aulici, artibus quibuſdam vti; indolis verò ingenuæ, qualis inerat Adriano, ab omni artificio abhorrere, atque in eo fraudem ſuſpicari; breuî cœpit Italis vniuerſè diffidere, in eorum pleriſque candorem illum Germanicum, in quo educatus fuerat, haudquaquam nactus: cumque eâ careret peritiâ, quâ ſimulatum à vero diſcerneret, non ſolùm cunctos offendebat, doli ſuſpicionem aduerſus vnumquemque promiſcuè præſeferendo; ſed in rerum adminiſtratione ſolis Belgis fidem habendo, quàm ſinceris tam inexpertis, multò maiorem fraudem ex communi eorum imperitia paſſus eſt, quàm ex vlla Italorum calliditate paſſurus fuiſſet. Accidit etiam ſubortæ peſtilentiæ calamitas, quæ cœpta aduerſus Principem odia, ſi non vti ſontem, certè vt infauſtum vehementer auxit. 4

Hæc omnia aduerſa obſtitere, ne pro eo ac optauerat, in Romana Tribunalia Aulæque mores eam formam induceret, quam vnicum hæreſis remedium futurum exiſtimabat, quamque * triduo poſt ſuam in Vrbem aduentum, hoc eſt poſtridie ſumptæ ſolenniter Tiaræ, in Senatu propoſuerat, ad eamdem Patres magnoperè cohortatus. Etenim ſumma Ærarij inopia, ac ſummæ Principatus neceſſitates eam emendationis partem arcebant, quæ ad Principis vtilitatem conduceret: populi pariter maleuolentia, cum imperitia miniſtrorum, alteri officiebat parti, quæ ad mores pertinet ſubditorum; cùm populus omni tandem lege præualeat, adeoque magnâ dexteritate opus ſit, nec minore venerationis amoriſque adiumento, quò ſibi frænum inijci patiatur. 5

* 1. Septembris 1522. prout in Act. Conſiſtorial.

CAPVT

1522.

CAPVT IV.

Opera à Pontifice impensa ad Curiam reformandam: ac præcipuè differitur de Indulgentiarum argumento: variaque Suauis dicta ponderantur.

1 ADrianus ad morum reparationem instituendam duos accersiuit, qui probitate, probitatisque studio præcellere videbantur. Alter fuit Ioannes Petrus Caraffa, Episcopus Theatinus, iam antè à Leone in Hispaniam & Angliam Nuntius allegatus ad fœdus contra Turcas ineundum; qui posteà vnus ex Institutoribus illius præclari Ordinis fuit, qui ab eius Episcopali Sede vulgò *Theatinorum* dicitur; ac longè post hæc tempora Petri Cathedram ascendit. Alter, Marcellus Caietanus: * non quidem Caietanus Thienæus, vnus ex primis etiam huius laudati Ordinis Institutoribus: in quo labitur Spondanus, accuratus ac pius Historicus, quamquam sæpè Romanis de rebus minùs, quàm par esset, edoctus.

2 Ac primò quidem adiecit animum Adrianus ad abusus amoliendos in eo negotio, vnde primæ incendij scintillæ prorupere, nimirum in promulgatione Indulgentiarum. Quod etiam Purpuratorum Patrum sensis consonabat: comperio siquidem in iis capitibus, quæ inter Vaticana Comitia constitui solent pro rerum opportunitate, & quorum obseruationem iureiurando singuli, si Pontificatum adepti fuerint, pollicentur, hoc etiam tunc insertum; Reuocandas esse facultates omnes, Fratribus Minoribus concessas, promulgandi Indulgentias prò Vaticani templi molitione.

3 Hìc aggreditur Suauis describere quidquid planè Adrianus cum plerisque Cardinalium egerit de iam concepta morum correctione, simulque minutatim referre cuiusque sententias ac rationes, vsus testimonio diurni Commentarij Episcopi Fabrianensis: quo suam negligentiam palàm facit in rerum inquisitione. Etenim Fabrianum, cùm iura Ciuitatis non obtineat, Episcopi Sedem non habet: & Franciscus Cheregatus, cui sæpè hunc titulum apponit, Teramensis Episcopus apud Samnites erat, * primusque ab Adriano creatus Episcopus. De hoc ergo Diario, cùm vbi locorum asseruetur nihil ille significet, neque inter Cheregati scripturas à me repertas extet, nihil aliud dicendum superest, nisi nullam apud me fidem esse debere aduersario testem producenti, cuius testi-

* Fuit hic Thomas Gazelius Caietanus, primò Regentis munere functus Neapoli; inde primarius in Hispania Minister, ibique Pauli IV. amicus. Longam de eo mentionem facit auctor Vitæ Pauli manuscriptæ lib. 2. cap. 9. & 10. quæ est apud Barberinos. Fortasse duplici nomine appellabatur etiam Marcellus, ideoque sic à louio nominatus.

* 7. Septembris 1522. vt in Act. Consistor.

1522. monium non modò repeti non licet, ſed ne prolatum quidem legitimè iudicari. At contrà ego nullas adducam tabulas; quæ vel in manu mihi non ſint & in promptu, ſi opus oſtenſis fuerit, vel à me indicari non poſſint apud quem aſſeruentur.

Sed qualecumque tandem ſit hoc Diarium, duo aſſero: Primum, multa hinc à Suaui decerpta, falſa eſſe: Secundum, vt etiam id integrum pluſquam verum ſit, ſicuti vera eſt aliqua illius pars; in re tamen præſenti illud ipſum Pontificum Sediſque Apoſtolicæ cauſam ſtrenuè tueri. Iam quod ſpectat ad falſitatem: narrat Suauis, Adrianum propenſo fuiſſe animo, vti eam doctrinam, quam priuatus auctor tradiderat, Pontificiâ auctoritate firmaret: nimirum, Indulgentiarum fructum percipi pro ea menſione pietatis, quâ iniunctum opus perficitur. In quo, ait ipſe, facilè ſoluebatur quod oppoſuerat Lutherus; quînam fiat, vt vno oblato obolo tam ampla Indulgentia concedatur, cum quodcumque opus honeſtum poſſit ab ea interioris charitatis copia proficiſci, vt eam remiſſionis amplitudinem mereatur. Sed addit; Pontificem à Caietano deterritum, dicente, ſibi quoque eam opinionem animo inſediſſe: *Sed ſuis in voluminibus ita temperaſſe, vt non niſi homines in literis exercitatiſſimi, germanum è verbis ſuis ſenſum poſſent elicere. Quod ſi hæc doctrina auctoritate publicâ ſemel fuiſſet euulgata, tum futurum fuiſſe periculum, ne literati etiam ex ea colligerent, Romani Pontificis conceſſionem nihil iuuare; ſed quidquid eius ſit, qualitati operis imputandum. Quæ res abſque dubio feruorem hominum in acquirendis Indulgentiis valdè frigefactura eſſet, & opinionem, de auctoritate Pontificia conceptam, mirum in modum labefactatura.* 4

Verùm hæc narratio ab horum Scriptorum ſententia, quam libris tradidere, valdè diſcrepat. Nam Adrianus in 4. Sententiarum, vbi agens de quarto Sacramento, diſputat de Eccleſiæ poteſtate in Paragrapho, *Ex his omnibus*, opinatur quidem, Indulgentiæ fructum non aliter metiendum, quàm pro menſura rationis, cuius gratiâ huiuſmodi operi conceditur Indulgentia: ſed nec ille, nec alius quiſque è Scholaſticis vmquam putauit, hoc rationis momentum coarctari ad tantum fructum, & non amplius, quantum conſequeretur à Deo illud opus per ſeipſum, & abſque Indulgentiæ dono. Quæ ſola aſſertio tamquam inutilem oſtenderet Pontificis conceſſionem, traheretque ſecum omnes conſecutiones à Suaui recitatas. Sicut etiam certum eſt, relaxationem votorum ratam non eſſe, niſi alicui legitimæ cauſæ innitatur: non tamen idcircò inde deducitur, 5

citur, huiusmodi relaxationem vtilitate carere; siquidem vt ea rata sit, nequaquam necesse erit talis causa, quæ per se ipsa satis esset voto abrogando. Ita pariter, vt rem suam licitè dominus, vel eius procurator rem domini legitimè donet, iustâ quidem causâ opus est: sed non inde conficitur, eiusmodi donationem esse infructuosam; quippe quòd non tantum causæ pondus adesse debet, quantum sufficeret, vt is, cui res donatur, in eam ius obtineret absque libero donatoris consensu. Aliter liberalitas cum iustitia confunderetur; cùm omnino liqueat, nec liberalitatem, vti nec vllam aliam virtutem exerceri posse, nisi idonea accedat causa. 1522.

6 Subtilior in hac re sententia ab Adriano excogitata, quâ tum omnium Indulgentiarum largitio, vt rationi consentanea defenditur, tum stimulantur fideles ad opera per eas iniuncta peculiari pietate præstanda, in eo versatur, quòd quodcumque opus honestum oriri potest ab actu charitatis magis magisque ferventi. Vnde si operatio illa exteriùs consideretur, prout conflat vnum atque idem meritum coniuncta cum voluntate interiori à qua procedit, eiusmodi semper esse potest, vt iure optimo Pontifex eius gratiâ Indulgentiam quantumuis amplam impertiatur. Quapropter Pontifex numquam elargitur nec ex irrito, neque prodigè, concedendo quamcumque vel maximam Indulgentiam ex quocumque vel minimo opere; cùm habeat in animo eam concedere, quatenus peragatur opus ex tanta charitate, quanta satis sit ad causam constituendam huiusmodi concessioni congruentem. Cùm verò charitas hunc infra gradum adest, ex mente Pontificis conceditur tanta pars Indulgentiæ, quanta congruè concedi possit illius operis gratiâ, eo modo peracti. Quare ex vna parte fideles certò sciunt, sibi aliquid emolumenti ex Indulgentia prouenturum, vbi Diuinæ gratiæ compotes præscriptum sibi opus compleant: ex altera, stimulantur ad illud quàm exactissimè possunt exercendum, quò vberiorem fructum inde decerpant. Престereà, cùm illis numquam in comperto sit, opus eo pietatis ardore à se perfectum fuisse, qui satis fuerit ad plenam Indulgentiam consequendam; compelluntur, ne noua vmquam opera piacularia prætermittant, quò perpetuò ex aliis atque aliis Indulgentiis subsidia sibi comparent.

7 Hanc autem opinionem, non minùs ingeniosam quàm rationi concordem, validè confirmauit Adrianus Bonifacij VIII. Constitutione, in promulgando seu in instituendo Iubileo; vbi hortatur Pontifex fideles ad exequenda opera ibi statuta quàm maximâ possint pietate, quò pleniùs efficaciusque Indulgentiæ beneficio perfruan-

1522. perfruantur. Igitur (colligit ille) hoc beneficium magis minúsve plenè consequi possumus; quique impositum opus meliùs perficit, plenius beneficium consequitur.

Iam verò apud se quisque perpendat, an ex hac sententia, non 8
inquam literatis (quemadmodum narrat Suauis à Caietano affirmatum) sed ne ipsis quidem, qui vix literis sunt aspersi, liceat arguere, *Romani Pontificis concessionem nihil iuuare; sed quidquid eius sit, qualitati operis imputandum:* & prætereà, an *Hac res absque dubio feruorem hominum in acquirendis Indulgentiis valdè frigefactura esset, & opinionem de auctoritate Pontificis conceptam mirum in modum labefactatura.* Extingueretur potiùs hic feruor, vbi fideles opinioni contrariæ firmiter adhærerent, hoc est, obtinendi plenitudinem Indulgentiæ, quocumque tandem modo iniunctum opus perfecerint. Tantum enim industriæ nequaquam impenderent ad nouas iterùm Indulgentias acquirendas; neque quò lucra ex iis caperet, qui sacram iconculam obtineret amplissimis Indulgentiis præditam, longas peregrinationes susciperet, aliaque opera magni laboris. Quomodo etiam *opinionem de auctoritate Pontificis conceptam labefactatura esset* hæc assertio, Posse quidem cum causa sacros Ecclesiæ Thesauros à Pontifice donari, sine causa tamen profundi non posse? Num labefactatur consimili doctrinâ opinio de Pontificis auctoritate in relaxatione votorum? Labefactatur in profanis bonis dispertiendis? Labefactatur quidquid habent auctoritatis seu ministri omnes, etiam supremi, in re dominorum distribuenda; seu Præsules Ordinum Religiosorum, in regulis relaxandis?

Prætereà, quodnam tandem Cereris arcanum illud erat, quod 9
debuisset, ac potuisset homines latere? Nónne illud pronuntiauerant inter Scholasticos S. Bonauentura, Richardus, Gabriel, Maior, & Ioannes Gerson? inter Canonum Consultos, Innocentius Pontifex, & Felinus? Nónne paucos ante annos in duobus Tractatibus illud typis impresserat ipsemet Caietanus? Quis illiteratus, Confessarium vel mediocriter doctum percontatus, idem non audiuisset? Nec satis fuerit respondere, Confessarios illud tamquam opinionem disputationi obnoxiam, non tamquam veritatem firmatam dicturos fuisse: nam ad eleuandam in populo fiduciam æstimationemque Indulgentiarum, primum abundè fuisset.

Non igitur ex tam inepta ratione, quam acutissimo Caietano 10
Suauis imponit, sed ex alia causa id statuere non oportebat. Ea verò fuit, quòd Ecclesia minimè soleat sententias damnare, pluribus præcipuisque Theologis innixas, qualis erat contraria sententia.

Et

Et quò refelleretur memorata Lutheri oppositio, modica verborum impensa satis erat per hoc breue responsum: Si ipsi minùs congrua videbatur opinio liberalior de Indulgentiarum vi, strictiori adhæreret; nec communem Ecclesiæ doctrinam improbaret, cuiusdam rationis obiectu, quæ illi doctrinæ vim vniuerse non incutit, sed vni solùm peculiari modo, quo eam amplificant nonnulli Scriptores. 1522.

11 Ad alteram partem accedamus, vbi refert Suauis, Caietanum eam sententiam professum, sed *scribendo ita rem temperasse, vt non nisi homines exercitatissimi germanum è verbis suis sensum possent elicere.* Vereor equidem, ne hic homo, cuius ingenium ab ingenio Caietani ex opposito dissidebat (hoc nimiùm, illud nihil planè metaphysicum) impatienter duos illos Commentariolos legerit, offensámque in quadam peculiari quæstione, de qua mox dicemus, obscuritatem, sibi persuaserit per eos totos libellos esse transfusam, finxeritque ab illorum auctore, in consiliis cum Pontifice habitis, affirmatam.

12 Caietanus in primo Opusculorum Tomo, tractatu nono *de Causis Indulgentiæ*, & in decimoquinto, qui Iulio Cardinali Mediceo dicatus est, cap. 8. docet, Indulgentias non valere, nisi quantum rationi congruat vt concedantur illis piis operibus, quæ in concessione præscribuntur. Id verò affirmat verbis adeò claris ac iteratis, vt magis diserta in nullis vocabulariis reperiri possint. Addit exemplum suprà à nobis allatum relaxationis votorum, adducitque comparationem cum fluxis bonis ad hanc vitam spectantibus, quibus multò sunt pretiosiora quæ ad æternam attinent: vnde verisimile non est (ait Caietanus) arctiùs illa quàm hæc fuisse commissa Pontificum administrationi: si ergo priora ipsi non licet prodigè profundere, nec licebit posteriora.

13 Quamobrem tres distribuendi modos distinguit. Primus versatur circa ministeria Ecclesiastica; ac de iis asserit: *Quamquam vltra Pontificis imperium exigunt rectam regulam voluntatis imperantis; si tamen absque recta regula solo Pontificis imperio fiant, valida sunt.* Non enim potest idcircò vis concessionis in dubium vocari; quippe quæ citra omnem dubitationem sit oportet, ne fidelium conscientia & Ecclesiæ tranquillitas fluctuent. In prædicto tract. 9 q. 1.

14 Alter respicit profana Sedis Apostolicæ bona, *Quæ*, dicit Caietanus, *si Pontifex pro suo libitu donaret, donatio esset inualida; quia ipse non est dominus bonorum Ecclesiæ: & si facto & Bullis poneret eos quibus donauit in possessione, non propterea transferret dominium illarum*

1522. *rum rerum in illos*; adeoque poſſeſſor non euaderet verus dominus earum.

Poſtremus modus complectitur relaxationes votorum & Indulgentias; quas res, quippe incorporeas, non poteſt Pontifex exteriori operatione tractare, ſicuti bona temporalia; ac proinde huiuſmodi conceſſiones citra rationem, & re & iure ſunt inefficaces. Addit: *Si quis putaret, Romanum Pontificem non poſſe errare in iſtis particularibus actionibus, putaret quoque ipſum non eſſe hominem.* Imò ait, *Pontificem non ſolùm poſſe errare in huiuſmodi, ſed etiam facilè poſſe errare.* Numquam tamen id circa peculiaria præſumendum; cùm præſumptio actui eiuſque auctori faueat, ſi vtatur legitimâ poteſtate. 15

Hîc ſanè ſcire peruelim, an ea Caietani locutio ſit ænigmatis inuolutum arcanum, non niſi ab eruditiſſimis viris euoluendum. Age iam, videamus an ille indicium aliquod præbeat, malle ſe opinationi ſuæ inuolucra prætexere, an dilucidè fideles docere. Caput octauum Opuſculi 15. his verbis orditur: *Ad difficillimam autem quæſtionem, de cauſa Indulgentiæ propoſitam, reſpondere quamuis temerarium fortaſſe cenſebitur, dicendum tamen eſt ratione duce, quid ſentiendum eſt de illa: oportet enim & Eccleſiæ prædicationem ſaluare vt vera eſt, & fideles paſcere pane intellectus.* 16

In alia verò parte ineſt obſcuritas Caietani; ſed in qua vis Indulgentiarum non deprimitur, ſed ſuſtentatur. Subiungit ergo, hanc *rationabilem cauſam* haud eſſe intelligendam, tamquam *rationabilem cauſam percipiendæ remiſſionis*, ſed *eiuſdem concedendæ*; quæ ſcribendi ratio docto lectore opus habet, & id planè ſignificat quod paulò antè fusè declarauimus; videlicet, quò ritè concedatur Indulgentia, non exigi in opere tantum meriti, quantum per ſe ſatis foret ad impetrandam à Deo talem pœnæ remiſſionem; ſed quantum ſufficit, vt ea Pontificis largitio non ſit imprudens prodigalitas. Atque ita cauſa, quam poſtulat Indulgentiæ efficacitas, non eſt cauſa per ſe proximè ſufficiens ad fructum illum capiendum; ſed eſt cauſa per ſe ſufficiens, ad obtinendam à liberalitate prudentis diſpenſatoris conceſſionem illius fructus. Hoc enim inter ſe diſcrepant Iuſtitia & Liberalitas, quòd ratio quâ compellimur ad dandum ex iuſtitia (exempli gratiâ, emptio ad dandum pretium, opus ad dandam mercedem) eſt ratio per ſe efficax, vt id pro quo ſoluimus, obtineamus, cùm ea non pendeat in effectu præſtando ab alterius gratia. At contrà, ratio quâ mouemur ad dandum ex liberalitate, cuiuſmodi eſſet virtus vel indigentia illius cui aliquid donamus, non habet ipſa per ſe efficaciam proximam 17

ad

ad illius donationis effectum; sed solùm efficax est ad excitandam 1522.
in ipso domino liberali eam voluntatem, cuius gratiâ qui virtute pollet, vel indigens est, rem dono accipit. Hæc, inquam, doctrina, quæ ad retinendam Indulgentiarum æstimationem ac pretium omnibus patefacienda fuisset, ea demum est, quam Caietanus paucis scabrisque verbis inuoluit.

18 Aliam quoque sententiam ibidem tradit, explicatiori sermone exemplisque illustratam, quæ pariter auget in Christianis fiduciam erga Indulgentiarum vim in peculiaribus euentis; nec valdè differt ab eo de quo disseruimus in libro primo. Ea autem est: Causæ conuenientiam esse metiendam, non quidem ab operis per se ipsum magnitudine; sed ab eius vi comparatè ad illum finem, eamque peculiarem vtilitatem Ecclesiæ, quæ Pontifex intendit cùm Indulgentiam largitur.

Affert exempla Caietanus. Idem planè opus est atque idem labor, Romanas Basilicas inuisere quocumque anno, atque anno vniuersalis Iubilæi; adesse in foro S. Petri quocumque die, ac die Paschatis, vel alterius celebritatis, quo soleat Pontifex populo ibi congregato solenniter benedicere. Nihilominùs congruentior adest ratio concedendi plenam Indulgentiam, ob illud opus certo peculiari anno, certoque peculiari die, quibus ea exercitatio operum huiusmodi sit vniuersalis quædam professio, à fidelibus exhibita circa vnitatem Ecclesiæ, & circa cultum quo Romanum Pontificem vti Christi Vicarium venerantur. Quare, cùm lateat nos in singulis casibus quisnam sit finis bonumque Ecclesiæ peculiare, in quod destinat Pontifex opera præscripta vt Indulgentia obtineatur; temerè profectò arguemus ex operum tenuitate inanem irritamque concessionem.

Perpendat iam vnusquisque, an huiusmodi forent hæ doctrinæ, quæ euulgatæ periculum crearent, *ne literati etiam ex iis colligerent, Pontificis concessionem nihil iuuare, & feruorem hominum in acquirendis Indulgentiis valdè frigefactum iri, opinionemq; de auctoritate Pontificis labefactandam.*

1522.

CAPVT V.

An vero consonet, quod narrat Suauis de origine progressuque Indulgentiarum.

VErùm adhuc magis impium magisque falsum est, quod disseruit Suauis de Indulgentiis, dum principia hæresis Lutheranæ referret: quod consulto hunc in locum adduximus, vt coniunctim confutaremus. 1

Narrat ipse: *Rei nummariæ per Indulgentias subleuandæ rationem cœptam esse adhiberi sub annum centesimum super millesimum. Siquidem Vrbanus Pontifex, id nominis Secundus, Indulgentias plenâ manu cum expiatione omnium delictorum concedens iis qui in Militiam proficisci vellent, ad Terram sanctam recuperandam, & Christi Sepulchrum vindicandum, Successoribus suis exemplo præiuit; horum nonnullis (vt est facilè inuentis addere) eâdem Indulgentiarum plenitudine prosequentibus eos, qui cùm ipsi non possent, aut certè nollent sacro bello interesse, alium suis sumptibus alerent militem.*

Equidem haud intelligo, quænam parandæ pecuniæ ars tandem sit, bellum gerere adeò pium, per sumptus, per labores, per discrimina tum Pontificis, tum ceterorum Christiani nominis Principum, atque impertiri Indulgentias cuicumque vel per se, vel per alium opem ferenti, quò nostri Redemptoris Nomen, Patria ac Sepulchrum honorificentiùs habeantur.

Subiungit, *Hac ipsâ veniarum largitate donatos eos, qui bello lacesserent quosuis Ecclesiæ Romanæ Edictis minùs obsequentes, etiamsi Christianos.* Hic pariter nihil perperàm actum apparet. Si namque honestum est, ac præmio dignum, pro iustitia pugnare, legitimoque Principi aduersus ipsius perduelles ferre suppetias; cur laude ac præmio dignum non censebitur, opem ferre Pontifici ad eum gregem recuperandum, cuius Pastor à Iesu Christo fuit constitutus, quique ab illius baculi moderatione se nefariè subduxit? Si ergo fas est, flagellationum, ieiuniorum, & huiusmodi operum gratiâ Indulgentias concedere; multò magis concedendæ illæ sunt propter opus maioris virtutis, vberioris fructus, difficilioris laboris. Præterea tacet Suauis, memoratas Indulgentias fuisse concessas ad debellandos eos, qui non solùm erant Pontifici refractarij, sed hæretici, sacrosanctæ Fidei dogmata oppugnantes, veneranda Religionis nostræ mysteria palàm conculcantes, & Rempublicam 2

Christianam pestiferâ errorum tabe corrumpentes; quales fuerunt 1522.
Albigenses, Waldenses, & alij.

3 Pergit affirmare, *Pecuniam, quam ad hæc opera fideles conferebant, vel totam, vel maxima ex parte alios in vsus auersam.* Prætermitto, nullum ab eo tam enormis fraudationis argumentum adduci; populum verò, qui semper pronior est ad nimiam suspicionem, quàm ad nimiam fiduciam erga sibi imperantes, si quod huius indicium comperisset, seu nihil collaturum fuisse, seu manu suâ stipendia militibus soluturum, nullâ alterius arbitrio commissâ pecuniâ. Sed interrogo: Gerebantur hæc bella, nec ne? &, Gerebanturne iis sumptibus, qui hanc exiguam collationem voluntariam excederent? Id qui negaret, aut illius ætatis historias numquam lustrasset, aut ignoraret quantum auri deglutiat prodigiosus stomachus, vt ita dicam, ingentis exercitus, longo tempore stipendia merentis. Hoc posito, quod extra dubitationem est, adhuc quæro: Quidnam illa significent, *Maiorem illius pecuniæ partem in alios vsus auersam?* Num fortè significat, non fuisse bello impensam eam ipsam planè monetam, quæ *Cruciatæ* nomine oblata fuerat? Haud ita sanè: non enim fugere poterat Suauem tritum illud Iurisperitorum; Pecuniam, prout pecuniam non considerari in humano commercio, quà hæc numero est, vt Scholastici loquuntur: adeoque is, qui ab altero, exempli causâ, vnum aureum accipit, quem in aliquem quemcumque vsum impendat, nullo iure compellitur, vt illum ipsum in specie aureum tali vsui destinet; cùm fas eidem sit, acceptum aureum nummum, vti libet, expendere, suffecto altero ad eum vsum, ad quem ipsum acceperat.

4 Post hæc recenset Suauis varias Scholasticorum opiniones de Indulgentiarum natura; sed eâ arte illas exponit, perinde quasi auctores illi temerè pedem protulerint, variasque per viam nacti scrobes, institutum iter quacumque possent semitâ sæpiùs flectere cogerentur, semper tamen prætentando potiùs quàm gradiendo. Mihi verò, vtpote historiam non Theologicas quæstiones scribenti, non est animus, fusiùs hîc vel defendere, vel exponere vim Indulgentiarum, opus sanè confectum à pluribus celebratis scriptoribus: non tamen licet prætermittere quasdam animaduersiones, quibus mordaces aduersarij dentes hebetentur.

5 In primis, nequaquam illi silentio prætereundum erat, hunc Indulgentiarum vsum haud incepisse, secundùm longè maximè communem sententiam, seu ab expeditionibus Cruce signatorum, per Vrbanum II. vti dictum est, institutis, seu cum onere confe-

1522. cordiæ, humanam socordiam alunt ac fouent. Quapropter rationi consentaneum fuerat, vti Redemptor illius heredem eo pacto institueret Ecclesiam, vt fieret non quidem eius dominus, sed dispensator ipsius Ecclesiæ Rector, Christi nimirum Vicarius, qui cælestem haberet thesaurum, suis subditis opportunâ liberalitate dispertiendum; vti quæcumque terrena Respublica suo etiam Principi Ærarium tribuit, vnde dona præmiaque, vbi vsus fuerit, depromat.

Constat prætereà, Sanctorum plerosque laboribus fuisse perfunctos, pœnarum remissione dignis supra debitum suarum noxarum: 11
vt liquet non solùm in sanctissima Virgine, quæ nullius culpæ rea tam graues tolerauit ærumnas; sed etiam in Ioanne Baptista, qui vitam laboriosissimam simul & innocentissimam traduxit; atque in tot Martyrum millibus, qui cùm potuissent vniuersum pœnæ debitum solâ morte delere, diuturnis præterea atrocibusque tormentis vexati sunt atque concisi. Neque his omnibus satis repensum est cælesti præmio, vti Durandus & Mayronis existimabant; propterea quòd huiusmodi præmium respondet merito, etiamsi dolor omnis ab eo seiungatur; cuiusmodi planè fuisset meritum Adami in sua innocentia, & reipsâ fuit meritum Angelorum. Ceterùm, vt pluribus in locis præclarè S. Thomas ratiocinatur, diuinæ amicitiæ diuinæque visionis præmium debetur charitati, non operis difficultati. Quare arduitas non auget per se meritum, sed solùm auctius indicat, quatenus maiore charitatis ardore necesse fuit ad ipsam difficultatem superandam. Vnde fieri potest, vt opus facillimum, per charitatis feruorem patratum, maiori præmio dignum sit quàm aliud difficillimum, à charitate minùs ardente profectum. Sed non ita supplicij satisfactio, quæ suam dimensionem petit à grauitate molestiæ propter Deum toleratæ. His præmissis, animaduertendum est, in laboriosa Sanctorum actione præmio digna duplex inesse ius, alterum ab altero separabile. Vnum, prout solum meritum obtinet; & huius ampla remuneratio est gloria cælestis: alterum, prout actio laboriosa est; & huius compensatio est remissio pœnæ aliunde debitæ. Quapropter quicumque ex Sanctis plus pœnæ passi sunt quàm meruissent, adhuc eo nomine creditores existunt: cùm autem vnus sit ex articulis Symboli, *Sanctorum Communio*, patet hanc satisfactionis exuperantiam nequaquam proiici, sed ad subsidia indigentium seruari in communi Ecclesiæ ærario, pro prudenti arbitratu supremi eiusdem Administratoris, qui est Summus Pontifex.

Nec

12 Nec officit, quod Suauis per consuetam confidentiam obiicit 1522.
doctrinæ Catholicæ: Si Christi satisfactio infiniti fuit pretij, frustrà fit accessio ex satisfactionibus Sanctorum. Mirum quòd non intelligat, idem posse confici de Diuina potentia; cui, cùm infinita sit, frustrà vis causæ creatæ adiungeretur. Si pariter Dei misericordia est infinita, fides, merita, preces, & quidquid nos conamur, incassùm caderent. Aliud est, vim quamdam esse infinitam ex se; aliud, infiniro modo sese impendere effectui. Sic Atlas quidam posset vnà cum puerulo arundinem gestare, dummodò illi ponderi gestando tantum impenderet virium, quantum de se non sufficeret, sed ad opus peragendum vires etiam pueruli postularet. Itaque quod Deus facit in donis naturæ, dum ad ea progignenda vim etiam creatam sibi sociam adsciscit; itidem in donis gratiæ facere solet, dum vult Angelos alterum ab altero illustrari, eosdemque hominibus custodes adesse; inter homines verò, Sacerdotes, & adhortationes ac preces alterius alteri prodesse. Consimili tandem ratione vult, ad Sanctorum gloriam, arctiusque charitatis vinculum inter Christianos, veniam à peccatoribus imperratam solui ex peculio redundante Sanctorum; quod non solùm ipsis abundat, sed cunctis etiam illorum fratribus in Christo renatis.

CAPVT VI.

Examinantur reliqua, quæ de Indulgentiis à Caietano Pontifici exposita Suauis narrat.

1 PErgit Suauis narrare, Caietanum suasisse Pontifici, ad sustinendum Indulgentiarum pretium, vt veterem seueritatem Ecclesiasticæ disciplinæ circa *Sacramentales pœnitentias* reuocaret; affirmantem, tametsi minimè dubitandum sit, inesse Pontifici potestatem à quocumque genere pœnæ absoluendi fideles; tamen exploratum esse, morem veteris Ecclesiæ fuisse, eam solùm pœnam per Indulgentias condonari, quæ fuisset à Confessoribus iniuncta. Proinde, si ab his antiquus pœnitentiæ rigor adhiberetur ex præscripto Canonum ad id spectantium, futurum fuisse, vt referuesceret languescens Christianorum feruor, & auctoritas Sacerdotum resurgeret, & Indulgentiarum existimatio mirificè refloresceret. Subdit, placuisse Pontificis animo consilium: sed cùm Congregationi Pœnitentiariæ expendendam proposuisset, rem grauissimis adeò plenam difficultatibus visam esse, vt communi Consultorum nomine Cardinalis Puccius, summus Pœnitentiarius,

1522. rius, fuerit Pontificem dehortatus, proposito periculo, ne Christiani populi nouum illum rigorem passuri non essent: adeoque ex huiusmodi consilio, recuperandæ Germaniæ loco, obsequentes Pontifici Prouincias perditum iri.

At hæc narratio veri speciem haud præsefert. Etenim vel Caietani mens erat, vt post renouationem grauiorum pœnarum sacramentalium Indulgentiæ concederentur ad relaxandam *Purgatorij* pœnam, huiusmodi afflictationibus respondentem, quæ Indulgentiarum vi fuisset deleta; & hoc pacto perdurabat integra difficultas, quam narrat Suauis fuisse priùs ab eodem Caietano propositam. Vel intendebat, Indulgentiis remitti solum debitum iniunctæ à Confessario pœnæ, perseuerante debito cum ipso Deo per peccata contracto, & quod vi pœnæ à Confessario impositæ delendum esset. At hoc pacto reualescebat argumentum Lutheri, damnantis ex eo Indulgentias, vti noxias, quòd vnicus earum effectus esset ægrotum liberare ab obligatione medicinæ salutaris adhibendæ. Quo argumento S. Thomas redarguerat eos Doctores, qui efficaciam Indulgentiis tribuebant solùm à pœnis Canonicis liberandi; præterquam quòd verba in earum concessionibus vsurpata ab Vrbano II. à Concilio Claramontano, à Gelasio II. ab Honorio III. aliisque, palàm faciunt, eos voluisse ab ea pœna fideles absoluere, quæ responderet in *Purgatorio* illi Canonicæ pœnæ, à qua Indulgentiæ operâ exoluebantur. Non potuit igitur Caietanus, tam egregius & Theologus & Aquinatis sectator, huiusmodi consilij auctor esse. 2

Vide Mori- num de pœ- nis lib. 10. cap. 22.

Verùm quidem est, quod subiungit Suauis, cùm tentaret Pontifex moderari eos prouentus, qui ob concessas à Pontifice facultates dati *Datariæ* nomen fecere, in eas difficultates atque incommoda incidisse quas animo non præuiderat. Enimuerò pro aliquibus legum relaxationibus sumptus remittere, perinde erat ac disciplinam remittere. Nam sicuti pecunia vi quâdam omnia est; ita pecuniaria pœna pluris æstimatur quâuis aliâ, quæ ab Ecclesiastico foro possit infligi: cui cùm haud liceat, vti licet profano, Legum dissolutioni frænum iniicere ex ferro, opus est vt iniiciat ex argento. Præterea fideles leuare eâ pecuniæ solutione, quæ fit Pontifici ob diplomatum & facultatum concessionem, iuxta id erat, ac ærarium exinanire satis iam per se exhaustum, & quidem tempore summæ indigentiæ; simulque euertere tot honestorum hominum fortunas, qui bonâ fide coëmerant munera hisce prouentibus innixa.

Nec satis erat antecedentium Pontificum culpæ rem vertere. 3
Etenim,

Etenim, vt hoc ita sit, non idcircò iis qui succedunt, licet facta infecta reddere; sed par est medicum imitari, qui nactus corpora præcedenti intemperantiâ debilitata, non perinde illis consulit ac si essent valida; sed posito ex intemperantia damno, quàm saluberrima possit pro rei conditione medicamenta præscribit. At insuper verum est, hanc morbi speciem, vt in aliis compluribus vsuuenit, non tam Principis vitium esse, quàm Principatus, imò & hominum vniuersè. Et primò quidem expendamus aliorum ditiones, & obseruemus, an ferè omnes ad statum deteriorem redactæ sint quàm Pontificia; seu de profana sermo sit, quæ ad subiectos illi populos coarctatur; seu de sacra, quæ vniuersum Clerum Catholicum complectitur. Profana Imperia, quà naturâ, quà consuetudine per successionem continuantur; ac proinde illorum Principes possunt ad plurimas ætates sua consilia extendere, iisdem profutura. At verò Pontifices fermè senes eliguntur, ac planè certi, post breuem eorum vitam successurum Pontificem sibi non præuisum, atque in pluribus à decessore discrepantem: quod vti alioqui plurima maximaque confert commoda, ita hoc parit incommodum, vt nequeat hic Princeps longè prospectum capere ad ea rebus publicis admouenda remedia, quæ diuturnam postulant curationem. 1521.

4 Et tamen ærarij angustiæ communia cunctis magnis Principatibus sunt incommoda, tametsi ab hoc peculiari incommodo immunibus. Cuius rei euidens est ratio. Quicumque Princeps, quò auaritiæ notam euitet, perinde quasi citra indigentiam vectigalia à subditis exigat, oportet vt quidquid à sua ditione collegerit, totum expendat, satis modico contentus ærario. Cùm autem superueniat interdum noua pecuniæ difficultas ad sumptus extraordinarios, necesse tunc est aliunde argentum conquirere, adeoque alia onera populis imponere. Ex his verò minima pars ad Principem confluit, maxima per aquæductus disperditur, antequam in fontis alueum influat. Vt leuiora sint huiusmodi onera, minusque intolerabilia, imponuntur vel perpetua, vel diuturno tempore duratura; ex quibus fundus constituitur, cuius in fructibus, pro ipsorum perpetuitate seu diuturnitate moderatis, nititur securitas prouentuum ingentis pecuniæ, quam præsentem ac totam simul à mercatoribus Princeps accipit, quâ vrgenti necessitati satisfaciat. Cessante eâ extraordinariâ necessitate, exempli gratiâ, belli gerendi, emunctum remanet ærarium, & ordinarij reditus diminuti ob accepta à militibus detrimenta: adeò vt vix liceat à nouis populorum oneribus temperare, nedum releuare iam imposita; quandoquidem ipsa

1522. splendoris atque Aulæ Principis diminutio, spectaculum euaderet nimis deforme, nimisque ingratum vel ipsis subditis, in quorum leuamentum induceretur. Ita paulatim augentur variorum generum tributa, iam illis oppignorata, qui tributis tamquam vadibus acceptis, præsentem pecuniam dedere: ac proinde, si eorum postmodum fieret reuocatio, fides publica violaretur, & omnis præcluderetur aditus Principi ad comparanda subsidia in huiusmodi angustiis deprehenso.

Neque tamen ob ea incommoda humana Respublica euertitur, 5
vt experientiâ liquet; non solùm quia fortuiti casus, rerumque humanarum vicissitudines citra Principis fraudem è medio tollunt prouentus qui ex oppignoratis fundis hauriebantur, vnde iisdem spoliantur emptores; quemadmodum planè contingit emptori census, vbi fluuius eius fundum absorbeat: sed etiam, quia reipsâ, quocumque tandem imposito vectigali, semper penes subditos Principis pecunia persistit; adeoque dum emunguntur alij, alij pinguescunt, & vniuersa Communitas, quæ totum quiddam est, eumdem iugiter obtinet rerum statum.

Quamquam autem, quod spectat ad Pontificem, hæc tributa, ab 6
omni Christianorum genere collata, videantur confluere ad ditandos tantummodò Pontificiæ ditionis populos; reuerà tamen haud ita se res habet. Etenim satis constat, hos non esse locupletiores præ aliis, nisi quantum fert moderatius eorum regimen, statusque pacatior suprà quàm vsuuenit profanorum Principum ditionibus. Huiusce rei ratio ex eo petitur, quòd Romana Aula, quæ his collationibus totius Christiani Orbis fruitur, conflatur itidem ex totius Christiani Orbis hominibus: & quamuis plures in ea Itali numerentur, quàm Transmontani, pluresque ex Prouinciis subiectis Ecclesiæ, quàm ex aliorum Principum ditionibus; non tamen discrimen inde ortum discernitur paupertatis aut opulentiæ, si totius Catholici populi amplitudo spectetur. Quapropter, qui se à Pontificis obedientia subduxere (prout alibi considerauimus) pecuniosiores certè non sunt vel aliis qui Pontifici nunc obtemperant, vel ipsis quo tempore illi obtemperabant.

Hæc igitur ratiocinatio, sapientissimo experientiæ magisterio 7
deducta, satis poterat nouum Pontificem admonere, eius animi feruentiora consilia, esse formas quasdam abstractas, speculanti quidem speciosas, sed subiectæ materiæ conditionibus minimè accommodatas: adeoque earum plurimas, à quibus ille antè tamquam à quibusdam monstrosis abhorrebat, iam esse minimum malorum

larum inter ea quæ fieri possent: quod sanè penes prudentes ratio- nem induit boni, & laudem, & honestatem. 1522.

8 Est pariter veritati consentanea ea ratio, quam Suauis asserit à Soderino Cardinali propositam Pontifici; Emendationem *Datariæ*, aliorumque Ecclesiasticorum Romæ Magistratuum, hæreticorum cõuersioni parum esse conducibilem. Cùm enim illi honesti gratiâ nequaquam mouerentur, huiusque Principatus non restitutionem, sed dissolutionem percuperent; numquam eorum libidini satisfactum iri, nisi Romanus Pontifex in ordinem cum ceteris Episcopis redigeretur. Quin ex eo quod ipsorum causâ emendatum fuisset, plausum auctoritatemque apud populos sibi comparaturos fuisse; gliscente in dies ipsorum audaciâ ad efflagitandas res, vulgò quidem speciosas, sed reuerà contra ius fasque, & quæ peragi planè nequirent: atque ita experimento compertum esse; moderatis concessionibus iratum quidem populum quandoque placari posse, perduellem non posse: adeoque perduellionis incendium non nisi vel terroris gelu, vel sanguinis pluuiâ restingui. Verumtamen non idcircò emendationes congruas esse omittendas, quæ plurimum valent ad bonitatem propriæ causæ in conspectu generis humani comprobandam, & ne ad rebellantium signa etiam malè affecti transfugiant; sed oportere cuncta peragi per quamdam voluntariam moderationem, quâ patefiat, sponte consuli subditorum obsequentium leuamento, non vi compelli ad contumacibus satisfaciendum. Quod quidem abundè præstitit Romana Ecclesia, abusus plurimos resecando, moresque ac disciplinam reparando, quando hæreticorum factio tam apertè implacabilis grassabatur, vt nemo prorsus nouas leges vtilitati potiùs recuperandi perditos, quàm studio perficiendi probos, posset adscribere.

9 Tunc itaque Pontifex à re præsenti sibi statuit ordiendum; temporis consilio relictis Constitutionibus, in posterum profuturis. Quapropter & Indulgentias perparce concessit, & quæstuosæ in facultatibus indulgendis liberalitati modum adhibuit. Simul etiam Nuntium in Germaniam ad Conuentum, absente Cæsare Norimbergæ coactum, destinauit Franciscum Cheregatum, Vicentinum, cuius suprà facta est mentio, * & cuius operâ anteà Cardinalis Sedunensis, posteà verò Adrianus Cardinalis Cornetanus, vsi fuerant in grauibus negotiis peragendis, variisque legationibus apud multos Europæ Principes obeundis; quemque deinde etiam Leo Decimus priùs ad Regem Angliæ miserat, inde duobus ante obitum annis

* Hoc totum apparet ex literis diplomatis, aliisque scripturis, communicatis Auctori à Cheregatorum familia.

1522. annis ad Carolum Hispaniæ Regem, vt cum eo de controuersia transfigeret, quam Vrsini Leonis cognati agitabant super quibusdam oppidis Carolo subiectis. Per eam ille occasionem egerat in Hispania cum Adriano, in cuius Pontificatu eâ fruebatur prærogatiuâ, quâ pollet apud nouum Principem, quisquis ab eo inter plures ignotos idoneus agnoscitur.

CAPVT VII.

Mandata Nuntio Cheregato præscripta.

DVo [a] potissimùm Cheregato iniuncta: [b] Hungariæ à Tur- 1
carum aggressionibus defensio; & Germaniæ à Lutherana contagione curatio. Nos de postremo loquemur, quippe ad nostrum argumentum spectante.

Scripsit Pontifex ad Conuentum vniuersè diploma, quo quere- 2
batur, non modò vulgus, sed plerosque nobilium, Cæsareo Edicto neglecto, Lutheranæ impietati fauere; adeoque Sacerdotum bona diripi (quod fortasse, aiebat ille, hisce tumultibus præcipuum fomitem præbuerat) cunctisque legibus Ecclesiasticis simul ac profanis obedientiam abrogari. Præmonebat, incassùm eos auri sanguinisque profusione victoriam ab externis hostibus reportaturos, dum tabificum schismatis hæresisque venenum intra ipsorum viscera nutriretur. A se quidem, cùm in Hispania degeret, & Cardinalis esset, magno doloris sensu audita fuisse tam grauia Germaniæ suæ mala; sed spem etiam conceptam, futurum fuisse, vt breui tum ipsâ errorum stoliditate, tum hereditariâ nationis pietate prorsus extinguerentur. At verò, cùm cerneret illius pestiferæ plantæ ramos tam latè diffusos, se ob oculos ipsis ponere, quantâ Germanici nominis ignominiâ sinerent sibi fucum indignè fieri à fraterculo apostata, qui desertâ semitâ, tot præclarissimorum Sanctorum vestigiis tritâ, & innumerabilium Martyrum sanguine stratâ, gloriabatur, vti impius olim Montanus, sibi vni Spiritum sanctum affusum; Ecclesiam verò vniuersam iactabat ad eam vsque ætatem in tenebris iacuisse obuolutam. Proinde eos adhortari, vt omnem operam industriamque conferrent, ad Lutherum eiusque asseclas ad veritatem Catholicam reuocandos. Vbi verò obdurati persisterent, resecandos, vti membra iam putrida, à sano corpore. Ita duos fratres seditiosos Dathan & Abiron à tellure viuos absorptos ob indignationem diuinam; Deique iussu capitali pœnâ puniri hominem, Sacerdotis imperio detrectantem: ita Apostolorum Principis

[a] Scripturæ hic citatę leguntur in libro, cuius titulus est, *Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum*, impresso an. 1533. & in 1. tom. Const. Cæsarearum à Goldasto hæretico.
[b] Diploma est 9. Septembris 1522.

cipis imperio Ananiam ac Sapphiram, sibi contra Deum mentientes, subitâ morte correptos: ita veterum Imperatorum vindice pietate Priscillianum ac Iouinianum hæreticos ferro sublatos: ita hæretico Vigilantio mortem corporis, ne periret animus, à S. Hieronymo exoptatam: atque ita nuper ab ipsorum maioribus Ioannem Hussum & Hieronymum Pragensem flammis traditos; qui nunc rediuiui quodammodò respirabant in Luthero, ipsorum nomina summâ veneratione prosequente. Postremò suam omnem opem, vitamque ipsam offerre, quò illos aduersus infidelium tutaretur impetum. Cetera ex iis intelligerent, quæ suo nomine Episcopus Aprutinus exponeret, iam à mense Septembri, vt ibi patet, Nuntius à se nominatus. Vnde falsò eum Suauis appellat (quod suprà obseruatum est) Episcopum Fabrianensem, narratque eumdem initio Nouembris Nuntium fuisse designatum. 1522.

3 Præter hoc commune diploma, data sunt etiam ipsi Cheregato mandata, de iis omnibus quæ Pontificis nomine ad Conuentum deferret. Hæc mandata (siue id ex Adriani nimis ingenui voluntate fieret, siue ex indole apertissima Cheregati, ideoque Pontifici accepta) scripto sunt ab illo Conuentui communicata: vnde posteà typis impressa, simul adiectis ad eadem responsionibus. Vtraque à Suaui narrantur, sed per dicendi formulas quàm maximè Romanæ Sedi obtrectantes.

4 Hæc erat mandatorum summa. Primò, rationes afferret, præter contentas diplomate, quibus impellerentur ij Principes ad opprimendam neruis omnibus subortam hæresim, suorum maiorum exemplis insistentes, ex quibus nonnulli suis manibus Ioannem Hussum in flammas coniecerant. Rationum hæc erant capita; Iniuria, quâ hæresis afficiebat in primis Diuinam Maiestatem; deinde suorum maiorum memoriam, quos vt expertes veræ Fidei orco damnabat: Clades, quas illa inferebat Germaniæ per tot latrocinia, direptiones ac cædes: Perduellio, quam in Principes legitimos moliebatur; nam quo pacto legibus profanis parceret, qui sacras proculcabat? sineretne intactos laicos, qui violabat Sacerdotes? Denique hanc sectam artibus vsam esse similibus Mahumetis artium in effrænata licentia, adeoque similem animi propensionem præseferre, ac euentum similem minitari.

5 Addebatur; Frustrà obtendi, Lutherum inauditum à Pontifice fuisse damnatum; eam quippe defensionem adduci posse, quatenus puniretur vt reus ob prædicationem, euulgationemque peruersæ doctrinæ, vbi facti agitur controuersia; non quatenus spectatur

veritas

1522. veritas aut falsitas sententiarum, vbi res procedit ex auctoritate Ecclesiæ atque Sanctorum, credendo, non probando, vt Ambrosius loquitur. Præsertim verò cùm eædem sententiæ ab Oecumenicis Conciliis damnatæ fuerint; quorum definitiones si tunc in dubitationem redirent, iam nihil firmi, nihil inconcussi in Fide perstare.

Mandauerat prætereà Cheregato, vt ipse liberè fateretur, 6
cognoscere Pontificem, eam rerum perturbationem nihil aliud esse, quàm supplicium inflictum à Deo noxis præcipuè Sacerdotum & Præsulum; ac proinde (vt obseruauit Chrysostomus in eo quod egit Christus in Vrbe Hierosolyma) flagellum à templo incepisse, cùm priùs capiti quàm ceteris infirmi corporis membris mederi par esset. In eam Sedem aliquot iam annos quædam vitia irrepsisse, abusus in rebus sacris, in legibus violationes, in cunctis denique peruersionem. Mirum non esse, si morbus à Capite reliquas in partes defluxerit; nimirum à Summis Pontificibus ad minores Antistites: eos omnes peccasse, ac proinde oportere submittere animos, & dare gloriam Deo, atque vnumquemque semetipsum iudicare, ne à virga Diuini furoris iudicaretur. Quod ad se spectaret, statutum sibi esse Curiam reformare, vt inde sanitas initium duceret, vnde morbus inceperat; ad quam reformandam eò se strictiùs obligari putabat, quòd ardentius à cunctis id expeti intelligebat. Se, vt aliàs indicasse Cheregato sibi videbatur, numquam eam dignitatem ambiuisse, multoque libentiùs in vita priuata, ac secura quiete Deo ac sibi fuisse vacaturum. Quin prætereà Pontificiam Tiaram vltrò repudiaturum fuisse, nisi ad eam suscipiendam Dei timore coactus esset, sincerâ electionis suæ formâ, & periculo schismatis vbi se subtraxisset. (Et reuerà in eius Vita narratur, cùm ad vesperum nuntium suæ electionis accepisset, eam noctem integram fluctuasse ancipitem, assensurúsne esset an dissensurus.) Prosequitur, se ceruices submittere celsissimæ dignitati, non dominandi cupiditate, neque propinquos locupletandi; sed quò Diuinæ voluntati obsequeretur, quò deformatam eius sponsam reformaret, quò subueniret oppressis, doctos ac probos viros, qui diu iacuerant, erigeret ac exornaret; omnes denique boni Pontificis partes expleret. Neminem tamen mirari debere, si tam citò perfectam emendationem haud cerneret: cùm enim inueterato morbo, variisque malis conflato mederi opus esset, lentè ac pedetentim agendum; priusque occurrendum grauioribus malis, ac periculo proximis, ne festinatio ipsa cuncta simul reformandi, cuncta

potiùs

potiùs perturbaret. Doceri nos à Philosopho, subitas omnes mutationes esse periculosas, & verissimum esse sacrum prouerbium: *Elicere sanguinem, qui nimiùm emungit.* 1522.

7 Quoniam autem Cheregatus monuerat, grauiter fuisse conquestos Germaniæ Principes, quòd Sedes Apostolica identidem violasset quæ cum ipsis iam concordauerat; iussit illum Pontifex respondere: Eas violationes sibi pariter displicuisse, dum priuatus esset; adeoque fixum sibi esse in animo, vel ipsis non petentibus, ab ea re semper abstinere; tum vt suum cuique ius seruaretur, tum quia ipsa humanitas exposcebat, vt non modò non læderet, sed promoueret suam inclytam Germanicam nationem.

8 Mandabat etiam, vt se faceret certiorem de viris doctis ac probis inopiâ laborantibus, quò eorum egestatem leuaret, Sacerdotio in eos potiùs sponte conferendo, quàm in homines indignos, vt aliàs factum esset. Iussit etiam eum sedulò curare, vt Principes in responsis ad sua diplomata singulis data, perscriberent, quibus potissimùm modis & artibus existimarent huic pestilenti sectæ posse obuiàm iri.

9 Huiusmodi mandata, sicut apertè declarant Adriani probitatem, eius vitæ æquabili tenore comprobatam, vel ex ipsius Suauis testificatione; ita apud plerosque maiorem in eo prudentiam circumspectionemque desiderabant. Visus est inprimis nimiùm credulus Adrianus satyricis Aulicorum assentationibus, qui per vituperationem Principis recenter defuncti, apud successorem profundunt odia in eum, qui cupiditates ipsorum minùs expleuit; simulque tamquam Reipublicæ restitutorem eum palpant, cui illas explere iam licet. Ceterùm quînam poterat verè dici, Virtutem atque doctrinam viuo Leone Pontifice iacuisse, cui mille planè calamis opposita laus amplè tribuitur? Quòd si eius ætate nec omnes digni præmiis ornati sunt, nec omnes indigni præteriti; quis, quæso, Princeps latæ dominationis se iactitet, certam distinctamque singulorum hominum notitiam ita assecutum, vt hoc incommodum vitare potuerit? Profectò cum ea optima voluntate Adrianus in hoc genere Leonis gloriam non æquauit.

10 Ea quoque tam acerba proximè antecedentium Pontificum reprehensio, plerisque ardor visus est iusto vehementior. Non quòd in quibusdam illi offendissent, idcircò ingentibus virtutibus caruere, vt suis in locis ostendimus. Pietate quidem impares Adriano fuere; sed aliis dotibus præstitere, minùs quidem possessori proficientibus, sed publicæ saluti fortasse vtilioribus. Experientiâ com-

1522. pertum est, non modò Romanum Pontificatum, sacrâ profanâque dominatione permixtum, & multis grauibusque de causis ciuili prudentiâ summè indigentem; sed regimen modici Ordinis Religiosi, quantumuis simplicis ac formæ seuerioris, meliùs regi à quodam prædito mediocri probitate cum eximia prudentia coniunctâ, quàm à sanctimonia modicæ prudentiæ compote. Quapropter, vt ipsa sanctitas in subditis cõseruetur, non tantum in sanctitate, quàm in prudentia momenti est. Optimum enimuerò esset, Præsulem vtrâque præcellere; sed necesse est is eligatur, non inter Platonis ideas, sed inter homines in terris degentes, ipsisque electoribus notos, & tum ex lege, tum ex consuetudine regiminis capaces.

Insuper, etiamsi Pontifex ea sensa in animo haberet; liberioris tamen quàm par erat sinceritatis fuisse visum est, ea Conuentui patefacere, & vel ab ipso, vel ab eius Nuntio scripto proponi. Satis nouerat, in eo cœtu, multoque magis in vniuersâ Germania, cui mandata Nuntio iniuncta diuulganda erant, complures adesse Romanæ Fidei aduersarios, qui libenter accepturi essent eam confessionem dimidiatam, vt contigit, hoc est, quâ Romanos Pontifices accusabat, non quâ Lutherum damnabat. Quare satius erat, vitium facto tantummodò redarguere, adhibito per Pontificem quantum fieri poterat remedio; de suis verò Decessoribus solùm dicere: Cùm se laterent certæ temporum rerumque conditiones, quibus ea peracta fuerant, & è contrario minimè lateret, aduersus Principes recèns extinctos mortalium nequitiam perperàm oblatrare; nullam sibi aut obligationem esse ad eos defendendos, aut probationem ad damnandos: comperisse quidem, multos abusus inductos, fortasse tum temporum necessitate, tum improbitate ministrorum; quibus abolendis operam impensurus esset. Hoc pacto priorum Pontificum existimationi nauiter ille consuluisset, Germanorum querelis satisfecisset, & vnà cum charitate ac prudentia veracitatem copulasset. Qui loquitur aduersus quàm animo sentit, humanæ societatis commercium labefactat, perditque præcipuum instrumentum negotia prouehendi, quod est fides: qui cuncta cordis arcana patefacit, donum prodigit sibi traditum à Natura, quòd imperuium illud effecerit, & arma quibus munitur, cum hoste communicat. 11

Postremò, vt multi rebantur, aberrauit nonnihil Adrianus ab officio perfectæ prudentiæ, in exquirendo consilio ab singulis ad quos scripserat. Satis erat, si Nuntius per se audita singulorum consilia Pontifici significaret, nullâ illi iniectâ palàm necessitate 12

ea

ea per se ipsum excipiendi. Cunctis permittere, vt sua promant consilia, perinde Principi est, ac suas aures exponere audiendis oblocutionibus sibi indecoris. Quòd si nimis excellat auctoritas Consiliarij, consilium quodammodò in necessitatem migrat. Præstat igitur edoceri quidem de iis quæ singuli proferunt, sed paucos consulere exploratæ fidei, sinceritatis ac prudentiæ; horum verò consilia seu admittantur, seu respuantur, grata sibi acceptaque semper habere. 1522.

13 Sed magis adhuc ille reprehensus, quòd mandata Conuentui communicauerit, ac proinde omnium simul sententias exquisierit; tum quòd illius cœtus potentia, & ea species publicè dandi consilij Pontificem vrgebat ne illud omitteret, Principes verò, ne omitti sinerent; tum quòd, cùm illi interessent Conuentui varia hominum genera diuersis inter se studiis variantium, eam quisque prænoscebatur comprobaturus fuisse malo publico medicinam, quæ suo priuato bono prodesset, atque alterius alter petitionibus assensurus fuisse, quò suis alter inuicem assentiretur.

14 Huic postremo malo ex parte obstitit, non solùm varietas, sed oppositio studiorum in iis qui conuenerant ad Comitia; promouentibus aliis Ordinis profani commoda, aliis Ecclesiastici, in quo ipsi recensebantur. Atque hinc effectum est, vt communis responsio, sicuti narrabitur, admodum moderata prodierit: per eam tamen rogabatur Pontifex, vt postulationibus profanorum Principum satisfaceret, separato libello proponendis; qui post Nuntij discessum conscriptus, & ad Pontificem missus titulum habuit, *Centum grauamina*, propterea quòd centenis rerum capitibus querebantur, ab Roma Germaniam, & laicos ab Ecclesiasticis grauari. Quibus omnibus postulatis si Pontifex indulsisset, eius auctoritas deserta iacuisset; & dum recuperandis laicis, & reconciliandis hæreticis studeret, obsequentium sibi Germanorum Antistitum iacturam fecisset.

1522.

CAPVT VIII.

Conuentus responsio; & quid contrà responderit Cheregatus. Eius abitus: ad eumdem literæ Saxonis. Et Lutheri VVittembergam reditus.

Pontificis diplomati, ac mandatorum summæ respondit Conuentus libello quem diximus. In eo Ferdinandus Archidux, frater Cæsaris, eiusque locum tenens, & cum ipso cuncti Ordines, post officia gratulationis ac reuerentiæ erga Pontificem, affirmabant (quod Suauis de industria oblitus est) se non minùs quàm Pontificem dolere ex animo, atque auersari impietatem, turbamenta, pericula Christianæ Religionis, à Lutherana ceterisque sectis profecta: quidquid remedij à sua ipsorum moderatione conferri posset, libenter id præstituros, Pontifici & Cæsari omnem obedientiam profitentes. 1

Addebant, fuisse se retardatos, ne diploma Pontificium, Edictumque Cæsareum exequerentur, à validissimis causis, quò maiora euitarent incommoda. Etenim cùm longè priùs persuasum, & tunc etiam à Lutheri libris impressum fuisset animis innumeræ multitudinis, Germaniam plurimis Romanæ Curiæ abusibus grauiter oppressam esse; si ad eorum obseruantiam populi cogerentur, tumultuaturos fuisse aduersus eadem, quasi confecta ad veritatem Euangelicam conuellendam, memoratosque abusus confirmandos; vt ipsis Principibus variis ex argumentis liquebat. Adhibenda ergo esse opportuniora remedia. Hîc verò confessionem, promissionemque Pontificis, inter mandata contentas, paucis modestisque verbis memorabant: vnaque adiiciebant; cùm Pontifex præseferret animum adeò firmum, obseruandi fauendique pro sua virili parte *Concordata Germaniæ*, non posse ipsos quoque non vehementer incendi veræ pietatis ardore, & erga parentem optimum charitate, præsertim reipsâ iam opus aggressum. Pergebant; à Pontifice enixè se petere vt articulis satisfaceret (quod iam significauimus) quos profani Principes proposuissent. 2

Deinde agebant de *Annatis*, hoc est de annuo prouentu, quem post obitum cuiusque Episcopi Romanus Pontifex solet exigere, dum nouum illi Ecclesiæ sufficit: asserentes à Germanis Principibus fuisse in eo consensum per aliquod tempus sub conditione, dummodò in bella contra Turcas pecunia impenderetur; quod 3

neuti-

neutiquam præstitum fuerat: ac proinde satius esse, vt inposterum eadem à Cæsareo fisco exigeretur. Quæ postulatio reipsâ conficiebat, vt legitimus ille fructus, ad id temporis Pontifici persolutus, non in sola Germania, sed in ceteris Christianorum Regnis pro Decimis Sacerdotiorum, à Pontifice ad Cæsarem traduceretur; quo pacto an tutius in opportunos vsus conuertendus foret, pro se quisque pernoscit. Et quod spectat ad bella contra Turcas; vbi hoc etiam verum esse concedatur, eo scilicet nomine fuisse inductas Germaniæ *Annatas*; tametsi huiusmodi bella singulis annis non gerantur, nihilominùs quotiescumque ea gesta fuerant, numquam omiserant Pontifices valida Germanis auxilia suppeditare, idemque cum aliis Christianis Principibus gessere. Vnde certum est, si multi simul anni connumerentur, Pontificis sumptus in hisce bellis, *Annatarum* prouentum longè transgressos. 1522.

4 Verùm, quod potissimum pro certo ponitur, prorsus vanum est. Nam memoratos prouentus nec ex ea nec ex alia conditione Pontifex accipit, neque ex consensu profanorum Germaniæ Principum; quin illi ex Sacerdotiis totius Christiani Orbis tamquam Decimæ exiguntur, quibus summus Sacerdos, aliique minores Ecclesiastici sustententur, vt iam disseruimus. Cui certè opus est pro Christianæ Gentis communi bono, non modò Pontificiam Aulam instruere plurimis eximiis ac nobilibus administris; sed suorum Senatorum indigentiæ subuenire, tot Nuntiis sumptus præbere, tot miserorum fortunas erigere, totque de Republica benemeritis præmia opportunè largiri. Hoc autem ius ab eo trahit originem, quod Deus ipse statuerat in veteri Testamento. Præterquam quòd, cùm Pontifex Romanus hæc emolumenta solùm colligat ex Occidentis Sacerdotiis, vel solo nomine Patriarchatus Occidentis ea iure colligit, ad quem ex Canone sexto Nicænæ Synodi contendebat Lutherus Pontificem coarctare. Quantò autem huiusmodi exactio minor sit quàm Decimæ, quæ in annos singulos penderentur, nemo est quem lateat; non solùm quia nouæ Sacerdotiorum traditiones rariùs fiant quàm quinto quoque anno (prout opus foret, quò dimidium fructus annui, vnius anni partem decimam exæquaret) sed quia nihil exigitur ex plurimis Sacerdotiis, *delapsis*, vt aiunt, *ad manus mortuas*; neque ex iis, quæ ex veteri taxatione *viginti-quatuor ducatus Cameræ*, vt vocant, non excedunt, quamuis reuerà multò maioris emolumenti sint; tum denique quia ex aliis exiguntur secundùm veterem æstimationem, longè inferiorem vero prouentu.

1522. In *Germaniæ Concordatis* inter Nicolaum V. & Fredericum III. aliosque Principes Imperij, tam sacri quàm profani Ordinis, continetur *Annatarum* exactio absque conditione memorata, quemadmodum pariter absque huiusmodi conditione eas persoluunt reliquæ nationes Christianorum. Quòd si fortè Germani Principes profani aliquid in eo genere inter se statuissent, non proinde Pontifex obstringeretur, qui nec eorum Decretis consenserat, nec ipsorum consensum quæsierat, in re ab eorumdem arbitratu minimè pendente, nec ab ipsis pendenda. Verùm post primam huiusce mei Operis editionem, in lucem publicam prodiere doctæ Prosperi Fagnani Lucubrationes *super Decretalibus*, vbi disputatur generatim de Iure Pontificis in his *Annatis* exigendis, * per rationes adeò & facto & iure firmatas, vt quicumque ausit inposterum dentes exerere quibus mordeat, simul oporteat carere sensu quo percipiat. 5

* In repetitione cit. præterea ti-tul. *Ne Prælati vices suas.* num. 6. vsque in finem.

Pergebant: Cùm Pontifex ipsorum consilia exposceret, quibus iretur obuiàm Lutheri erratis; cumque ipsi animaduerterent, non mediocrem morum deprauationem, tum Lutheranâ doctrinâ, tum aliunde pariter inductam, atque ingentia imminerent pericula à Turcarum tyrannide; saluberrimum existimabant consilium, si Pontifex cum Cæsaris consensu intra annum, vbi fieri possit, Concilium congregaret in aliqua Germaniæ Vrbe, veluti Moguntiæ, Coloniæ, Argentorati, Metis, vel alio opportuno in loco: in quo Concilio quicumque interesset vel ex Ecclesiasticis, vel ex laicis, posset ac deberet, amoto quouis obice obligationis iurisiurandi, liberè promere quidquid è Christiana Republica iudicaret, non dulcia sed vera proponendo. Interim, ne quid turbaretur, daturos se operam, vt Saxoniæ Septemuir, in cuius ditionem Lutherus eiusque nonnulli asseclæ se receperant, eos vetaret quidquam vel typis edere, vel scribere. Comitiorum quoque Principes curaturos, vt eo tempore in Concionibus piè placideque purum Euangelium prædicaretur, ac sacra Scriptura secundùm interpretationem ab Ecclesia receptam & comprobatam, subtilioribus quibuscumque prætermissis, populorum captui minimè congruentibus. Si quid verò à Concionantibus fuisset erratum, id leniter corrigendum; ne daretur occasio suspicandi, veritatem Euangelicam de industria præpediri. 6

Expostulauerat itidem Nuntius apud Conuentum, complures Sacerdotes ausos vxores ducere, & complures Religiosos sacrum habitum deponere. Respondent: Hæc delicta nullâ ciuili lege mulctari; proinde satis esse, si ab Episcopis anathemate, aliisque 7

pœnis

pœnis Canonicis punirentur: quòd si iidem posteà in ipsorum di- 1522.
tionibus aliis in rebus deliquissent, adhibendam à Principibus curam ne abirent impunes.

8 Postremò Archidux & Conuentus Pontificem obsecrabant, vti res suprà recensitas exciperet, tamquam ab animo Christiano, pio, sinceroque profectas; cùm in ipsis præcipuum votorum esset felicitas & incolumitas Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ac supremi Pontificis, cui se obedientes obsequentesque filios profitebantur.

9 Nuntius, qui (vt aliquibus videbatur) ambiguas quasdam voces nihil deducentes ad opus, debuisset in sensum saniorem, magisque sibi propitium trahere, atque intereà neruos omnes intendere quò Lutherus opprimeretur, cœpit subtiliùs expendere verba responsionis, perinde ac si ea sibi licuisset pro libitu præscribere. Exposuit ergo, eâ responsione parum sibi, & minùs Pontifici satisfactum iri, ac proinde velle se Conuentui significare ea quibus Pontifex assentiri non posset, nisi corrigerentur, explicarentur, atque augerentur.

Primùm: Nec à Pontifice, nec à Cæsare, nec ab vllo Christianorum potuisse vmquam putari, huiusmodi causam obtentum iri, ne Diplomati atque Edicto in Lutheranos obtemperaretur, cùm fuerit reipsâ compertum, eorum scelera posteà in dies semper augescere; vnde augendæ potiùs pœnæ quàm relaxandæ fuissent. Mala minimè toleranda, quò eueniant bona. Atque vt etiam memorata *Grauamina* verè à Romana Curia fuissent illata, non proptereà satis excusari hæreticos; cùm potiùs quæcumque damna perpeti debeat Christi cultor, quàm à Fidei communione secedere.

10 Hæc expostulatio multis haud sanè probata, cùm falsò dicatur vniuersè, Malum aliquod tolerandum non esse, ne in maius malum incurratur; vti patet ex permissione meretricum. Satius fuisset, aiebant, ostendere, maius malum ex indulgentia prouenire, quàm ex rigore seueritatis imminere. Nec appositè dictum, quamquam verissimè videbatur, debere populos grauissima quæque potiùs tolerare, quàm se à Fidei communione seiungere: sed consultiùs dictum fuisset; Tametsi voluissent detrectare incommoda, quæ sibi per Romanam Ecclesiam causabantur illata, potuisse id aliter consequi, quàm vera & antiqua dogmata deserentes, seque ab Ecclesia seiungentes.

11 Deinde satis opportunis atque appositis verbis reliqua capita prosecutus, ad propositam Concilij celebrationem respondit: Opinari se, haud eam Pontifici displicituram, modò illa resecarentur, quibus potuisset suspicio inijci, auctoritatis suæ coarctationem specta-

1523. ſpectari; cuiuſmodi erat, vt cum Cæſaris conſenſu celebraretur in vna ex Vrbibus nominatis: vt eſſet liberum: atque vt iis, qui intereſſent, vincula iuriſiurandi, & quæuis obligatio adimerentur. Quod ſpectabat ad primum: dixerunt aliqui, potuiſſe Nuntium acquieſcere diuerſis modis quibus de Pontifice ac de Cæſare loquebatur Conuentus; cùm potuerit Concilium à Pontifice conuocari, ſolamque Cæſaris conſenſionem poſtularet: ſine qua quis dubitaret vmquam Pontificem coacturum illud fuiſſe, præſertim in Germania, & Germaniæ causâ?

De libertate; quis negabat, Concilium oportere eſſe liberum? 12
Aliud eſt liberum, atque aliud effrænatum, & à ſuo capite minimè pendens. Nec petebatur à Conuentu, vt omnia omnino vincula ſoluerentur; ſed ſolùm vt ea liceret cuique proponere, quæ in rem Eccleſiæ ſentiret: quod, modò fiat opportunis conditionibus, nullo iuriſiurandi nexu prohiberi poteſt. Præterquam quod tam per hæc, quàm per reliquas conditiones, quippe quæ à Principibus proponebantur, tamquam de iis à Pontifice ſententiam rogatis, & prætereà profitentibus,& ſub initium & ſub finem reſponſionis, debitam Pontifici obedientiam, nihil eius auctoritati detractum ſe velle ſignificabant.

In Concionatoribus meritò Nuntius aliquem arctiorem nexum, 13
& aliquid etiam plus ſubiectionis Ordinariis poſtulauit. Erga Typographos petiit, vti ex Decreto poſtremi Lateranenſis Concilij ageretur; de quo Aleander ſcripſerat, in Edicto Cæſareo nullam factam mentionem conſultò, ne nouæ lites cierentur, Germanis ſupra cetera frænum interdicti Cæſarei reuerentibus.

De Religioſorum Ordinum transfugis, coniugatiſque Sacerdotibus, fuit aliquorum iudicium, potuiſſe Nuntium interpretari reſponſa ex petitionis ſententia; videlicet, profanas Principum vires Eccleſiæ præſtò futuras: ille verò progreſſus eſt ad expoſcendam reſponſi declarationem; Cùm enim (ſubiecit) ij characterem retinerent, quamquam in ſcelere prolapſi, ſoli Antiſtitum iuriſdictioni ſubdebantur. 14

Illud ergo Nuntij ſcriptum ea rerum capita perſtringebat, quæ 15
multis haud opportuna viſa ſunt vt in deliberationem vocarentur minimè congruentem; cùm ita ſignificaretur, iam animaduerti ea apud Principes in litem vocari. Non tamen auſim de illius facto ſententiam ferre. Etenim rerum conditiones, interdum illi ſolùm qui adeſt compertæ, tamquam neceſſaria perſuadent ea quæ abſentibus importuna videntur. Quandoque etiam, cùm ea ſubſequuntur,

tur, quæ dum res geritur, prouidere non licet; in causa sunt, vt à posteris tamquam imprudentia vituperentur, quod eo tempore pro eximia sapientia meritò habendum erat. Ceterùm, tunc Conuentui visum est nihil denuò respondere; sed, quod Suauis prætermittit, Edicto, * nomine Cæsaris de more quamquam absentis vulgato, in recessu Conuentus die sexta Martij quædam loquendi formulæ sunt appositæ; quæ nullum quidem datæ responsionis caput reuocarent, sed tacitè in rem Pontificis declararent aliquos ex articulis, qui vt ambigui Cheregatum commouerant: ac proinde omisere relaxationem à iureiurando, & obligationibus eorum, qui essent Concilio interfuturi; quasi per tale silentium post Nuntij oppositionem, ostenderent eam Pontifici à se proponi, sed non absolutè postulari. De pœnis verò in coniugatos Sacerdotes, ac Regulares apostatas, ita locuti sunt, vt significarent nihil aliud à se intendi, nisi profanos Principes Ecclesiasticis Magistratibus dexteras vindices porrecturos. 1523.

* Habetur de verbo ad verbum apud Bzouiū an. 1523. num. 3.

16 Discessit Nuntius: & quidquid operæ ibi fuerat impensum, parum valuit ad deprimendam audaciam prædicantium. Huius rei causa ea certè non fuit, quam affert Suauis, hoc est, vtramque partium fuisse pro re sua interpretatam decretum ambiguum, prædicandæ puræ veritatis secundùm expositionem ab Ecclesia comprobatam. Quin Lutherus * ad Saxonem scripsit, aliud de sua causa Norimbergæ, aliud in cælo decretum; tametsi in aliis eius literis encyclicis, * Decretum sibi fauere iactitauit. Quînam autem eius significatio anceps esset, cùm Conuentus profiteretur obedientiæ debitum erga Romanam Ecclesiam ac Pontificem, Lutheri verò doctrinam impietatem appellaret? Causa igitur fuit idem tepor in animis executorum; qui sicuti anteà viuidum illum Edicti Wormatiensis longè validioris ardorem extinxerat; ita faciliùs effecit, vt parum illud caloris, indebili Decreto Norimbergensi consumptum, breuî languesceret.

* In 2. tom. Lutheri.

* Sleidanus lib. 4.

17 Interim Lutherus è sua latebra post nouem menses prodierat, Wittembergam regressus. Hoc ipsum à Saxone ille petierat: sed durius accepit responsum ob imminentia vtrique pericula. At Lutherus satis expertus, se iam Saxonis animo potitum, rescripsit, Dei negotia rationibus humanis expendenda non esse: se compulsum ab eo Domino, qui non tantummodò, vti Fredericus, in corpus, sed in animum quoque dominabatur: ipsum Fredericum ita sentire, quòd adhuc esset imbecillis in Fide: à maligno dæmone iacta fuisse Wittembergæ quædam semina noxia, quibus se præsente erat

1523. opus. Atque ita eò contendit, nondum nouo responso expectato. Studuit deinde Septemuirum lenire literis submissioribus, memoratam necessitatem distinctiùs explicantibus, * quæ post Conuentum scriptæ videntur.

* In 2. tom. Lutheri.

Noxia semina à Luthero memorata spectabant ad Augustinianos Wittembergenses; apud quos, quamquam absente satore, mala seges excreuerat: adeoque decretum ab iis fuerat Missæ sacrificium de medio tollere. Facinus absurdum nimis visum est Duci; deditque negotium expendendæ rei quinque ex suis literatoribus, Carolostadio, Melanchthoni, Ionæ, aliisque horum similibus, qui omnes factum comprobarunt. Non tamen omnino acquieuit Septemuir; susceptoque medio consilio in Fidei negotio, quæ, vti ceteræ Theologicæ virtutes, medium numquam habet, decretum quidem permisit, sed in supremo Vrbis templo, quod ipse condiderat, iussit rem sacram more veteri celebrari: idque posteà biennium perseuerauit, donec Lutheri virus totum corpus peruasit, adeoque in illud Wittembergæ cor, vt ita loquar, penetrauit. 18

Excitauerat Carolostadius, præter iam dictos errores, antiquam hæresim in sacras Imagines. Hæc neque volebat Lutherus improbare, quòd sua etiam essent opinamenta; neque comprobare, quòd non essent à se tradita, cùm sibi gloriam integram ambiret Christiani Orbis à se reformati. Eapropter quâ solebat ingenij impotentiâ, moras omnes sui Wittembergam reditus præcipitauit: vbi non sententiam increpuit, sed modum turbulentum & importunum illius exequendæ. Itaq; dum arbitrum agit, alienos sibi fœtus adoptat. 19

Pontifex de hisce rebus edoctus, enixè studuerat ei parti mederi, vbi morbus sedem præcipuam fixerat, & vnde ceteris partibus suam tabem afflabat, hoc est Saxoniæ. Idcircò prolixas feruidasque literas ad Saxonem scripsit, quibus per graues, paternas, studioque flagrantes formulas ponebat ob oculos ipsius erratorum deformitatem, cum tam graui Diuini Numinis ac Germaniæ offensione, cum iactura illius gloriæ, quam Carolus Magnus Imperator Adriano Primo Summo Pontifice comparauerat ex redacta ad Fidem Orthodoxam Saxonia, & cum turpi nota ingrati animi erga Romaná Sedem, à qua Gregorij V. ætate Maiores sui ob ipsorum pietatem Septemuirali dignitate fuerant exornati. Hinc illum hortabatur, vt alterius Caroli Cæsaris ætate, atque alterius Adriani Pontificis, Saxonia pristinæ gloriæ restitueretur. Secundas etiam adiecit literas exquisitiùs conscriptas, ab ipso Nuncio illi reddendas. Sed cùm Saxo Norimbergam non aduenisset, ad illum vnà cum suis eas misit 20

Chere-

Cheregatus. Per hoc secundum diploma querebatur Adrianus, amanter quidem, sed liberè, ab illo in Lutheri tutela minimè obseruata, quæ Caietano Cardinali pollicitus fuerat; videlicet hominem à se punitum iri, vbi fuisset à Pontifice proscriptus, cùm constaret ab ipso in suis ditionibus Lutherum detineri ac foueri, non solùm post damnationem Pontificiam, sed post Edictum Cæsareum. 1523.

21 Iam verò Dux, ad diluenda obiecta, Ioannem Vmet Plucerinzium Aulicum Norimbergam legauit, cum epistola fidei effectrice ad Nuntium 15. Februarij, misitque cum eodem responsa generatim scripta ad Pontificem, aliaque Nuntio voce exponenda. Sed digresso Nuntio, antequam Plucerinzius eò peruenisset, quæ acceperat in mandatis à Saxone, per literas datas 24. eidem significauit. In his ad querelas violatæ promissionis respondebat: Si Caietanus Cardinalis benè meminisset, nihil aliud ei pollicitum fuisse Septemuirum, nisi effecturum se, vt illum Augustam adiret Lutherus ad rem componendam. Post reditum Lutheri Augustâ, habuisse quidem se in animo eum è sua ditione depellere, sed à Miltitio, quem Leo Decimus miserat, rogatum vt hominem retineret, ne tabem in alias regiones diffunderet. Fuisse ab eodem Miltitio significatum, eam causam à Pontifice demandatam Richardo Archiepiscopo Treuirensi, cuius iudicio semet subdere Lutherus paratus. Ducem numquam Luthero fuisse patrocinatum, eique ne tum quidem patrocinari, vti iam declarauerat per literas ad Cardinalem S. Georgij scriptas (erat is Raphaël Riarius, Sixti Quarti Consanguineus, & à quo Purpuram acceperat, Germaniæ notus ob legationem obitam in Hungaria) & coràm significauerat Coloniæ Caracciolo & Aleandro. Indicabat autem hîc ea responsa, quæ illis dederat, conantibus ad meliorem partem ipsum adducere, quæ impressa extant in II. Lutheri volumine, in quibus pariter continentur quæ cum Miltitio acta, & reliqua. Prætterquam, quòd tunc æstimauerat Septemuir, nondum vsque ad id temporis se certum fuisse redditum à Cæsare, an scripta Lutheri flammis addicenda essent: quod in præsentia dicere nequaquam licebat, Edicto Wormatiensi iam promulgato. Apposuit Plucerinzius, post Edictum Cæsareum abfuisse Lutherum Wittembergâ integrum annum; eò autem remigrasse inscio Duce, ac tunc etiam professum esse, se ad dicendam causam paratum. Proinde Saxonem se gessisse, vti probum & obsequentem Ecclesiæ Catholicæ filium decebat: quòd si quis rem, vt ipse testabatur gestam, inficiaretur, se quacumque opus esset ratione repugnaturum. Hinc rogare Nuntium,

Exemplar huius totius extat in scripturis Cheregatorum.

1523. vt Pontificem de re tota edoceret, simulque precaretur, ne aduersis narrationibus aures porrigeret. Hæ literæ palàm faciunt, ad ea vsque tempora Saxonem abstinuisse à publica Lutheranæ hæresis professione, cùm adhuc varia contumaciæ suæ tegumenta conquireret. Solent quippe magnæ mutationes ita in animis vt in corporibus paulatim crescere, ac demum ipsa impietas longe prius corde quàm vultu potiri.

CAPVT IX.

Adrianus VI. moritur, eique sufficitur Clemens VII.

* Non 15. vt narrat Suauis.

MAturè admodum Adrianus decessit, nimirum * 24. Septem- 1
bris, vix anno peracto postquàm Romæ sedit. Fuit sanè optimus Sacerdos; sed Pontifex reuerà mediocris: apud populum verò, res ex euentu metientem, infra mediocrem, ob temporum iniquitatem: à Vaticanis Senatoribus supra meritum æquè æstimatus, cùm euexerunt ad Solium; ac supra noxam Aulæ inuisus, cùm in eo regnauit; ac supra verum incusatus, cùm inde moriens descendit. Parsimonia ad Reipublicæ commodum adhibita infamiam illi peperit, tamquam aurum auarè cumulanti: sed ab ea infamia eumdem liberauit in eius obitu ipsa quæstorum manus, quæ ne tria quidem scutorum millia ex ipsius arca numerauit.

Vide Iouium & Comitia illius electionis.

Adriani regimen viam strauit Iulio Mediceo ad Principatum 2
obtinendum. Etenim, vti post mortem Leonis obstaculo illi erat inuidia recentis potentiæ, & præsumpta nimis opinio eum in sensa decessoris iturum, qui eiusdem consilio ductus credebatur, ita nunc inuidia in commiserationem migrauerat; & ipsa præsagitio Pontificatus futuri consimilis illi quem eius Patruelis gesserat, adeò ipsi non oberat, vt etiam suffragaretur. Quò id percipiatur, scire oportet, fuisse initio datam operam, vt apud absentem Pontificem in suspicionem traheretur memoratus Iulius, * tamquam ad Gallorum partes conuersus. Posteà Romam ingressus Adrianus, nactusque minus quàm nihil, hoc est, obæratum simul ærarium, & ære vacuum, faciles aures præbuit suspicionibus à Soderino Cardinali Mediceorum inimico blandè iniectis; nempe à Iulio deriuatos ad se fuisse thesauros Leonis tempore expensos. Hinc Iulius Florentiam se receperat Pontifici minimè gratiosus: sed arrisit illi fortuna. Interceptæ siquidem sunt Soderini literæ, adulterinis illæ quidem, sed facilis interpretationis notis exaratæ, qui-

* Literæ Adriani VI. ad Archiep. Cosentinum 15. Maij 1522. inter Barberinorum Commentarios.

bus

buscum Gallorum Rege, de rebus Cæsari ac Pontifici haud parum officientibus agebat. Hæ literæ ad Iulium delatæ, & ab eo per Legatum Cæsareum ad Pontificem transmissæ, effecerunt, vt coniecto in carcerem Soderino, ac tamquam deceptore deprehenso, maledicis eius relationibus fidem abrogarit. Quamobrem reuocatus Mediceus Cardinalis, extinctâ iam inuidiâ, auctâque ex inuiso regimine hominis existimatione, per summa populi studia fuit exceptus, obuiàm illi procedentibus Vrbini Duce, aliisque primoribus, quamquam malè habitis à Leone. Cùm autem subditorum sit, futurum regimen exoptare præsenti contrarium, quòd existiment, maius malum id quod experiuntur, quàm quod vel experti sunt, vel experiri possunt, omnium vota adspirabant ad Leonis humanitatem, splendorem, peritiam atque clementiam: præter quas dotes eos alliciebat in Iulio maior consiliorum grauitas, & minor erga genium indulgentia. Viridis ætas, quæ illi offecerat Comitiis antecedentibus, nunc eidem fauebat apud Senatores, iam expertos damna & incommoda tam breuis Pontificatus. 1523.

3 Quòd si verum est, quod in quibusdam monumentis manuscriptis reperio de illis euentis; nihil adeò ad illum extollendum valuit, quàm adhibita semel ab eo moderatio, sibi, ne ascenderet, temperandi. Res ita se habuit. Pompeius Columna, inter Purpuratos Iulij æmulos antesignanus, nequiuerat impetrare à senioribus, ferè cunctis Gallicarum partium, vti Iacobatium promouerent, causantibus eum esse Cæsaris studiosum. Quâ re indignatus exclamauit: *Ergo partium ductor, non Christi Vicarius creandus est?* Mox Iulium nactus petiit, vt aliquem ex iuuenibus suarum partium proponeret. Statim ille duos vel tres proposuit, nullâ sui habitâ mentione. Tum Columna, *Cur*, inquit, *temetipsum præteris?* Cui alter respondit, Nolle se pluribus inuitis suam rem promouere. Quâ Iulij moderatione adeò captus est Pompeij animus, vt confestim quantum satis esset suffragiorum, ad eius electionem conuerterit. Sic interdum vsuuenit, faciliùs obtineri dignitatem, dum eam per quietem expectamus, quàm dum per curriculum persequimur. Is verò, quò præseferret clementiam quâ cum suis æmulis erat vsurus, Clementis VII. nomen accepit.

1523.

CAPUT X.

Sensa noui Pontificis de conuocando Concilio; & legatio Laurentij Cardinalis Campeggij ad alium Norimbergensem Conuentum.

COmmunis est fama, Clementi non fuisse in animo Conci- 1
lium cogere, vti ad componendos Religionis tumultus in Germania Norimbergensis Conuentus postulauerat. Suauis, qui opiniones Pontificibus magis aduersantes amplectitur, duas profert peculiares causas huiusmodi Pontificiæ voluntatis propria ipsius commoda spectantes, tertiam verò vtilitati Pontificatus generatim consulentem. Altera ex peculiaribus est, exploratum fuisse Clementi, natales suos reuerà non esse legitimos; qui tamen legitimi in iudicio Leone regnante probati fuerant, quò ad Purpuram eueheretur: proinde vereri, ne id in Concilio sibi opponeretur, hoc est, ne legitimè creatus Pontifex videri posset. Contestatus equidem sum * aliàs, cùm animum Clementis ceterorumque Pontificum præsens non introspexerim, vbi se alienos à conuocatione Concilij prodidere, non posse pro certo affirmare, quidnam eos ad id permouerit; præterea me non ignorare, in rebus grauissimis qualemcumque vmbram quandoque in gigantis speciem grandescere. Quamobrem hîc expendam commemorata à Suaui pericula ex vero illorum momento, non ex imaginario, quod illis potuisset appingere phrenetica quædam anxietudo.

* In Apparatu.

Atque vt ordiar à primo periculo paulò antè memorato; aio il- 2
lius formidinem suboriri non potuisse nisi in animo, qui iaculis etiam pictis terreretur. Prætermitto, legitimum Clementis ortum comprobatum fuisse nomine matrimonij clandestini, quod inter Iulianum & Florettam eius parentes intercesserat; ac difficulter potuisse vmquam validis argumentis rei falsitatem conuinci, iam confirmatæ, ac Pontificiâ sententiâ roboratæ. Sed vt Suauis ipse fatetur, ortus legitimus nullâ lege necessarius habetur ad ratam Pontificis electionem. Quapropter, nullus aderat titulus suspicandi, potuisse à Concilio, non vulgaris, sed exquisitæ doctrinæ hominibus conflato, tam inualidam ac labantem quæstionem intentari Pontifici.

Specialis altera causa, quam Suauis adducit, in eo sita est, quòd 3
Clemens per *Simoniam* Romanam Sedem inuaserit, quodque id palam fieri potuerit à Pompeio Columna: ac proinde, cùm Iulij II. Constitutio vim omnem abroget huiusmodi electionibus, tametsi assensu

assensu consequenti comprobatis, veritum Pontificem, ne in Concilio eius creatio irrita proclamaretur. 1523.

4 Fierine potest, vt cùm nemo rationis compos quemquam teruncio mulctaret sine legitima noxæ probatione, tam leuiter tamen inducantur nonnulli, ad Pontificem honestâ famâ spoliandum enormissimi criminis notâ, absque alia probatione, quàm popularis confusique rumoris? Id semel si liceat, nullo cuiquam erit in pretio bona existimatio, cuius iactura excuiusuis linguæ temeritate dependeat. Ad hæc, in re nostra non solùm accusatio non probatur vt vera, sed falsa penè conuincitur. Si Clemens huiusce rei sibi fuerat conscius, ausúmne vmquam fuisset timidum ipsius ingenium per offensas grauissimas (vt mox fusè dicemus) Pompeium Columnam incendere ad rem patefaciendam? Is verò si potuisset hoc manifestum facere, quis inducat in animum, eumdem non fuisse cohonestaturum huiusmodi nomine contumaciam suam post Clementis admonitionem, bellumque in Pontificem illatum, contemptum sententiæ quâ Purpurâ exutus est, expugnationem Vrbis, & captiuitatem Pontificis, Pompeij causâ peractam? Nónne telum adeò robustum communicasset cum Cæsare, quando is non factis minùs quàm literis Clementis lacessitus, tantâ indignatione ac tam minaciter illi respondit, vt paulò pòst enarrabitur? Atqui in tam infensorum animorum æstu nemo vmquam, nisi fortè per aliquam priuatam obtrectationem, nomen auctoritatemque veri Pontificis ei denegauit. Et tamen ad id negandum opus non erat, vt per Concilium Clemens abrogaretur, si alioquin in eo valuisset Iulij II. Constitutio: hæc enim *Simoniacum* non damnat quasi per legitimam sententiam è gradu Pontificio deiiciendum, quod nullâ humanâ lege fieri potest, numquam supremum Principem suâ vi obligante; sed electionem ipsam irritam facit, impeditque, ne qui eligitur, verus Pontifex euadat, ac simul ad nouam electionem indicit Comitia, nullâ prius latâ sententiâ, quâ *Simoniæ* reus legitimè denuntietur.

5 Reperio quidem, Principum aliquem conatum insinuare Clementis animo pericula ipsi à Concilio impendentia, quò sibi deuinctum detineret iniecto metu, ne ipsi Principes, publicæ necessitatis colore vrgentes Pontificem, adigerent ad Concilium celebrandum: sed comperio, responsa eius iussu tradita eam præseferre animi securitatem, quæ sanè ab innocentia progigni solet.

In fine Epistolæ Gilberti ad Langum Nuntium in Angliâ, in 1. Tom. Liter. Principum.

6 Subnectit Suauis, præter duas hasce peculiares causas, Clementem priùs etiam quàm esset Pontifex, abhorruisse à Concilio eâ tempe-

1523. tempestate, tamquam Romanæ Sedi periculoso: cùm diceret, Concilia ex quauis alia occasione celebrata prodesse, præterquam vbi agitur de Pontificia potestate. Sed qui poterat vniuersè id affirmari, illiusque controuersiæ gratiâ, quæ de Pontificia auctoritate tunc agitabatur, hoc est, quæ cum Luthero tunc erat, quando tria postrema Concilia, Constantiense, Florentinum, & Lateranense eam adeò confirmauerant, vt ipsorum primum editis definitionibus, dum adhuc nullus existeret Pontifex, euaserit Catholicorum machina Lutheranis prorsus inexpugnabilis?

Verum quidem est, visam in Clemente variis temporibus aliquam dubitationem, ne aperto semel, quamquam alterius rei causâ, Concilio, inquieta quædam ingenia importunam quæstionem de prærogatiua inter Concilium ac Pontificem suscitarent, adeoque cum periculo, ne dum schisma vetus compescerent, nouum inducerent: sed occurrere studuit huic periculo, selectis priùs vnà cum Cæsare articulis, de quibus in Concilio agendum erat. 7

Causæ igitur, quibus mouebatur Clemens ad declinandum Concilium, erant in primis, respectus illi atque metus, quos decimo Apparatus capite significauimus. Secundò, bellum exortum inter summos Orbis Christiani Reges: adeoque perspectum erat, non posse cogi Concilium ex Præsulibus ab illorum Prouinciis conuenturis. Postremò, quòd animaduerteret, peti Concilium iis conditionibus, quibus Luthero satisfieret: quod idem erat atque Concilium, in cuius conspectu Pontifex desineret esse Pontifex, euaderetque priuatus Episcopus, neglectâ institutione Christi, & cum Ecclesiæ labe. 8

Quapropter Nuntium destinauit ad alterum Conuentum, tertio decimo post superiorem mense Norimbergæ celebratum. Sed quò maturiùs animos compararet, Hieronymum Rorarium sibi à Cubiculis eò præmisit, cum diplomate illi fidem afferente ad Saxonem perferendo: quod diploma ex errore sub Adriani nomine in * II. Lutheri volumine habetur; in quo etiam Sleidanus decipitur. Aiebat in eo Clemens, Lætari se, quòd audiret Saxonem illis Comitiis interfuturum: in eius pietate plurimum se spei locare; simul etiam de adfuturo Nuntio certiorem faciebat; in reliquum iis fidem haberet quæ Rorarius exponeret. Posteà mutato consilio, existimauit ad rem tanti ponderis opus esse auctoritate Legati: * de qua mutatione per alteras literas Fredericum admonuit. Ad eam legationem delegit Laurentium Campeggium, qui priùs Romanæ Rotæ Duodecimuir, dein Leonis Decimi Nuntius apud Maximilianum 9

Mense Decembri 1523 in diplomate ms. Clementis VII.
* In 2. tom. Lutheri, in fine.

1524.
* 17. Ian. 1524. vt in Breuibus mss. in Cerulóti relatione.

Cæsa-

Cæsarem, ac posteà in Purpuratorum ordinem adlectus ab eodem Pontifice, missusque in Angliam Legatus, ac tandem Episcopali Tiarâ Bononiæ patrio eius solo à Clemente fuerat ornatus. Vnde idoneum ad id muneris putauit, cùm doctrinâ negotiorumque experientiâ, tum peritiâ rerum ingeniorumque Germaniæ. Hæc, quantum video, in mandatis accepit. Cùm libellus *Centum grauaminum* redditus Nuntio non fuisset, vt dictum est, sed pòst illius abscessum ad Pontificem missus, qui paulò antè decesserat, dissimularet eum Principum nomine acceptum fuisse, quò ipsis pateret aditus faciliùs recedendi à postulationibus importunis. Etenim agebatur in eo per verba contumeliosa tum de Ecclesiasticis generatim, tum de Romana Curia nominatim; simulque quò sibi satisfieret, ea deposcebantur, quæ ordinis Ecclesiastici omnem libertatem euerterent, à Deo & ab Ecclesia constitutam, piisque tot Principum legibus confirmatam; cùm ibi adigerentur Clerici, vt iisdem quibus laici criminum pœnis essent obnoxij: & tamen inter ipsos laicos graduum varietas priuilegiorum varietatem obtinet, seu immunitas seu punitio spectetur. Proinde ab omni discrepat ratione, Christi Militiam priuilegiis spoliari, planeque in vulgus referri. Efflagitabat prætereà, vti præceptum ciborum discrimen diebus pœnitentiæ destinatis aboleretur; quasi, dum eorum vsus discriminatur, concessæ à Deo liberè illis vtendi facultati repugnetur. Quod pro se quisque perspicit, quantum Apostolicis traditionibus Sanctorumque documentis aduersetur. 1524.

10 At quoniam hic libellus typis vulgatus per ignorationem dissimulari non poterat, Legato demandatum fuit, vt de illo tamquam de re priuatim Pontifici cognita loqueretur, patefactâ postulatorum iniquitate. Ceterà se paratum exhiberet ad ea in Clericis corrigenda, quæ populos offenderent, sanosque inducerent ad absorbenda veris obtrectationibus permixta falsa Lutheri deliramenta. Demum nauaret omnem operam, vt Edictum Cęsareum seruaretur.

11 Verùm aliò Legatus, aliò magna pars Conuentus spectabat: vnde consilia conuenire non poterant. Cùm enim alter totus esset in tuenda Religionis vnitate, suique Capitis excellentia; altera plerumque conabatur, per quamdam *Simoniæ* speciem, vendere Pontifici animorum recuperationem pretio prouentuum ac iurisdictionis, quibus Ecclesia spoliabatur: ac proinde vim omnem intendebat, vt *Centum grauaminibus* satisfieret; rata iam tempus adesse, quo liceret eò Pontificem adigere, si mallet Germaniam non amittere, eosque à perdita libertate coërcere, ad quam Lutherus alliciebat.

1524. Legatus, præter publicam Concionem, insinuare per priuata colloquia numquam destitit, postulata suapte naturâ iniqua videri; quatenus verò Pontificis assensum requirebant, ob rationes tam Diuinas quàm humanas, prorsus desperanda. Eorum iniquitatem ex eo patere, quòd vellent rerum statum permutare, tot sæculis pacificè in Germania permanentem, atque in ceteris omnibus Catholicorum regionibus conseruatum: præsertim cùm ipsi poscerent non leuari tantummodò aliquo onere, vel immodico, vel fortuito; sed aboleri emolumenta præcipua, quibus Pontifex & Antistites potiebantur, quà ex antiquissimis legibus, quà ex donatione ac liberalitate suorum maiorum. Quapropter, si tamquam publicæ pacis perturbator odiosè malè audit quicumque bellum ciet contra veteres ac pacificos alicuius ditionis possessores; longè odiosiùs auditurus, qui Præsules Ecclesiasticos ab eorum possessione deturbat; quippe qui non armis, nec vi ea sibi extorsere, sed consensu populorum, titulisque sanctissimis obtinuere. 12

Hæc de postulatorum iniquitate. Sed quia etiam postulantur nonnumquam iniqua, cùm ea sperantur; monstrabat, eam impetrationem sperari non posse, tum ex vtilitatis, tum ex charitatis norma, etiamsi Pontifex se ad alterutrum redactum cerneret, vel vt omnino magnam partem Germaniæ amitteret, vel vt ibidem hisce postulatis de suo iure decederet. Non quidem vtilitate spectatâ: nam ex huiusmodi concessione proculdubio confici, coactum iri Pontificem, vt idem reliquis Catholicorum Regnis indulgeret; ac proinde longè maiorem facturum fuisse iacturam, si sponte consentiret se tantâ bonorum parte in iis regionibus priuari, quàm si in iisdem per vim emolumentis omnibus priuaretur. Neque pariter charitatis gratiâ posse Pontificem ad hoc adduci, salutem illius gregis quolibet pretio, quantumuis iniquo, redimentem: eâ siquidem ratione animorum lucra facturus, iacturam copiosiorem fecisset. Satis id patere: quoniam hinc quidem parum esset sperandum in eorum ope, qui ne à Christo desciscerent, violenter peruellent sibi fieri satis lucro tam sordido, ac tam iniquo. Qui ad hanc Religionis mercaturam inducit animum, semper, quidquid agat, in rem suam inhiat; adeoque ex hoc ipso, quòd iidem iniquas aliquas conditiones obtinuissent, ad nouas iterùm postulandas promptiorem animum habituros fuisse. Hinc verò huiusmodi concessionibus fractum vigorem, & eneruata studia totius Ecclesiastici ordinis funditus collapsura fuisse; in quo tamen conseruandæ in Germania Religionis præsidium vnicum nitebatur. Ostendebat præ- 13

tereà

tereà Legatus, existimari falsò, Pontificem cæterosque Antistites, dum suas prærogatiuas tuebantur, duci non studio Religionis, sed vtilitatis. Potiùs vtilitatis studium esse putandum, cùm quis iura Magistratus quem obtinet, cum fraude successorum negligit, quò vel suam vel suæ familiæ rem augeat, potentiorum gratiam aucupando: quod Pontifex & Episcopi tunc patrassent, si cum profanis Principibus consentientes, dignitatem, quam tuebantur, turpiter prodidissent. Quiuis ciuium, aiebat ille, commendatur, quòd suæ patriæ iura defendat: quilibet Senator, quòd Reipublicæ statura studiosè custodiat: quicumque publicam personam gerens, quòd suum munus illibatum præstet: & tamen & Ciuitatis & Reipublicæ bona quadamtenus ad heredes quoque perueniunt, atque ij omnes tuentur dignitatis gradus ab hominibus constitutos. Et obiurgandus erit, quasi nimiùm sui commodi tenax seu Pontifex seu quilibet sacræ notæ, si momentis humanarum rationum abiectis, summâ fide tuetur illius prærogatiuæ & eminentiæ possessionem, quam cum suscepto munere vnà suscepit? Quod munus non propagatur ad heredes, & fuit à Deo constitutum, cùm ad humani generis salutem in terras descendit. Nec reticuit Legatus easdem ipsas rationes, quas libro superiore protulimus, quibus Aleander Wormatiæ patefecit, quantum Pontificius Principatus eâ formâ quam nunc obtinet, tam ad vnitatem Religionis, quàm ad ciuilem felicitatem Christianorum prodesset. 1524.

14 Sed mos est hominum bonis instantibus inhiantium, damna procul imminentia paruipendere. Idcircò complures Principum Germanorum nihil considerarunt, se ob modicum lucrum, quod ex Ecclesiasticorum detrimenro fecissent ad Lutherum accedenres, emuncturos è Germania fuisse præstantiorem succum ad bella ciuilia, inductis reuerà in communem Patriam iis calamitatibus, quas tam magnificè clamitabant è prærogatiuis Ecclesiæ prouenire. Quamquam autem alij ad Catholicam Fidem retinendam, opprimendamque Lutheri sectam prompto animo propenderent; * ineluctabili tamen pertinaciâ Saxo, liberæque ciuitates obsistebant, blando licentiæ veneno iam ebriæ: adeoque horum artes, & auersi à rectis consilius animi, salutaria reliquorum consilia deprimebant. Quapropter illis opportunis legibus repudiatis, quas Legatus proposuerat ad emendandum Clerum, leuandamque communem plebem ab oneribus immoderatis ad Ecclesiam spectantibus, Decretum condidere 18. Aprilis ann. 1524. à Suaui, suoque * Sleidano relatum satis mutilum in iis rebus, quæ fauent Catho-

* Gilberti literæ ad Oratores Florentinos in Hispania 22. Decemb. 1524. in 2.tom.Liter. Principum.

* Sleidanus lib.4.

1524. licæ Fidei, ac Pontificis causam vindicant.

Ibi exponitur primò: Cùm Cæsar absens ad Conuentum delegasset Oratorem suum Ioannem Hannare, haberi in eius mandatis, se confisum, Imperij Ordines re perfecturos fuisse quæ Wormatiensi Edicto ex ipsorum consensione promulgata præcepta essent. Quare vbi posteà rescitum est, rem ab illis neglectam, non mediocriter Cæsarem doluisse, cùm vniuersali erga Christianum nomen studio, tum peculiari erga Germaniam. Proinde illius obseruantiam ab ipsis de integro se postulare; inter eos verò iam conuenisse Cæsari obtemperare (prout se obstringi sentiebant) omni studio atque efficacia interdicentes inposterum Typographis libellos famosos imaginesque contumeliosas imprimere. Ex quo liquet, vniuersalem Germanorum Principum voluntatem eousque perstitisse in execranda hæresi Lutherana, & Apostolica Sede colenda, quibus sensis Edictum illud abundat. 15

Secundò: Aiebat Conuentus, ad malorum remedium deposci, vt Pontifex quàm citissimè posset Concilium liberum in Germania indiceret, vti affirmabant ipsis cum Legato conuenisse. 16

Tertiò: Alius Conuentus Spiræ indicebatur 11. Nouembris, vbi discuterentur à prudentibus Consiliariis *Centum grauamina*, quo decerneretur ad quam denique tolerabilem moderationem redigi possent. Vnde palàm fit, Corpus Imperij, post cognitas Legati rationes, anceps atque incertum animi adhuc hæsisse de iis postulatis, adeoque ad exquisitiorem exactioremque trutinam ea reuocasse. 17

Quartò: Decretum est, vti intereà singuli Principes doctis viris negotium darent, ad nouos de Religione articulos, adductos in controuersiam, diligenti studio perpendendos, quò posteà in Conuentu Lutheri volumina examinarentur, secretàque integrâ à corrupta doctrina, statueretur quid tantisper scribendum ac prædicandum esset, dum Oecumenicum Concilium conuocaretur: qui labor etiam conferret ad ea præparanda, quæ per Concilium essent posteà sancienda. 18

Quæ hic narrantur, extant in libro Archiuij Vaticani, cui titulus est, *Acta Wormatiæ*.

Legatus, cui hæc rerum capita, antequam vulgarentur, scripto fuerant exhibita, suo quoque scripto respondit: Probari sibi primum articulum de Edicto Wormatiensi promouendo. Quod ad secundum spectabat de Concilio; tam celeriter cogi non posse, vt præsens malo remedium esse possit, cùm opus foret concordiâ & consensu Christianorum Principum. Vbi tamen Concilium censeretur opportunum, ipsum in se suscepturum, vt à Pontifice cogendum curaret; ac pro certo se habere, consentientibus ad id 19

Cæsare

Cæsare aliisque Principibus, intra tempus idoneum à Pontifice coactum iri. 1524.

20 Quòd attinebat ad quartum: Ostendit fusiùs, quàm alienum esset examen Spirense de rebus Religionis; tum quòd per illud reuocarentur in controuersiam dogmata iam ab Ecclesia stabilita, tum quòd maximum adiretur periculum, si ea committerentur iudicio hominum, magna ex parte Ecclesiasticæ doctrinæ expertium, pronisque in hæresim animis: qui si fortè præualuissent, haud posteà ne magnâ quidem sudoris copiâ deleri potuisset id quod semel ab illius auctoritate vim existimationemque traxisset. Præterea, vel ad sententiam dicendam promiscuè homines etiam è plebe admitterentur (sed quæ hæc rei indignitas atque confusio?) vel cum delectu: sed nimis arduum id accidisset; quippe quòd iam ij contemnentes Pontificias ac Cęsareas constitutiones, quicumque excluderentur, factum irritum atque iniustum esse exclamarent. Postremò; quòd reliquæ nationes recusarent credendi leges accipere ab vno solius Germaniæ cœtu citra Pontificis consensum habito; adeoque exoptata Ecclesiæ vnitas nequaquam obtineretur. Quòd si quis putaret, in eo consessu, omissis Religionis articulis, agendum esse tantummodò de Gentis Ecclesiasticæ correctione; illi certè non opus fore vllâ nouitate legum, sed veterum obseruantiâ. Inesse Legato ad id satis auctoritatis: proinde si ab ipsis compellaretur, se omnia compositurum.

21 Circa *Centum grauamina* significauit, Opportunius sibi videri, si Ordines Imperij per suos Oratores de iis cum Pontifice transigerent, plura quàm sperarent ab illo impetraturi. Sin autem ipsis liberet secum agere; designarent viros spectatæ prudentiæ, moderationis ac pietatis, se paratum esse ex honesti ac decori præscripto corrigere, immutare, minuere, restaurare, quidquid prudentia postulasset.

22 Verumtamen plerisque ea quæ Legatus obtulerat non admittentibus, Decretum euulgatum est, formâ quam retulimus nihil mutatâ. Legatus verò, ne à Decreti verbis eiusque præsentia aliquis ipsius consensus argueretur, legitimè contestatus est, se, quod spectabat ad Concilium Congregationemque Spiræ habendam, nihil spopondisse, nihil probasse aliter quàm in suo scripto continebatur.

23 Significauit postmodum Comitiorum gesta Pontifici; & quia moraturus erat in Germania cœtu dimisso, acturusque priuatim cum Principibus de rebus in eo statutis, peculiaria ad id mandata poposcit. At Pontifex ea scita Principum Germanorum ægerrimè

1524. tulit, intelligens nouum de Religione tribunal eo pacto excitari citra ipsius auctoritatem. Idcircò cœtum Romæ collegit, qui varia huiusce negotij capita ritè perpenderet.

Primum: Quæ ratio esset ineunda, vt Edicto Wormatiensi obtemperaretur. Opportunum ad id visum est, à Cæsare, cuius decus & auctoritas in ea re agitatur, enixè petendum, simulque à Pontifice sedulò curandum, vti Reges Angliæ & Lusitaniæ ad id compellerent Principes ac Ciuitates Germaniæ, adiectis etiam minis denegandi commercia suis in Regnis mercatoribus contumacium regionum, tamquam hæresi contaminatis. Fuit id ipsius Pontificis consilium: nam præter egregiorum illorum Regum studium Religionis, peculiaremque in ipsum Pontificem beneuolentiam ac necessitudinem, eorum officia minimè suspecta Germanis futura erant. Reges id nauiter præstitere, omissis tamen amouendi commercij minis; quæ sanè aduersus humorum malignitatem potentior amarities fuisset. 24

Diligentiæ in hoc adhibitæ à Pontifice, continentur in literis Gilberti ad Langum Angliæ Nuntium in tom. 2. Liter. Principum. & reperitur de hoc Diploma ad Angliæ Regem 16. Maij 1524. inter Diplomata ligata Clementis.

Secundum: Quâ ratione cauendum esset, ne in Spirensi Conuentu Religionis articuli ex Decreti forma discuterentur. Commodum ad id visum, vt Legatus omni curâ ac solicitudine suaderet iis, qui Catholicarum essent partium, præsertim Ecclesiasticis, vt obfirmati resisterent, eosdemque cohortaretur, vt quò minùs ipsi præsentes obstare possent, per absentiam quidem impedirent, vel certè auctoritatem detraherent: prætereà solemni clausulâ cauerent, ne quid iura Pontificis læderentur. Præ cunctis verò curaret, vti Cæsar rem totam prohiberet; vel saltem, si aliter fieri non posset, Conuentum retardaret, se dictitans interfuturum. 25

Tertium: Quidnam respondendum circa petitionem Concilij, & circa *Centum grauamina*. Consensere, vt quod ad primum spectaret, suapte quasi sponte Legatus diceret, multò magis exoptari Concilium à Pontifice, quò iurisdictio Ecclesiastica, tot in locis totque nominibus labefactata restitueretur: nihilominùs oportere, vti pax Christianarum gentium, Principumque consensio in cunctis conditionibus, Concilio viam sternerent: sed ea de re cum Pontifice agendum. Ad alterum verò responderet, præcipua quibus grauabantur onera, sublata iam fuisse per leges Concilij Lateranensis, qualem obseruantiam Pontifex statim ac fuit creatus iam indixerat; si quædam alia minuenda adhuc censerentur, id ipsum etiam ante Concilium curaturum Pontificem, cùm ad deliberandum de hisce rebus peculiaris Congregatio fuerit statuta. 26

Quartum fuit: An ampliùs cùm Duce Saxoniæ Pontifici agen- 27
dum

dum esset. Comperio, ab Aleandro, in prolixo Commentario de huiusmodi rebus, Pontificis iussu ab eo conscripto ante Campeggij discessum, hoc datum consilium: Quando irritæ cederent admonitiones omnes, mitiora prætermittenda, infligendasque seueriores Ecclesiæ pœnas, eumque Septemuiratu priuandum: sed hæc peracta non sunt, & Saxo paucos post menses occubuit. 1524.

28 Cetera quoque enarrata capita quæ diximus, Pontifex summâ industriâ promouit. Animaduertebat, Principes profanos existimare, scopum vnicum Lutheranorum furoris Pontificem esse; eoque magis in illis retundendis ipsos tepescere, quòd cuperent Pontificem sese agnoscere ipsorum opis indigentem. Quare quibuscumque eos officiis solicitaret, semper profitebatur, se primùm ac præ ceteris feruescere in obluctando procellæ, non quòd sibi soli & non aliis vectoribus naufragium immineret, si quid nauigium periclitaretur; sed quòd ipse regeret gubernaculum. De reliquo, seditionem primum impetum facere contra sacram auctoritatem tamquam magis inermem, ac faciliùs expugnabilem; sed vltimum vertere contra profanam, eamque quò validiorem, eò grauiorem effrænatis animis perduellium. Addebat (præsagiendo id quod posteà confirmauit euentus) si quo in Regno hæresi inualescente Roma iurisdictionis Ecclesiasticæ damnum faceret, multò maiorem iacturam ex humani commodi mensione passurum fuisse proprium illius Principem, è profana etiam potestate breuî deiiciendum. Superos hominesque contestabatur, se nec defuisse, nec defuturum suo muneri: sed vbi negligerent alij suas secum opes conferre; se quidem supra ceteros animo discruciatum iri ex clade tanti gregis, sibi à Redemptore commissi; sed eos qui neglexissent, multò maximam perniciem toleraturos.

In citatis Gilberti literis ad Langum, & fusiùs in Instructione rerum ad Cæsarem ferendarum contra recessum Norimbergensem, & Conciliabulum Spiris indictum, in libro cui titulus est, *Acta Wormatia.*

29 Præcipua Pontificis cura eò tendebat, vt indictum illicitè Conciliabulum impediret: nec sanè absque fructu. Nam Cæsar etiam iniuriæ sibi verterat, eos Principes in primo Norimbergensi Conuentu Edicti Cæsarei tormentum quasi clauo occæcasse. Ac de eo iam tum conquestus erat cum quibusdam Germanorum Legatis ad se in Hispaniam missis: adeoque cùm animaduerteret, hunc se absente arrogasse sibi tantarum rerum examen; scripsit Burgis literas indignationis plenas ad fratrem suum locum in Germania tenentem, ceterosque Imperij Ordines, quibus eos increpabat, quòd Edictum oscitanter promouissent; quòd vniuersalem proscriptionem Lutheranorum voluminum, ad famosos libellos tantummodò & contumeliosa scripta redegissent; quòd Generale Concilium conuo-

1524. conuocandum decreuissent, cuius conuocatio ad Pontificem, propositio verò ad se spectabat: at longè grauiùs, quòd Conuentum, quin potiùs profanum Conciliabulum Spiræ indixissent, vbi Religionis argumenta, per magnam Apostolicæ Sedis iniuriam expenderentur. Semper autem in iis literis præ se tulit sensa veteris Fidei studiosissima, horrendis execrationibus in Lutheri personam atque doctrinam inuectus. Postmodum verò spopondit, quò illis, quantum æquitas ferret, gratificaretur, acturum se cum Pontifice, vt Concilium pro eo ac par esset Tridenti cogeretur, vbi primùm sibi licuisset illi interesse, vt in animo habebat: interim eos iubebat, denuntiatis Edicti Wormatiensis pœnis, Edictum ipsum obsequenter exequi, & ab illicito Spirensi Conciliabulo abstinere.

Hasce literas Cæsar ad fratrem misit, cum arcanis mandatis, vt 30
eas Principibus redderet * vbi obtemperaturos prænosceret; quòd si eas contempturos putaret, apud se retineret, perscriptâ ad Pontificem suscepti consilij necessitate. Ferdinandus literas reddere satius duxit. Verùm vti facilius est impedire, quàm agere; ita solùm in eo Cæsari obtemperatum est, quod secundo loco de omittendo Spirensi Concilio iniungebatur; adductâ à Germanis ad obseruandum Edictum Wormatiense insuperabili difficultate.

* 11. Iulij an. 1524.

CAPVT XI.

Ecclesiastici Ordinis in Germania emendatio, habita à Legato Ratisponæ, complurium Principum consensu.

Legatus intereà, quò suas partes quantum posset expleret, 1
emendaretque si minùs vniuersam Germaniam, eorum certè Principum ditiones, qui nec hæresi corrupti, nec politici commodi illecebris irretiti, ad vera Religionis incrementa conspirabant: quò etiam palàm faceret, bonam Germaniæ partem adhærere Pontifici, eiusque mandata tamquam rationi publicæque saluti consentanea satis agnoscere, Comitiorum Principes, qui secum consenserant, Ratisponæ collegit. Hi fuere Ferdinandus Cæsaris frater, eius loco apud Germanos imperitans, Cardinalis Archiepiscopus Salisburgensis, Guillelmus & Ludouicus vtriusque Bauariæ Duces, Episcopus Tridentinus Administrator Ecclesiæ Ratisponensis, & Procuratores Episcoporum, Bambergensis, Spirensis, Argentoratensis, Augustani, Constantiensis, Basileensis, Frisingensis, Brixinensis, & Administratores Passauiensis.

Hi

2 Hi die 6. Iulij Edictum euulgarunt, quo narrantes, ab vtroque 1524.
Norimbergensi Conuentu fuisse indictum, vt quoad eius fieri posset Edicto Cæsareo Wormatiensi aduersum Lutheranos omnes parerent, iusserunt in suis ditionibus omnino illud obseruari, cunctique vetiti antiquæ Religionis ritus inuertere.

3 Postero die Legatus ex ipsorum consilio & consensu emendationem Cleri promulgauit, eiusque obseruantiam cunctis Germaniæ Ecclesiasticis præcepit. In huius scripturæ procemio habetur, magnam hæresis causam fuisse abusus & corruptos Ecclesiasticorum mores: proinde se percupere ad eum vitæ decorem illos deduci, quem Apostolus in ipsis exposcit. Mox triginta quinque, non verò, vt ait Suauis, triginta septem emendationis capita statuuntur. Inter quæ multa conducunt ad releuandos laicos oneribus tribuendæ pecuniæ: huiusmodi est Quintum, Parochis interdicens, ne quædam consueta subsidia à populis exigerent: Sextum, sepulturæ sumptus imminuens: Septimum, præscribens, vt Ordinarij intra sex menses ex Principum profanorum consensione controuersias omnes componant, de pecuniarum solutionibus inter Pastores Ecclesiasticos, ac subditos exortas: Nonum, quo vetitum est, ne pecunia reciperetur pro absoluendis noxis superiori foro reseruatis: Decimumsextum, remouens abusus ab Indulgentiarum quæstoribus inductos: Decimumoctauum, quo præscribitur fidelis expensio atque custodia pecuniæ à fidelibus collatæ ad templorum constructionem: Decimumnonum, quo prohibentur impensæ quæ Vicarij exigebant pro Templorum atque Altarium consecratione: Vigesimum tertium, quo vetantur Episcopi adire, vti mos erat, tamquam heredes patrimonia, seu bona ex industria parta Clericorum obeuntium intestatò: Vigesimum quartum, negans iisdem Episcopis dimidium prouentus annui, cùm ea conferunt Sacerdotia, quæ vix hominis alimento sufficiunt, & ex quibus huiusmodi dimidium Roma non exigit.

4 Nullum ex his capitibus narrat Suauis, quippe semper intentus ad inexhaustam æris cupiditatem in legibus Ecclesiasticis ostentandam. Narrat tamen, fuisse creditum, eam morum correctionem, instar leuium medicamentorum, aucturam morbum, maiorumque Præsulum tyrannidi vires additura.

5 Sed quod spectat ad primum: quânam medicorum lege ille didicerat, curationem corporis malè affecti à validiore ac magis purgantiore pharmaco esse inchoandam? quis ignorat ipsorum effatum, Priùs esse leniendum, deinde soluendum? Præterquam quòd ea

1524. reuerà erant capita correctionis indigentia, ad leuamentum confirmationemque populorum, & satisfaciendum potiori parti postulatorum in libello *Centum grauaminum*; cùm reliqua ad Principum potentiorumque vtilitatem referrentur.

Quantum verò spectat ad alterum: si nomine *Tyrannidis* intelligit consuetam atque canonicam iurisdictionem Antistitum, verum quidem dicit, sed falsis vocibus vtitur: ea namque disciplinæ restauratio, ad satisfaciendum populis plurimùm conferebat, adeoque eosdem in Religione Præsulumque obtemperatione confirmabat. Quòd si nomine *Tyrannidis* intellexerit id quod verè vox illa significat, hoc est, subditorum vexationem ex libidine atque vtilitate dominantium; expositus iam tenor earum legum per se satis accusationi respondet. 6

Ait prætereà, reliquos indignè passos, Legatum, ac paucos quosdam, sibi arrogasse ad eiusmodi disciplinæ leges contra Collegarum sententiam progredi. Verùm si Suauis, omnium ratione subductâ qui Conuentui interfuere, eos demat, qui Luthero apertè fauebant, comperiet eorum partem, qui Ratisponæ cum Legato conuenerant, ad totum relatam, haud modicam certè fuisse, vtpote quæ conflabatur Principibus amplissimi Dominatus, & Episcopis magnarum Diœcesium, qui omnes per animi leuitatem aut arrogantiam nihil vmquam decreuissent. 7

Sed postrema Suauianæ narrationis calumnia auctior est. Dicit, tam Legatum quàm reliquos nihil curasse, quidnam suscepta consilia paritura essent; sed solùm quo pacto Pontifici satisfieret. An forte huiusmodi viri, videbantur Suaui parasiti quipiam seu Meradiculi, qui tam sordidæ adulationi seruirent? Satis est nominasse primò, Ferdinandum Archiducem, amplissimis ditionibus imperitantem, locumque Cæsaris in Germanja obtinentem; deinde Bauariæ Duces, ac tot Principes Ecclesiasticos, qui suam auctoritatem impenderunt: sed euenta nos docent, vtra duarum factionum studiosiùs bono publico consulebat, an hæc adhærendo Pontifici, an altera se à Pontifice seiungendo, simulque efficiendo, vt per diuisionem Religionis Germania in suamet viscera ferrum conuerteret. 8

CAPVT

CAPVT XII.

1525.
1526.

Hæresum in Germania diuisiones, earumque progressus. Cura Pontificis ad eas comprimendas.

1 QVemadmodum recta linea vnica est, obliquæ verò supra numerum; ita hæresis, quæ ab Orthodoxa veritate deflexit, longiùs progredi vna non potuit, sed in contrarias sectas resiliit, quæ cuicumque oculo incorrupto ipsam hæresim non dissensionis modò, sed Atheismi veluti parentem prodidere. Inter Lutherum ac Zuinglium de Sacramento Eucharistiæ neutiquam conuenire potuit. Etenim cùm Lutherus doceret, eo tempore quo sumitur Eucharistia, verè ibi Corpus Christi præsens adesse, sed cum substantia panis coniunctum; quod extra illud tempus adesse negabat, indulgens, vti fertur, inuento Buceri apostatæ Dominicani, quò faciliùs ad suas partes hominem traheret, asserentis verbum *est* in consecratione prolatum, idem ac *erit* significare. Zuinglius huiusmodi præsentiam omnino negabat; & quando iam concordabant eorum voces significationem propriam retinendam non esse, volebat sensum merè allegoricum illis tribuere. Eâdem etiam tempestate Carolostadius acutiùs quiddam à se admirabiliter excogitatum credidit. Aiebat enim, Christum, quando affirmauit illud esse suum Corpus, intellexisse de suo Corpore secundùm præsentiam ibi Apostolis adspectabilem, quibuscum cœnabat; non verò secundùm præsentiam sub accidentibus panis oculos latentem. Perinde quasi posset id accommodari similibus verbis, quæ proximè deinde protulit super calicem, dicens illum esse calicem sui sanguinis; & quasi in aliis Euangelij locis non satis ipse declaret, suam carnem esse verè cibum, & suum sanguinem esse verè potum. Sed cùm grandia facinora quamuis mala, grandium etiam bonorum præsidio indigeant, Carolostadius, cui nihil inerat nisi mediocre, non habuit satis virium, vt prosperæ perduellionis ducem ageret: quin à Saxone perturbatoris notâ in exilium actus est, & à Luthero ac Melanchthone non fuit solùm exagitatus, sed etiam conculcatus.

2 Celebris extitit in Germania Anabaptistarum secta; quæ plurimis in rebus & à Luthero & ab Ecclesia Catholica discrepabat; præcipuè verò in præcipiendo, vt ij qui Baptismum susciperent ante vsum rationis, adeoque ante voluntariam noxam, Fideique liberum exercitium, iterùm baptizarentur, vnde & nomen traxere. Illorum auctor incertus est; sed præcipuus ductor fuit quidam Tho-

1525. mas Moncerus, miraculorum confictione præstigiator: haud ta-
1526. men constat an ipse hunc de Baptismo errorem hauserit, quem plures alij huiusce factionis hausere. Is quoque in Saxonia primùm soboli suæ nidum construxit: verùm cùm ij negarent esse Magistratibus obtemperandum, rusticorumque seditionem commouerent, publica in se arma concitarunt, quibus in prælio profligati: Moncerus verò, aliique complures flammis consumpti sunt. Hæ sectarum diuisiones in dies magis pullulantes eò Religionem adduxerunt, vt magna Germaniæ pars, non tam assentiret falso, quàm dissentiret à vero, nullam firmam stabilemque sententiam complexa.

In Spirensi Conuentu, indicto à Norimbergensi, vt narrauimus, 3
prætermisso profano Concilio à Cæsare iam interdicto, post varias altercationes consilium captum est, quo nihil confectum, vt euentu constitit; nimirum vsque ad conuocationem Concilij quilibet Principum ita se gereret, vt sui rationem reddere rectè posset: sed cùm seditio mota in Pontificem subditos docuisset, contemni posse quem hactenus venerati fuerant; rustici, vt iam significaui, defectione in Dominos ac Magistratus concitatâ, Germaniam annum integrum tumultibus concussere.

Lutherus, vbi perspexit populos erga se benè animatos, ad ea 4
animi sui sensa aperienda progressus est, quæ si ad eius hæresis exortum illi fuissent attributa, ipsius studiosis enormes calumniæ visæ fuissent. Iam obtinuerat, vt Wittembergæ vsus Missæ sacrificij, cultusque sacrarum Imaginum aboleretur: abiectoque habitu Religioso, non satis habuit vxorem ducere, nisi Christo ereptam. Nec minores progressus vel impietate vel asseclis in Heluetia faciebat Zuinglius, cuius hæresim multæ illius Gentis tribus susceperant, sed plures repulerant. In primis verò virili Religionis studio, præstantique doctrinâ illi obstitit Ioannes Faber, Constantiensis Vicarius, qui posteà Viennensis Episcopus fuit, præter alios priuatos propugnatores, qui Catholicorum causam solemnibus disputationibus egregiè sustinuerunt; ac potissimùm Eckius, qui huiusmodi luctationibus deditus, cum Zuinglio & cum Oecolampadio, doctiore illo quidem, adeoque scelestiore, in certamen descendit. Galliæ salubri ac præsenti fuit remedio Prouinciale Concilium Senonense, apud Catholicos illustre, celebratum auctoritate Antonij Cardinalis à Prato, illius Metropolis Archiepiscopi, Primatis, Magni Cancellarij, & tunc in Regno Legati. Ibi ex sententia summorum Antistitum, virorumque maximè spectabilium, damnata fuere falsa recentium sectarum opinamenta, eaque planè stabilita doctrina,

Bzouius anno 1528. num. 41.

quæ

quæ in Concilio Tridentino posteà confirmata perdurat: sed hæc ann. 1528. gesta sunt. 1525. 1526.

5 Nec à Pontifice soliciti Pastoris officia prætermissa. Plurima Campeggius Legatus ad integritatem Bohemiæ & Pannoniæ molitus est, impetraris à Ludouico Rege seueris Edictis in ea sacrilega inuenta. Ad Heluetios in Fide retinendos præferuida diplomata scripserat Adrianus; quibus modò laudibus & cohortationibus Basileenses * Canonicos inflammabat, vt vererem Religionem tuerentur; modò deterrendo, puniendoque Theobaldum quemdam Eremitanæ Ecclesiæ administratorem, mala semina ibi iacienrem. Eademque officia postmodum à Clemenre continuata, missis * literis perhonorificis, summæque beneuolentiæ plenis, tam ad Heluetiorum Rempublicam vniuersè, quàm ad eos seu Ecclesiasticos seu laicos peculiariter, qui in Fide Catholica sustinenda sui specimen illustrius dederant. Dum etiam interea strenuè desudaret, per vtriusque Pontificatus tempora, Ennius Filonardus, ibidem Nuntius, (quem posteà Paulus Tertius Vaticanâ Purpurâ remuneratus est) vt quàm posset maiorem corporis Heluetici partem fœdæ contagioni subduceret. Solicitauit quoque Pontifex efficacibus literis, ad Edicta saluraria conficienda pronum in hæc Angliæ Regis animum. Nec minùs opportuna remedia, quà epistolis quà Nuntiis, apud Reges Academiasque consecutus est Clemens in Gallia atque Polonia; præter adhibitam diligenter operam, ne qua lues afflaretur Italiæ à corruptis militum copiis, & Hispaniæ à mercatoribus tabe correptis. Neque quòd incendium immane aliquam partem domus ac supellectilis absumpserit, eò suâ laude fraudanda sunt labor atque sedulitas Patrisfamilias, qui aquæ copiâ opportunè iniectâ, magnam illorum partem à flammis illæsam seruauerit.

* 15. Augusti an. 1525.

* 18 Aprilis ann. 1524.

CAPVT XIII.

Inter Pontificem ac Cæsarem grauissimæ offensiones.

1 INtereà acerbæ diffidentiæ Pontificis ac Cæsaris animos incessere, quibus Concilium est præpeditum; dum alter illud poscere videbatur ad alterum deprimendum, ad quem ipsius conuocatio pertinebat. Hæ mutuæ suspiciones, quæ plurima scitu digna ad nostrum argumentum spectantia peperere, ortæ sunt ex ea causa, quam paucis perstringemus, adiicientes posteà per compendiariam narrationem, subnatos inde effectus maximè lamentabiles; de quibus compertum nobis fuit non solùm è scriptoribus eius æui, sed mul-

1525. 1526. tò penitiùs è legitimis tabulis, & ex prolixo mandatorum Commentario, quem Clemens tradidit Alexandro Cardinali Farnesio, suo posteà successori, cùm ipsum Legatum ad Cæsarem destinabat ad suam captiuitatem liberandam. Cùm autem hic Commentarius scriptus sit à Principe rerum gestarum optimè conscio, vt ea quæ continebat referrentur ad Principem de iisdem à suis accuratissimè edoctum, simulque victorem, cuius administris in manus deuenerant per occasionem direptæ Vrbis scripta Pontificis; dubitari non licet ne vel erret, vel comminiscatur.

Extat hoc in Commentariis Burghesiorum.

Clemens coniunctus semper cum Carolo perstitit, dum existimauit illius arma Italiæ libertati fauere: sed geminus metus alter alteri oppositus eum occupauit, & vterque ad contrariæ factionis fœdus traxit. Ortus est prior metus ex Cæsarianarum virium imbecillitate. Dum enim hic, posthabito Pontificis consilio, Galliam infeliciter aggrederetur suasu Caroli Ducis Borbonij, qui à Rege Francisco desciuerat; idem Rex ingenti exercitu Mediolanensem regionem, nullis penè præsidiis munitam adortus, Mediolanum occupauit. Hinc Pontifex, desperatis illius ditionis rebus, sibique pertimescens, suas copias retraxit, & in ancipiti perstitit nullarum partium; vsusque Nuntiorum operâ tam apud Neapolitanum Proregem, quàm apud ipsum Cæsarem, seu pacem seu inducias inter vtrumque Principem moliri cœpit. At Prorex elatiùs loqui visus, & contestari: *Qui non est mecum, contra me est.* Quare Pontifex intelligens, dum neutri inclinaret, alteram partem offendi, nec alteram conciliari, illectusque tandem inuitamentis ac præsenti Gallorum felicitate, occultè cum iis fœdus pepigit, eo planè tempore, quo postremum diem agebat illorum prosperitas. Et quamquam arctaretur fœdus ad res Insubriæ; adactus tamen est, vt Albaniæ Duci per Pontificiam ditionem in Regnum Neapolitanum aditum concederet. Veruntamen visus est per vim adduci; siquidem nec magni momenti suppetias Gallo contulit, nec obstitit quò minùs Cæsariani varia è suis ditionibus emolumenta decerpserint. Inopinatâ deinde victoriâ ad Ticinum à Cæsare reportatâ, captoque Francisco Rege, Ministri Cæsarei clandestinum cum Gallo Clementis fœdus primò dissimularunt; quin etiam * illicò Hieronymum Aleandrum, Brundusinum tunc Archiepiscopum, atque ad Regem Galliæ Nuntium (qui incognitus à victoribus captus fuerat) liberum dimiserunt; & ipse Prorex de victoria certiorem fecit Pontificem, tamquam de successu æquè vtrisque fausto ac iucundo. Sed à verbis facta discreparunt: etenim iidem Cæsariani, partim 2

Totum id habetur ex variis literis contentis in 1. tom. Literarum ad Principes.

* Guicciardinus lib. 15. & Appendix ibi Porcaccij.

partim indignati se in summo discrimine à Clemente destitutos, 1525.
partim necessitate compulsi exercitus alendi ac fouendi, copias suas 1526.
intra Pontificis ditionem deduxerunt, minasque acerbissimas Clementi ferociter intentarunt; donec ad nouum fœdus sanciendum adductus est cum Prorege, & Bartholomæo Gattinara, magni Cancellarij fratris filio, cui à Cæsare potestas ad id amplè tradita; in Italia quidem aduersus quemlibet vtriusque hostem, sed extra Italiam solùm aduersus Turcas; quod verò spectabat ad ceteros hostes Caroli, se Pontifex solùm obstringebat, ne illis opitularetur.

3 Nono fœderis capite asserebatur: Cùm sacra magis quàm profana Pontifici cordi essent, complures autem eò deuenissent, vt malè de Fide sentirent, ac Pontificem maledictis discerperent; Cæsarem, Regem Angliæ, & Archiducem Ferdinandum polliceri, se arma capturos omni potentiæ suæ conatu contra Catholicæ Religionis turbatores, iniuriosósque Pontifici, atque omnes illius iniurias tamquam proprias vindicaturos.

Præterea Clemens, numeratis præsenti pecuniâ centum scutorum millibus, assensus est aliis pactis Cæsari fauentibus, cum quibusdam vicissim emolumentis spectantibus Ecclesiasticam Iurisdictionem, Rhegij recuperationem, obligationemque Mediolanensium salis è Pontificia ditione coëmendi. Verùm has postremas conditiones Cæsar posteà, cùm fœdus ratum habuit, artiùs contraxit.

4 Ex his nouus timor Pontificem inuasit, priori contrarius, hoc est, ex nimia Cæsaris potentia, non parum auctus ab imperiosa agendi ratione, quâ vtebatur Antonius Leua cum Francisco Sfortia, Mediolanensi Duce, quasi illum vellet specie solùm ac nomine ibi Ducem agere. Hinc Sfortia liberioris dominationis desiderio conflagrauit, cui Marchio Pescaræ fomitem addidit. Hic enim præcipuus partæ victoriæ auctor, ægrè ferebat, anteferri sibi à Cæsare, tam gloriâ spectatâ quàm gratiâ, Carolum Lanoiam, Proregem Neapolitanum, cùm hic ignaro Pescario, Galliæ Regem suæ quasi virtutis trophæum in Hispaniam adduxisset. Proinde Pescarius seu verè seu per simulationem similem vero, initio aures arrexit coniurationi, quâ sibi Regnum Neapolitanum deferebatur. Ad rem peragendam opus erat Pontificis consensu; non solùm quò illius viribus Pescarius se muniret, sed quò honestum colorem obtenderet armis contra proprium Principem, Carolum videlicet, Neapolitano Regno imperantem inferendis; cùm hinc præstò sibi esset defensio, quasi id ageret imperio supremi Dominantis, hoc est Pontificis,

1525. tificis, in eo Regno primum ſupremumque ius obtinentis. Sed
1526. Peſcarius, vel pœnitentiâ ductus, vel prioris ſimulationis conſilia perfecturus, paulò pòſt de inita conſpiratione Cæſarem edocuit; Pontifex verò eam reipsâ proſecutus, tantummodò per Nuntium ſignificauit Carolo, curaret Cæſar, vt ſuarum copiarum in Italia Duces hilarem haberent animum, ac defæcatum. Verùm, vt vſuuenit artibus nimis ſubtiliter negotia molientibus nec rem in præſentia promouere, & in poſterum eas aures adhibentibus fidem abrogare; ita illa Pontificis monita Cæſari data, calliditatis technæ habita ſunt, ſtudentis rem non detegere, ne interturbaret; ſimulque incertæ aleæ ſe ſubducere, quaſi rem indicauerit, ſi improſperè ſuccederet.

Re patefactâ, Sfortia perduellionis nomine Mediolano exutus, 5
& in arce Mediolanenſi circumſeſſus eſt; nec officia Pontificis, ad impetrandam illi veniam à Cæſare, quidquam valuere. Ad hæc officia non ſanè priuato in Sfortiam ſtudio Clemens ferebatur; ſed quòd pernoſceret, quicumque alius Sfortiæ ſufficeretur, mutatum quidem bellum, ſed non extinctum iri; tum quia multas ac præcipuas vrbes illius ditionis adhuc is retinebat, vnaque inueteratam populorum fidem ac beneuolentiam, finitimorumque parata ſubſidia; tum quia quicumque alius ibi conſtitutus Princeps in graues offendiſſet difficultates ſuſpicionum offenſionumque Italicæ nationis. Hæ rationes ſuſpicionum tunc vmbris obductæ nihil Cæſari perſuaſere, quod tamen præſtitere poſt aliquot annos, cùm ab illo in meliori luce perſpectæ ſunt. Quin Cæſar intelligens, ſe grauiùs ab infidis amicis offenſum, quàm ab hoſte manifeſto, maluit Gallo quàm Italicis Principibus reconciliari. In Regis liberatione conuenerunt, vt Mediolanenſi ditioni Dux Borbonius imperaret, Regis in gratiam recipiendus: atque idem Borbonius fuerat aliàs à Pontifice Cæſari ad id nominatus, ſi Sfortia ex morbo, quo tunc laborabat, occubuiſſet, vnde ſtirps eorum extingueretur, qui ad eam ditionem beneficiario iure obtinendam deſtinabantur.

Literæ Langæ nomine Pontificis ad Nuntium Hiſpanum, 27. Aug. 1529. in 2. lib. Literar. ad Principes.

At verò hæc pacis conditio inter Cæſarem ac Regem inita, mul- 6
toque magis aliæ Carolo maximè conducibiles, tam turbidis ſuſpicionibus Clementis animum oppleuere, vt eas ratus Chriſtiani generis tranquillitati periculoſas æquè ac iniuſtas, quippe à Rege captiuo per vim extortas, illum à ſacramento pactionis exſoluerit, ab ea ſeruanda dehortatus. Varia poſteà, quæ Pontifici cum Cæſare conuenirent, ſed incaſsùm agitata; nonnulla tandem propoſita, quorum

quorum comprobatio ab Hugone Moncada erat ex Hispania deferenda. Sed cùm is diutiùs per viam moram traheret, est veritus Pontifex, ne interim cum Rege Galliæ & obsesso Sfortia idem Hugo concordaret. Proinde ne desertus hostium ictibus absque munimine obiiceretur, festinauit fœdus statuere aduersus Cæsarem cum Regibus Galliæ atque Angliæ, cum Venetis, cum Heluetiis, & cum Florentinis, ad liberandum redintegrandumque Sfortiam, aliaque perficienda communi vtilitati atque indemnitati opportuna; aditu etiam ad societatem fœderis Cæsari relicto, si eisdem conditionibus assentiri vellet. Et quamquam paulò pòst Moncada Romam peruenerit, oblatis omnibus quæ Clemens postulauerat, aliisque pluribus, tamen irrita cuncta cessere, sanciti iam fœderis causâ. 1526.

7 Pontifex, ne quid indecorum videretur egisse, scripsit ad Cæsarem diploma 23. Iunij anno 1526. in quo commemorabat quæcumque Cæsaris gratiâ quouis tempore perfecisset, expendebatque quàm malè fuisset sibi repensum, recusatis ab eo conditionibus, quæ sibi cum eiusdem Ministris conuenerant post captum Galliæ Regem, nec redditâ centum millium aureorum summâ, à se iam persolutâ ad ea quæ statuta fuerant exequenda; repudiatis insuper ipsius postulatis pro Sfortiæ causâ ad Italiæ quietem; derogatâ sibi suoque Legato Cardinali Saluiato fide, dum de liberando Francisco agebatur; promulgatis Neapoli atque in Hispania legibus Iurisdictioni Ecclesiasticæ iniuriosis; dominatione auidiùs amplificatâ per aliquorum damna, & omnium anxietatem. Quæ cuncta scribebat Pontifex, fortasse euenisse improborum administrorum suasu. Declarabat deinde necessitatem, primò se à fœdere subtrahendi, dum languentibus Cæsaris viribus sibi opus erat ditionem suam communire; posteà conuersâ fortunâ, porrigendi aures oblatis Pescarij conditionibus, quò sibi præsidium aliquod adesset, si defuisset Cæsar, prout re ipsâ defuerat: cùm tamen interim ipse numquam destiterit per opportuniora consilia Cæsarem admonere, vt illius conspirationis successus impediretur, ac tunc denique ineundi fœderis cum iis qui non nisi æqua postulabant, eiusque opem tamquam Parentis Pastorisque communis implorabant. Proinde si Cæsar cum honestis tot Principum votis consensisset, Pontificem quoque veterem in eum beneuolentiam præstiturum: sin autem in priore proposito persistendum existimaret, suo se munere obstringi, vt quod par esset pro re sua conaretur.

Hoc Diploma ac responsa habentur in variis Commentariis iam impressis: secundum Diploma refertur à Guicciardino signatum sequenti post primum diem, sed à Contiloro duobus pòst diebus.

8. Alterum posteà diploma Cæsari conscripsit Clemens 25. Iunij, quasi

1526. quasi eum prioris pœniteret; omissaque illius mentione, in eo se abstinens ab omni accusatione, exprobratione atque minis, per Christi charitatem, & Christianæ Reipublicæ quietem obsecrabat, vt cum Principibus ab eo diffidentibus pacem componeret.

Balthasar Castilioneus, eâ ætate studiis literarum insignis, & tunc Pontificis Nuntius apud Carolum, primum diploma Cæsari reddidit, deinde verò secundum, testatus, vnà cum eo accepisse mandata, vt nisi primum Cæsari iam reddidisset, apud se retineret. Sed hoc non sine artificio ab eo factum esse creditum est, quasi Pontifex scriptum id à se vellet, sed responsum à Cæsare nollet accipere. Cæsar verò decreuit vtrique respondere duabus epistolis; alterâ quidem priori diplomati 17. Septembris supra octoginta paginas complexâ, quæ interuentu legitimo scribæ publici Nuntio in manus à Cancellario Gattinara tradita est, ac posteà 12. Decembris in Senatu Vaticano solemniter Pontifici reddita à Cæsaris Oratore. 9

Ibi Cæsar, confessus vera beneficia à Clemente tam ante quàm post Pontificatum accepta, ostendebat mutuis officiis à se cumulatè responsum, tam priuatis eius commodis, quàm publicis Apostolicæ Sedis emolumentis; non solùm profanis, in recuperandis Parma & Placentia, sed etiam sacris, in insectandis hæreticis. Quidquid egisset, moderatè à se actum ostendebat, omnemque in se notam ambitionis dominandique libidinis detergebat; conquestus se immeritò à Clemente incusari. Agitatam Pontificis consilio coniurationem execrabatur; offerebatque se amorem & obsequium filij præstiturum, modò ille patris personam non deponeret: sed vbi præceps personam hostis assumeret, tamquam iudicem tunc suspectum denuntiabat. Postremùm obtestabatur, vt Concilium cogeret; ad quod de cunctis iniuriis prouocabat. 10

In secundo responso, postridie dato, dicebat: Lætatum se fuisse altero Pontificis diplomate, ex quo deduxerat, illam consiliorum acerbitatem in eo iam fuisse mutatam, quandoquidem mitioribus modis ipsum hortabatur ad pacem; quam ex animo quidem à se expeti confirmabat: sed eam conficere vni sibi non esse integrum. Proinde Pontificem precabatur, vt illam per meliora consilia promoueret, quàm quæ priori diplomate continerentur. 11

Iam verò, vbi Cæsar animaduertit, Clementem persistere in fœdere, adeoque in prioris diplomatis sententia, dedit literas 6. Octobris ad Patres Vaticani Senatus, expostulans de iis quæ sibi Pontifex imposuerat. Atque vt illos ad aliquam erga Pontificem indignationem obliquè concitaret, tamquam ab eo neglectos, adiecit, 12

se non

ſe non potuiſſe in animum inducere, Pontificem ad incepta tam 1526.
grauia progreſſum ipſis inconſultis; ideoque ſuæ reſponſionis exemplar ſe ad eos mittere: ſubdebatque, ſe pro ſua in ſanctam Sedem reuerentia occluſiſſe aures importunis poſtulationibus Germaniæ, Imperiique vniuerſi, de iniectis ſibi, vti querebantur, *Grauaminibus* à Romana Curia. Cum autem magis magiſque in dies gliſceret Lutheri vecordia, publicè quiritantis, ab iis commemoratis *Grauaminibus* opprimi, quorum causâ Norimbergenſis cœtus Generale Concilium efflagitauerat, & interim Spirenſe Conciliabulum deſtinarat; ſe, qui ſatis intelligebat, eo Germaniam ab obſequio erga Romanum Pontificem ſubductum iri, ſeuerè ipſum interdixiſſe; Concilium verò Vniuerſale Germanis fuiſſe pollicitum, curaturum ſe à Pontifice quàm maturiſſimè poſſet cogendum. At Clementem, gratiis actis quòd alterum prohibuiſſet, rogaſſe, vt ad alterum celebrandum tempus opportunius præſtolaretur. Vnde pro veteri in ſacroſanctam Sedem obſeruantia, maluiſſe ſe Pontificis voluntati obſequi, quàm Germaniæ precibus indulgere: in præſentia tamen ſe à Pontifice (ex eorum conſilio, ſi credere fas erat) tot inſimulationibus argui, perinde ac ſi ad eam vſque horam Romanæ Eccleſiæ aduerſarium ſe geſſiſſet.

13 Inde ſuum pacis ſtudium numquam intermiſſum demonſtrabat, & quantum Pontifex ſuo deeſſet muneri, dum in Eccleſiæ Patronum adeò fidelem Chriſtianos Principes concitaret, non alio nomine, quàm vt obſtaret, ne ipſe hominem ſibi ſubditum, grauiſſimis criminibus reum, legitimè plecteret. Proinde eos rogare, vt à conſilio tam impio Pontificem abducerent, eidem ſuadentes, vt ad quietem Reipublicæ Chriſtianæ Concilium indiceret. Quod ſi recuſaſſet, vel vltrà quàm par erat protraxiſſet, eos orare, hortari, & commonere, vt vice Pontificis ipſimet indicerent. Si denique ipſi quoque renuiſſent id agere; conteſtari ſe pro ea quam Deo debebat pietate, pro dignitate Coronæ ſuæ, pro Chriſtiani generis vtilitate, quodcumque opportunum & efficax remedium ſe adhibiturum.

14 In hiſce literis opiparæ eſcæ præbentur Suauis odio in Apoſtolicam Sedem; eaſque ita refert, vt omnino quantum poteſt prætereat ibi; Cæſarem inter indignationis impetum non deſiiſſe Lutheri perfidiam toties execrari, debitamque Pontifici obedientiam & obſequium profiteri, eiuſque auctoritati tribuere conuocationem Concilij. Quæ certè ſenſa in eo rerum ſtatu, nec ex cæca animi affectione, nec ex adulatione ſuis commodis inhiante enaſci poterant.

1526. terant. At deinde progressus, vti homini mos est, à narratione ad commenta, pronuntiat, eos qui viuendi agendique rationem ad aliorum exempla, & præsertim potentiorum dirigunt, quique è Cæsaris gestis in Germania & alibi, arbitrabantur eum conscientiæ impulsu fauere Pontificatui, offensionis plenos hæsisse ad eam repentinam mutationem; præcipuè verò ad ea quæ scripserat, *Se occlusisse aures honestis Germaniæ precibus, vt Pontificis gratiam demereretur. Homines verò sagaciores iudicare, Cæsarem non satis consideratè tantum arcanum diuulgasse; quòd inde occasionem plerisque dederit existimandi, cultum & obseruantiam quam Pontifici detulerat, fuisse quamdam artem regendi, pallio Religionis obtectam.*

Animi perturbatio sic hominem exagitat, vt non mentis modò, 15.
sed oculorum etiam aciem peruertat. Vbinam in hisce literis Cæsaris reperire licet, huiusmodi vocem, *honestis*, adiunctam precibus Germaniæ, quibus aures occlusisse se dicat? Vbinam vocem aliam, *necessarias*, quam vocem paulò antè refert Suauis, vt epithetum in iisdem literis à Carolo datum precibus Germaniæ in Spirensi Conuentu? Reperitur quidem semel epithetum *importunas*, vt memorauimus; quod prorsus oppositum sonat. Vbinam vmquam asserit Cæsar, se quidquam egisse, *vt Pontificis gratiam demereretur?* Affirmat ipse, prorogationi Concilij se consensisse *ex obseruantia in sacrosanctam Sedem.* Spirensis Conuentus ab eo interdictus, appellatur ibidem *Conciliabulum:* Lutherum vt *impium & insanum* abominatur. Vbinam demum est hoc euulgatum arcanum, *quo plerisque data est occasio existimandi, cultum ac reuerentiam eousque Pontifici exhibitam, fuisse quamdam artem regendi, pallio Religionis obtectam?* Quin Carolus in ipso simultatis æstu, quo agitatus tamquam à suspecto iudice à Pontifice ad Concilium prouocauit, in dubium haud vocauit eius falli nesciam auctoritatem in controuersiis Religionis morúmve; sed solùm in quadam facti quæstione, ad res profanas spectante, inter Cæsarem eiusque aduersarios; in qua Pontifex errori erat obnoxius: quamquam reuerà inde non conficiatur, eum in hoc decisioni Concilij subiici, cùm etiam Concilium in controuersiis facti, negotiique politici æquè possit errare. Multoque minùs inde sequitur, Cardinalium esse munus cogendi Concilij, si Pontifex abnuat: quippe cùm hi auctoritatem indubitanter obtineant à Pontifice, non à Christo, deficit in iis quæcumque tituli species, quò valeat eorum Senatus quantulacumque in re præesse Pontifici. Tametsi ergo Cæsaris in eo petitio nullo nixa fundamento esset, & proposita vel ad deterrendum Clementem, vel

more

more indignantium, qui per impetum iracundiæ de re qualibet aduersario litem intentant; tamen ne minimam quidem labeculam simulatæ Religionis, animique politici magis quam Catholici præ se tulit. 1526.

CAPVT XIV.

Bella inter Pontificem & Cæsareos. Pacta inter eos inita, ac soluta; quo tempore Roma bis expugnata & direpta, & Pontifex captus.

1. Pontifex cum Cæsaris administris concordiam composuerat. Præ ceteris eam promouerat Pompeius Cardinalis Columna; qui stipulationis die Sacris operatus in Templo SS. Apostolorum, suis in ædibus, templo contiguis, solemni excepit conuiuio Pontificem, Cardinales, ac Principum Oratores.

2 Sed cùm ea pacta rata non fuissent à Cæsare habita, nisi cum quibusdam exceptionibus à Pontifice repudiatis, hic verò cum aduersatiis iniisset fœdus; Pompeius, post aliquam tergiuersationem maluit suæ familiæ, quàm suæ Purpuræ partes sequi, cœpitque suis in oppidis pro Cæsare militem comparare. Pontifex, cui satis erat Sfortiam in Principatu reponere, & cui vti erat sumptus grauis, ita bellum odiosum, quod auro magis quàm ferro conficitur, neglexit, vt id temporis poterat, Columnios opprimere, & contra Gilberti primatij Consultoris sententiam cum iis conuenit, vt Pompeius, ac reliqui illius familiæ desisterent à delectu militum intra Pontificis ditionem: quod si Cæsari deseruire luberet, in Regnum Neapolitanum abirent. Verùm seu ex ambitione Pompeij, sperantis se defuncto Pontifice per suæ factionis studia Vaticani Solium ascensurum; seu ex arte Hugonis Moncadæ, Cæsareorum militum ductoris, cui datum fuerat negotium ita Pontificis implicandi, vt Cæsarianis in Insubria molestiam afferre non posset, à pactione recessum: & ambo clàm exercitum Duce Moncada ad Vrbis vsque mœnia perduxere, à Pontificiis nec detecti, nec impediti, quippe languidis ac negligentibus ob stipendiorum difficultatem: adeoque cepere pariter ac diripuere Leoninam Vrbem, ædesque Pontificias ad Vaticanum, compulso Clemente ad Æliam arcem confugere; qui Moncadam ad se accersiuit, duobus è Senatu Purpuratorum datis obsidibus. Hic ingressus, redditisque Clementi diademate, aliisque Pontificiis ornamentis è prædatorum manubiis, flexis genibus factum excusauit, sui muneris necessitatem causatus.

1526. ſatus. Inde, inuito Pompeio, inducias cum Pontifice his conditionibus iniit: Vt ab Inſubria Pontificias copias ille deduceret, & Columniis veniam impertiret. Sed mox Pontifex, reuocatis exercitus ſui Ducibus quò pacta perficeret, ſeque armis communitum animaduertens, cenſuit pactionibus haud ſe teneri; tum quòd earum aliquæ nec à Cæſarianis ſeruatæ fuerant, tum quòd Columnij in nouum delictum reciderant. * Quare iuſſit fiſci procuratorem in Senatu adeſſe 7. Nouembris, ac petere vt contra illos, eorumque aſſeclas ageretur ex iure, tamquam è pactionibus delapſos, propterea quòd præterito Septembri in variis Vrbis locis affixerant edicta, Eccleſiaſticæ libertati aduerſantia; multas conſcripſerant literas, quibus Sedis Apoſtolicæ ciuitates, populique Romani Magiſtratus ad perduellionem ſolicitabant, aliaſque præterea literas ad varios Principes, Pontifici contumelioſas. Hic Procuratoris petitionem admiſit, iuſſitque eos legitimâ commonitione citari; ad quam, vt mox dicemus, Neapoli Pompeius acerbiſſimè reſpondit. Vnde Pontifex eò magis exacerbatus, 21. Nouembris, poſt elapſum diem iure præſcriptum, ſententiam protulit in Columnios vt læſæ Maieſtatis reos; Pompeio Purpuram abrogauit, eorumque pagos direptioni conceſſit.

* Ex relatione Contilori.

Sed conſilium ardentius quidem quàm cautius minimè comprobauit euentus. Cardinalis primò commonitionem, dein ſententiam deſpexit, acerbaſque Cæſaris literas, ad Clementem eiuſque Senatum ſcriptas, typis euulgandas curauit, publiciſque libellis Romæ affixis, ad Concilium prouocauit, Spiræ, vt ipſe dicebat, celebrandum. Non quòd vere tunc ageretur de conuocando ibi Concilio, ſed quoniam in commemoratis literis, vt expoſitum eſt, aiebat Cæſar, ſe ex obſeruantia in Romanam Sedem prohibuiſſe Spiræ Conciliabulum, vrgebatque altera ex parte, vt cogeretur Concilium, ſeu à Pontifice ſeu à Senatu Purpuratorum; quod ſi id neglexiſſent, ipſum per ſe remedium adhibiturum. Hinc Pompeius rei fortaſſe haud plenè conſcius, aut minas ſpecioſiùs obuoluens, per nouum Conuentum Spiræ verè habendum, ad Concilium Spiræ celebrandum prouocauit; perinde ac ſi Cæſar mutato conſilio ibi cogere meditaretur: adeoque ſimul ita oſtendebat, ſe non prouocare ad Concilium merè poſſibile; ſimul timorem Pontifici incutiebat quâdam machinâ non imaginariâ, ſed imminente; quæ tamen non alio quàm enarrato nitebatur fundamento: eaque propter Suauis, qui rem hanc minimè percepit, fatetur à ſe numquam fuiſſe cōpertum, quidnam ageretur negotij in conuocando Spiræ Cōcilio. 3

Romam

4 Romam intereà rediit, vnde à Pontifice missus ad Carolum fuerat, * Franciscus Quignonius, qui tunc ab Angelis dicebatur, Minorum Generalis Minister, & cum eo Cæsar Ferramusca: hi literas à Cæsare humanissimas suâ manu scripras deferebant, quibus Pontifici testabatur, sibi esse in animo cum eo reconciliari. Commissa Quignonio mandata hæc fuere: Cuncta Pontifici restituenda, tametsi pessumdatam Pontificiam ditionem, vbi esset regressus, offenderet: Cæsarem nec sibi nec fratri suo vllam velle accessionem fieri, ne vnius quidem vlnæ telluris Italicæ: Sfortiæ caussa committeretur Iudici à Pontifice ac Cæsare ad id destinato; & si probaretur innocens, Principatus illi restitueretur; sin autem reus, Borbonio concederetur: In Italia pax haberetur: Regi Galliæ filij redderentur, persoluto, quod ab ipso offerebatur, libertatis pretio. His conditionibus confestim Pontifex assensus est, vt qui molimina Insubriæ cernebat minùs prosperè procedere, ac supra modum à sumptibus periculisque abhorrebat. 1526. 1527.

* Vide de hac re etiam Lucá Wadingum, tom 8. Annalium.

5 At Cæsaris in Italia Ministri alias pactiones Pontifici grauissimas adiecere: quocircà cùm pax componi non posset, Clemens voluntate Cæsaris fretus, sibi per literas significatâ, inducias suis rebus perincommodas confecit, interuentu Lanoiæ, Proregis Neapolitani: atque quò cautius ageret, voluit & à prædictis Caroli Nuntiis, & à Prorege, & à Borbonio, copiarum Cæsaris in Insubria Duce supremo, reddi certior, satisne foret cum Prorege sibi conuenire, an opus esset seorsim quoque cum Borbonio pacisci. Et quantum idem asserit inter mandata Farnesio tradita, responsum est ab omnibus tamquam certum, pactionem cum Prorege satis futuràm.

6 At verò Cæsareus exercitus apud Insubres elatus victoriis, stipendiorum penuriâ contumax, infensus Pontifici, quippe magna ex parte Germanis hæreticis conflatus, ductore Georgio Franspergio, acerrimo Lutherano, atque ipse etiam Borbonius supremus illius imperator, sancitas cum Lanoia inducias recusarunt. Cùm autem non auaritiæ modò, sed ne fami quidem satis pabuli suppeteret in Insubria, per ipsos deuastata potiùs quàm debellata, spe Romanarum opum alebantur, quæ re ingentes, vulgi tamen (vt assolet) opinione in immensum excreuerant. Ita indigentiâ simul & auaritiâ stimulati, commeatum transitumque præbente Ferrariæ Duce, cui depressio Pontificis satis placebat, supremum sibi ius in Mutinam Rhegiumque tribuentis, Romam versus per Ecclesiasticam ditionem magnis itineribus contenderunt.

7 Fœderatorum copiæ ad Pontificem tuendum languidissimè processerant,

1527. cesserant, tum quòd in ea virium imbecillitate militum Præfecti magis suarum rerum in Insubria satagebant; tum quòd animum Clementis adeò pacis auidum intelligebant, vt Nuntium in horas expectarent compositæ inter illum ac Cæsarem pacis, vnde ipsi collati auxilij operam perdidissent.

Pontifex in huiusmodi angustiis deprehensus, quò in fœderatis ardorem cieret, nouum cum iis fœdus stabiliuit, quinto vel sexto ante suas ærumnas die; at sine fructu. Nam Cæsariani, nullo per vias obice retardati, Romæ verò modicam nacti propugnatorum vim, minusque consilij, Orbis Christiani Regiam expugnarunt, ac diripuerunt, nihil planè parcentes sanctitati seu vasorum, seu locorum, seu graduum, seu professionum; nihil ætatis vel sexus innocentiæ; nihil denique factionis amicitiæ, quando Hispani quoque Cardinales nihilo mitiùs quàm reliqui accepti: tantâque vbique immanitate sæuitum est, vt vel in Turcarum diripienda Regia nimis barbara crudelitas illi par haberetur. Verumtamen neque Franspergius eo spectaculo frui potuit, cuius auiditate captus è Germania descenderat, oppignerato etiam patrimonio, quò milites quibus præerat conduceret, secum etiam laqueum gerens auro illitum, Pontificis gutturi ab eodem impiè destinatum: neque Borbonius nefastæ victoriæ superstes fuit. Prior enim paralysi correptus, necesse habuit Ferrariam deduci morbo coactus, antequam exercitus Romam perueniret: alter verò in ipso ingressu ictus plumbeo globo minoris tormenti, animam efflauit infelix perduellis in duo suprema Capita, quæ in terris erga ipsum Dei vicem obtinebant. Pontifex cùm in arcem confugisset, nec satis virium ad resistendum haberet, Aurantio Principi, qui Borbonij loco exercitui præerat, se dedidit; ab eo autem non solùm arctè, sed acerbiùs etiam habitus in custodia. 8

Expectabatur intereà quid Cæsar de ipso Pontifice decreuisset. Ille tam grauis & inopinatæ rei nuntio anceps hæsit. Hinc horror eius animum occuparat, ob innatam Religionem, offensionemque generis Christiani: hinc consumptâ victoriis pecuniâ, nulla ipsi occurrebat ratio, quâ milites, ob merita nec soluta stipendia querulos, in officio contineret, nisi pretio redimendi captiui. Intelligens prætereà, libertatis beneficium longè impar offensionis grauitati futurum, timebat à tanto hoste libertati reddito parem iniuriæ vindictam. Quapropter facinus quidem execratus, festiuam Aulæ speciem ob natum filium in vestes lugubres commutauit; sed copiarum Ducibus iniunxit, vt eâ ratione Pontificem liberarent, quâ stipen- 9

ſtipendia militibus debita perſoluerentur, ſibique cautum foret, ne quid ex ea indulgentia detrimenti eſſet paſſurus. 1527.

10 Hæc ambigua Cæſaris mandata, tametſi honeſtiorem ad ſenſum traxerint pro auita generis magnanimitate Columnij, qui Patriæ cadauer inter palmas deplorabant, ſimulque angebantur inuſtâ ſupremò ipſorum Principi tam enormis ignominiæ notâ; inhumaniore tamen ſubtilitate ea ſunt interpretati & executi Duces Cæſariani: adeoque plures menſes in cuſtodia Pontificem habuere; nec inde liberum dimiſere abſque ingenti auri vi, multiſque arcibus acceptis ab eo, tamquam pacis obſidibus.

11 Verùm illi exercitui execrandis frui ſpoliis non licuit, cùm penè totus abſumptus peſtilentiâ ſatis breui perierit. Moncada verò, præcipuus mali auctor, ac medicinæ ſubmotor, paulò pòſt infeliciter clauſit diem, in prælio nauali vndis abſorptus. Hoc pacto noluit Deus, vt victi calamitas in victoris proſperitatem abiret.

Guicciardinus lib. 19.

12 Nihil diligentiæ prætermiſerat Caſtilioneus, Nuntius, in Cæſaris mandatis pro libertate Pontificis ſolicitandis: & præter priuatim adhibitos apud Carolum deprecatores ex Hiſpaniæ primoribus, tam Eccleſiaſticis quàm laicis, * curauit etiam, vt Epiſcopi lugubri amictu vnà ſupplices adirent Cæſarem, enixeque peterent ipſorum Capitis libertatem. Sed hæc officia ex ſententia ſatis progreſſa vbi Aulæ Cæſareæ comperta, ſunt illico interturbata, ceu quædam ſpecies ordinis nimis commoti.

* Literæ Nuntij Burgis ad Clementem, 16. Decembris 1527. in 1. tom. Liter. ad Principes.

13 Poſtremò, poſt eas retardationes, quibus Hiſpanica conſilia ſuos concipiunt fœtus antequam pariant, præſertim in ſummis negotiis, efficacia Cæſaris mandata Romam deuenere. Per hæc, operâ in primis Pompeij Columnæ, iam à Pontifice in gradum priſtinum reuocati, in pactionibus cum Cæſareis, & Generali Miniſtro * 26. Nouembris anno 1527. ſolenni ſtipulatione compoſita pacificatio, ſubſcribentibus hinc Pontifice & Patribus Purpuratis; hinc Moncadâ iam Neapolis Prorege, & memorato Minorum Præſide Generali (qui acceptâ poſteà à Clemente Purpurâ, Cardinalis S. Crucis eſt appellatus) ac Petro Veirâ, Cæſari à Cubiculis, quem ad hoc miſerat Carolus, cum literis etiam ad populum Romanum, ſenſum doloris præ ſe ferentibus, ſimulque conſolationem ac promiſſa præbentibus.

* Nō vltima Octobris, vt narrat Guicciardinus.

14 * Summa concordiæ erat: Cæſarem ægrè tuliſſe, arma in Pontificem & Vrbem illata, ceteraſque vexationes, quibus Pontifex variique Cardinales ac Præſules affecti fuerant. Exercitum ſine duce, ſine lege, propriâque cupiditate compulſum ea omnia perpetraſſe,

* In Tabulis Vaticanis, collectis à Contiloro, in libro cui titulus eſt, *Hiſtoria pro Concilio Tridentino*, pag 5.

1527. trasse, non solùm ignaro, sed inuito Cæsare; cui semper in animo fuerat, Pontificem tamquam Patrem reuereri, ac tamquam Christi Vicarium venerari; adeoque ad primum indigni facinoris nuntium mandasse, vt compressâ quantum fieri posset licentiâ, pristina dignitas Apostolicæ Sedi, non in Sacris modò, sed in profanis etiam redderetur. Cùm autem nihil ipse optaret ardentius, quàm inter Christianos pacem, communem in Turcas expeditionem, & Ecclesiæ solatium atque concordiam, ad quæ supra cetera conducere videbatur Vniuersale Concilium; idcircò illud in primis statuendum, vt Pontifex sacrumque Collegium omni studio ac fide Christianorum pacem conficiendam curarent; ac prætereà, quò refloresceret Ecclesia, Lutherique hęresis extirparetur, Generale Concilium indicendum *cum debitis* (vt aiebat) *& legitimis modis, & loco debito, & cum earum rerum obseruatione, quæ iura exposcunt, omniq; quâ fieri posset celeritate:* Vel certè, vt Pontifex ac Patres pro virili Principes compellerent tam ad pacem conficiendam, quàm ad Concilium congregandum.

Haud equidem miror, hanc conditionem, à me in tabulis huius concordiæ perlectam, ab aliis Historicis prætermissam fuisse, 15
tamquam rem minùs spectantem ad præcipuum ipsorum argumentum: at è contrario hoc silentium in Suaui arguit nimis mutilam rerum notitiam; quippe qui dum alia peculiaria recenset, quæ tamquam parerga ab eo inseruntur historiæ; de hac re, quæ solùm ad ipsius institutum pertinebat, nihil mutit.

CAPVT XV.

Quid apud Pontificem Rex Angliæ tentauerit, quò matrimonium suum irritum declararetur. Et Campeggij Legatio.

1528. EGressus ab arce Pontifex, Vrbem Veterem adiit, situ mu- 1
nitissimam, & bidui itinere Româ distantem. Eò ab Henrico Anglorum Rege Legati aduenere, summa quæque pollicentes, sed vnà rem grauissimam postulantes. Henricus, vti diximus, secundo loco natus maiorem fratrem habuit Arcturum Principem. Huic pater Henricus Septimus (non Odoardus, vti fallitur Guicciardinus) nuptui dedit Catharinam, Ferdinandi & Isabellæ Regum Catholicorum filiam, & sororem natu minorem Ioannæ Caroli V. matris. Sed intra paucos menses extincto Arcturo, Rex Angliæ impetrato Ferdinandi consensu, & à Pontifice Iulio

Guicciardinus lib. 18.

lio Secundo legis Ecclesiasticæ solutione, eamdem Catharinam Henrico Secundo filio, ad quem primi iura deuenerant, matrimonio iunxit: nuptiæ tamen non nisi post mortem patris à sponso peractæ. Multiplex ex his virilis proles suscepta, sed nulla infantiam transgressa; femina solùm superstes fuit Maria nomine, quæ aliâ tempestate, vt narrabimus, Angliæ Regno potita nupsit Philippo Secundo, Caroli V. filio. Hæc ergo Maria, quippe successioni proxima, Princeps Walliæ à parente dicta est; qui titulus eam sonat dignitatem in magna Britannia, quam in Gallia nomen Delphini. In Catharina verò Henrici coniuge cuncta illa prælucebant decora, tam Regiæ quàm Christianæ præstantiæ, quæ ad amorem venerationemque sibi conciliandam plurimum valent. Atque is erat Regiæ familiæ status. 1528.

2 Apud Regem magistri potiùs quàm ministri partes agebat Thomas Volseus, qui ex humili ortu, ingenij vi, artisque subtilioris industriâ, Regis gratiam, rerumque administrationem aucupatus, ad summos gradus adeò enisus fuerat, vt Henricus magni Cancellarij potestatem, potissimamque in Anglia Eboracensis Ecclesiæ dignitatem in eo collocarit, tum Vaticani Senatus Purpuram, ac demum in vniuerso Regno Legati à Latere auctoritatem eidem obtinuerit.

Vide Sanderum de Schismate Anglicano, Spondanum, aliosque Historicos illius ætatis.

3 Hunc hominem, quippe supremum regiorum consiliorum arbitrum, Cæsar aliquamdiu perhonorificis scribendi formis est prosecutus; cuius nimiùm intererat Anglum sibi coniunctum præstare inter durissima certamina cum Galliæ ceterorumque æmulorum potentia. Sed diminuto periculorum metu, diminuta pariter honoris officia: quod Volsei animum acerbè commouit. Ea de causa (nisi fama malignè obstrepat) ex acutâ mentis acie magnum quiddam moliri cœpit, tum quò Henricum à Cæsare extra omnem reconciliationis spem seiungeret, tum quò cum illius hostibus coniungeret, tum etiam quò de suo Rege simul ac natione benè mereretur. Venit itaque illi in mentem, quo tempore Legis Ecclesiasticæ solutio fuit impetrata, vt Henrico nuberet Catharina, dubitatum fuisse priùs Alexandri VI. ætate, posteà Iulij II. an per Summum Pontificem id liceret; cùm Diuina Lege cautum sit in Leuitico, ne frater alterius fratris turpitudinem reuelet, & Ioannes Baptista Herodem corripuerit, ob iunctam sibi sui fratris vxorem.

4 Sed ad hæc perspicuè responsum. Etenim, vt maritalis coniunctio inter Catharinam & Arcturum intercesserit, quod & ipsa pernegabat, & validissimæ coniecturæ refellebant; obiurgatio Præcursoris in eum recidebat, qui veram fratris sui viuentis adhuc

1528. vxorem ſibi copulauerat; & Leuitici prohibitio in eam ſententiam trahi nequit, cùm in Deuteronomio iubeatur frater excitare ſemen fratris demortui. Præterquam quòd, vtcumque res eſſet, hæc ſecunda Lex, quippe poſterior, priorem aboleret, palamque faceret, alteram non eſſe inter naturæ vetita & immutabilia, ſed inter iudicialia, quibus ille ſolùm populus, non item Chriſtianus obſtringeretur. Quod ſi hoc naturæ lege interdictum eſſet, Patriarcha Iudas Onæ filio minimè præcepiſſet, vti ſibi connubio iungeret Tamarim, viduam ex obitu maioris natu fratris. Nihilominùs diſputationes tunc habitæ ſuper ea re pro ingeniorum varietate in opinando, ambitioneque non minùs implicandi difficultates in enodi negotio, quàm in complicato ſoluendi, opportunitatem obtulere Volſeo exſuſcitandæ controuerſiæ; in qua ſperabat habiturum ſe tunc Doctores Anglicos tam procliues ad improbandas tamquam irritas eas nuptias, quò Regi morem gererent, ac virilem eidem ſobolem, patriæ verò Principem ibi natum conquirerent; quàm procliues fuerant ad eaſdem comprobandas, cùm Regi Regnoque erant acceptæ, quò Reginam obtinerent omnibus prærogatiuis inclytam, adeoque cunctis optabilem. Spem etiam conceperat, per eam opportunitatem Regis animum alliciendum ad nouas nuptias cum Franciſci Galliæ Regis ſorore, Alençonij Principis vidua, ſuâque operâ Gallicarum omnino partium euaſurum.

Idcircò ſub ſpecie religionis cum Regis Confeſſario diſſeruit 5
de irrito matrimonio Regis, & quà conſilij quà potentiæ auctoritate hominem adduxit, vti rem ſecum concorditer Henrico proponeret. Iuſſu deinde Regis quæſtione occultiſſimè exagitatâ, non deerat, vti ſemper accidit, ex Theologis & Iuriſconſultis, qui ex eius voto ſentiret. Hinc Volſeus perſuaſit Epiſcopo Tarbienſi (qui paulò pòſt ſacrâ Purpurâ ornatus eſt) tunc à Rege Gallorum in Angliam Legato, ad nuptias Mariæ Henrici filiæ, cum Aurelianenſi Duce, Franciſci ſecundo filio depoſcendas, vt priùs improbato tamquam irrito Catharinæ connubio, nouum ſuggereret cum Alençonij vidua; quod facilius videbatur, eſſetque accommodatius ad Anglum à Cæſare firmiter abalienandum.

Rem Tarbienſis ita perfecit, vt Henricus in Galliam Volſeum 6
miſerit, vulgò dictum ab Epiſcopatu *Cardinalem Eboracenſem*; publico quidem nomine, vt iunctis cum eo Rege viribus, Pontificis liberationem conſequeretur, at cùm occulto mandato, ut communi nomine Pontificem vrgerent, ad declarandum irritum coniugium cum Catharina, vtque nouæ Regis nuptiæ firmarentur cum Marga-

Sanderus in libro 1. ſchismatis Anglicani, & Spondanus ano. 1528. num. 8. 9. 10.

Margarita Alençonij Ducis vidua, & Francisci Regis sorore; 1528.
non autem cum Renata Ludouici XII. filia, vt narrat * Guicciardinus. * Lib.11. citato.

7 At iter facienti adhuc Volseo superuenere ab Anglo mandata, vt cetera quidem perficeret, sed abstineret à noua coniugis designatione. Hinc ille satis gnarus arcanorum Henrici, atque ingenio acer, id quod erat suspicatus est; sed emissum iam à se telum tempori retinere non potuit: quod & Regis & patriæ salutem, & propriam ipsius fortunam lethaliter vulnerauit.

8 Henricus, vt erat molli animo & effeminato, adeoque indulgens libidini in se dominanti, ardenter id temporis deperibat quamdam ex Aulæ puellis, Annam nomine, Thomæ Boleni ex equestri ordine filiam. Illa verò, quàm solers in adeò præcelso amatore illecebris inescando, tam ambitiosè studens, eum sui corporis idololatram, non dominum detinere, numquam suimet copiam Regi consensit, quam aliis amatoribus sibi placentibus sui satis prodiga largiebatur: sicut fama vulgauit, sumptumque posteà de illa tamquam impudica supplicium persuasit.

9 Statuit itaque Rex, Regiæ Coronæ pretio, cùm aliter non liceret, eam coëmere; inductoque Francisco Rege, vti secum vnà apud Clementem rem vrgeret, ac dissimulato quò collimabat scopo, suis apud Pontificem Oratoribus impensissimè demandauit, vt negotium strenuè promouerent. De Clementis voluntate summa quæque, nec temerè, sibi pollicebatur. Nemo siquidem ex Christianæ Reipublicæ Principibus animum præ se tulerat vel constantiorem, vel beneuolentiorem in Pontificatum, eumque Pontificem. Ceteros Principes, vtpote suamet commoda in Italia spectantes, & priores Pontifices, & Clemens sæpè tamquam hostes, semper tamquam suspectos habuere. At verò Anglus, cupidus ne suorum æmulorum opes augerentur, atque ab omni erga Pontificem æmulatione in rebus profanis liber, semper quà officiis quà armis eum sustinuerat; adeò vt Clemens in quibusdam [a] Commentariis à me perlectis testatus fuerit, se cum eo Rege tum ex animi beneuolentia, tum ex acceptis beneficiis summopere esse coniunctum. Posteà verò dum carcere clauderetur, non solùm Rex per armatas preces ac denuntiationes [b] eius liberationem apud Carolum solicitare studuit; sed per pecuniæ subsidia illum adiuuit. Erat insuper in Clemente cicatrix nondum satis obducta acerbissimi vulneris à Cæsare inflicti, ex quo minùs difficilis videbatur ad peragenda quæ Carolo displicuissent. Præterquam quòd Henricus, ad abstergendum nouæ

Sanderus lib. citato.

a In capitulis pacis cum Prorege post Ticinense prælium.

b Gaspar Contarenus, Venetus Legatus, posteà Cardinalis, in relatione suæ Legationis contenta in lib. 63. Instructionum ad Concil. Trident. in Tabulario Vaticano.

1528. uxæ à Cæsare iniuriæ metum, * Clementi quatuor millia peditum ad custodiam obtulit, ære suo conducenda.

* Guicciardinus lib. 18. & Sanderus lib. 1.

Per hanc ergo fiduciam ex Pontificis propensione, Rex illi iussit per suos Oratores exponi, se in eo connubio conscientiæ aculeis pungi, ex iis quæ sibi fuerant explorata per viros doctissimos ac pios suæ ditionis. Et quamquam sibi licuisset, ibidem à Iudice ordinario rei declarationem exposcere; tamen ne sententia Christianis nationibus videretur ex timore seu assentatione potiùs, quàm ex iustitia prolata, Pontificem obsecrare, vt eam causam committeret in Anglia duobus Legatis Pontificiis, Cardinali videlicet Eboracensi, qui aderat ibi Legatus à Latere ac Primas illius Regni, & Cardinali Campeggio, qui sub Leone ibidem pariter legationem obiuerat. 10

Hæc Regis petitio (quantum coniecturâ ducor) Clementi prorsus improuisa non accidit. * Etenim aliqua mihi sunt indicia, Cæsarem scilicet, cùm sibi suboluissent occulta Regis consilia, iniunxisse Ministro Generali Minorum, postularet suo nomine à Pontifice, adhuc in arce detento, vt pro potestate caueret, ne quid de huiusmodi diuortio tentaretur; Pontificem verò, vbi primùm liber dimissus, dedisse negotium Gambaræ, suo apud Anglum Nuntio, vt quid ea de re agitaretur diligenter peruestigaret. 11

* Vide in libro Literarũ ad Principes, Epistolam Sangæ ad Gambaram, 19. Febr. 1528.

Clemens, tametsi rem arduam animaduerteret, tamen tot pressus angustiis, ausus non est huiusmodi Patronum de se tam benemerentem, præsenti repulsâ atrociter vulnerare; sed studiosissimis verbis benignè promisit, quidquid sibi in eo liceret, Regis gratiâ se perfecturum: simul ad rem discutiendam Purpuratos aliquot, aliosque viros doctrinâ præstantes delegit, qui nec prætensa irriti matrimonij argumenta comprobarunt, neque causam in Anglia cognoscendam censuerunt. 12

Hoc posterius Oratoribus Anglis durius videbatur, adducentibus omnium causarum exempla, quas per ordinarios cuiusque regionis Iudices decidi licet. Nec obstare in præsentia suspicionem, quâ posset commoueri Regina, ne quid iniustè pateretur; quippe, vt aiebant, adeò ab humanis affectionibus animi libera, adeoque per precum assiduitatem, suique afflictationem diuinis rebus addicta erat, vt libenter sacrarum Virginum Claustra subitura videretur, vt ibi soli Deo viueret. 13

Cùm autem intelligerent Oratores, ob rationes à Cœtu Pontificio adductas nimis arduum esse, Catharinæ nuptias tamquam iure Diuino interdictas iudicatum iri, propterea quòd in eo iudicio 14

falsum

falsum dogma inuolueretur Diuinis Literis repugnans, Iuliique II. iudicium redargueretur, aliò confugêre; & per fucatas rationes conati sunt, solutionem Legis Ecclesiasticæ à Pontifice impetratam prætendere tamquam subreptitiam. Et quamuis singulæ leuiores viderentur, cùm tamen nulla inde consurgeret nouitas vniuersalis doctrinæ, Clemens ex noui cœtus Cardinalium ac Theologorum sententia satius existimauit, rem Legatorum conscientiæ permittere, sed accedente Catharinæ consensu. Considerabat quippe, si ea consentiret, licere illis fortasse ad publicam Regni adeò benemeriti vtilitatem reipsâ agere, ad normam opinionis quamuis minùs probabilis, ex theoricis rationibus. 1528.

15 Legatum itaque in Angliam nominauit Campeggium, Regi acceptissimum, qui præter veterem cum eo consuetudinem, ex eo Regno reditus percipiebat Sarisberiensis Ecclesiæ sibi collatæ: causam illi vnà cum Eboracensi Cardinali demandauit. Quare ad Regem Galliæ scripsit, se pro summis beneficiis, quibus Henrico se agnoscebat obnoxium, quæcumque tandem obstacula rei peragendæ remouisse, præsertim quòd intelligeret eam vti propriam ab ipso pariter haberi, neque quidquam posse duobus huiusmodi Regibus à se negari: postremò vtrumque rogare, vt ipsi vicissim vrbes Pontificias, inter calamitates suas à Venetis occupatas, sibi restituendas curarent.

Viterbio 19. Iunij ann. 1528. in 2 tom. Liter. ad Princip.

16 Tria Clemens Campeggio mandauit. Primum, vt omni conatu studeret coniugibus ad pristinam beneuolentiam reuocandis. Quod satis ostendit, neutiquam optasse Pontificem vlcisci Cæsarem, vti literis tradiderunt quidam ex iis scriptoribus,* qui veri arcana ignorantes, quod credibilius est venditant populo, sibi persuadendi, cunctis in hominibus ea inesse sensa, quæ in seipso experitur. Secundum, vbi nulla reconciliatio esset sperabilis, suadere niteretur Reginæ, vt inter Sanctimonialium Claustra se reciperet, ad vitam in tuto collocandam. Quòd si neutrum processisset, tertiò imponebat, vt rem protraheret, ea beneficia præstolaturus quæ tempus parere consueuit, nec Iudicis vmquam personam assumeret pro Tribunali.

Sanderus lib. 1. & Epist. Sanga à Senatu Pontific. infrà citanda. * Iouius lib. 27.

17 Noui equidem, Guicciardinum, quem posteà complures, ac præsertim Suauis, secuti, referre: Traditum fuisse Campeggio diploma, quo Regium connubium irritum declarabatur, eà gratiâ, vt Regi latenter ostensum, beneuolentiam erga Pontificem eius in animo foueret: sed iniunctum Legato, ne illo priùs vteretur, quàm à Pontifice disertè imperatum fuisset; quod diploma posteà an. 1529.

Guicciardinus lib. 19.

iussu

1528. iuſſu Clementis per hominem certum ad Campeggium delatum, combuſtum Henrico indignante. Verùm hæc narratio nec ex auctoritate, nec ex ſimilitudine veri fidem meretur. Non quidem ex auctoritate; quoniam Guicciardinus, qui primus illius auctor extitit, & in quo minùs abeſſet à probabili huiuſmodi arcani notitia, ſe prodit parciſſimè conſcium huius rei; vt qui non modò labitur, aſſerendo nouas Henrici nuptias agitari cum Renata Ludouici XII. filia, quod iam obſeruauimus, ſed tamquam indubitatum ponit, maritalem Catharinæ cum Arcturo copulam, quæ ſemper tamen conſtanter eſt pernegata; & in literis Pontificiis, facultatem ad nuptias cum Henrico indulgentibus, expreſſa cum particula *forſitan*, quò magis cautum foret, & omnis dubitatio ratæ facultatis amoueretur. Affirmat pariter, ex Catharina & Henrico vnicam virilem prolem exortam; cùm tamen ea multiplex fuerit. Ex altera parte, Sanderus & Riſthonus, Anglicarum rerum ſcriptores non minùs copioſi, quàm edocti de tranſacto negotio, ne minimum quidem veſtigium rei tam memorandæ ſuis in paginis reliquerunt. At veri diſſimilitudo liquet ex pluribus: Primò; cùm Legatorum nomine ſententia fuiſſet pronuntianda, quìnam Pontificem decuiſſet cauſam per ſuum diploma decidere? Secundò; quo pacto potuiſſet hoc diploma pro iniuſto & irrito non haberi, ante diſcuſſam legitimè cauſæ quæſtionem, ante auditas partis alterius rationes confectum? Tertiò; nónne idem meliùs obtinuiſſet Pontifex, traditis priuatim mandatis Campeggio, Regi clàm patefaciendis, per quæ eiuſmodi ſententiam ferret? Quartò; Clementis ingenium in primis cautum, quis vmquam non temerè credat citra vllam neceſſitatem fuiſſe adductum, vt diploma tanti momenti ſignaret, mitteret, regique inſpectandum mandaret, qui tum arte tum vi potuiſſet eo potiri, & confeſtim quod ardenter optauerat adipiſci, cum immenſo Pontificis pudore atque infamia? Poſtremùm; comperio, poſt abitum Campeggij ab ea legatione, mutua in rebus aliis literarum ac fiduciæ officia inter eum & Henricum interceſſiſſe; quod minimè contigiſſet, ſi per eam occaſionem offenſum illi animum Henricus geſſiſſet.

Suaui tamen ſua debetur excuſatio, quòd intento ſemper animo 18
ad Pontificem onerandum, ſcriptorum haud vulgarium teſtimonio adhæſerit. Sed maior illi debetur laus ſingularis modeſtiæ ab Henrico Rege, cuius libido in eius repudio, propter nuptias tam abiectas, à reliquis omnibus vituperatur, ab eo tantummodò illibata præteritur. Hic auctor maledictorum prodigus, in Pontificem & Ca-

& Catholicos adeò inuehitur, vt ne obolus quidem illi superſit, 1528.
quem hæreticis atque ſchiſmaticis impertiat. Alioquin admirationi foret, ab eo inter veriſimiles cauſas, Regem impellentes ad exoptandam primi coniugij ſolutionem, ne leuiter quidem indicari perditos in Bolenam amores. Enimuerò quòd Suauis reticeat opinionem, per quam Anna Bolena eiuſdem Regis filia habita eſt, non admodum reprehendam. Nec mihi lubet hic hominem arguere, quòd nihil pariter loquatur de credita inter ipſam ac Regem affinitate in primo gradu, ex præcedente illius commercio cum Annæ ſorore; tametſi non modò eam enarret Sanderus, ſed productis teſtimoniis Cardinalium Poli & Caietani comprobet, Regem occultè impetraſſe à Pontifice, vt eo nuptiarum impedimento abrogaretur. Verùm quòd huiuſmodi ſcriptor, qui ex muſcarum ingenio ſemper ad ſaniem ac putredinem, quamuis pictam, recurrat, ſilentio obuoluerit inſolentiam tam enormis libidinis, quæ vel ipſis hæreticis ſtomachum mouerit, heroïca profectò ſcribentis moderatio cenſenda eſt; cùm certè in Vaticana Bibliotheca perlegantur amatoriæ Henrici literæ ad amicam, in quibus miſerabilis peruerſio Regis in mancipium apparet. Nec huiuſmodi Suauis ſilentium adſcribi poteſt reuerentiæ in Iacobum Angliæ Regem, cui librum inſcribendum curauit. Iacobo enim filio Mariæ Stuardæ Reginæ, cui crudeliter caput abſciſſum fuerat ab Eliſabetha, illius thori progenie, eiuſdem connubij memoria execrabilis erat. Quocircà illud conficiatur oportet, perduellionem in Pontificiam auctoritatem id conſequi apud Suauem, quod martyrium obtinet apud Deum, cuiuſuis noxæ labe detersâ, & pœnâ condonatâ.

CAPVT XVI.

Noua Pontificis cum Cæſare coniunctio.

1 IAm verò narrationis ſeriem repetamus. Nullo pacto Clementis ingenio aptari poterat, videri ſe tamquam auctorem illius ſententiæ, quæ Caroli V. materteram dedecoraſſet; quippe qui callebat optimè commune documentum, numquam ita ſimultates exercendas, vt nullus reconciliationi locus relinquatur. Et ſanè eâ tempeſtate deſiderium Cæſar præ ſe gerebat contrahendæ rurſus amicitiæ cum Pontifice, quâ eam notam aboleret adhuc inhærentem ſibi ante Chriſtiani generis conſpectum. Nec auerſum ab illa animum nactus eſt apud Clementem, prudentiæ magis fræno coërcitum, quàm iræ ſtimulis incitatum. Sed ea eſt humani iudicij li-

1528. centia, vt vtrumlibet in ea deliberatione consilium capesseret, vel iræ commotioni, vel commodi cupiditati tribuendum fuisset. Maluisset ille quidem [a] neutrò propendere; quod optimè congruere arbitrabatur idonei pacificatoris muneri, quodque visum est initio à Cæsare pariter comprobari. Atque in hanc sententiam respondit hinc Longeuallio Vrbe Vetere, [b] ipsum ad Gallorum Anglorumque partes acriter stimulanti; hinc Nuntio Neapolitano, [c] Proregis amicitiam eius nomine suadenti. Duo tamen apud se statuerat Clemens: Alterum, erepta per eos motus Sedi Apostolicæ oppida recuperare: alterum, iustam in Italia pacem firmare; adeoque certum habebat in animo cum aliqua ex factionibus se coniungere, vbi ad hæc duo consequenda id opus foret; quod ille satis vtriq; testatus est. Verùm Cæsar ex altera parte 3. Augusti anno 1527. cùm ab arce Pontificem dimitti iussit, eum vnà secum Barcinonem inuitauerat, [d] amplissimè pollicitus, ipsum rerum omnium supremum arbitrum à se constituendum; atque ad primos eius libertatis nuntios ipsi gratulatus est literis obsequentissimis suâ manu conscriptis, [e] quibus profitebatur, quantùm doluisset ereptam illi citra suam noxam priùs libertatem, tantùm posteà lætatum eâdem suo iussu ipsi restitutâ; offerebatque suas omnes vires ad reparandam & ipsius & Apostolicæ Sedis dignitatem, multò impensiùs quàm ad sua ipsius commoda promouenda; quæ fusiùs erat expositurus vir illi acceptus, quamprimùm à se delegandus: interim verò ipsum orare, ne se abduci pateretur oblocutionibus hominum suis cupiditatibus seruientium.. Atque ad hæc confirmanda, eadem posteà à Ministro Generali Minorum efficaciùs oblata sunt. At non idem in æmulis Caroli emicabat ardor. Vnde Sanga, Clementi à Secretis, [f] ad Campeggium in Anglia Legatum scripsit; Pontificem, cùm animaduerteret fœderatos nullâ ope curare, vt oppida in Prouincia Flaminia à Venetis intercepta, Mutina etiam ac Rhegium à Ferrariæ Duce retenta, Ecclesiæ redderentur, violenter adigi, ne ampliùs medius & neutrius partis esset, quemadmodum aliquamdiu perstiterat, & se perstiturum optasset. Proinde inculcabat, vt per officia Henrici Regis Gallus solicitaretur, quò eius ope Ecclesiæ oppida recuperaret, ne cogeretur in patrocinium Cæsaris sese tradere.

Verùm Galliæ Rex, cuius armis improspera cesserat Neapolitana expeditio, nolebat illos Principes irritare, [f] nec nisi filiorum restitutionis satagebat. Pontifex verò suo doctus detrimento, quod ex præoccupato à Gallis fœdere cum Cæsare passus fuerat, illud componere maturauit: eoque potissimùm, quòd spectato Religionis negotio, 2

a Literæ arcanis notis datæ ad Arcellum Neapoli Nuntiū, 16. Maij 1529. in 2. tom. Liter. ad Princ.
b 9. Februarij 1528. in eodem libro.
c In citatis Literis ad Arcellum.

d Literæ Sangæ ad Gambaram Nuntium in Anglia Vrbe Vetere, 9. Februar. 1528 in lib. 2. Liter. ad Princip.
e Burgis 27. Nouembris 1527. eodem libro.

f In Epist. cuius initium est, *Literas non habeo*, in 2. lib. Liter. ad Princ.

gotio, satis intelligebat, quantæ offensionis, quantæ confidentiæ 1529. Germanis hæreticis essent dissensiones inter se atque Cæsarem, vnicum in illis Prouinciis Fidei Ecclesiasticæ præsidium. Summoperè quoque Clementem deuinxerant mandata ex Hispania delata à memorato Minorum Præside Generali, [a] quippe libera, nullisque obnoxia pactionibus. Ea erant, vt redderentur Pontifici arces atque obsides, [b] Cæsarianis traditi in illius ab Ælia arce dimissione, appositis etiam Cæsaris nomine aliis beneuolentiæ argumentis.

3 Adiecit itaque animum Pontifex coniunctioni cum Cæsare. Neque id Italiæ quieti vel statui officiebat, propterea quòd honestiori suæ dignitatis specie Cæsar adducebatur ad aliquid indulgendum Sfortiæ in Pontificis gratiam, tamquam communis Parentis, quàm aliorum Principum æmulorum.

4 Hinc falsitatis arguuntur duæ Suauis criminationes aduersus Clementem: Prior; dum blaterat, anno præterito deceptos ab eo mortales simulato pacis, neutroque inclinandi desiderio: etenim Pontifex vsque ab initio vtrique partium respondit per eiusdem sententiæ tenorem, cui posteà res ipsæ concordarunt; vti liquet ex memoratis Commentariis, aliisque eius temporis monumentis. Posterior; dum ait, fuisse antehabitam à Clemente Cæsaris amicitiam, quòd animaduerteret hunc, & non Gallum, opem sibi allaturum fuisse ad Florentiam subigendam. Et tamen constat in conditionibus à Longeuallio propositis ad feriendum cum Gallia ac Britannia fœdus, si fortè Cæsar æquam communemque pacem recusaret, actum quidem de recuperanda Ecclesiæ ditione, sed de subigenda Florentia nihil. Vnde quicumque malignè cauillari non studet, deducere potest, ad priora, non ad posteriora potissimè spectasse Pontificem.

[a] Sunt qui volunt, eum tunc fuisse Cardinalem; sed oppositum probat VVaddingus anno 1528 nu. 1. & sequentibus.

[b] Epist. Iacobi Saluiati ad Nuntium in Hispania, ... Februarij 1529. in 2. tom. Lit. ad Princ.

5 Quapropter sub initium Maij Barcinonem misit [c] Franciscum Schiedum Vicentinum, Episcopum Vasonensem, Pontificiæ Domus Præfectum, sibi fidum & intimum, cum Cæsare acturum: nec multò pòst 20. Iunij fœdus confectum his pactionibus, vt Cæsariani restituerent quidquid Ecclesiasticæ ditionis occupauerant, darentque operam, [d] vti Pontifex vrbes in Flaminia, & insuper Mutinam, Rhegium & Ruberiam recuperaret: sed ex iis pactionibus duæ priores perfectæ, non item tertia.

De Mediolano sancitum, vt si causâ cognitâ à Iudice minimè suspecto Sfortia innocens pronuntiaretur, ad Principatum rediret; sin reus, illi dominio ex consilio consensuque Pontificis, & Italiæ comprobatione, consuleretur.

[c] Epist. Pontificis manuscripta ad Cæsarem, 7. Maij 1529. tom. 2. Liter. ad Princip.

[d] Guicciardinus lib. 19.

Obſtrinxerunt ſe [a] Cæſar & eius frater (iam Rex dictus, ſed [b] non 6
per pacificam poſſeſſionem, Hungariæ ac Bohemiæ, ex obitu abſ-
que liberis Ludouici Regis, cuius ſororem ſibi vxorem duxerat) ad
omnem induſtriam vireſque impendendas, vt hæreticos ad Eccle-
ſiæ obedientiam ſubigerent; ac viciſſim Pontifex ad remedia adhi-
benda Eccleſiaſticæ auctoritati, curandumque, vt ceteri quoque
Chriſtiani Principes ad id opem conferrent. Pollicitus eſt etiam
plurima, quæ reliquis Principibus nihil officerent: cuiuſmodi erant
Decimarum & Cruceſignatorum ſubſidia.

Hîc me iuuat haud præterire, à Florentinis, cùm inter Pontificis 7
infortunia Clementis conſanguineos expuliſſent, eius ac Leonis
imaginibus hoſtiliter conciſis, [c] continuatâque hoſtili oſtentatione
Nicolaum Capponium ſapientiſſimum vexilliferum Magiſtratu
depoſuiſſent, eique Franciſcum Carduccium eo munere indignum
ſubrogaſſent, propterea ſolùm quòd Capponius patriæ conſulens
mollius cum Pontifice eiuſque amicis egiſſet, adeò Clementis ani-
mum fuiſſe commotum, vt æquum ſibi duxerit, familiam ſuam
dignitati priſtinæ reſtituere. Ad id verò ſua quoque arma Cæſar
contulit: & quò arctiùs ſibi hominem deuinceret, Margaritam fi-
liam ſuam notham ſpopondit vxorem, cum pingui prouentu, Ale-
xandro Mediceo notho Laurentij, orti ex Petro Clementis Patrue-
le. Qua in re duo certè obſeruare licet: Alterum, Florentinos, quòd
bis à Pontifice deſciuerint, libertate bis exceſſiſſe; primò, cùm ho-
ſtibus Iulij II. concordes nefarium [d] Conciliabulum Piſis admi-
ſerunt: quâ offenſâ permotus Iulius, ſuum Legatum conſtituit
Ioannem Cardinalem Mediceum, Florentiâ tunc pulſum in exi-
lium cum vniuerſa familia, atque ita gradus ad ſolium extruxit;
quæ res ſub priſtinam Mediceorum auctoritatem Florentinos rede-
git. Secundò, ob cauſam modò narratam: quæ poſtmodum eoſ-
dem præcipites egit, per apertam in Cæſarem contumaciam, ad ſan-
ciendum cum Rege Galliæ fœdus, à quo Rege in Cameracenſi pa-
ce, ob cupiditatem recuperandi liberos, deſtituti, Pontificis ac Cæ-
ſaris armis facilè prædæ fuere. Hi autem ambo Principes, intelli-
gentes, quamcumque illis partem libertatis indulſiſſent intutum
fore, integram ademere. Quod ſi abſtinuiſſent Florentini Pontifi-
cem inter ærumnas conculcare, maluiſſentque nonniſi poſt illius
obitum in Mediceos inſurgere, facilè quidem Alexandrum & Hip-
polytum, haud magni conſilij capita, in ordinem redegiſſent.

Alterum eſt, cùm ea peregiſſet Clemens haud ſine nota exempli 8
non imitabilis, ac per eum rependendæ vicis ardorem, qui excuſari
forſi-

1529.

a Vide Sleidanum lib. 6. anno 1528.

b 25 Iunij vt in lib. cui titulus, *Capitula Nicolai V. Leonis X. Clementis VII.* in Archiuio Vaticano.

c Guicciardinus lib. 19. & fuſiùs Iouius.

d Iouius in Vita Leonis X.

forsitan possit, laudari non possit, eius familiam super patriæ clades euectam, non alios inde fructus excerpsisse, nisi suos inter consanguineos simultates, Alexandri cædem, ac sui generis excidium; traductâ post eius funus per libera Florentinorum suffragia dominatione in aliud Mediceæ stirpis germen, quod in fortuna priuata inter patriæ calamitates innocens perstiterat. 1529.

CAPVT XVII.

Clemens causam Regis Angliæ ad se reuocat.

1 DVm concordia cum Cæsare agitabatur, decreuit Pontifex, causam diuortij ab Anglo intentati ad se reuocare. Pro rei notitia scire præstat; cum Româ Campeggius profectus est, habuisse in mandatis, sicuti narrauimus, vt omnino abstineret, in tam confragosa lite iudicis personam assumere, sed partes amici conciliatoris susciperet. Idemque confirmauerat Pontifex quatuor literis, antequam is in Angliam appulisset.

Epistola arcanis notis scripta nomine Pontificis à Sanga Legato, 29. Maij in 2. tom. Liter. ad Princip.

2 At Campeggius, vbi certò comperit, quæ duo sibi priùs tentanda erant, nullo pacto perfici posse, nimirum vel vt Regem coniugi reconciliaret, vel vt Catharinæ diuortium secessionemque ad Cœnobium persuaderet, quod Regis Oratores tamquam facile colorauerant; difficultatem etiam nactus est ad rem tergiuersatione protrahendam. Henricus enim, amoris aculeis acriter stimulatus, ac pudore perfusus, quòd ab intento totius Orbis theatro in ea scena diutiùs spectaretur, Legatum vehementer vrgebat; quamuis nihil hîc vrgeretur à collega, quippe quem iam pœnitebat præcipitij, in quod imprudenter à se deductum Regem ac patriam sentiebat. Itaque pluribus literis Campeggius Clementem obsecrarat, vt causam ad se reuocaret, & ipsum Legatum his angustiis liberaret; idemque Romæ efflagitabant, per legitimas iuris denuntiationes, Cæsaris ac Ferdinandi Regis Oratores: & Catharina, vtriusque matertera, quodcumque in Anglia tribunal tamquam suspectum repudiabat. Sed Pontifex huiusmodi prouocationibus haud subscripserat, veritus offensionem Regis, quem de se optimè meritum fatebatur, non solùm ob rei profanæ commoda sibi collata, sed etiam ob Religionis tutelam; cuius gratiâ Rex, præter commemorata eius opera, numquam destiterat Saxoniæ Duces ardentissimè cohortari, & tam priùs quàm recenter edicta seuerissima in hæreticos intorserat. Spes igitur inerat Pontifici, fore vt hic Regis æstus, pro eo ac fieri solet, morâ deferuesceret, adeoque se minimè coactum iri, vel simul Iustitiam

1529. & Austriacos lædere, vel amicum Principem à se disiungere.

a Sanderus lib. 1.

b In Literis citatis Sanderus.

c Sanderus lib. 1.

At Campeggius, qui iam 7. Octobris [a] Londinum peruenerat, exposuit Pontifici, sibi, consumptâ cunctarum excusationum morâ, [b] necesse fore post Ferias Pentecostes ad causæ quæstionem accedere; quod posteà peractum est [c] 28. Maij. Eâ re grauiter commotus Pontifex, seuere tunc interdixit Legato, ne quidquam de vllo articulo diiudicaret, pollicitus se illi breuî obsecundaturum in ea causa Romam reuocanda. Hæc mandata, secretis characteribus Campeggio scripta, sine vlla diplomatis illi traditi mentione, & in quibus affirmabatur, ea mandatis eidem proficiscenti traditis consonare, satis poterant Suaui ante oculos ponere (cùm hæc arcanè scripta mandata in edito typis libro perlegantur) errorem historicorum, quos ad perstringendum Pontificem libenter sectatur. 3

Postremò Regina ad iudicium accersita, Iudices & iudicij locum repudiauit, obtentâ suspicione, eâque validissimis rationibus comprobatâ: quocircà Legati, tametsi appellationem non admiserint, adeò lentè progressi sunt, vt interim de re Pontifex edoceretur. Campeggius insuper causatus est consuetudinem Romani fori, cuius ipse administrum agebat, quâ à mense Iulio vsque ad Octobrem feriatur. 4

Tunc Pontifex, intelligens alia quæcumque remedia haud profutura, causam à Legatis amotam Paulo Capisucchio, Romanæ Rotæ Decano cognoscendam dedit, ad se tamen auocatâ potestate ferendæ sententiæ. Eam rem peracerbè Rex tulit, cœpitque de Volsei fide subdubitare, satis gnarus illius apud Pontificem potentiæ, ipsi vni referentem acceptum quidquid Rex in Clementis & Ecclesiæ rem peregisset. Quare suspicatus est, ex destinatæ sponsæ mutatione, mutatam pariter Volsei propensionem ad prioris diuortium, eiusque suasu Pontificem à concessione retractum; quem reperio ante aliquot annos reuerà studuisse cum Volseo, tamquam cum illius Regni arbitro, arcanum commercium contrahere. Ea de causa Rex discedentis Campeggij sarcinas euolui iussit, si quam fortasse occultam Collegæ Epistolam ad Pontificem deprehenderet. Ceterùm suspicionem tunc dissimulauit, nec excidit è spe se voti compotem Romæ futurum. Et Clemens significabat, velle se, quantum fas esset, Regis causæ fauere, quem etiam ferebat opinio singulari adhuc beneuolentiâ in Henricum affici; quod Gaspar Contarenus (posteà Purpuratus, nobis sæpiùs commemorandus) testatus in Commentario * Legationis suæ apud Pontificem ac Cæsarem, cùm hic Bononiæ anno 1530. fuit solenniter inauguratus. 5

Vide Literas Giberti ad Langum Nuntium Angliæ, in 1. tom. Liter. ad Princip.

* Habetur in cit. lib. Archiuij Vaticani.

At paulò pòst apertiùs in Volseum Anglus infensum animum pate- 6

patefecit, inuirauitque, vt vsuuenit, Aulicorum linguas, ad Regis 1529.
iram, propriamque ipsorum inuidenriam, innumeris in Volseum accusationibus exsaturandam. Gliscente igitur indignatione, à magni Cancellarij munere, Vindouiensi Episcoparu, sancti Albani Abbatia Volseus amorus, atque ad vitam solitariam priuatamque ducendam relegarus. Posteà verò iussu Regis Londinum more captiui reuocatus, vt grauissima crimina sibi obiecta dilueret, ex corporis animique molestiis in itinere extinctus est.

CAPVT XVIII.

Conuentus Spirensis, & Protestantium origo.

1 NOn defuere Ponrifici nouæ ex Germania solicitudines. Cùm per superiora Spiræ Comitia fuissent habita (quod à nobis relatum est) generalia quædam atque incerta decreta; alius Conuenrus iussu Cæsaris ibidem coactus mense Februario anno 1529. præside Ferdinando Rege, cùm ad comparandas contra Solimannum copias, qui caprâ Budâ, ac præcipuâ Pannoniæ parte, proximis Regis ditionibus minabatur, tum ad componenda Religionis dissidia, in dies grauiùs nequiusque grassantia. Misit eò Pontifex Ioannem Thomam, Comitem Mirandulanum, simul pollicitus ad bellum quidquid ipsius ditio rot perculsa calamitaribus conari posset, simul cohorratus Germanos ad sinceram antiquæ Fidei vnitatem. Variæ Anabaptistarum sectæ, vtpote odiosæ, & à Principibus Magistraribusque damnatæ, ab eo Conuentu procul amotæ: magnâ ramen confidenriâ hinc Lutherani, hinc Zuingliani aduenere, non minùs alteri alteris inter se, quàm vtrique Catholicis infensi infestique. Ex quo opportunè singulis factionibus fuit compertum, quænam intestina certamina pareret effrænata perulantia, abiectis ritibus communibusque dogmaribus. Id à Suaui narratur, ceu quoddam callidiraris artificium, à Philippo Hassiæ Lantgrauio detectum ac delusum; qui vt hærericos aduersus Catholicos coniunctos præstaret, illis ostendit leuem esse inrer duas nouas sectas discrepantiam, eamque componendam in se recepit. At pro se quisque reputet, vtri inuidiosum calliditatis nomen mereantur, an Catholici, dum ob oculos collocant seductis hæreticorum fautoribus rem planè veram, magnique ad publicam quietem ponderis, hoc est defectionem à veteri Fide, ciuium dissensiones implacabiles parituram; an Lantgrauius, dum alterum affirmat prorsus falsum, leuitatem scilicet discrepantiæ, & alterum, quod fieri non poterat, polli-

Vide post alios Bzouium, anno 1529. num. 47.

1529. pollicetur, videlicet inter illos concordiam; ſicut exitus palàm fecit.

Patuit tamen, in eo Conuentu malum in præceps ruere. Et quando vires deerant, quibus ritè curaretur, aliqua certè eius comprimendi quæſita ratio. Hæc itaque in Comitiorum receſſu 13. Aprilis anno 1529. ſancita; Vt quibus locis Edictum Wormatienſe fuerat acceptum, in iis vſque ad futurum Concilium inpoſterum ſeruaretur; vbi verò mutata fuerat vetus Religio, nec poſſet eius exercitium reuocari abſque publica rerum perturbatione, res ita perſiſteret vſque ad Concilium: Vt *Sacramentariorum* ſecta, quæ nimirum in Euchariſtia veram Chriſti præſentiam negabat, vndique pelleretur: magis quoque Anabaptiſtarum factio, in quos Edictum ſeueriſſimum contortum eſt: Vt Miſſæ ſacrificium vbique eſſet in vſu; neque Catholicis prohiberetur in iis etiam regionibus, vbi Lutheri error inualuiſſet: Vt Euangelium exponeretur ex Patrum interpretatione, quos Eccleſia comprobauerat: Vt Ordines Imperij pacem inuicem exercerent, nec alius alij Religionis causâ moleſtiam inferret, nec alienis ſubditis patrocinaretur. 2

Literæ Langæ ad Ioannem Thomam Mirandul. 3. Maij 1529. in lib. 2. Liter. ad Principes.

Pontifex, qui ſpem ſuam metiebatur non ex omni eo quod fieri debuiſſet, ſed quod potuiſſet, rem æqui boni fecit, commendatâ ſui adminiſtri operâ, & actis gratiis Catholicæ Fidei ſtudioſis, ſperauitque Cæſaris præſentiam efficax antidotum futurum. 3

Haud ita contraria factio ſeſe geſſit; quæ ob numerum ac potentiam ſibi fauentium animoſior, cœpit laruam obſequij erga Cæſaris ac Imperij auctoritatem, ad id vſque temporis obtentam, abiicere. Vnà coaluere ſex Principes, Ioannes Saxoniæ Septemuir, Frederici ſucceſſor, cuius erat frater ætate minor, ſed apertâ hæreſis profeſſione maior, Georgius Septemuir Brandeburgenſis, Erneſtus & Franciſcus Luneburgi Duces, Philippus Haſſiæ Lantgrauius, & Wolfangus Princeps Anhaltinus, & cum his quatuordecim ciuitates, Argentoratum, Norimberga, Vlma, Conſtantia, Rutelinga, Winſſenium, Merminga, Lindauia, Compodonum, Hailbrunnum, Iſnum, Wiſſemburgum, Norlinga, & Sangallum; palamque conteſtati ſunt, haud ſibi licere illi decreto acquieſcere, quippe Euangelicam veritatem violanti; proinde ad futurum Concilium, ad Cæſarem, ad quemcumque Iudicem haud ſuſpectum ſe prouocare. Recuſarunt ſic omnes militaria ſubſidia ſuppeditare aduerſus Turcam, niſi plenâ Religionis ſuæ licentiâ potirentur; Legatoſque ad Carolum miſere, qui Placentiæ illum nacti ſunt, dum Bononiam adiret ad Pontificem inuiſendum, Imperiique Coronam ab eo capeſſendam. 4

Obiit Fredericus anno 1525. vt narrat Sleidanus lib. 8.

Libet hîc mihi animaduertere, Martini hæreſim ſub vno Principe 5

cipe ortum duxisse; & quò ipsum pelliceret, per opinamenta vnius 1529.
dominatui maximè conducentia fuisse disseminatam: Zuinglianam contrà, è populari regimine procreatam, suorum concionibus ac scriptis fuisse diffusam per alia sensa, libertatem populi promouentia; ac præcipuè, ne cum Principibus exteris per stipendia vincirentur. Ex quo factum cernimus, vt in eo Conuentu Principes omnes Luthero adhæserint, plurimæ verò ex liberis ciuitatibus Zuinglium sint secutæ.

6 Ex iam dicta protestatione in Spirensi Conuentu habita, defluxit per Germaniam celebre *Protestantium* nomen, quod per apertiorem vocem sibi vult, *Perduelles in Pontificem, ac in Cæsarem.* Illi ergo, accepto responso quod referemus, coëuntes sequenti Nouembri, ac posteà denuò mense Ianuario Smalkaldæ, quod oppidum Hassiæ Lantgrauio paret, iuncto fœdere conspirarunt aduersus quemcumque in rebus religionis molestiam sibi exhibentem. Atque hoc pacto famosum illud *Fœdus Smalkaldicum* originem habuit.

Id totum à Sleidano narratur initio libri 7. ann. 1529.

7 Cæsar in hanc sententiam Placentiæ responderat Protestantium Legatis * 13. Octobris: Sibi permolestam accidisse eorum à Decreto Spirensi discrepantiam, quod ad præcludendum nouitatibus aditum, ad arcendas sectarum turbas, ad Imperij concordiam confectum fuerat; adeoque debuisse Saxoniæ Septemuirum, eiusque socios illi acquiescere: Cæsarem ac reliquos Principes non minus quàm ipsos percupere Concilium ad Reipublicæ firmamentum; quod tamen Concilium haud necessarium futurum, si Decreta communi consensione sancita, ac in primis Wormatiense, seruarentur: Cùm igitur & consuetudine & lege receptum sit, vt minor pars obtemperet iis, quibus maior ac potior Imperij pars consenserit, iam se per peculiares literas Saxoni sociisque mandasse, vt pro ea fide quâ sibi atque Imperio erant obstricti, Decretum exequerentur; quod nisi præstitissent, se auctoritatis exemplique studio seuerè in eos animaduersurum: Spem tamen habere, ipsos per obseruantiam Decreti obsecuturos; quæ sanè id temporis ob Turcarum aggressionem erat maximè necessaria, cùm hosti tam formidabili obsisti non posset absque mutua consensione animorum, & tamen ab illius depulsione pendere salutem vniuersæ Germaniæ, Fideique Christianæ in extremis calamitatibus deprehensæ: Acturum se propediem cum Pontifice, quò atrox ille hostis propulsaretur, & vniuersa Religionis opera in Dei gloriam populorumque tranquillitatem conuerterentur: Breuî etiam Italiæ se pacem compositurum, vt seipsum suasque vires omnes conuerteret ad Germaniam defendendam.

* Habetur fusè apud Bzouium ann. 1529. num. 48.

1529. Hæreticorum Legati ab ea responsione prouocarunt. Quamobrem Cæsar, tametsi indignatus, satius habuit eos impunitos dimittere, præter vnum nomine Michaëlem Codenum, iussum capitalis pœnæ denuntiatione ibi subsistere, quòd fuisset impudenter ausus Lutheri Catechismum Cæsari offerre; hic tamen inde fugam corripuit. 8

Huiusmodi argumenta propensæ in Ecclesiam Catholicam voluntatis à Carolo edita, Suaui displicent, quamuis à suo Sleidano relata, adeoque silentio obuoluuntur: cùm præsertim ex memorata responsione liquidò constet, Cæsarem sponte, suaque ex sententia, priusquam ageret cum Pontifice, declarasse, Concilium à se minimè necessarium putari. Quod probat, huiusmodi sensum non fuisse Clementis artem suis commodis inhiantem, sed persuasionem rationi consentaneam, non ipsius magis quàm Cæsaris. Intelligebat hic fortassis, esse proprium hominum molientium perduellionem, publicos cœtus exposcere; siquidem eloquentiæ technæ valent potissimùm ad multitudinem commouendam; vt egregius ille scriptor * animaduertit, qui causas corruptæ Eloquentiæ indagauit, & tamquam præcipuam huiusce corruptelæ causam in eo locat, quòd Romanum regimen è Republica deuenerit ad vnicum Principatum. 9

* Auctor in Dialogo de causis corruptæ Eloquentiæ.



HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM.



RRITA *Lantgrauij opera ad Lutherum cum Zuinglio concordandum. Cæsaris Bononiæ inauguratio: & quæ cum Pontifice transegerit. Conuentus Augustæ celebratus; & Augustanæ Confessionis origo. Congressus iussu Cæsaris habiti, quò Lutherus cum Catholicis conueniret. Proxima huiusce rei spes, sed fructu vacua. Noua Cæsaris in hæreticos Edicta. Consilia cum Pontifice habita à Cæsare, Germania stimulante, de conuocando Concilio; & rerum capita, super eo ad Carolum delata à Gambara Nuntio Pontificio. Protestantium tentamenta, vt Galliæ & Angliæ Reges ad se pertraherent. Aleander Nuntius missus ad Conuentum Spiræ indictum, atque inde ad Cæsarem; eiusque res gestæ. Insignis victoria ab Heluetiorum Catholicis de hæreticis reportata, & Zuinglij cædes in prælio. Conuentus Ratisponæ coactus, præsertim propter bellum in Turcas, & quò Ferdinandus Romanorum Rex agnosceretur. Obstacula quæ in Protestantibus Cæsar offendit. Religionis induciæ ab eo confectæ Norimbergæ vsque ad nouum Concilium, renuente Conuentu. Consilium ibi susceptum, dandi operam apud Pontificem, vt intra sexquiannum cogeretur. Subsidia à Pontifice collata Cæsari contra Turcas, & Legatio ad id*

Hippolyti Cardinalis Medicei. Solimanni à Pannonia recessus. Regum Galliæ Angliæque conatus, vt à Cæsare Pontificem abducerent. Diffidentia inter Cæsarem & Pontificem, exorta in altero eorum congressu Bononiæ. Decretum ab iis, vti Concilium tunc indiceretur: eiusque Decreti executio. Ad eam rem mittitur Rangonus ad Germaniæ Principes Nuntius, cui comes additus Cæsaris Legatus; & reddita à Protestantibus responsa. Profectio Massiliam Pontificis, & colloquium ibi cum Francisco Rege. Duplex sententia, variis temporibus lata in causa diuortij aduersus Angliæ Regem; & ex eo illius Regni schisma. Clementis obitus, & Pauli Tertij successio: eius studia in Concilio conuocando, & ob eam causam Vergerij missio in Germaniam. Colloquia Nuntij cum Principibus Catholicis ac hæreticis, & cum Luthero. Cæsaris post Tunetanam victoriam aduentus Romam. Solennis eius oratio coram Pontifice, Curiaque vniuersa, in Galliæ Regem; & Gallorum Oratorum responsa. In medio firmus Pontificis animus. Indictum Concilium Mantuæ. Anna Bolena capite plexa.

CAPVT PRIMVM.

Lutheri ac Zuinglij congressus, eorumque discordia.

1529. PHILIPPVS Lantgrauius, quà præstandi gratiâ quod in se susceperat in Conuentu, quà corroborandi concordiâ vires nouam religionem molientium contra Catholicos, impensè studuit inter Lutherum & Zuinglium controuersias componere. Ad eam rem congressum vtriusque Marspurgi habendum curauit, qui mense Octobri anno 1529. initus est. 1

Spondanus an. 1529. num. 11.

Adfuere hinc Lutherus cum Melanchthone, Iona, Osiando, ac Brentio; hinc Zuinglius cum Oecolampadio, Bucero, & Hedione. Colloquium per dies plures productum. Et quamquam Zuinglius, huius coniunctionis auidus, minusque quàm alter obfirmatus, se adduci sineret vt in plurimis articulis vel idem quod Lutherus sentiret, vel idem quod Lutherus loqueretur, ne vnum quidem ab æmuli superbia potuit impetrare. Potissima dissensio perstitit de 2

Christi

Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento, de quo egimus libro superiore. Ferunt Zuinglium vel per lacrymas conatum emollire Lutherum, sed incassùm: quin ex ipsa Zuinglij facilitate arrogantiores Lutherani, palmas & epinicia suo duci decantabant. Vnde irritati Zuingliani, idem de suo magistro supra Lutherum iactitabant. Quare aduersus quàm operâ Lantgrauij partes pepigerant, vt certè inposterum à mutuis aculeis abstinerent, semper infensior & contumeliosior inter eos dissensio exacerbata. 1529.

3 Dum hæc Suauis narrat, bis grauiter errat. Semel, vbi ait Zuinglium ac Lutherum, quorum alter ab altero non pendebat, atque in diuersis regionibus morabantur, in omnibus aliis doctrinæ capitibus idem sensisse vsque ad annum 1525. tum verò solùm in explicando sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sententiis discrepasse. Verum sanè est, Lutherum ac Zuinglium in multis articulis consensisse; adeò vt tum ex ea doctrinarum concordia, tum quia Lutherana & prior extitit, & potior factionibus euenerit, non solùm in diplomatis Adriani & Clementis, ad Heluetios aliosque scriptis, sed in mandatis quæ Catholici Heluetij suis Oratoribus tradidere, illius regionis hæresim generatim fuisse vocitatam Lutheranam: sed verum etiam est, Zuinglium dissensisse à Luthero & ante annum 1525. & in altera præcipua assertione, hoc est, *Originalis peccati:* cùm ille affirmaret quidem, ex Adami noxa posteros tamquam hereditariam habituros fuisse (dico *habituros fuisse*, per formulam conditionis, propter id quod mox subdam) vitiosam propensionem ad solum proprium bonum, quæ ad peccandum traheret, nisi eos reparasset meritum Redemptoris; sed non idcircò contrahendam ab ipsis fuisse veram culpam, verumque peccatum, sed solum peccatum quoddam metaphoricum; quatenus ea est hereditaria propensio ad peccandum, cum qua nasci debuissent ob contagionem parentum, potuisse *peccatum* nominari eâ ratione, quâ per metaphoram mors dicitur *pallida*, quia pallorem efficit. Verumtamen Suauis, quàm Catholicis infensus, tam hæreticorum studiosus, maluit fidem habere quibusdam ex iis * qui conati sunt ab huiusmodi hæresi Zuinglium liberare; atque ad ea diluenda respondent, Illum, vbi negauit *peccatum originale*, intellexisse nomine *peccati* actionem prauam à peccatore patratam; qualis absque dubio non fuit Adami delictum ad suos posteros relatum. Eneruis enimuerò defensio: etenim eatenus id intelligit Zuinglius nomine *peccati*, quatenus affirmat non reperiri verum vllum peccatum, quod non sit opus prauum à peccatore patratum; & inde conficit, appellationem

* Henricus Bulengerus in sermone decimo Decadis 5. Martinus Bucerus in cap. 5. Epist. ad Rom. Rodulphus Gualterus in Apologia pro Zuinglio.

1529. lationem *peccati originalis* meram esse metaphoram, vt videbimus. Quod si noluisset Suauis fidem habere aliis innumeris scriptoribus, qui hunc errorem retulere, eam certè debuisset tribuere verbis ipsius Zuinglij. Præterea, illum fateri, hanc suam opinionem Theologorum consensioni repugnare; quòd ne vmbram quidem veritatis præseferret, vbi tantummodò hic negasset, culpam originariam esse actionem illius propriam, qui per eam maculatur. Nónne ille extra ambiguitatem pronuntiat: *Quid enim breuius aut clarius dici potuit, quàm originale peccatum non esse peccatum, sed morbum, & Christianorum liberos propter morbum istum non addici æterno supplicio? Contrà verò quid imbecillius dici potuit; & à Canonicæ Scripturæ alienius, quàm Baptismi lauacro hanc calamitatem leuari; penuriâ verò illius intentari, & non tantùm esse morbum, sed etiam reatum?* Nónne statim dein æquiparat cum quorumdam populorum innata balbutie aut podagra? Nónne subdit: *Est ergo ista ad peccandum amore sui propensio, peccatum originale; quæ quidem propensio non est propriè peccatum, sed fons quidam, ac genius?* Imò planè, vt significaui, neque etiam hoc peccatum metaphoricum vult ille reipsâ contrahi, sed contrahendum fuisse ab Adami progenie: cùm tamquam probabiliorem doctrinam tradat, per Christi merita naturam vniuersam ita fuisse reparatam, vt nemo seu infans seu adultus, genitoribus vel Christianis vel Ethnicis ortus, pereat, nisi noxam contra legem committat. Præterea hæc ex eo meritis Redemptoris attribuit, quòd collocans ille salutem seu calamitatem æternam in mero Dei arbitrio, nullâ ratione habitâ siue nostrorum meritorum, siue culparum, ait: Quemadmodum paterfamilias æquè mactat lupum gregis sanguine cruentatum, ac lupi catulum, qui nondum agnos occiderit, sed æqualiter ad eos mactandos ingenium propensum gerit; ita Deum damnaturum fuisse puellos, quamuis haud peccatores, ob hanc natiuam propensionem ad peccandum, nisi Christus per sua merita eos liberasset. In reliquum nullum in ipsis meritum, vt puniantur, agnoscit.

In lib. de Baptismat. tract. 3. in digressione peccati originalis.
In Declaratione peccati originalis ad Vrbanum Regium.
In eodem libro.

Neque vim habet, quod à Zuinglij defensoribus adducitur, 4
Eum in solenni cum Luthero colloquio (de quo mox disseremus) agnouisse peccatum originale, & mortem omnium ab eo inductam, si Christi sanguine non fuissent redempti. Nam post illud colloquium, cùm Lutherani celebrem suam Confessionem protulissent, adeoque cùm ad colloquium inter eos & Catholicos ventum esset vt concordia tentaretur, consensit vtraque pars in secundo articulo per hæc verba: *Damnamus Pelagianos, & alios, vt Zuinglianos*

glianos & Anabaptistas, negantes peccatum originale. Et tamen in comperto ibi fuerat Zuingliana confessio. Vnde liquet, exploratam fuisse cunctis partibus dissensionem earum sectarum in eo articulo. Et certe ex opinione Zuinglij à nobis recitata satis detegitur, quonam ille sensu affirmauit peccatum originale, & damnationem quæ per ipsum subeunda fuisset: qui sensus omnino discrepat & à Catholico dogmate, & ab eo quod Lutherani admittebant. Quare Zuinglius cum Luthero in loquendo, non in credendo consonabat. 1530.

5 Secundus Suauis error, qui duos vnà continet, situs est in eo quod dicit, discordiam inter Lutherum & Zuinglium de Christi præsentia in Eucharistia, fuisse merè de nomine, adeoque difficillimam vt componeretur. Equidem nunc primùm audio huiusmodi effatum, difficiliùs componi controuersias nominis, in quibus cuicumque parti absque reuocatæ assertionis pudore licet consentire cum altera, & in aliquo tertio loquendi modo conuenire; quàm quæstiones de rebus, in quibus nequit pax coalescere, nisi alter depræliantium sese dedat, & quasi æmuli trophæum euadat. Verùm, vtut hoc se habeat; quis vmquam inducat in animum, fuisse litem de nomine, inter alterum hinc affirmantem, & alterum hinc negantem, Corpus & Sanguinem Domini esse verè in Hostia? At verò Suauis, eò quòd legisset, Melanchtonem ac Lutherum minimè consensisse de Christi præsentia in Sacramento extra vsum, sicuti libro præcedente indicauimus, in puerilem errorem videtur delapsus, hoc ipsum intelligens quasi Lutherus ibi negaret veram Christi præsentiam, & quamdam metaphoricam concederet, atque ad modum operationis & gratiæ quam ille sumenti impertiatur; quam præsentiam Zuinglius pariter admittebat. Sed rei veritas est, à Luthero fuisse perpetuò propugnatam veram ibi Christi præsentiam, quamquam in vsu dumtaxat, id est perdurante actione Sacramentali, quam ille non mathematicâ, sed morali duratione metitur; nimirum ab initio Orationis Dominicæ vsque ad totum illud tempus, quo fideles sacram Communionem susceperint; quo pacto explicat in suis literis ad Simonem Wolfernum. 20. Iulij an. 1543. tom 4. Operum Lutheri.

6 Quàm deinde sincerè se gesserit Lutherus in Religionis doctrina, potest ex eo facilè intelligi, quòd ille, teste Suaui, semel cuidam amico scripserit, noluisse se in eo Eucharistiæ articulo in Zuinglij sententiam ire, ne grauiorem populorum inuidiam in suos asseclas excitaret: in quo palàm fecit, à se Fidei mysteria tradi non ex diuina veritate, sed ex humana calliditate. Semel verò ad Albertum Brandeburgensem, Teutonicorum Equitum supremum Magistrum,

1530. giſtrum, qui à Catholicis ad Lutheranos transfuga nuptias celebrauerat, & à Zuinglianis, vt ad ipſorum partes tranſiret ſummoperè ſolicitabatur, ſcripſit idem Lutherus cum execratione illius ſententiæ, quippe ſacris Literis, Patribuſque, & peruetuſtæ Eccleſiæ conſuetudini repugnantis.

Nec maior in Zuinglio ſinceritas: qui cùm per hæreſis ſuæ primordia hunc errorem haud protuliſſet, vbi audiit ortum propagatumque in Germania, non ſolùm per Heluetios euulgauit, ſed nomen diſcipuli in eo dedignatus, affirmauit, diutiùs à ſe fuiſſe mente conceptum, tametſi voce non ediderat; ſeruum frugi imitatus, qui domini familiæ tempore ſuo alimenta ſuppeditat. Proinde menſura docendi populos Diuina myſteria, mortale commodum ambobus fuit. 7

Vera ratio cur ad eam controuerſiam componendam nullus ipſis patuit aditus, ea fuit, quòd illius diſſenſionis argumentum nimis erat apertum populorum intelligentiæ, nec obſcuris vocibus obnubi poterat, perinde vt doctrina de originali peccato: ideoque neuter hæreſis auctor alteri cedere voluit, ſuæque apud ſuos exiſtimationi plurimùm detrahere. 8

CAPVT II.

Acta inter Clementem & Carolum, ex occaſione Cæſareæ inaugurationis Bononiæ celebrandæ.

SVauis ex hæreſiarcharum congreſſu ad Principum colloquium progreſſus, narrat Cæſarem à Pontifice coronâ redimitum Bononiæ, quòd Clementi videretur indecorum eos Romæ ſuſcipere, qui ante biennium ipſam diripuerant; imponens obliquè Pontifici minùs ſinceram indultæ veniæ voluntatem. Id conuincitur planè mendax illius inuentum: primò, ex oppoſita epiſtola, quam Pontifex ad Epiſcopum Vaſonenſem, ſuum apud Cæſarem Nuntium, ſcribendam iuſſit; in qua dicitur, Vbi Cæſar haberet in animo pacem Italiæ conficere, pro eo ac Pontifex ſuadebat, gratius ſibi futurum, ſi Romam adire non grauaretur, cùm ex veteri more Cæſareæ inaugurationis, tum ad parcendum itineris incommodis, ſumptibuſque Pontificis, ex proxima calamitate morboque, pecuniâ & viribus exhauſti: quòd ſi ſtatueret bellum proſequi, malletque ſolicitè feſtinare ad arma in Germania comparanda; ſe laborem adeundi Bononiam eius gratiâ ſuſcepturum. 1

Sanga 27. Auguſti 1529. in lib. Liter. ad Princip.

Prætereà Guicciardinus, tunc ibi degens, commemorat, profe- 2

Lib 20. prope initium.

ctionem

ctionem Pontificis & Caroli Bononiâ Senam in promptu fuisse, quò arma in Florentinos incalescerent, atque inde Romam, ad Cæsarem coronandum; cùm hic ad excusationem adduxit fratris ac Principum Germanorum recentes preces, se ad quemdam Conuentum solicitantium: fratris quidem, quò ipse Romanorum Rex eligeretur; Principum verò, quò celebratio Concilij vrgeretur: adeoque ex improuiso properanter coronam Bononiæ suscepisse. Quod enucleatius legitur in diariis eius temporis commentariis rite consignatis, in quibus dicitur, plerosque ex Purpuratis & Aulicis Bononiâ Senam profectos, ibi Pontificis ac Cæsaris aduentum præstolaturos. Iam verò, si Suauis in re quæ tam facilè cognosci poterat, & vel per libros typis editos conuinci, adeò vel indiligens fuit vel fallax, apud quem vmquam erit illi fides, cùm posteà narrat de secretioribus inter Pontificem & Cæsarem collocutionibus de Concilio? Quas res ille ita confidenter, ita minutatim describit, vt Poëtæ solent euenta omnia antiqua & abdita particulatim ac indubitanter referre, quasi Musarum admonitu ea cognouerint.

1530.

Blasius Cæsenas in Diariis manuscript. anno 1530.

3 Hîc equidem ad hominis ratiocinationem obstupefactus hæreo. Eam quæso expendamus. Inducit ille in ore Pontificis argumenta verissima, quibus ostendat, potestatis suæ diminutionem à Concilio se minimè formidare, quà ex promissione Christi eam constituentis, quà ex anteactis Conciliis eam semper confirmantibus, quà ex humanis etiam rationibus, quibus conficiebatur, sibi ne tum quidem à Concilio formidandum fuisse, quando etiam fiduciam suam non in Deo, sed tantùm in hominibus collocasset; cùm in comperto sit, in Concilio Episcopos, penes quos solum suffragij ius est, tametsi à propriis commodis ducerentur, fuisse tamen semper integram seruaturos auctoritatem Pontificis, in quo ipsorum auctoritas præsidium ac patrocinium agnoscebat aduersus laicorum æmulationem, eiusque minuendæ licentiam: ipsos etiam Principes eamdem sustentaturos, tamquam validissimum frænum ad suarum ditionum Præsules in officio continendos, si quando ex comparata apud populos veneratione, suprà quàm par est vellent assurgere. Quæ ratiocinatio seu confecta seu conficta, certè verum continet, ac palàm facit, Pontificiam supra ceteras auctoritatem fuisse optimè constitutam à Christo, ad ceteras alias tuendas, iusteque moderandas. His iactis, addit Suauis, à Pontifice dissuasum Cæsari Concilium: cùm enim ea postulatio ad speciem obtenderetur ab hæreticis contumacibus, quippe qui intimo animi sensu

1530. nihil aliud expectare poterant ab eo, nisi suorum capitum proscriptionem; vbi ea proscripta fuissent, petulantiùs perduellionem illos molituros aduersum tum Ecclesiasticam tum profanam potestatem. Vnde per opportunitatem Concilij, priorem potestatem in ipsorum patriis extinctum iri, sed in Catholicis Prouinciis inualituram: alteram verò in Germania collapsuram, vel certè vulnus non leue passuram, sine vllo alibi emolumento: saltem certum esse, Concilium, & quamcumque aliam dissidij dirimendi viam in bellum tandem eruptura. Proinde optimum tantùm esse remedium, vel vti imperio Lutherani coërcerentur, vel vbi id neutiquam prodesset, vi præoccuparentur, haud liberè permissis habenis populorum licentiæ, potentiorum ambitioni, capitumque hæresis improbitati.

His rationum momentis enarratis, quæ si verè tunc à Pontifice prolata fuissent, tamquam prudenter ac piè, & ab euentu comprobata laudanda forent, Suauis concludit; Rationes hasce indignas fuisse, quæ ab ore fratris Iulij Medicei proferrentur (id fuerat Pontificis nomen in Rhodia militia) nedum Clementis Septimi; & tamen iis Cæsarem fuisse permotum. Hiccine audet fratrem Iulium Mediceum, Equestris Militiæ Religiosum vituperare, quòd ita disseruerit, dum ipse seuerioris Ordinis, arctiorisque pietatis obstrictus legibus, non erubescit librum euulgare, cui sola molis crassities nomen adimit famosi libelli perpetuò in Ecclesiam oblatrantis; librum, aio, palæstram doctrinarum, præ quibus effata Machiauelli pia sanè videri possint, vno verbo, Atheismi seminarium? Meus hic sermo proculdubiò contumeliam aut calumniam haud præseferet cuicumque legenti sinceris oculis intentisque, non inquam meam totam Historiam, sed (si concessum sit) solùm etiam totam Suauis. 4

Iam quod spectat ad narrationis veritatem: dubium non est, potuisse ibi fortasse indicari à Pontifice, putare se Concilium bono publico haud profuturum; non tamen patefieri animum ab eo prorsus abhorrentem, nec multa largè promitti magno Cancellario ad illud auertendum, quemadmodum Suauis comminiscitur. Ac primò quidem Guicciardinus antè laudatus, cui poterant ea quæ tunc agebantur esse satis explorata, narrat, excusationem Cæsaris ne Romam adiret, in eo sitam, quòd Germaniæ Principes suum illuc aduentum solicitabant Concilij vrgendi causâ. Quinam igitur potuisset ille Pontifici huiusmodi excusationem prætexere, si iam ne illud cogeretur vnà conuenissent? 5

Lib. 20. citato.

Præterea

6 Præterea in quadam responsione, eodem anno à Pontifice data Cæsari Concilium postulanti, tamquam existimatum extirpandæ hæresi remedium opportunum, habentur hæc verba: *Certus sum, à te, pro eo ac conscius es meæ in commune bonum voluntatis, minimè dubitari, nullam vmquam à me prolationem interponendam.* Quâ ratione potuisset id à Pontifice ad Cæsarem scribi, si Bononiæ ipsemet à Concilio Carolum pro virili dimouisset, atque ad id Gattinaræ officia abiectè implorasset? 1530. Vltima Iulij ann. 1530. in 2. lib. Liter. ad Princip.

7 Progreditur Suauis. Vbi Cæsar ad Augustana Comitia profectus est, eo animo vt hæreticos adigeret ad obedientiam Ecclesiæ, Pontificem, quò sibi propitium redderet Ferdinandum Regem, indulsisse illi Decimas ad bellum in Turcas, quinetiam sacrarum Ædium argentum & aurum. Quis hominis liuorem non perspiciat? An non Pontifices debent, aut solent amplissima subsidia concedere ad repellendos à Christianorum ceruicibus tam horribilis hostis acinaces? An non Patres, Theologi, Canonum interpretes ea comprobant? Cur igitur in re tam pia, tam iusta, tam necessaria, tam consueta, appingere Pontifici vtilitatis propriæ auiditatem? Duci quoque Sabaudiæ, quò se ab incursionibus hæreticorum Heluetiæ tueretur, Legatus * missus est cum facultate eadem subsidia largiendi. Enimuerò licentia tam nequiter interpretandi, semel admissa in quacumque mortalium deliberatione, vtrauis eligatur pars, neutra vituperationem effugiet.

* In Consistorio 15. Decembris, in Diario citato Ludouisiorum.

CAPVT III.

Augustanus Conuentus: & producta ab hæreticis suæ Fidei professio.

1 ADiit Germaniam Cæsar, Cardinale Campeggio comitante, cui tanti ponderis Legatio fuerat à Pontifice demandata ob hominis peritiam de rebus quæ tunc agebantur. Conuenere Augustam ad Comitia frequentes supra morem Ecclesiastici Principes ac profani. Quæ ibi Catholicæ Fidei honorifica contigere, à Suaui pro suo instituto vel reticentur, vel mendaciis obruuntur. Nos verò testibus nulli suspicioni obnoxiis innitamur; non solùm * Cocleo qui tunc interfuit vtemur, sed ipsis hæreticis scriptoribus, cuiusmodi est Sleidanus, ac præsertim Georgius Cælestinus, illius Conuentus Acta quatuor voluminibus complexus: quamquam ipse pariter multa prætermittat parti Catholicæ conducen-

* De Actis Lutheri anno 1530.

 tia,

1530. tia, quæ vel apud ipsum Sleidanum habentur, vel in legitimis [a] manuscriptis apparent.

2 Peruenit Augustam Cæsar 15. Iunij, pridie illius diei quo Christi Corporis solennia recoluntur. Principum, Legatorum, ac Septemuirorum amplissimo Comitatu deductus Vrbem ingressus est ex præscripto priùs editæ [b] Oeniponti constitutionis; nimirum Ferdinando fratre, quòd Bohemiæ Rex esset *(nam alioquin,* inquit, *non id requirerem)* ad dexteram, & Pontificio Legato ad sinistram equitantibus: plurimas huiusce rei causas adducens, tum ex vtilitate Germaniæ ob aduentum Legati, tum ex prærogatiua dignitatis, quæ illi supra reliquos Principes debebatur. Postridie in pompa quâ Christi Corpus solenniter circumferebatur, incessit semper nudo capite sub meridiani solis ardoribus, professus per tam molestum tamque periculosum obsequium suam Fidem de illo mysterio, quod tot recentes hæretici ibidem astantes pernegabant. Dixi *sub meridiani solis ardoribus*; propterea quòd non nisi sub illam horam functio est inchoata, cùm percuperet ad eam Cæsar omnium Principum comitatum, & Protestantes se interfuturos negassent, rati superstitiosos esse huiusmodi ritus, quod libello vulgato testati sunt, affirmantes agnoscere se quidem ibi Christi præsentiam, sed improbare consuetudinem deferendi Sacramenti dimidiati, & non sub vtraque specie, & per eam pompam deducendi, quasi quodam in theatro atque scena; ac proinde nolle se comitatu suo illius ritus sanctitatem comprobare.

a Hæc sunt apud auctorem desumpta ex 2. libris Archiuij Vaticani; altero Instructionum, altero cui titulus, *Acta VVormatiæ.*

b Legitur apud Goldastum hæreticum in 3. tomo Constit. Cæsarearum.

Legitur apud Cælestinum 1. tom. Histor. dictæ, *Comitia Augustana.*

At Saxo, cuius munus erat gladium Cæsareum ante Cæsarem gestare, adhæsit illi suorum Theologorum parti, quæ sententiam sequebatur tutiorem à temporario incommodo suæ dignitatis; affirmauitque, per huiusmodi ministerium exerceri à se quasi ciuilem quamdam functionem, non item religiosum opus; idque ex auctoritate Prophetæ Elisei, qui permiserat Naamano Syro, vt se ante idolum incuruaret, cùm Rex eius brachio innixus genua flecteret. Quod tamen reliqui Principes Protestantes amplecti recusarunt, memorato libello affirmantes, per integrum ordinem conditionesque illius pompæ declarari id tamquam opus sacrum, & non merè ciuile. 3

Hinc arripit opportunitatem Suauis agendi furtim cuniculi, quo serpat quasi pacifica fidelium in mentes doctrina tabifica. *Cum debeat* (illius verba sunt in adducenda Elisei permissione Naamano habita) *per illud exemplum licere cuique ad conseruandam dignitatem seu ditionem, suam seu domini sui gratiam, vel alterius eminentis viri, non* 4

recusare

recuſare cuicumque rei operam impendere, cui tametſi alij aſſiſterent tamquam religioſæ, ipſe tamquam ciuili intereſſet. 1530.

Propoſita doctrina quamuis in aliquo ſenſu, & aliquibus reſtricta conditionibus vera ſit, & à Theologis tradita; tamen generatim affirmata, & cum querimonia incommodorum quæ ex ea omiſſa orirentur, quo pacto à Suaui affertur, laxat aditum, vel Helceſeitarum hæreſi, qui negabant obligari quemquam ad Fidem externis argumentis teſtandam; vel certè illorum errori, qui fas eſſe opinabantur, obtemperare legibus Anglorum Regis in adeundis hæreticorum templis, eorumque ibi prædicantibus audiendis, aduerſus quam duplici diplomate ſanxit Pontifex Paulus V. Et ſanè ſi Martyres impegiſſent in Magiſtrum paria cum Suaui opinantem, forſitan haud paſſi fuiſſent ſe trucidari, ne thuribulum attollerent, genuque reflecterent, cùm ipſis quoque prætendere licuiſſet, ea non exhiberi tamquam opera religionis, neque ad ea ſimulacra colenda, ſed tamquam ſimplices motus, qui ſuapte naturâ id non ſignificant. Quin & Magiſter vſque adeò in ea pacifica doctrina progredi potuiſſet, vt etiam doceret, abſque vlla conſcientiæ offenſione fas eſſe illis exprimere voce cunctas blaſphemias ſibi à tyrannis imperatas, modò intenderent animo meram exercitationem linguæ ac labiorum habere, abſque voluntate per eam ſignificandi vllum impium animi ſenſum. Quod ipſum niſi Deo diſplicuiſſet, haud profectò laudem tamquam Heroës mererentur, ſed vituperationem tamquam inſcij. Verum quidem eſt, quoties quædam actio ex hominum inſtituto duplicem ad finem, ciuilem alterum, alterum religioſum referri poteſt, tunc ſemotâ fidelium offenſione licere eam adhibere ſpectato ſolùm ciuili, religioſo minimè comprobato. Huiuſmodi planè fuit in Naamano genuum ſubmiſſio, quò dominum brachio fulciret. At verò cùm actio quæpiam vel ex condicto, vel ex vſu hominum merè ad ritum religioſum refertur, nec apparet in ea vlla alia vtilitas, cuius causâ fieret, præterquam profiteri per eam foris Religionem quæ intus animo colitur; tunc certè, ſi ea Religio falſa eſt ac ſuperſtitioſa, illius actionis exercitatio, quocumque tandem animo fiat, grauis eſt impietas, & contra Deum perduellio. Eaque propter nefas itidem erat parere legi memoratæ Anglorum Regis; quandoquidem, tametſi non ſit generatim interdictum honeſta de cauſa templa hæreticorum ingredi, eorumque concionatores audire; tamen id agere ad obtemperandum legi, ea opera tamquam religioſa præcipienti, perinde eſt ac illa velut talia foris comprobare.

Vide Suauium in defenſione, lib.6. cap. 8. & 9.

1530. Credi posset, Suauem per eas pauculas voces, quas retulimus, ad 6
se purgandum apologiam perstrinxisse, vbi non esset vero similius, cum non indigere defensionis, vt qui fortasse animum ab omni Religione liberum gerebat, adeoque vitam poterat agere tutam ab omni nota defectionis à sua Religione, ob externam professionem cuiuscumque à se quamuis falsæ existimatæ.

Inter solennia sacrificij habita fuit Oratio à Vincentio Pimpinello, Archiepiscopo Possanensi, Pontificis Nuntio, quam sanè, vsquequò apud Cælestinum descriptam non perlustraui, fateor me à Suaui deceptum fuisse, illam inaniis plenam, & religione vacuam arbitratum: tantâ is confidentiâ scribit, Nuntium ibi de Religione nihil egisse, nisi cùm dixit, Si Germani Scipionem Nasicam fuissent imitati, populum Romanum, eorumque maiores, in Fide Catholicâ perstituros fuisse; eosdemque stultitiæ insimulasse, *quòd cùm Religionem mutassent, sanctiorem aliquam prudentioremq́; non elegissent.* Sed postquam eam orationem verbatim perlegi, mihi temperare non possum, quin tantisper à narratione desistam, dum huic calumniæ veritatem opponam. 7

Agitabatur potissimum in eo Conuentu, quâ ratione vires Germaniæ simul coalescerent, quibus furori Turcarum obsisteretur. Et quoniam Protestantes negabant suam opem se collaturos, nisi plurima sectæ suæ commoda præcepissent; Nuntius institit tamquam argumento præcipuo, rei magis in præsentia necessariæ, ac suasu faciliori, spectatis etiam humanis emolumentis, videlicet Germanorum concordiæ ad impetum hostis adeò formidabilis repellendum. Ac per eam opportunitatem ostendit, quantum ad id opus foret, non eâ conscientiæ licentiâ quam Protestantes efflagitabant, sed cunctorum in pristina Fide consensione. Hoc posito, libet hîc illius orationis particulas aliquot afferre, quibus liqueat, peruersâ Suauis narratione non tam exprimi Oratoris sensa, quàm tenebris offundi. 8

Non ea, inquit, *fuit Senatui populoq́; Romano, Gentilibus viris, & à vero Dei cultu longè quondam alienis, in seruanda eorum religione segnities ac perferendis hostibus patientia: nihil enim melius antiquiusq́; duxerunt, quàm propriis & vsitatis cæremoniis eorum Deos fictos placare, & aduersariorum iniurias qualescumque manu, ferro & igne vindicare.* Dein verò: *At vos Germani, qui Christiani, ac veri & omnipotentis Dei cultores estis, despectis sanctæ Matris Ecclesiæ ritibus, maximam hostis audaciam, facinusq́; inauditum, inultum esse patiemini? Romani, Varronem Consulem apud Cannas, ob iratam Iunonem ab eo quondam iniuriâ affectam,* 9

ctam, infeliciter dimicasse cum Carthaginensibus crediderunt. At vos Germani, sublatis veris Sacrificiis, negatis Christi Mysteriis, ademptâ Sacerdotibus auctoritate, eo inuito qui Dominus est exercituum, qui fortis est, & potens in prælio, putatis posse vincere, hostesq; profligare? His sententiis confecta oratio probat per argumentum à minori ad maius, quantum deberet Gens, Imperij Romani heres, suam veram Religionem ex eo tueri, quòd ipsorum maiores tam præclara gessissent studio suæ falsæ opinionis. An non eos adhortatur *ad pugnandum ita contra Turcas, vt seipsos priùs expugnent, Deumq; optimum maximum placent, quem propitium exoptant, Christiq; Fidem ita componant, vt alterо sine altero fieri posse commodè non sperent?* An non eos arguit, *quòd tunicam illam inconsutilem Christi, multas iam in partes diuisam destruunt, & ad nihilum redigunt? Quòd vera & honestissima Christi dogmata, tantorum optimorum Patrum consensu ordinata, & à sanctissimo Spiritu confirmata, quâdam diabolicâ persuasione eliminent, & ad scurrilia ac impudica quæq; deducant?* Atque hîc adiungit eam sententiam, quam Suauis adeò deformatam affert: *Posteaquam monstrum hoc parere volebant, meliorem aliquam saltem, prudentioremq; ac sanctiorem Fidem induxissent, vt à vera nostrorum Patrum antiquorum semita, quâ melior inueniri non vmquam poterit, iure quidem, & non stolidè defecissent.* Significans postremis hisce verbis, se per priora (quæ sine subsequentium lenimento malè proculdubiò sonuissent) non postulare ab iis huiusmodi conditionem vti possibilem; sed ex hoc ipso, quòd ea effici nequiret, euinci, ipsos citra omnem excusationem delinquere, in veteri Religione deserenda. Præterea nónne eosdem admonet eo in bello, *non Christianorum sanguinem effundendum, sed hostes Christiani nominis conterendos?* Nónne ostendit iis, *sublato omni pessimorum interpretum velo, qui nihil afferunt de suo, sed antiquas opiniones, à sacratissimis quondam Conciliis solo æquatas, in eorum perniciem iterùm reponebant, ac eorum malitia per illos Principes optimos depressa, Ciuitatem sanctam Hierusalem, gloriosissimi Domini nostri Iesu Christi Corporis sepulcrum, ceteraq; Redemptoris nostri sanguine inspersa, ex infidelium canum, spurcissimorumq; latronum manibus liberanda?* Nónne affirmat, *ab aliis patriam, parentes, bona propria; ab ipsis verò non modò omnia hæc, sed Christum ipsum eo bello defendendum?* Nónne concionem absoluit per ardentissimam implorationem duorum Principum Apostolorum, ac ipsius Redemptoris; precatus, per apposita Scripturæ verba execrationes è cælo in operis tam egregij turbatores, si ampliùs obduruissent; & in eosdem amplissima cæli munera, si ad illum promouendum consentiant? Componatur 1530.

1530. natur iam hæc vera Oratoris locutio cum eiusdem effigie à Suaui delineata: & in eum aptè recidet id quod de pictore vulgari * Poëta cecinit, qui Veneris imaginem nequiter pinxerat, huiusmodi ab eo simulacrum fuisse in gratiam Palladis illius æmulæ conformatum. Quin Oratio Pimpinelli tam apta visa est, tantoque excepta plausu, vt Purpuratorum Patrum Senatus * decreuerit, Oratorem publico nomine commendandum.

* Martialis.

* 6. Iulij 1530. in Diario citato Ludouiciorum.

10 Postridie Legatus in Conuentu alteram habuit concionem, in cuius laudem abundè sit dicere, eam adeò grauem, adeò piam extitisse, vt Suauis inuidentia nihil in ipsa arguendum deprehenderit. Alio die Principes, ac Ciuitates Protestantes suæ Fidei professionem Cæsari detulerunt. Lutheranam exposuit Melanchthon, ex iis quæ Coburgi acceperat à Luthero; qui Augustam adductus non est, ne tam aperto despicatu Cæsar offenderetur, eo ante ipsius conspectum obtruso, quem seuerissimo Edicto Wormatiensi proscripserat. Hæc Confessio scripto edita, tamquam delapsa de nouo è cælo doctrina ab illis habita est; adeoque ipsorum Theologi percupierant subscriptionibus suis signatam offerre, tamquam recentiores Prophetæ. Sed quò grauius in eo Conuentu pondus obtineret, satius visum est ipsam auctoritate potentiæ quàm scientiæ communire.

11 Hæc est celebris illa *Confessio Augustana*, quæ instar Euangelij perstitit Lutheranis. Dein etiam Zuingliani suam attulerunt, quatuor nobilium Ciuitatum nomine, Argentorati, Constantiæ, Memingæ, & Lindauij; fuitque artificio exquisito contexta, quo inclusarum hæresum asperitatem leniret, Lutheranæque factionis fauorem manifestâ oppositione non amitteret. Hinc dissidere ab ea visa est in solo Eucharistiæ articulo, quod modò enarratum. Sed Augustana tantummodò famam nacta est, quippe tot Principes complexa, & posteà, vt deinceps dicemus, Germaniæ permissa.

12 Studuit Melanchthon omni ingenij ope inuidiam suæ sectæ detrahere, prætermissis in ea, quantum fieri potuit, opinionibus odiosis & improbatis: quo animaduerso Cæsar atque Conuentus percontati sunt Protestantes, an vlla alia in re à Catholicis dissentirent: illi verò, re maturè deliberatâ, negarunt. Complectebatur ea Confessio vnum supra viginti articulos de ipsorum Fide, septem verò de abusibus, quos Romanæ Ecclesiæ opponebant, quorum tituli erant: *De Communione sub vtraque specie*; *De coniugio Sacerdotum*; *De Missa*; *De Confessione*; *De discrimine ciborum*; *De Votis Monachorum*; *De potestate Ecclesiastica.*

Eamdem

13 Eamdem à Cæſare parti Catholicæ communicatam libello ſcripto confutarunt Cocleus, Faber, & Eckius: ex quo libello demptum eſt quidquid vel oſtentaret contradictionem in Lutheranorum doctrina variis temporibus tradita, ne per eam exprobrationem ad pertinaciam illos irritaret; vel ſpeciem præſeferret aculei magis quàm probationis, adeoque ad exaſperandam potiùs voluntatem, quàm ad conciliandam mentem valeret. Admonuit Legatus, ne huiuſmodi confutatio ſcripto, ſed ſolùm voce aduerſariis exponeretur; aliter præuidebat, noua eos reſponſa reddituros, abſque vllo contentionis exitu, citraque Sedis Apoſtolicæ dignitatem, dum ex æquo cum ſuis rebellibus certamen iniret: quin eoſdem ſingulas ſyllabas cauillaturos; & ſi quidquam quantulumcumque minùs ſolidum offendiſſent, traducturos in ludibrium apud vulgus vniuerſam Eccleſiæ doctrinam & auctoritatem, perinde ac ſi libellus ille Oecumenici Concilij ſcita complecteretur. Haud parum inſtiterunt hæretici, vt cùm ipſi doctrinam ſuam ſcripto tradidiſſent, ſcripto pariter reſponſionem acciperent: id Cæſar conſtanter negauit, niſi pollicerentur, ſe reſponſionem illam nemini communicaturos, niſi priùs obtentâ ipſius facultate: quæ conditio ab iiſdem recuſata. 1530.

CAPVT IV.

Congreſſus inter Catholicos & hæreticos habiti iuſſu Cæſaris; & Edictum in Conuentus exitu promulgatum.

1 Carolus, vbi coram Proteſtantibus confutatio lecta eſt, eos ad veterem communemque doctrinam amplectendam hortatus, ſeptemdecim Catholicos, partim Principes, partim Oratores delegit, quibuſcum agerent. Fredericus Palatinus facundâ oratione concordiam ſuaſit. [a] Illi poſt bidui conſultationem ſe quatuor rationibus excuſarunt: Prima fuit; [b] Se haud ſatis auditos à Cæſare, prout indictum fuerat cùm eò accerſerentur: ſecunda; Sibi non fuiſſe ſcripto traditam aduerſariorum reſponſionem: tertia; Non poſſe ab ipſis illam recipi, conſcientiâ reclamante: quarta; Non fuiſſe Concilium coactum; quod Spiræ ſtatutum fuerat.

[a] Eius ſumma eſt apud Sleidanum lib.7. anno 1530.
[b] Vide Coeleum ſuprà citatum.

2 Ad hæc Palatinus communi nomine reſpondit. Ad primum; Fuiſſe humaniter à Cæſare auditos, & coram ſe, & per libellum, eoſque ampliùs auditum iri, ſi quid aliud eſſent allaturi. Ad ſecundum; Permiſſum à Cæſare, vt non ſemel ipſis reſponſa recitarentur, non tamen vt ex ſcripto traderentur; ſatis quippe memoriâ reti-

1530. nebat conuitia, quibus eorum concionatores Edictum suum Wormatiense discerpserant, per grauem Cæsaris atque Imperij contumeliam: proinde ea scripto illis tradere noluisse, nisi prius datâ ab ipsis fide, ne vlli absque permissu Cæsaris communicarent. Ad tertium; Vt æqui boniq́ue consulerent quod admonebat, eos videlicet debere potius conscientiæ stimulis agitari, quòd Fidem deseruissent, in tot Regnis, per tot sæcula, à tot Patribus Conciliisq́ue comprobatam, aliamq́ue suscepissent tam inordinatam, tam incompositam, vt eos pauculis annis in sectas innumerabiles disciderit. Ad quartum dixit; Nondum Cæsari per bella licuisse animum ad Concilium adiicere; at ex altera parte, Lutherum Wormatiæ Conciliorum auctoritatem palàm contempsisse, nec potuisse vmquam flecti, vt futuro Concilio se permitteret; posteà verò plurima conscripsisse contra Conciliorum auctoritatem: proinde immeritò ab ipsis Tribunal illud postulari, quod eorum princeps tamquam auctoritate vacuum repudiabat.

Ad quinque postulata res Protestantium redigebatur. Ea erant: 3
Eucharistiæ perceptio sub vtraque specie: Sacerdotum coniugium: *Canonis* prætermissio in *Missæ* sacrificio, quòd illis videbatur in eo Sanctorum non modò cultus, sed inuocatio contineri, ipsis improbata: Bonorum Ecclesiasticorum, quæ iam occupauerant, retentio: & Concilij celebratio, in quo ceteræ controuersiæ expenderentur. His postulatis Campeggio à Cæsare patefactis, & ab illo ad Pontificem perscriptis, atque in Purpuratorum Senatu * recitatis, decretum est: Cùm ea tam oppositos Religioni articulos suscitarent, & qui tam graui forent disciplinæ legibusq́ue Ecclesiæ detrimento, admittenda non esse; grates tamen Cæsari agerentur de Religionis studio, quo in reuocandis ad Ecclesiam transfugis laborabat.

* 6. Iulij, in Diario citato Ludouisiorum.

His Româ delatis responsis, quò tamen iniretur concordia, à 4
Cæsare votis omnibus expetita, cùm ad Reipublicæ Christianæ bonum, tum ad Germaniam secum coniungendam aduersus Turcarum conatus, septem denuò vtrimque delecti, qui simul operam studiumq́ue conferrent; & ex quibus bini essent Principes, bini Legisperiti, terni Theologi. Designati sunt pro parte Catholicorum inter Principes Christophorus Episcopus Augustanus, Henricus Dux Brunsuicensis, cui obeunti suffectus Georgius Saxoniæ Dux; inter Legum Consultos, duo Cancellarij, alter Septemuiri Coloniensis, alter Marchionis Badensis; inter Theologos, Ioannes Eckius, Conradus Vimpina, & Ioannes Cocleus: pro Luthe-

rana,

rana, ex Principibus Ioannes Fredericus, filius Saxoniæ Septemuiri, 1530.
& Georgius Marchio Brandeburgensis, cuius patrui erant Moguntinus & Ioachimus Brandeburgensis Catholici Septemuiri, at ipse hæreticus, & frater Alberti, supremi Magistri Equitum Teutonicorum, qui pariter, vti diximus, à Catholicis desciuerat; ex Legisperitis, Gregorius Pontanus, & D. Hellerus; ex Theologis, Philippus Melanchthon, Ioannes Brentius, & Erardus Schnepsius. Cœpit congressus 16. Augusti, & complures dies consumpsit, multa dogmata Catholicis concedente Melanchthone, aduersarũ partium principe; qui non prauo, sed deprauato erat ingenio, ac tam pacis cupidus, quàm Lutherus certaminis. Nec vero consonat, quod adducit Suauis ad eleuandam partis Catholicæ prærogatiuam, videlicet concordiam in leuibus ac minutis quibusdam constitisse. Fuit enimuerò in potissimis articulis, quibus consensit tunc Lutherana pars, aduersus quàm priùs ipsa docuerat, ac postmodùm docuit. Melanchthon ipse producatur testis in ipsius epistola ad Legatum scripta, quam Cælestinus hæreticus in historia sua recenset. *Dogma, inquit, nullum habemus diuersum à Romana Ecclesia. Multos etiam repressimus, qui perniciosa dogmata serere conati sunt; cuius rei extant publica testimonia. Parati sumus obedire Ecclesiæ Romanæ, modò vt illa pro sua clementia, quâ semper erga omnes homines vsa est, parua quædam vel dissimulet, vel relaxet, quæ iam, ne quidem si velimus, mutare queamus. Neque fidem habeat R^ma. D. T. maleuolis nostris, qui nostrorum scripta scelerate deprauant, & affingunt quidquid videtur ad inflammanda publica odia quoquo modo facere. Ad hæc Romani Pontificis auctoritatem, & vniuersam politiam Ecclesiasticam reuerenter colimus, modò non abiiciat nos Romanus Pontifex. Cùm autem concordia facilè possit constitui, si æquitas vestra paucis in rebus conueniat, & nos bonâ fide obedientiam reddamus; quorsum opus est supplices abiicere? quorsum opus est supplices ferro & igne prosequi? Multis non dubium est, quin R. D. T. nullo modo probatura sit violenta consilia, si causam nostram, & voluntates nostras penitus norit. Nullam aliam ob rem plus odij sustinemus in Germania, quàm quia Ecclesiæ Romanæ dogmata summâ constantiâ defendimus. Hanc Fidem Christo & Romanæ Ecclesiæ ad extremum spiritum, Deo volente, præstabimus. Leuis quædam dissimilitudo rituum est, quæ videtur obsistere posse concordiæ. Sed ipsi Canones fatentur, concordiam Ecclesiæ in huiusmodi rituum dissimilitudine retineri posse.* Pro se quisque reputet, num hæc sit oratio Lutherani, parati conuenire cum Ecclesia Romana tantummodò in leuibus ac minutis quibusdam, seruatâ in tot grauissimis discrepantiâ, in quibus à Catholicis ea secta dissentit. Sed singulatim,

1530. quænam ea ſint, inſpectemus. Atque iis omiſſis, in quibus nunc etiam idem quod Lutherani, Catholici ſentiunt; admiſerunt tunc in quarto articulo: Ne amplius diceretur, nos iuſtos reddi per ſolam Fidem, quòd hoc effatum in ſacris Literis non reperiatur: ſed per Fidem, & per Gratiam. In ſexto: Neceſſe eſſe, vt bona opera, quæ Deus præcipit, efficiamus. In ſeptimo: In hac vita contineri ab Eccleſia non ſolùm electos ad gloriam, ſed præſcitos æternùm puniendos. In decimo octauo: Ineſſe homini liberum arbitrium, tametſi nequeat abſque diuinâ gratia iuſtitiam aſſequi. In vigeſimo primo: Cælites pro nobis Deum deprecari, eorumque memoriam ſtatis diebus piè recoli: quamquam ipſorum inuocationem neque comprobare neque improbare voluerint. Ad ſummam, ex viginti & vno capitibus ad Fidem pertinentibus, in quindecim plene cum Catholicis conſenſere; in tribus ex parte; tria reliqua reiecerunt ad illa ſeptem, quæ ſpectant ad abuſus, Romanæ Eccleſiæ ab illis adſcriptos.

Ex his autem ſeptem conceſſere primum; hoc eſt, Chriſtum integrum ſecundùm Corpus & Sanguinem contineri ſub vtralibet ſpecie; nec ab illis damnari eos laicos, qui ſub vna ſolùm Euchariſtiam ſumerent. In quinto conuenere de ieiunio in multis dierum ſacrorum peruigiliis, ac de multorum Feſtorum celebritate. In ſeptimo, comprobarunt Epiſcoporum iuriſdictionem, eiſque debitam obedientiam à Parochis, à Concionatoribus, à Sacerdotibus in cauſis Eccleſiaſticis; & ne inflicta ab iiſdem anathemata ex ſacrarum Literarum nòrma impedirentur. Quâ igitur audaciâ Suauis aſſerit, *fuiſſe hæc quædam doctrinæ capita minoris momenti, altaſq; res leues, ad ritus quoſdam ſpectantes?* Adeò hæc grauia fuere, vt Melanchthon in odia vituperationeſque ſuorum delapſus fuerit; præcipuè quòd iuriſdictionem Epiſcoporum comprobaſſet, quæ videbatur fundamentum illius machinæ, quam Lutherus euertere conabatur. At in Vita Melanchthonis comperio, id ab eo non fuiſſe peractum inconſulto magiſtro. Sed fortaſſe pèr huiuſmodi poteſtatis declarationem, erat animus aucupandæ gratiæ tot inſignium potentiumque capitum, quotquot erant in Germania Præſules, eorumque cauſæ à Vaticana ſeiungendæ. Vtcumque id euenerit, certum eſt, dum Melanchthon aquam ad extinguendum incendium propinabat, multò plus ſulphuris ſubdidiſſe Lutherum ſuis literis, quæ typis editæ leguntur. 5

Spes adhuc ſuberat Cæſari, faciliùs paucos quàm multos in concordiam ituros; ita congreſſum ad ternos vtrimque coarctauit: hinc 6

hinc ad Eckium, duosque Legisperitos: hinc ad Melanchthonem, duosque pariter Legisconsultos. Sed nihil amplius confectum, propterea quòd, ipso Sleidano teste, Melanchthon vltrà progredi vetitus fuit. Atque ita Fidei professionem alterius calculus, non propria conscientia metiebatur. Neque in hoc par erat Lutheranorum Catholicorumque conditio. Illi, vel cum plurima iactura vincebant, modò cuncta non deperderent: hi cuncta prorsus deperdebant, vno solùm deperdito; quemadmodum deperditur tota ciuitas, tametsi reliqua mœnia defendantur, modò muri pars decempedalis perfringatur ab hostibus. Nostra Fides vnico articulo indiuiduo vniuersa innititur, qui est auctoritas Ecclesiæ falli nescia: quapropter statim ac quamcumque partem desereremus, vniuersa corrueret; cùm in comperto sit, indiuiduum vel integrum perstare, vel integrum deficere. Atque hinc ortum duxit recepta S. Thomæ doctrina, non posse vni articulo Fidem abrogari, quin in reliquis omnibus concidat Fides: quippe quòd tunc fortasse reliquis credi posset ex peculiaribus humanisque argumentis, non ex obiecta Dei loquentis auctoritate, omnibus articulis communi, quæ Fidei actum constituit. 1530.

7 Denique desperatâ concordiâ, Cæsar ex sententia plurimorum Principum atque Imperij Ordinum, quæ in recessu statuta erant promulgauit. Ibi commemoratâ Cæsaris curâ ac diligentiâ in Comitiis adhibitâ pro Religionis concordia, eorumque successu, tempus indulgebatur Principibus, Ciuitatibusque Protestantibus vsque ad 15. Aprilis, quo palàm faterentur, an vellent vsque ad futurum Concilium cum Sede Apostolica, ac reliqua Imperij parte, de Fidei summa conuenire. Interim verò ipsis præscribi, ne finerent suis in ditionibus quidquam typis excudi, vendi, seu innouari in rebus Religionis, neque ipsorum subditos in ea exercenda perturbarent; nec aliorum subditos ad suam Religionem pertrahendos curarent. Vnà omnes conspirarent aduersum Anabaptistas, & negantes Diuinam Eucharistiam; repudiatâ hoc pacto Confessione quatuor Ciuitatum, quæ Zuinglio adhæserant. Et quoniam, subdebatur, iam dudum Generale Concilium haud fuisset celebratum, fierique potuerat, vt variæ corruptelæ pullulassent in Ordine tam laico quàm Ecclesiastico; idcircò Cæsarem cum Sede Apostolica, ac dein cum Imperij Ordinibus decreuisse, vt intra sex menses Concilium Christianum liberum Generale in aliquo opportuno loco indiceretur, daturumque operam, vt reliqui Principes Christiani consentirent: Concilium verò ad summum post annum ex quo indictum fuerit,

1530. congregaretur. Sed cùm diuino humanoque iure interdictum sit, ne suum vlli auferatur, iubebantur intereà erepta Ecclesiasticis bona restitui.

Verùm his conditionibus reiectis à Protestantium primoribus, 8 aliud Edictum edidit, cui reliqua Principum Ordinumque Imperij pars subscripsit: vbi cùm ea omnia quæ in priori continebantur, eiusque insuper repulsam commemorasset; recensitos errores, quibus Anabaptistæ, Zuingliani, Lutheranique quà in doctrinis, quà in ritibus insistebant, singulatim prohibuit; Ecclesiastica bona reddi iussit; in suam Imperiique Fidem recepit hæreticorum subditos, dummodò in Catholica Religione fideliter persisterent; cunctisque iniunxit, vt ad Concilium adeundum essent parati, quod à Pontifice se impetraturum intra prædictum temporis spatium pollicebatur.

CAPVT V.

Agitatur Concilij celebratio.

VBi Cæsar ad Comitia peruenit, animaduerterat communia 1 Germanorum vota ad Concilij celebrationem propendere. Illud hæretici efflagitabant; leuiores quidem egentioresque, melioris fortunæ spe ex ea publici corporis commotione: sagaciores verò potentioresque, cunctationis studio, protrahendæque minùs impudenter contumaciæ; ceterùm sperantes, vel se minimè impetraturos, vel certè impetraturos eâ formâ, vt possent aliquid posteà prætendere ad Concilium recusandum. Alioquin hi Concilium non solùm non cupiebant, sed formidabant; certi proscriptionis, & veriti Tribunal tantæ auctoritatis ac roboris. Imò cùm esset Concilium ex Ecclesiasticis conflandum, pertimescebant laici, ne ab illo adigerentur ad reddenda Ecclesiæ sublata bona; adeò vt Aleander, in Wormatiensi Conuentu Nuntius Pontificius, hæreticis perpetuò Concilium conclamantibus, simulauerit semel, per tabellarium, qui Româ alia de causa aduenerat, fuisse ad se delatum Decretum de Concilio conuocando, confestim verò cuncti mœsto silentio conticuerint.

In Scriptura ab Aleandro missa ad Campeggium, cùm Legatus adiit Norimbergensem Conuentum.

Catholici pariter postulabant; aliqui ob detectam aduersariorum 2 artem; aliqui, propterea quòd admotis iam frustrà lethali Germaniæ morbo aliis medicaminibus, anceps potiùs quàm nullum malebant; quidam denique, vt omni excusatione refractarios exarmarent, omnique fide apud communem omnium opinionem exuc-

exuerent. Fixa igitur in animo Cæsaris stetit huius necessitatis persuasio, eamque ab initio Pontifici significauit; à quo responsum illico: * Quæsiisse se super ea re sententiam à peculiari Purpuratorum cœtu; multosque censuisse, Concilium haud profuturum: duasque potissimùm ob causas: Primò, Quòd Oecumenica Concilia cogi consueuerunt ad nouas opiniones expendendas, non verò iam damnatas à prioribus Conciliis iterùm agitandas; quales erant recentium hæreticorum sententiæ. Eas enim tunc in disputationem reuocare, perinde videbatur, ac certissimam Ecclesiæ auctoritatem perstringere: nec posse nouum Concilium in eo plus auctoritatis obtinere, quàm veterum definitiones obtinuerant. Secundò, Bellum Turcicum, quod imminebat, Christianas nationes auersurum à Concilio prosequendo; quod certè absque grauissima perturbatione dissolui non posset. Quinetiam per eam occasionem in vnum coactis tòt hominibus turbulenti & contumacis ingenij, timendum esse, ne inter eas Christianæ gentis angustias iidem iniqua minimeque decentia tum à Cæsare, tum à Pontifice violenter exposcerent. In summa, redigendum esse in memoriam, corruptionem optimi, pessimam. Quare quemadmodum ad curandos Ecclesiæ morbos salubrior medicina non suppetit quàm Concilium tempori coactum; ita nullum esse pestilentius venenum, quàm Concilium celebratum eâ temporis conditione, ex quâ eiusdem perturbatio exoriatur. Adiecit tamen Pontifex, cunctis hisce rationibus præualuisse apud se Cæsaris sententiam, qui summo Religionis studio, summaque prudentiâ præditus, eam Prouinciam habebat ob oculos, cui curandæ huiusmodi medela proponebatur: proinde illi concedere, vt si opportunius existimasset, Concilium Pontificis nomine sponderet. Cùm autem Cæsar id sub conditione postulasset, dummodò interim hæretici à suis erratis se deducerent, Concilioque obtemperaturos pollicerentur; petebat hîc Pontifex, vt omnino propositæ conditiones seruarentur, sine quibus, aiebat, indignitatem ac detrimentum Ecclesiæ vitari non posse. Atque ab his compulsus, videtur Cæsar per vtrumque Edictum in illis conditionibus firmissimè perstitisse. Eumdem rogabat Pontifex, vt ea, quæ in Concilio discutienda forent, curaret in eos paucos articulos redigenda, de quibus hæretici potissimùm litigabant, quò diuturnæ moræ parceretur, quippe quæ periculo numquam vacat.

1530.

* Literæ chirographo Clementis tom. 2 Liter. ad Princip. 31. Iulij 1530.

3 De Concilij loco, cùm ibi Cæsar adfuturus esset, parum dicebat referre Pontifici, quicumque tandem is esset: sed vbi videretur in Italia cogendum, tamquam in Prouincia nulli nationum suspecta, cunctis-

1530. cunctisque satis accommodata; aptissimam ad id Romam existimare, Religionis Regiam, ac rebus omnibus affluentem cœtui opportunis: quandoquidem huiusmodi Concilium neque schismatis causà, exorti ex ambiguitate veri Pontificis, aduocabatur; neque ob controuersiam inter Principes Christianos, in quibus conditionibus ea Vrbs suspicioni esse potuisset: sed solùm ad euellenda errorum semina, parandamque expeditionem in Turcas. Sin autem Roma minùs placeret, Bononiam à se proponi, Placentiam, ac demum Mantuam Cæsaris beneficiariam, & Germaniæ proximam. Quapropter per calumniam Suauis affirmat, à Pontifice nonnisi ditionis Ecclesiasticæ vrbem propositam, eò quòd prænosceret, Germanos in eo minimè consensuros; vt euenit. Vtrumque planè falsum; cùm & Pontifex Mantuam obtulerit Concilio, prout videre licet in literis memoratis; & is locus Germanis placuerit, vt constabit. Et quoniam emendatio morum constanter exposcebatur, per easdem literas petiit à Cæsare Pontifex, vt ea quæ corrigenda viderentur, sibi perscriberet, pollicitus se suo muneri haud defuturũ.

Ex hisce literis sincerè perpensis satis liquebit, an Pontifex Con- 4
cilium per simulationem obtulerit, an etiam, cùm illud Cæsar postulauit, sibi offensioni duxerit; nec minus, an putauerit iniuriam sibi illatam ex Augustanis de Religione congressibus iussu Cæsaris initis, quod Suauis autumat: cùm satis constet ex temporum ratione, multò priùs quàm Pontifex hasce literas scripsit, à Cæsare datâ fide publicâ hæreticos accitos ad iam paratum congressum: adeoque Pontificem huius rei conscium, haud prætermissurum fuisse illum ab eo dehortari re adhuc integrâ, dum eidem per concessionem Concilij gratificabatur. Quin è diuerso mihi persuadeo, quamquam Pontifex noluisset se illi negotio intermiscere, ne vel ipsius particeps, vel ipsi consentiens videretur; qua de causa Legatus Pontificis nec interfuit Conuentui, quo dic Confessio hæreticorum perlecta est, nec voluit confutationem suo nomine proferri, tamen rem illi gratam accidisse; quoniam hinc Cæsar Iudicis potestatem in rebus Religionis sibi neutiquam arrogauerat, sed intactâ semper Sedis Apostolicæ auctoritate, cuncta cum Legato communicauit: hinc Pontifex spem summam locauerat * in officiis præsentiaque Caroli, quam in eo spem alebat Dani conuersio, quæ sub illius aduentum acciderat: proinde non parum profutura existimabat Cæsaris tentamenta, lenitate atque auctoritate permixta. Sic enim vel hæretici reconciliarentur, & tunc Pontifex ingentem victoriam reportasset absque sumptibus, hoc est, absque incommodis periculisque

* Literæ Pontificis chirographo ad Cæsarem, 13. Iunij 1530. in 2. lib. Liter. ad Princip.

lisque Concilij: vel obfirmati persisterent; tunc verò & in maius 1530.
od[illegible] Imperij Ordinum incidissent, & hi maiori studio ad illos nouis proscriptionibus percellendos incaluissent; neque Pontifex incusari poterat, quasi mollibus quieti Germaniæ consiliis obstitisset. Quinetiam compertum mihi est, Legatum semel in opinione fuisse adeptæ propemodum magis quàm adipiscendæ concordiæ: vnde in epistola * ad Aleandrum, Archiepiscopum Brundusinum, Nuntium in Spirensi Conuentu scripta, ostendere studens, quantum noceat agendi asperitas cum Lutheranis, queritur, Augustæ, cùm die postero ea esset stabilienda concordia, importunè à Fabro editum fuisse librum, inscriptum *Contradictiones Lutheri*, & ab Eckio, *Syllabum hæreticorum*, vbi Melanchthon recensebatur; quibus rebus illius factionis furor, iam quasi extinctus, reuixit. Illud porrò, quod Suauis addit tamquam aliam causam offensionum Clementis, nimirum quòd consenserit Cæsar auctoritate suâ quibusdam ritibus delendis; haud est historici, narrationem rerum notitiis, sed somniis contexentis, cùm constet, huiusmodi consensus in illis actis ne vestigium quidem conspici. Quod si fortè Cæsar (quod equidem ignoro) spem aliquam Lutheranis fecisset, vbi Fidem Catholicam ij penitus recepissent, indulgendam ipsis alicuius Ecclesiastici mandati relaxationem, discrimenque in aliquo leuiori ritu ab Romanæ Ecclesiæ vsu, vt in Concilio Florentino Græcis permissum fuerat; id sanè fecisset ex aliqua arcana concedendæ facultatis sibi facta spe, de qua, sicut ipse posteà Ratisponæ significauit Aleandro, * censebat sibi aliquid à Pontifice indicatum. Quin ex altera Melanchthonis epistola palàm fit, totum negotium ab auctoritate Legati pependisse.

* 16. Octobris 1531.

* Literæ Aleandri ad Sangam, 25. Aprilis 1531.

5 Ad Historiam redeamus. Deerat conditio, sub qua Cæsar Concilium popoſcerat, hoc est, * vt interim hæretici obtemperarent. Non tamen idcircò destitit ab eo petendo: sed Pontifex per Legatum, suosque Nuntios, Episcopos Vasonensem, & Dertonensem (erat hic Hubertus Gambara, qui priùs in Lusitania, Gallia ac Britannia Nuntium egerat, at posteà inter Purpuratos adscitus) exposuit, præter adductas in memoratis literis rationes, pericula ex præsenti Lutheranorum contumacia impendentia: duplici ex causa tunc expeti Concilium, & quò dissidia Religionis componerentur, & quò Christianorum defensio aduersus Turcas firmaretur; sed neutrius inde spem affulgere.

* Hæc extant in libro citato Archiuij Vaticani Instructionum.

6 Quod spectabat ad primum: Vel admitterentur hæretici ad disceptandum de articulis per priora Concilia iam damnatis, vel non.

1530. Alterum nocentiſſimo futurum exemplo, & in perniciem auctoritatis Eccleſiæ, cùm inde poſteri docerentur, eam habere præſentis Concilij rationem, quæ in ipſo de præteritis fuiſſet habita. Neque faciliùs ex eo conſenſionem ſecuturam, cùm Lutherani non aliam adhiberent rebus Fidei normam, niſi Bibliorum literam in ea ſolùm parte, quæ ipſis pro legitima habenda videbatur, & ex verſione, quæ pro ipſorum libidine fidelis aſſerebatur, eamque locorum interpretationem ſequerentur, quæ ipſorum ingenio magis placuiſſet; quacumque auctoritate deſpectâ, quæ in aliis interpretationibus ineſſet, ſiue ob diuturnitatem ſæculorum eas amplectentium, ſiue ob interpretum ſanctitatem ac ſapientiam.

Per alteram non modò reconciliationi viam omnem intercluſum iri, ſed hæreticos ad atrociorem rabiem irritandos; quippe conqueſturos, ſe vel ab ipſo congreſſu reiectos. Satis intelligere Lutheranos, ſciſſam Eccleſiam per Concilia reſarciri non poſſe, quorum auctoritas ab ipſorum magiſtris tam apertè contemnebatur: adeoque non ex alia cauſa ab illis ea peti, niſi ad fucandam interim ipſorum contumaciam. At ex alio capite formidanda ex huiuſmodi Concilio acerbiora diſſidia: Vigere adhuc memoriam eorum, quæ in Baſileenſi Conuentu per tranquilliora tempora contigerant: magis in præſentia verendum, ne quod turbulentius & ambitione plenius caput, vel, ſi non alij, ipſi certè fautores hæreticorum ex arte iacerent in medium in primis quæſtionem de Principatu inter Concilium & Romanum Pontificem: quæ tunc duo Concilia, duoſque Summos Pontifices ſpectandos dederat in Orbis theatro per vniuerſæ Eccleſiæ diſcrimen atque commotionem, nequidquam obſiſtente immenſo religioſiſſimi Sigiſmundi Cæſaris ſtudio, cuius indefeſſâ operâ eidem Eccleſiæ poſt diuturnum ſchiſma tranquillitas parta fuerat; multò minùs illi Carolum reſtiturum id temporis, cùm domi Lutheranorum conſpiratione, foris Turcarum potentiâ infeſtaretur. 7

In huius litis deciſione, ſi Concilij Patres veræ parti ac Pontifici propitiæ adhæſiſſent, reclamaturos illicò Lutheranos, non liberum, quinimò neque Catholicum eſſe Concilium; vtpote quòd repugnaret Decretis Conſtantienſis, quod quantumuis à Luthero in aliis effatis repudiatum, in hoc tamen tanquam oraculum exciperetur; nullâ prorſus habitâ ratione, quòd tunc in eo lis agitabatur non de vno certo Pontifice, ſed de pluribus dubiis, qui non poſſent alterius ſubdi iudicio, niſi Concilij; perinde, vt accidit in quocumque Principatu, quamuis ad vnum abſolutè Principem referatur. 8

feratur. Sin è contrario pleriq; in Concilio, quà ducti ambitione, quà improbitate, quà etiam fraude decepti, in opinionem oppositam propenderent, mallentque indiscriminatim admittere Constantiensem sanctionem, cuicumque potestati Cæsareæ ac Pontificiæ Concilium anteferentem; inde forsitan euenturum, vt ad obluctandum fortiùs vtrique aduersæ potentiæ, opem ac subsidia quærerent à factione Lutherana, eius erroribus approbatis; eaque viâ niterentur erigere populare Tribunal in Christiana Republica, cui liceret Regnorum omnium titulos recognoscere, sibique Coronas omnes subiicere, conuulso tum vnius Hierarchiæ, cum multiplicis profanæ Monarchiæ statu. Quæ certè damna, tametsi timenda non essent Ecclesiæ, Christi promissis innixæ; non tamen per consilia minùs prudentia, suâque sponte periculosa Deum tentandum. 1530.

9 Quod ad alterum spectabat, vt videlicet contra Solimannum subsidia compararentur; considerandum esse, nihil ad eam rem Concilium conducturum, cuius initium ad sesquiannum trahebatur, ante quod tempus Solimanni arma imminebant; qui etiamsi alioqui moram trahere habuisset in animo, statim ac indictum Conuentum audiret ad contrahendas in vnum contra se vires Christianæ Reipublicæ, expeditionem maturaret: interim verò, qui mallent parcere sumptui, & illius collationis incommodo, ad excusationem prætenderent, velle se præstolari, quam cuique partem ferendi subsidij Concilium decerneret. Prætereà, quænam esset rerum peruersio, Synodo simul belloque operam dare? Quantò confidentiùs hæretici, armis instructi, minitantesque se ad hostem transfugituros, vt ab Ecclesia & ab Imperio per vim extorquerent eas facultates, quæ confestim ab aliis populis dein efflagitatæ, vtrique Principatui excidium inferrent? Quî fieri posset, vt belli tempore Concilio Cæsar interesset, cuius præsentiâ vnicè fretus Pontifex posset & seipsum & Dei causam tutò concredere illi Conuentui citra schismatis metum inter tantam nationum, affectionum, ac sententiarum varietatem? Postremum erat, videri Vaticanis Patribus negotia Fidei pertractantibus, Concilium ad neutrum ex optatis finibus quidquam conducere; quin grauissima euidentissimaque pericula vtrique minari: nihilominùs Pontificem in Cæsaris Imperiique prudentia se collocare, & malle Consiliarij solùm partes exercere, vbi Iudicem agere potuisset: disertè tamen significare, ad id opus esse ceterorum Christianorum Principum consensu, ac præcipuè Gallorum Regis.

10 Transgressus in Belgium Cæsar, Pontificiis Ministris ex scripto respon- In libro citato Archiuij Vaticani.

1530. respondit: Allatas Pontificis nomine rationes, grauissimas videri, easque se per literas exposuisse fratri Romanorum Regi (* electus hic fuerat in Comitiis Septemuiralibus Coloniæ habitis paulò post Generalem Augustanum Conuentum) aliorumque Principum Catholicorum consilio; cunctosque in ea persistere persuasione, Concilium superesse vnicum ac necessarium his vlceribus medicamentum. Proinde ad obices amouendos, se iam Regi Galliæ proposuisse Concilij conuocationem, & mutuum vtriusque fœdus ad tuendam ibi ab omni iniuria indemnem Sedem Apostolicam, ac ipsum Pontificem: Gallum verò assensum esse Concilio, de altero nondum post duos menses responsum reddidisse. Verumtamen à se probari quidquid Gallus Pontifici significasset, ad quem nouerat eade re perscripsisse. Se ob oculos Pontificis ponere grauissimum ex dilatione periculum: *Vt ipse* (inquit) *tamquam Christianæ nationis Præses, cuius obsequium & obedientiam deferri ab omnibus par est, illud decernat, prout magis expediat Domini nostri gloriæ, Religionis Christianæ præsidio, ac sanctæ Matris Ecclesiæ, Sedisq. Apostolicæ indemnitati. Ac pro certo habeat, Cæsarem cum Rege fratre, quò res aptè procedat, & præsentiâ, & suarum ditionum viribus illi adfuturum, vti ipse iam spoponderat. Idemq. sperabat, reliquos Christianos Principes præstituros, vbi sanctissimum Pontificis Decretum accepissent.* Cùm igitur Clemens ex Senatus Purpuratorum sententia ad Dertonensem Episcopum misisset conditiones cogendi Concilij cum Cæsare sanciendas, si constanter censeret illud opportunum fore; Nuntius tunc eas exposuit.

* Sleidanus in fine lib. 7.

In libro Instructionū, in diuersis scripturis spectantibus ad Concilium, in Archiuio Vaticano.

Prima erat: Vti Synodus indiceretur & haberetur tantummodò ad contrahenda contra Turcas subsidia, ad Lutheranos ad frugem reuocandos, ad hæreses extinguendas, ad pertinaces mulctandos. Erat profectò ea conditio rationi consentanea: si enim Concilium indiceretur, ac generatim coiret ad quæcumque agitanda, verendum sanè erat, ne hæretici ex reis callidè actores euaderent, vrgentes morum emendationem, legumque mutationem; & ne multi ex eo cœtu, vt assolet in huiusmodi rerum capitumque varietate, spe ducti alicuius sanctionis sibi conducibilis, in postremum locum Religionis controuersias discutiendas reiicerent: ex quo ingens digladiatio ac perturbatio esset oritura ob iudiciorum vtilitatumque dissidia, nec vmquam ad definienda dogmata deueniretur, quibus animorum salus & Ecclesiæ vnitas firmarentur; adeoque Concilium noua potiùs Christianæ Reipublicæ vulnera inflixisset, quàm inflicta curasset. Verùm hæc tam valida ratio à Pontifice prolata, languescebat; quippe qui rem suam agere videbatur, quasi formida- 11

ret

ret à Concilio ad quæcumque vniuersè sancienda coacto, Aulæ 1530.
Pontificiæ correctionem. Quapropter à Cæsare responsum; Quò præcedentium Conciliorum mos seruaretur, omnisque præcluderetur aditus contemptui atque calumniis, satius videri absque vlla coarctatione illud conuocare; cùm posteà in ipsa re ad Pontificem pertineret, quid in eo proponendum, quid agendum, præscribere. Ex qua responsione scripto tradita satis liquet, à Cæsare Pontificé fuisse agnitum vt moderatorem Concilij, non vt illi subiectum.

12 Altera conditio erat: Vt ipse Cæsar interesset Concilio, eoque abeunte Concilium ceu dimissum haberetur. Ex quo intelligitur, quàm discrepet à vero id quod Suauis hac in re comminiscitur de Pontificis animo Cæsari diffidente; cùm potiùs ex aduerso Clemens consideret, Cæsarem præsentiæ maiestate futurum vnicum tutamentum inter tot ingeniorum propensionumque discrimina. Ad hoc Cæsar respondit: Vbi statueretur Concilium maturè indicendum, se quibuscumque posthabitis libenter interfuturum, quamdiu ad prosperum rei exitum id opportunum censeretur.

13 Tertia: Vt in Italia Synodus haberetur, in vna ex vrbibus à Pontifice designatis in epistola suprà commemorata. Responsum à Cæsare: Sibi quidem placere vrbes omnes à Pontifice propositas; at verò Germanis Mantuam acceptam fore, quæ inter alias proponebatur, vel Mediolanum.

14 Quarta: Ne quisquam Ius suffragij obtineret, nisi cui è sacrorum Canonum præscripto tribueretur. Eâ conditione opus erat, quòd innotuerat hæreticorum sententia, quæ iuxtà laicis ac Episcopis ius suffragij concedebat: adeoque nisi hoc præcaueretur, Concilium iniri non poterat; cùm in comperto sit, antequam iudicium exerceatur, oportere iudicem constitui. Responsum ad id generatim: Formam ac morem superiorum Conciliorum in eo seruanda; quod excludendis laicis erat satis. Hinc patefit Suauianæ narrationis falsitas, quæ Cæsarem inducit à Pontifice postulantem, vt ex priuilegio illis quoque suffragij ius indulgeret, quibus neque lex neque consuetudo concedebat.

15 Postrema fuit: Vt Lutherani Concilium flagitarent, literasque procuratorias legitimè mitterent: cùm enim ipsorum reconciliationis gratiâ Synodus celebraretur, consentaneum videbatur, vt & ipsi eam poscerent, & eidem se obsecuturos pollicerentur. Verùm cùm hæc conditio haud speranda videretur, eius abrogationem Nuntio permisit Pontifex, & re ipsâ fuit abrogata: nam vt in responsione Cæsar affirmauit; *Omnibus explorata erat hæreticorum*

1530. *pertinacia & petulantia; ac proinde frustrà cum illis super ea re certamen suscipi; atque vtcumque foret, præcipuam conuocandi Concilij causam esse, vt contra ipsos gereretur.* Ex qua responsione conficitur, falsò affirmasse Suauem (vt Operis huius initio [a] redarguimus) delusam à Concilio proborum spem de reconciliandis hæreticis.

[a] Cap 7. Apparatus.

His responsis, cum aliis Cæsaris de eadem re literis, à Petro à Cueua [b] Summo Cæsareæ Domus Præfecto Pontifici traditis, & in Vaticano Senatu recitatis, [c] communi Clementis, & singulorum Patrum sententiâ Concilij celebratio decreta. Quæ ad locum, aliasque rerum conditiones spectarent, Pontificis prudentiæ permissa, qui ad deliberandum de his peculiarem cœtum colligeret. Quare omni, quod in se erat, sublatâ morâ, primâ Decembris ad cunctos Christianos Principes eiusdem tenoris Diploma cõscripsit, in quo nullius postulatione commemoratâ, quò auctoritatis suę vim supremam ostenderet, aiebat, se sperauisse per Cæsaris præsentiam hæreticos ad Ecclesiæ gremium reuocatum iri, quod præter Christianæ Reipublicæ vnitatem, magno fuisset emolumento ad se aduersus impetum minasque Turcarum communiendos. Sed vbi Cæsaris literis, suique Legati ad id posteà missi perceperat, nullum amplius ex ea opera fructum sperandum, se suumque Senatum existimare, nullum fore remedium siue tutius siue promptius eo, quod per huiusmodi occasiones adhibuerat Ecclesia; videlicet Vniuersali Concilio, ab ipsis Lutheranis postulato, vnde perpetuò duratura huius hæresis curatio præscriberetur, & satis virium ad resistendum Solimanni conatibus compararetur. Proinde se Principes singulos cohortari, vt pro se quisque tam pium opus promoueret, omnesque, si fieri posset, per se Synodo præstò essent, vel certè per suos Oratores: Episcopos etiam suarum ditionum admonerent, vt ad idem parati promptique forent; cùm ipse eam breuî esset indicturus in maximè opportuno Italiæ loco. Ac tempori quidem superuenere literæ à Galliæ Rege, qui Pontificem ad id ipsum hortabatur. Hîc bis quàm callide tam frigidè suum euomit virus Suauis: semel, dum ait, Pontificis administros ex industria vbique curasse, vt horum Diplomatum rumor spargeretur; quippe qui quamquam à Concilio abhorrerent, studebant tamen homines in Aulæ Romanæ obsequio continere, per opem futuræ propediem morum correctionis: perinde quasi vniuersale Diploma, ad singulos Christiani nominis Principes destinatum, vbi nihil arcani, plurimumque curiositatis inerat, plurimâ egeret industriâ vt vulgaretur. Iterùm, dum opponit, fuisse animaduersam Pontificis affectationem ad Conci- 16

[b] Augustâ 16. Octobris 1530. in Diario citato Ludouisiorum.
[c] 28. Nouembris 1530. ex eodem Diario citato.

Lectæ in Senatu 5. Decembris 1530 vt in Diario citato Ludouisiorum.

Concilium, nondum loco ſtatuto inuitantis. Quaſi verò potuiſſet locus conſtitui, nondum conſultis ſuper eo Principibus; & ipſum Diploma ad aliud eos inuitaſſet, quàm vt ipſi parati eſſent, promptoſque haberent Epiſcopos ad Concilium adeundum, vbi fuiſſet indictum: quæ Principum voluntas, opus erat vt priùs innoteſceret Pontifici, quàm Concilium indiceret, ne quid fruſtrà inceptaret. Neque quidquam aliud per ea Diplomata voluit Clemens, niſi omnibus palàm facere, à ſe pariter opportunum exiſtimari Concilium, ſibique eſſe in animo id celebrare, dummodò alij Principes non obſtitiſſent. 1530.

CAPVT VI.

Apologeticæ literæ Proteſtantium ad Galliæ & Angliæ Reges: & quid his impetratum. Aleander Nuntius, ad Conuentum Spirenſem & ad Cæſarem legatur.

1 PRoteſtantes iterùm Smalkaldæ conſpirantes, ſtatuerunt Auguſtano Decreto neutiquam obtemperare, armiſque ſeſe tueri, à variis Lutheri libris ad ea inflammati; qui cùm priùs docuiſſet, non eſſe Magiſtratibus reluctandum, dum verebatur id ſibi ſupra vires eſſe, eoſque irritare periculoſum, tunc factâ virium acceſſione, ſententiam mutauit. Hi ergo, vt Pontificis Diplomati aliquam excuſationis ſpeciem obtenderent, literas in modum Apologiæ ad Gallorum Anglorumque Reges ſcripſere, ſuæ cauſæ rationem reddentes, Concilium liberum flagitantes, & vtriuſque Sceptri opem implorantes. Vterque Regum alienus à Cæſare, cupiduſque ad clientelam ſuam contumaces illius ſubditos pertrahere, perhumano reſponſo Concilij petitionem tamquam iuſtam comprobauit, & Anglus inprimis ad eam rem apud Cæſarem operam ſuam ſpopondit; neuter verò quidquam penſi habuit eorum hæreſim incuſare: vnde Proteſtantium contumacia in Pontificem ac Cæſarem animoſior ſeſe erexit, & Gallus etiam Guillelmum Bellayum Langeum ad eos miſit, quò fœdus cum ipſis iniret, opemq; ad ipſos tuendos offerret (non ad Cæſarem offendendum, vt refert Martinus Bellayus Guillelmi frater in ſua * Hiſtoria) quæ res anſam præbuit hæreticis Germanis & Gallis, eas literas, eaque negotia Franciſci Regis iactandi, quaſi iura quæ ſibi arrogauerant promouentis; quamquam ille reuerà ſemper Fidei Catholicæ tenaciſſimus extiterit, capitalique ſupplicio * eos omnes multauerit, qui auſi ſunt 1531.

* Lib. 4. & Spondanus ann. 1531. num. 31.

* Vide Catharinum Auila lib. 1.

1531. ſunt per ſua Regna veteri Religioni obloqui & aduerſari. Sed ea quæ tunc eorum animos occupabat perturbatio, vtrique Regi aciem hebetauit, ne grauiſſima quæ impendebant mala proſpicerent, dum incendium in aliena domo fouebant, mox ad proprias irrupturum. Vult præterea [a] Guicciardinus, ſtimulatum à Franciſco Solimannum, ad Germaniam inuadendam, quod [b] à Gallis ſcriptoribus negatur: at ſi fortè verum eſſet, [c] ab eorum ſincera pietate meritò vituperatur. Enimuerò Turcarum aggreſſio, quod mox videbimus, nullum attulit Gallicæ potentiæ incrementum, ſed ingens Eccleſiæ Catholicæ detrimentum.

a Lib 10.

b A Bellayo & Spondano, locis citatis.

c A Spondano.

Conſpicatus itaque Cæſar, Lutheranos Principes, Decreto Auguſtano inobſequentes, oblato Concilio haud acquieſcere, gnarus etiam ſe non poſſe vires ſuas in eos conuertere, cùm ſatis non eſſent, quæ abſque illorum viribus hoſti potentiori reſiſterent; cœpit denuò viam aliquam inire, quâ eos conciliaret, indixitque nouum Spiræ Conuentum, ad rei tum ſacræ tum profanæ præſidium. Ibi iuſſit Pontifex, quò cuicumque contra Religionem molimini iretur obuiàm, intereſſe Archiepiſcopum Aleandrum, Nuntium à ſe Cæſari deſtinatum; quippe illius cauſæ ac Principis ſatis expertum, eidemque gratùm ex inſita nobis voluptate cum iis agendi, quibus gratificati ſumus. Quod ſanè tunc patuit, cùm & illum Cæſar hilariter exceperit, & de iis quæ Wormatiæ acciderant, iucunde meminerit. Sed antequam ad Aulam Cæſaris Aleander adiret, Spiram contendit, vt indicauimus, ſed ignoto habitu, ex Legati conſilio, ne quem motum cieret; poſteà verò Ferdinandi Regis permiſſu palàm prodiit. Verùm ibi Conuentus non coaluit, dilatus quò Cæſar intereſſet, & ſequenti vere Ratiſponæ indictus. Inde Bruxellas abiit Aleander, vbi Cæſar vnà cum Legato aderat, eique literas Pontificiâ [*] manu ſcriptas reddidit, in quibus, cùm reliqua in Aleandro reponeret, vtpote ſummâ doctrinâ conſpicuo, mentiſque Pontificiæ ſatis gnato, duo adiiciebat. 2

* 21. Septẽbris 1531. in libro Archiuij Vaticani, inſcripto, *Acta Conuentus Ratiſponenſis, & alia quædam viſu digna.*

Primum: Si Cæſar, quò grauiorem euitaret cladem, opus eſſe cenſeret aliqua concedi, quæ, niſi compelleret neceſſitas, concedenda non forent, curaret, ne indulgentior in iis eſſet, quæ reliquas Orbis Chriſtiani Prouincias offenderent; pactioneſque ita ſanciret atque firmaret, ne poſtmodum eo diſcedente res ad priora incommoda relaberetur. Præterea, ne quæ Germaniæ concederentur, eſſent huiuſmodi, vt reliquas nationes allicerent ad eadem efflagitanda, ſicut in quibuſdam euenerat. Quod apertè Suauem falſi redarguit, affirmantem, vt retulimus, indignatum Pontificem, quòd Cæſar 3

Auguſtæ

Augustæ in spem adduxerit hæreticos, ipsis aliquid indulgendum in ritibus ac præceptis, vbi Catholicæ Fidei dogmata recepissent. 1531.

4 Alterum in eo erat; Quòd Pontifici suboluerat, ab Alphonso Ferrariæ Duce fuisse Cæsari significatum, interceptas à se Clementis literas ad Galliæ & Britanniæ Reges, quibus ipsis amplè se facturum satis pollicebatur, modò Concilij negotium interturbarent. Tulit id ægerrimè Pontifex, enixeque à Cæsare petiit, vt pro sua in ipsum beneuolentia efficaciter hasce literas in veritatis lucem ab Alphonso proferendas curaret. Quapropter impensissimè Nuntio iniunxit (cui explicauerat in mandatis, id in quo Pontifex satisfacturum se Regibus fatebatur, solum esse cuiuscumque sententiæ suspensionem de coniugio inter Catharinam & Anglum legitimo declarando) vt Cæsarem ad eam rem enucleandam vrgeret: quod si responderet Cæsar, se de Pontificis integritate minimè dubitare, haud tamen acquiesceret. [a] Cæsar speciem præseferens quasi incompertum quiddam audientis, respondit; Etiamsi ea Alphonsus insinuasset, haud se fidem adhibiturum fuisse, gnarum vnde res emanasset, & confestim cuncta Pontifici significaturum fuisse. Nuntius tamen haud destitit, sed ex præscripto Pontificis multa subdidit de infenso Ducis animo in Leonem & Clementem, de iis, quæ contra hunc per literas egerat cum Adriano in Hispania, statim ac Pontificatum iniit, de suppeditatis commodis exercitui ad Romæ cladem properanti; iterumque institit, vt quando exploratum erat, ab Alphonso ea fuisse iactitata, Pontificem Carolus solaretur, curaretque, vti Dux vel mitteret vel ostenderet literas interceptas. At Cæsar, captato ad deliberandum spatio, iterumque Nuntio stimulante, [b] subiecit, incredibile sibi videri, ab Alphonso haud amotæ mentis homine ea fuisse iactata: vnde res vltrà non processit.

5 In eodem congressu Aleander aliud negotium insinuauerat, quod valdè solicitum habebat Cæsarem; id erat propositum à Rege Galliæ connubium inter Henricum Aurelianensem Ducem, eius filium secundo loco genitum, & Catharinam Alexandri Ducis sororem, sed iustis nuptiis genitam, adeoque neptem Patruelis Clementis. Communicauerat hic Bononiæ cum Cæsare hanc Regis petitionem, per speciem consulentis: ille verò, siue rem inanem ratus, nolensque per dissuasionem se Pontifici obstringere, vt ea illi emolumenta rependeret, quæ tam splendidæ nuptiæ pollicebantur; siue quòd, statutâ apud se Italiæ pace, perspiceret conductura publicæ vtilitati eam Pontificis cum vtroque Principe coniunctionem, ad consensum hortatus est. Deinde Rex, mutato consilio, aliam

[a] Literæ Sangæ ad Aleandrum eadem die; hoc autem cum reliquis scripturis, spectantibus ad ea quæ gessit Aleander, tam Nuntius quàm Legatus, tradita fuerunt Sirleto Vatic. Biblioth. Custodi ab Alexandro Coruino, aliquot annis post mortem Marcelli II. qui eas habebat.

[b] Literæ Aleandri ad Iacobum Saluiatum 14. Nouembris 1531. quæ cum sequentibus extant in volumine Biblioth. Vatic.

1531. Henrico filio vxorem à Rege Romanorum popoſcerat. Cæſar verò, ſeu coloratæ ſeu veræ rationis obtentu, reſpondendum à fratre curauit; Cùm de altero Henrici coniugio cum Pontifice agitatum fuerit, haud par eſſe, illud obturbare; quòd fortaſſe coniiceret ex ea Regis varietate, eò magis eius animum alienum à filij nuptiis ad priuatam ſponſam demittendis, eoque propenſiorem erga ſe Clementis animum futurum, dum ad extollendam illius familiam vel per æmuli affinitatem operam dabat; infenſiorem verò erga Franciſcum Regem, qui Clementem ſpei vmbrâ allexiſſet, eiuſque in credendo leuitatem publico riſui traduxiſſet. At verò vbi Rex cœpit rem acriùs ac feriò vrgere, Carolus ſuis adminiſtris Romæ degentibus ſignificauit, ſibi huiuſmodi negotij progreſſum minimè probari. Quare per Nuntium Pontifex conqueſtus, rei ſeriem Cæſari reſeruit, oſtenditque, priùs quidem patefactâ ſibi Caroli voluntate, fas futurum fuiſſe, oblatam ſpem honeſtis excuſationibus præcidere; nunc verò ab ipſo etiam compulſus eò vſque progredi, ſi ex improuiſo retrocederet, maximum aditurum diſcrimen, Regis Gallorum animi altiùs vulnerandi, qui ſe & repulsâ deſpectum, & mutatione deluſum exiſtimaret.

Tunc igitur Cæſar Oratoribus Pontificiis declarauit, ſibi quidem alioqui coniugium illud placere, ſed ex eo ſolùm ſolicitudinem iniici, quòd à ſuis adminiſtris audierat, deſtinatam à Pontifice Parmam ac Placentiam Catharinæ dotem; quod ſancito ſecum fœderi repugnabat, concordique vtriuſque ſententiæ, ne Gallus in Italia pedem figeret: in reliquum optare ſeſe ad Chriſtianæ rei bonum, vti Pontifex communem ſe parentem gereret, & vtrumque tamquam filios amaret, modò ipſe prærogatiuam *Primogeniti* non amitteret. His Nuntius & Legatus reſpondêre: Quod ſpectabat ad dandam alteri earum Vrbium poſſeſſionem; ſi Clementi, quando Florentino bello adeò premebatur, ne in mentem quidem venerat vel oppiduli alienandi, multò minùs potuiſſe tunc in animum cadere, vt auferret ſponſæ ſuæ, quò alienam dotaret, tam opimam ditionis Eccleſiaſticæ partem. De *Primogeniti* prærogatiua, compertam eſſe Carolo per tot argumenta Pontificis beneuolentiam, vt nihil liceret ambigere: præterquam quòd ea illi iure debebatur, tamquam Cæſari & Eccleſiæ Patrono. Placuit mihi rem hanc exponere, quò palàm fiat, quàm iniuriâ Pontifex ille carpatur minus ſinceræ in Cæſarem amicitiæ, quòd cum ipſius æmulis affinitatem contraxerit. 6

CAPVT

1531.

CAPVT VII.

Iterata Cæsaris postulatio de celebrando Concilio; & Pontificis responsa.

1 ADuersos reuerà animos in rebus publicis duo Principes Carolus & Franciscus gerebant; adeoque, vt ad diuersa spectabant, perinde opposita moliebantur. Quare id quod alteri placebat, vt per quietem Germaniæ imperitaret; alteri eadem de causa displicebat. Hinc oriebatur, Concilij celebrationem à Galliæ Rege minimè comprobari; præsertim cum iis rerum agendarum locique conditionibus, quæ in Germanorum gratiam à Cæsare poscebantur. In eam Pontificis animus haud propendebat, parum idoneum arbitratus mali publici conditioni, & ceteroqui sibi incommodum eâ tempestate. Roma pecuniæ inopiâ laborabat ex præteritis calamitatibus; & tamen oportebat, vt aduersus Othomannum subsidia Germaniæ suppeditaret: à quibus desistendum omnino fuisset, si Concilium cogeretur; quippe vbi reipsâ coalesceret, non solùm magnam argenti vim postulabat ad subleuandam indigentium Episcoporum inopiam, plurimisque Legatis & Administris alimenta præbenda: sed euulgatus tantùm Concilij cogendi rumor, per generale Diploma ad * Principes missum, tam acrem suspicionem incusserat de Tribunalibus corrigendis, vt publica Romæ munera, in ipsorum incertis prouentibus fundata, è quorum munerum venditione præsentissimam pecuniam Pontifex contrahebat, iam in vilissimum pretium decidissent. Nihilominùs intelligens, magnam inuidiam atque infamiam, si Concilium recusasset, in se concitatum iri; malebat vero malo consentire, quàm dissentire bono falso, ab hominibus sperato tamquam longè maiori: cùm sæpe accidat in deliberationibus Principum, in quorum bonis præcipuum fama est, vt communis opinio, quamuis pro falsa ab ipsis habita, veri vicem obtineat. Ceterùm haud ille Nuntium ad Cæsarem legasset Aleandrum, maximè in Concilium procliuem, quippe & publicæ morum emendationis studiosum, & percupidum impendendi in eam rem quidquid sibi literaturæ comparauerat: adeò vt non semel ipsi purgare se opus fuerit ab incusationibus, quòd illud ardentiùs quàm cautiùs promoueret. Quin datâ operâ Pontifex in [a] diplomate, quo Nuntium ipsum constituit, disertè Concilij mentionem fecit: quod Cæsari pergratum [b] accidit.

* Literæ Sangæ ad Pimpinellum Nuntium, tom. 3. Lit. ad Princip. fol. 5.

a Datum 15. Augusti ann. 1531.

b Literæ Aleandri ad Saluiatum 15 Nouembris 1531.

2 Neque Cæsar suamet sponte Concilium cupiebat, vt in fine præcedentis

1531. cedentis Libri narratum est; sed ad illud Germanorum stimulis adigebatur, qui concordibus quidem studiis, verùm diuersis inter se finibus id efflagitabant: quapropter & ipse pariter Pontificem vrgebat. Is itaque silentio prætermissis aliis obstaculis, seu minoris habitis, seu minùs creditis apud Germanos, * parem tantummodò consensum Principum deposcebat, sine quo Synodus vel in schisma quasi monstrum, vel in contemptum quasi abortus degenerasset. Quandoquidem de reliquo Cæsar ceteris conditionibus à Pontifice appositis, quæ sua erant in manu, subscripserat, videlicet vt ipsemet Concilio interesset, quemadmodum Constantinus Nicæno, Theodosius Maior Constantinopolitano, Marcianus Chalcedonensi, aliique Cæsares aliis Conciliis interfuerant; atque vt morum emendatio non ad solos Ecclesiasticos, sed laicos pariter promoueretur. Non poterat eodem pacto Carolus æmulorum consensionem polliceri: adeoque conabatur suadere Pontifici, ne ob eorum peruicaciam à Germaniæ curatione desisteret: verisimile videri, vbi Concilium fuisset indictum, eosdem haud passuros publicâ notâ inuidiæ se deturpari in re tamquam optima, Christianis omnibus expetita.

* Literæ modò citatæ.

Pontifex Vaticanis Patribus Consultis, eorum sententiam per Legatum Cæsari patefecit, ac de eo suâ manu exaratam epistolam misit; in qua significabat, sibi quoque probari Concilium vt opportunum, vbi id vtriusque ipsorum officia Francisco Regi persuasissent, quò illi assentiretur eâ formâ, quæ inter ipsos conuenerat. Verùm (sic ille scribit) *si videatur Christianissimus illud vel abnuere, vel retardare, tibi, Cæsar, ingenuè fatear, me vereri, ne si absque eius consensu conuocetur, aduersus quàm exoptamus res eueniat, ac Lutheranis, quos ad æquiores conditiones pertrahere fortasse liceret, robur ac fauor porrigatur, quò peruicaciùs obdurescant. Idcircò, ne graueris quæ in rem sint exputare; illud enim optimum factu arbitrabimur, quod à te proponetur.* Tria hinc deducuntur Suauis narrationibus opposita. Primum est: Totius difficultatis cardinem à Clemente, vt diximus, censeri in Galliæ Regis assensu versari: qui sanè assensus, an fuerit conditio rationi ac necessitati consentanea, pro se quisque intelligit. Secundum est: Pontificem, quò se publici Germaniæ boni appetentem probaret, id ipsum in Cæsaris prudentia reposuisse, consilium fortasse, haud illi post maturiora consilia visum iri, Conuentum ita mancum ac mutilum vel ipsi Germaniæ profuturum. Tertium: Clementem alienum non fuisse à recuperandis hæreticis quâuis non iniquâ conditione; adeoque falsum omnino esse, quidquid narratum de illius 3

19. Maij 1531. tom. 3. Liter. ad Princip.

in

in Lutheranos asperitate, atque indignatione in Cæsarem concepta, quòd is Augustæ spem illis ingesserit alicuius indulgentiæ. Verùm ab ea indulgendi facilitate longè aberat Nuncius Aleander, arbitratus * nihil inde sanitatis sperandum putrefactæ Lutheranorum conscientiæ; timendumque potiùs, ne ceteri Christianorum populi corrumperentur, qui ab huiusmodi exemplo animati, vel in similia, vel in diuersa, & magis indecora ac violenta postulata, per summam Ecclesiæ perturbationem deformationemque prorumperent. 1531.

* Habetur in quibusdam Literis ad Salutarum. & Sangam.

CAPVT VIII.

Victoria Catholicorum in Heluetia, ac Zuinglij mors.

1 DVm Lutherani quotidie per Germaniam inualescebant, hæresis in Heluetia ingentem calamitatem accepit: vbi Catholici cum hæreticis prælio congressi, eos duplici memorabili clade, ac insuper Zuinglij cæde afflixere, cui satis non fuerat ceterorum omnium manibus, quas suâ armauerat linguâ, dimicare. Ac post eius mortem etiam periit ex morbo Oecolampadius, eius Basileæ minister; qui cùm videretur in vita, eâdem quâ Zuinglius informatus animâ, idem etiam in mortis coniunctione visus est. Hunc euentum Suauis callidis interpretationibus de more concinnat. Catholicos, ait, vtriusque mortem Diuinæ Prouidentiæ adscripsisse ad excidium illius sectæ: sed vti religiosi animi est, humana euenta Diuinæ Prouidentiæ designare; ita parum ab arrogantia abesse, velle de ipsius consiliis ac finibus diuinare. Id autem per eam occasionem fuisse compertum: nam posteà compositâ pace inter Heluetiæ Tribus de Religione discordes, non modò ibi non concidit, sed erecta magis est *doctrina recepta à Tribubus, quæ appellatur Euangelica: dilucidum sanè argumentum, ab altiori causa, quàm ab opera Zuinglij eam doctrinam prouenisse.*

2 Iam verò hic homo fidem primò in narratione, religionem secundò in animaduersione violat. Ac de primo; Quâ fronte ausit affirmare, sectam Zuinglij post auctoris obitum auctam fuisse, si vel tunc Heluetiorum hæretici & numero & conditione longè incomparabiles præcellebant; adeoque Catholicos ad incitas redegerant, negatâ ipsis annonâ, eaque violentiæ asperitate ad mutandam Fidem compellentes, vt in Vita Zuinglij eius asseclæ nitantur ipsum excusare, ceu tantam inhumanitatem perosum? Si, quando signa contulere, triplo fortasse maior aderat hæreticorum exercitus? Et ta-

1531. men octingenti è Catholicis extra aciem primi præcurrentes viginti hostium millia generosiùs adorti, tria illorum millia trucidarunt, totidemque captiuos abduxerunt; & quoniam nox interposita effusum victoriæ cursum inhibuerat, Zuingliani renouato prælio, eos coëgerunt, qui ardentiores discordiæ flammas supposuerant, vt proprio exemplo ac periculo maius pondus certaminis sustinerent. Quare Zuinglius ceterique apostatæ sacerdotes cum Tigurino Magistratu in primo agmine collocati, confossi ceciderunt, vt ex trecentis senatoribus vix septem euaderent; & tamen tanta hostium clades victoribus Catholicis vix triginta capitum pretio constitit? Si deinde rursus hæretici, refecto triginta militum millibus exercitu, validisque Germanorum suppetiis aucti, ita vt pugnantium numerus quadruplo Catholicos superaret, secundam tamen cladem priore grauiorem passi sunt, seque adeò profligatos senserunt, vt beneficij loco pacem acceperint? Et vbi priùs Catholici quinas solùm numerabant tribus, nunc septenas obtineant, & vna prætereà sit ita permixta, vt Catholicorum pars in ea præstet; adeoque obsequij legationem ad Concilium miserit, vt suo loco dicemus. Non igitur excreuit post has victorias Zuingliana factio, prout Suauis comminiscitur; sed angustis illis finibus conclusa substitit, quin adhuc potiùs diminuitur. Res gesta videatur seu breuiter apud Spondanum, seu fusiùs in epistola Benedicti Accolti Cardinalis inter literas Sadoleti, cui missa fuerat, & quicum Accoltus magnam familiaritatem exercebat, vt patet in eo volumine (quæ epistola scripta fuit postridie coacti Purpuratorum Senatus, in quo perlecta fuerat exacta rei narratio, à Nuntio Filonardo ad Pontificem missa) & obuersabitur oculis miserabilis Catholicorum conditio ante victoriam, & quantæ temeritatis existimata fuisset inita pugna ab eo, qui spem euentus è solo virium humanarum apparatu metiri voluisset. At verum est, nimiâ quietis appetentiâ, ac spe defecturi anguium cæde veneni, magna ex parte fructum victoriæ corruptum; quòd si Catholici constanter victoriæ cursum prosecuti fuissent, Religionis pace hæreticis denegatâ, in splendorem pristinum illustris Heluetiorum natio rediisset; qui piæ strenuitatis merito fuerant priùs à Pontificibus nuncupati, *Sedis Apostolicæ defensores*.

Ann. 1531. num. 7 & sequentibus. Lib. 7. 12. Decembris ann. 1531.

Hæc de Suauis narrantis falsitate; peiora de eiusdem argumentantis impietate: cùm sanè admirandum sit, quo pacto hic non erubuerit, quò esset impius, ignorantem se prodere; dum continuationem illius doctrinæ appellat *dilucidum argumentum, ab altiori causa,* 3

causa, quàm ab opera Zuinglij eam prouenisse. Vel intelligit eam prouenisse ab altiori causa eo sensu, quo singula rerum euenta, quantumuis nefaria ac scelerata, pendent aliquatenus à Diuino consilio: & ad hoc deducendum, opus non fuerat eam doctrinam doctori suo fuisse superstitem; dictum enim illud fuisset æquè certum, etiamsi ea breuì euanuisset. Vel intelligit, ex eo quòd perstiterit, rectè argui, à Deo, tamquam à peculiari causa cuiusuis veræ sententiæ honestique operis prouenire. Et si huiusmodi argumentatio quidquam valeret, multò magis veritatem probitatemque comprobaret Mahumeticæ superstitionis, & idolorum cultus, quæ per immensa temporum locorumque spatia perdurarunt. Quodnam magis decantatum adagium, quàm, non sanari vulnus arcu remisso? Num fortè quod fabri morte scamnum non soluitur, nec pereunte pictore imago, nec patre decedente filius perit, idcircò horum operum Deus, non solum vt vniuersalis, sed vti peculiaris auctor est agnoscendus? Perpauca in rerum natura sunt, quæ vt perseuerent, persistentem exigant causam, à qua primo producta sunt. 1532.

4 Quòd autem ad arrogantiam is accedat, qui ex rerum euentibus Diuinæ Prouidentiæ consilium conicit, opinaturque, improborum ærumnas adhiberi à Deo ad infringendas improbitatis vires, idem planè est ac in arrogantium hominum album ferè cunctos adscribere sanctos Patres, ac præcipuè Augustinum in cælesti illo volumine *De Ciuitate Dei*. Certum autem est, passimq; comperrum, eò quòd obseruantur effecta naturæ illò conspirare, quò prudens Artifex suum opus dirigeret, inde confici, mundum haud ex atomis fortuitò esse conflatum, vt volebat Democritus; sed opus naturæ, esse opus causæ intelligentis, vt primus docuit Anaxagoras. Quapropter Aristotelem quasi diuinum admiramur, quòd in libris de Animalibus tam apte finem inuestigauerit, cuius gratiâ quodcumque membrum hac vel illâ ratione, in hoc vel illo animali natura elaborauerit: & tamen eius ratiocinatio quandoque fallitur, adeoque multis in rebus à Galeno refellitur, præsertim in Opere præstantissimo, quod eiusdem rei gratiâ conscripsit, inscripsitque, *De vsu Partium*. Eâdem ratione, quòd animaduertantur euenta Fortunæ ad ciuilis Communitatis conseruationem concurrere, efficiendo vt plerumque probitas in amore atque in honore habeatur; ex eo nobis palàm fit, curari etiam à superis res morales, quibus tandem naturales deseruiunt. Vt propterea Claudianus Poëta ille cecinerit; Rufini pœnâ diremptam fuisse apud animum suum litem inter Casum ac Prouidentiam, hæc an ille regerent Orbem terrarum. Quamobrem, qui melio-

1532. melioris causæ prosperitatem cuidam Dei voluntati tribuit, quâ velit eam firmiter peiori præcellere, religiosè, piè, sapienterque probabilia differit; tametsi interdum fallatur ex Philosophi sententia; Quandoque probabilius, esse falsum: id namque nisi esset obnoxium falsitati, non probabile, sed certum foret. Quòd si falli posse satis est, vt quicumque, quantumuis dubitanter, de consiliis Diuinæ Prouidentiæ iudicet, arrogans iure appelletur; appellabitur arrogans, quicumque quòd inter Christianos Dei beneficio natus sit, ac religiosè viuat, ex eo coniecturam ducat, se fuisse sempiternæ felicitati destinatum; contrarium verò arguat de quouis, qui inter Saracenos ortus impiè viuit: cùm in comperto sit, euenire posse vt primus detrudatur ad inferos, alter ad superos euehatur.

CAPVT IX.

Conuentus Ratisponensis, & induciæ Religionis Lutheranis concessæ.

HAnc Heluetiorum concordiam cum libertate mutua Religionis auersati sunt primò Germani, at posteà imitati. Adiit Cæsar Comitia, Ratisponæ, vt suprà diximus, à se indicta, comitantibus Pontificis administris. Scribit * Aleander, se in eo itinere nactum Germanorum animos longè diuersos ab iis, quos missus ad Wormatiensem Conuentum Nuntius, fuerat expertus. Deprehendisse tunc in Lutheranis ingens & hostile odium Romani nominis; nunc in iisdem comitatem æquè ac in Catholicis: Plebeculam in vrbibus hæreticorum Principum facti pertæsam; quippe quæ re compererat, quòd se à Pontificis obedientia subduxerat, haud sibi relaxationem libertatis adeptam, sed subiectionem, quasi per tyrannidem, profanæ potestati, & cuiusuis asyli remotionem: similiter ægrè se habentes honestiores ciues vrbium liberarum, quòd se cernerent redactos in ordinem à plebis petulantia, nunc proculcare gestientis, quos priùs venerabatur. At è diuerso, regionum Catholicarum vulgus concepisse auiditatem delibandi eam legum impunitatem, easque bonorum Ecclesiæ rapinas, quas hæreticis inuidebat. Adeò consuetum est homini per opinionem sibimet aduersari, dum conditionem suam, quæcumque tandem sit, miseram putat, adeoque miseram facit. 1

* In variis Literis ad Saluiatum, ac præsertim 14. Martij ann. 1532.

Erat Cæsaris animus, in eo cœtu cunctos Imperij Ordines ad duo summi ponderis adducere: ad auxilia contra Turcam conferenda, cuius molimina non solùm Pannoniæ, sed simul vniuersæ Germa- 2

niæ

niæ, ac Reipublicæ Christianæ formidini erant; adeoque, tamquam pro communi causa, à Gallorum Anglorumque Regibus suppetias efflagitauerat: tum verò, vt Ferdinandus concordibus suffragiis Romanorum Rex agnosceretur: Septemuir namque Saxoniæ non solùm eius electioni neruis omnibus obstiterat, sed irritam deinde denuntiauerat, & cum eo reliqui Lutherani Principes consentiebant. Hac de re comperio Pontificem, quò tutam Imperij successionem pro viribus assereret in eo Principe Catholicæ Fidei studiosissimo, duo edidisse diplomata: horum altero dignitatem Septemuiralem, adeoque ius suffragij ferendi abrogabat Saxoni propter susceptam hæresim; altero, permittebat eidem ferre legitimum suffragium; quamuis hæresis obstaret: vtrumque autem ad Cæsarem misisse, quò alterutro vteretur, prout magis ad rem, ac Germaniæ vtilitatem expedire censuisset. Carolus verò, ne animos refricaret, maluerat Saxonem cœptis vtique aduersantem tolerare, quàm iis apertè repugnaturum experiri: & in vtroque domi forisque difficultates haud modicas offendit. Quod ad subsidia spectabat, apertam à Francisco Rege repulsam accepit, affirmante, Germaniam sibi ipsi tuendæ sufficere; & ab Angliæ Rege tacitam, spatium ad deliberandum postulante. Protestantes verò non subsidia solùm pernegabant, sed se cum Solimanno conspiraturos minitabantur, si quid ipsis molestiæ in negotio conscientiæ infligeretur. Cumulauit etiam ea de re solicitudinem Sigismundus Poloniæ Rex. Etenim cùm Albertus Brandeburgensis, de quo iam meminimus, Prussiam ceu propriam, Ducisque nomine occupasset, quam prius ipse, quòd supremus esset Ordinis Teutonici Magister, possidebat, eamque tamquam Sigismundi, cui vetus quoddam in eam ius tribuebatur, beneficiariam agnosceret; non est veritus Polonus Cæsari per suos Oratores denuntiare, si ob eam possessionem Albertus vexaretur, se cum Cæsaris & Imperij hostibus arma sociaturum: quod sonare videbatur cum Turca, hoc est, cum atrocissimo maximeque implacabili ipsius Poloniæ hoste. Adeò vel apud Principes cunctis animi affectionibus, cunctisque malis imminentibus præsens vtilitas prædominatur.

1532

In libro Archiuij Vaticani, inscripto, *Capitula Clementis.*

Literæ Aleandri ad Sangam vltimo Maij ann. 1532.

Literæ Aleandri ad Sangam 12. Iulij ann. 1532.

3 Ne Ferdinandus Romanorum Rex concorditer agnosceretur, hæreticorum proteruitas vires nocentissimas traxit à duobus Principibus apprimè Catholicis, & ex ea familia, quæ in ea hæresum colluuione salutis Arcam fabricauit; à Guillelmo inquam ac Ludouico fratribus, Bauariæ Ducibus, tametsi cum Austriacis affinitate coniunctissimis. Quorum minor natu, ius nescio quod in Bohemiam

Duæ Literæ Aleandri ad Sangam 4. Martij ann. 1532.

1532. hemiam sibi esse opinatus, vterque verò percitus cupidine Cæsareæ dignitatis in suam familiam reuocandæ, sibi temperare minimè potuerunt, quin in ferendo suffragio cum hæreticis coirent.

Cæsar inter has angustias suadere sibi cœpit, necesse iam esse in leuiori malo conniuere, quò rem Christianam à grauiore subtraheret; misitque clàm in Franconiam, vt cum Protestantibus de Religionis induciis vsque ad Concilij celebrationem transigerent, Septemuiros Moguntinum ac Palatinum, probos Catholicos, sed magis de ciuili Germanorum consensione, quàm de Religionis vnitate solicitos. Moguntinum verò, sacris licet Infulis ac Purpurâ insignem, eius frater Ioachimus, Septemuir Brandeburgensis, tametsi laicus, pietatis studio longè superabat; adeoque non sine rei Catholicæ detrimento contigit, vt Ioachimus nimis serò Ratisponam peruenerit, & post fratris profectionem in Franconiam; cuius vti posteà factum improbauit, itidem anteà consilium amouisset. 4

Literæ Aleandri ad Iacobum Saluiatum 14. Martij 1532.

* Literæ Aleandri ad Sangam 23. Aprilis 1532.

Quam rem odorati Pontificis administri, de ea conquesti sunt apud Nicolaum Perenottum, Burgundionem, Granuelę dominum, qui ab oppido, quod eius nominis possidebat, cognomentum more Gallorum obtinebat, & loco Cardinalis Gattinaræ demortui, munere magni Cancellarij fungebatur. * Is Catholicæ Fidei studio mirificè flagrabat, quod studium in ipso validius, quòd erat cum summa doctrina coniunctum. Sed rem ipsi dissimulare opus erat, ne sui Principis arcana vulgaret: at balbutiens aiebat, aliquid per viam à Lutheranis iactatum de Religionis induciis vsque ad Concilium sanciendis; nondum tamen quidquam firmatum, neque proinde decretum iri, nisi habitâ, quantum res ferre posset, ratione Fidei Catholicæ, ac Pontificiæ dignitatis, & nisi re cum Pontificiis communicatâ. * Sed non ita Ferdinandus, qui certè infra suam magnitudinem ratus, iis vti verbis quæ veritatis non patefactio, sed pallium forent, rem ingenuè Pontificiis aperuit: simulque tam ardens Fidei Orthodoxæ, ac Pontificiæ dignitatis studium ostendit, * vt non modò illi tuendæ sanguinem se deuouere affirmauerit, verùm, dum hæc diceret, lacrymas fuderit. 5

* Literæ Aleandri 24. Martij.

* Literæ Aleandri ad Sangam 30. Martij, & 23. Aprilis 1532.

De his cum Cæsare Pontificis administri conquesti, quæ Granuelano protulerant, repetiere: His induciis nihil aliud effici, nisi parietem rimis hiantem dealbari, qui oblitis tunc sanè hiatibus, mox ruinam molitur. Hæreticis inducias quouis modo laxari, idem esse ac opportunitatem iis largiri suæ potentiæ confirmandæ, quâ magis insuperabiles redderentur: Palàm esse, fraudulenter concordiam vsque ad Concilium ab illis accipi, à quibus iam constabat 6

repu-

repudiari Concilium iis conditionibus, quas Pontifex & Cæsar 1532.
proposuerant: Iactatas minas vel se adiungendi, vel non obstandi Othomanno, similes esse clamoribus refractarij filij, minitantis patri, acturum se præcipitem è fenestra, ne suos ille corruptos mores coërceat: Eos Principes nec tam amentes esse, nec tam propriæ vtilitatis oblitos, vt mallent abiecto mitissimo Cæsaris Imperio, iugum intolerabile immanissimi Tyranni subire: Quos ratio communis causæ coniungit, eos tutissimos inter socios numerari: alios polliceri sæpè multa, ac posteà deesse; hós, vbi necessitas vrgeat, eam opem conferre, quam priùs offerre recusauerant.

7 Cæsar molestè tulit sua consilia patuisse, respondítque: Neque missos à se Principes quidquam statuisse, neque potestatem habere quidquam statuendi, sed solùm audiendi; quod obesse non poterat: Se consuetum Religionis ac Sedis Apostolicæ studium semper præstiturum, nec quidquam ipsis inconsultis decretum iri. Ea tamen res Pontificis administros non mediocriter angebat, præsertim increbrescente rumore, Protestantes quidquid optauerant impetrasse, & peculiaria quædam satis enormia iactitante. Quare Aleander, quò Cæsarem ab eo consilio dimoueret, significauit illi, Galliæ Regem huius rei famâ se vehementer offensum ostendisse, & apud Nuntium non sine stomacho & admiratione factum improbasse: * proinde mirum videri, Cæsarem, qui ad eam vsque horam summam supra ceteros Principis Religiosi gloriam obtinuerat, nunc æmulorum suorum obtrectationibus aditum patefacere.

* Literæ Aleandri ad Sangam suprà citatæ.

Adiecit, eadem iactari ab vtroque Bauariæ Duce, dehortantibus Pontificem, ne huiusmodi pacificationi assentiretur: eam, vt Imperio ignominiosam detestari, ac profiteri se illi minimè consensuros. Sed contraria votis suis Aleander per hanc significationem peperit: suspicatus enim est Cæsar, eam in suis æmulis ostentationem fucum esse proprij emolumenti, cupientibus ipsum Protestantium dissidiis implicitum, adeoque contra se imbecilliorem experiri. Hæc porrò suspicio ex eo creuit, quòd ferebatur, ab Oratore Gallico Lutheranos ad obdurandum animari, suadente, hac ratione votorum compotes mox futuros. Quam ob rem Cæsar grauiter indignatus, Oratori vltionis minas intendit, nisi id sui Principis iussu peractum probasset. Existimauit itaque Cæsar hic è re esse quod vulgò dicitur; Illud optimum esse consilium, quod inimico maximè displicet: præter occultam propensionem innatæ hominis superbiæ, recusantis eò se flectere, quò se animaduertit arte simulationis induci, ne quis apud se glorietur, eum per occasionem suis

Literæ Aleandri ad Saluiatum 23. Martij, & ad Sangam 30. ann. 1532.

1532. Literæ Aleandri ad Sangam, vlt. Maij ann. 1532.

artibus irretitum. Sed nihil vehementius rem solicitauit, quàm perlati Venetiis nuntij de formidoloso armorum Solimanni aduersus Germaniam apparatu. Quapropter Carolus, missis iterùm Norimbergam, biduo Ratisponâ distantem, memoratis Principibus, egit cum Protestantibus; & re prope concordiam deductâ, quò staret promissis, cum Legato pactionis capita communicauit. Horum summa erat: Non quidem integram conscientiæ libertatem Lutheranis concedi, vt ipsi petierant, ac euulgauerant; sed solùm cessationem quamdam ab Augustano Edicto, cunctisque molestiis causâ Religionis inferendis vsque ad futurum Concilium, quod Cæsar à Pontifice sex intra menses indicendum, ac deinde post annum celebrandum curaret: quod si id effici nequiisset, Conuentum alium cogendum, in quo hisce negotiis aptè consuleretur.

Administri Pontificis acriter obstitere: neque destitit Aleander 8 rogare Cæsarem, nollet eâ parum honestâ concessione partam sibi Edicto Wormatiensi gloriam apud Christianam Rempublicam omnesque posteros contaminare. Cæsar eo dicto se perstringi ratus, respondit: Fuisse quidem Edictum illud sanctè prudenterque confectum: quòd si postmodum reliqui Principes suas partes explessent, se in eas difficultates haud coniectum iri. Pontificios pariter haud culpâ vacare, innuens fortasse Clementis fœdera cum suis æmulis inita, per quæ pecuniâ & viribus emunctus, impar tunc erat Turcarum armis absque Protestantium auxiliis. Quin ad eam exprobrationem propulsandam aiebat, Si post Augustanum Decretum, Concilium tot conditionibus omissis indictum esset, eò discriminis neutiquam deuentum fuisse. Quamquam, vt à nobis ostensum, conditio desiderata solùm erat Galliæ Regis consensio, sine qua Oecumenica Synodus cum fructu celebrari non poterat: & hanc ipsam conditionem Clemens Caroli iudicio permiserat. Itaque coactum se Cæsar putauit ad eam ineundam concordiam; sed studuit eius speciem minùs piam gemino religioso temperamento cohonestare.

* Totum id extat in libro Archiuij Vaticani, inscripto, *Acta Conuentus Ratisponæ celebrati, & alia quædam visu digna, ann. 1532.*

Alterum fuit, * vt exposuimus, integram libertatem Lutheranis 9 haud indulgeri, sed solùm vsque ad Concilium intra sesquiannum habendum; eoque non habito, vsque ad alium Conuentum: adeoque potestatem sibi non ademerat, vbi ex iis angustiis emersisset, illos ad seruanda priora Edicta, sopita quidem, sed non extincta, compellendi. Verùm huic concessioni non minùs Imperij Ordines aduersati quàm Pontificij Administri. Reiecerunt illi sæpiùs propositas inducias cum Lutheranis, reclamantes, sinceræ Germanorum

rum Religioni eas refragari: vtcumque forent, non esse absque Romani Pontificis auctoritate statuendas: in illis nec efficaciter nec diu profuturum inesse remedium curandis nationis vulneribus, quin magis vlcerosa magisque insanabilia ea redditurum. Idcircò iteratis reclamationibus efflagitabant, vt Lutheranæ Confessionis confutatio, Augustæ approbata, in lucem ederetur, omnesque cogerentur ad illius præscriptum Fidem & opera conformare. De hac Ordinum Imperij mente, quæ Pontificiæ auctoritati tantum decoris affundit, quippe totius Germaniæ testimonio confirmatæ, tametsi tunc Pontifici haud benè affectæ, vt paulò pòst constabit, quæque simul ostendit, illud Cæsaris consilium improbatum fuisse non à solis Romanarum partium studiosis ex vtilitate priuata, ne verbum quidem Suauis; qui tamen eam ignorare non poterat, cùm in Actis illius Conuentus disertè haberetur. 1532.

10 Alterum temperamentum fuit de re minùs quidem graui, sed maioris contentionis, non hæreticis modò, sed Catholicis, in Conuentu; cùm is de Cæsare, & acriùs de Pontifice quereretur, quòd nondum Concilium indictum fuisset, ab omnibus, sicuti diximus, expetitum: vt in morbis grauissimis vsuuenit, sanitatis vim in ea credi medicina sitam quæ prætermissa. Quapropter Decretum designauerant de cogendo omnino Concilio Oecumenico; & vbi Pontifex tergiuersaretur, vti Cæsar potestate Cæsareâ id conuocaret, vel certe peculiaris nationis Germanicæ Synodus haberetur. Hoc postremum ab incorruptæ mentis hominibus noxium censebatur. Siquidem vel in ea nationis Synodo Lutherani fraude malâ præpollerent, & actum foret de Orthodoxa Fide in Germania, ad eam superbiam erectâ eorum pertinaciâ, vt nullius ampliùs auctoritate deprimi posset: vel Catholici potiores essent, & hæretici audacter repugnarent, eâ planè ratione, quâ Edictis Cæsaris & Imperij Ordinum repugnabant; cùm ibi nec auctoritatem, nec vires vniuersæ Christianæ Reipublicæ sibi infestas, perinde ac in Concilio Oecumenico habituri essent, vnde implacabilior discordia illos perucrteret. Idcircò Cæsar, eo reiecto consilio, noluit Vniuersale Concilium cum detrimento Apostolicæ auctoritatis polliceri; adeoque noluit suam fidem obstringere, à se illud coactum iri si Pontifex renuisset. Id tamen solum in se recepit, daturum se operam, vt à Pontifice cogeretur: quod si intra præscriptum à Comitiis tempus ex quacumque causa impetrari non posset, iterùm se Comitia Ordinum Imperij (vti pactæ cum Protestantibus induciæ ferebant) conuocaturum, quò aliquo modo laboranti Germaniæ consu-

Literæ Aleandri ad Sangam, 22. & 29. Iunij an. 1532.

1532. consuleretur. Priorem cunctationem purgabat Cæsar, ostendens nihil à se diligentiæ, nihil efficaciæ prætermissum, quò publica Germaniæ vota plurimis Comitiis iterata perficeret: sed vna testabatur, neminem pariter in eo de Pontifice iure conqueri posse. Vbi enim ille cognouerat à Cæsare, Germaniam adhuc post rationes propositas, ab Episcopo Bertonensi Nuntio Pontificio ad Concilium dissuadendum adductas, in priori sententia ac voluntate persistere, facilè, quod in se erat, rem probasse: sed simul Regis Galliæ consensum postulasse, qui satis patebat quàm non solùm opportunus, sed necessarius foret: is verò vt obtineretur, officia Legationesque à Cæsare fuisse impensa; sed nihil cum Gallo aut de modo aut de loco Concilij peractum esse. Hanc Cæsaris testificationem callidè silentio Suauis obuoluit, quandoquidem in eo totus erat, vt culpa retardati Concilij caderet in Clementem; cùm opus omnino sit vel vnius mendacij auctori, veritates innumeras, illius indices, occultare.

Proponebat Cæsar, vt ipsi Imperij Ordines solemni legatione cùm à Pontifice, tum à reliquis Christianis Principibus Concilium efflagitarent, cupidus, vt hoc pacto Germani re ipsâ experirentur eas difficultates, quibus à se narratis fidem abrogabant, adeoque à communibus querimoniis se subtraheret. At illi renuerunt, causati, ea Comitia non adeò Principibus ac Delegatis videri frequentia, vt nomine totius Imperij, perinde ac deceret, legatio decerneretur: imò conquesti sunt, velle Cæsarem eâ se curâ leuare, quæ in ipso tamquam in Capite deberet insidere. His Cæsar opposuit: Quando iam ipsi censuerant, satis esse Capitum in Comitiis ad sanciendum, vt si Pontifex procrastinaret, Concilium Oecumenicum sine Pontificia auctoritate aduocaretur; vel si minùs id succederet, peculiaris Germaniæ totius Synodus haberetur, quæ sanctio tam ponderosa, tamque inusitata videbatur; longè facilius posse eodem suffragiorum numero legationem decerni, quæ Concilium celebrandum curaret per consuetam formam, & ab anteactis Conuentibus postulatam: se dum ea proponeret, onus non detrectare, sed coniuncta secum eorum officia percupere, quò plurimorum simul conatus vim obstaculorum amolirentur. Illi tamen vsque repugnarunt, affirmantes, haud futurum pro Cæsaris dignitate, si Principes ei subiecti rem ad Imperium spectantem suo nomine apud exteros Reges egissent. Et Cæsar ex aduerso constanter inhæsit promissæ Concilij formæ, quam retulimus: & quamuis ter à Conuentu repulsam passus, immobilis perstitit; adeoque tandem illi cessere. 11

Hæc

Hac Ordinum peruicaciâ commotus Cæsar spopondit, se connis- 1532.
surum, vt intra memoratum temporis spatium Concilium haberetur; quod spatium, tametsi nimis angustum ipsi videretur, vt Cœtus coiret tot difficultatibus obnoxius, & è regionibus adeò locorum internallo, sed magis adhuc commodorum ratione distantibus; ne tamen animos incenderet, necesse habuit operam suam obstringere illi negotio, quod vltra suam aliorumque potentiam progredi sentiebat.

12 Concordia cum Lutheranis, à qua reliqui hæretici fuerant exclusi, celebri nomine *Pax Norimbergensis* dicta est, ab ea vrbe in qua fuerat inita 13. Iulij, & à Cæsare 2. Augusti confirmata. Mox Protestantes validas opes ad bellum Turcicum subministrarunt, electo copiarum imperatore Septemuiro Palatino. Præcepit insuper Carolus Ordinibus, vti Ferdinandum omnes Regem Romanorum agnoscerent, colerentque: cui rei nihil ab vllo reclamatum; adeoque id omnes tacitè, non tamen apertè ratum habuere, donec posteà Cademæ in Bohemiæ oppido, exeunte Iunio anni 1534. confirmata est ab eo Pax Norimbergensis. Et Saxo ne tum quidem assensus est; quin deinde contestari non destitit, eam in Ferdinando dignitatem à se neutiquam agnosci. De quibus libro sequenti agetur.

CAPVT X.

Animaduersiones in ea quæ Suauis differit de huiusmodi concordia.

1 SVauis dum hæc euenta commemorat, culpam omnem pro suo instituto coniicit in Clementem, quòd noluerit cum conditionibus à Lutheranis propositis Concilium celebrare. Inde progreditur ad ea quæ tum Romæ tum foris differebantur; sed tam subdolâ depingit arte, vt quæ à Pontificis studiosis promuntur, falsa vel inuidiosa perstrepant; quæ à contrariis, sonent speciosa sophismata; ac postremò sua sensa pronuntiat.

2 Ea breuiter expendamus, ne virus neglectum, ab Lectorum oculis ad corda proserpat. *Romæ*, inquit, *criminis dabatur Cæsari, quòd in alienā messem falcem immisisset; cùm singulorum Principum, ac potissimùm Cæsaris partes sint, damnatos à Pontifice extirpare.* Quinam verò erant Romę, qui tam ineptè ratiocinarentur? Quo pacto ea duo conueniunt, suo munere non perfungi, *& in alienam messem falcem immittere?* Hoc postremū tunc verum foret, si Cæsar arrogasset sibi potestatem, Religionis dogma-

1532. dogmata sanciendi, præcepta Ecclesiæ relaxandi, sacros ritus inuertendi, Concilium indicendi. At dum solùm ipse cum Lutheranis paciscitur molestiæ cessationem ad certum tempus, poterat fortasse videri otiosa quidem à se falx in campo sibi tradito demissa, non verò in alterius messem immissa. Pergit narrare Suauis: Alios ex aduerso laudi vertisse Cæsari, quòd per eam concordiam viribus communierit Christianam Rempublicam, impotentem alioquin Othomanno resistere: *Lutheranos tandem Christianos esse, & solum in aliquo ritu à ceteris discrepantes, per tolerabile discrimen: illud axioma Romæ adeò decantatum, Esse hæreticos magis quàm infideles persequendos, Pontificio quidem dominatui accommodari, at non rei Christianæ emolumento.*

Per hæc plures & graues insinuantur errores. Atque vt ordiar à postremo, eò forsitan nocentiore quò aptior est ad fallendum; Suauem percontor, Ecquid ipse intelligat *rei Christianæ* nomine? Num fortè Principatuum multitudinem, quibus communis sit Christi cultus, ceterùm sint planè soluti, minimeque inter se cohærentes in Politico Religiosoque regimine? Id si intelligit, tanta inerit vnitas rei Christianæ in sensu Suauiano, quanta inest inter Turcas ac Persas in colendo Mahumete concordes, tametsi in articulis Religionis, eiusque supremo Antistite, & in quauis alia seu sacra seu ciuili communione dissentiant. Quare accepto per hanc significationem *rei Christianæ* vocabulo, tam par erit, vt vnum è Christianorum Regnis studeat alterius indemnitati ab armis Turcicis, quàm studeat Persa, ne Christiani Regnum aliquod Turcis adimant. Quin etiam ex pari argumento possit animo concipi communis quidam populus Theistarum, hoc est vnius Dei cultorum, Saracenos complexus & Christianos, qui in grauiori dogmate inter se concordant, quatenus ab idololatris dissentiunt, quàm inter se Christiani hæretici atque Catholici, quatenus discrepant à Saracenis: ac proinde incumbendum erit Christianis, vt Turcæ idolorum cultores subigant; ac vicissim Turcis, vt eosdem subigant Christiani; adeoque vt Hispani Prouinciis Indiæ potiantur. Quam Politiæ rationem quilibet Suauis defensor videat, quantum sibi sit animi, vti populis persuadeat. An non animaduertebat ille, nomen illud *Christianæ Reipublicæ*, inanem fore vocem, meramque congeriem rerum, fortuitò vel animi arbitrio coniunctarum, nisi à forma, quæ ipsam moderetur ac dirigat, vnitatem accipiat? Cuius formæ munus, cùm exerceri nequeat à profano Principe, præstetur oportet à supremo quodam sacro Magistratu, qui varios huius vniuersitatis

uersitatis Principatus cōtineat in eadem Religione, in eadem legum 1532.
obseruantia, tamquam inter destinatos ciues cælestis Hierusalem, ac demum in eadem Ecclesia, quæ Congregationem sonat. Itaque posito in articulis Fidei dissidio, & vnius partis inimicitiâ in alterius supremum Antistitem, hęc vox, *Christianæ Reipublicæ*, non est ampliùs nomen eiusdem corporis, conflati ex membris variis, peculiari quasi fœdere inter se coëuntibus, sed ex pluribus corporibus, non modò prorsus seiunctis, sed mutuò inter se infensis.

4 Hac sanè fraude occultiori detectâ, alias apertiores narratæ dissertationis prosequar. Nemo nisi rationis expers affirmare potuit, debuisse Cæsarem hæreticos insectari, etiamsi ob eam rem Christiana Respublica in Turcarum potestatem redigenda fuisset: sed qui pacem illam improbauit, haud necessariam censuit quâ Turcis obsisteretur; simulque credidit, irreparabile detrimentum Germaniæ vulneribus allaturam. Hoc posterius sanè accidit: de altero, quod affirmare vel inficiari non pendet ab eo quod fuit, sed quod futurum fuisset, vnius Dei est certa scientia, hominis coniectura.

5 Quod autem affirmat, dissensionem inter Catholicos & hæreticos versari solùm in quorumdam rituum discrepantia certè tolerabili, est nimis putidum apertumque mendacium. An discrepantia in Fidei dogmatibus, de libero arbitrio, de numero ac vi Sacramentorum, de votorum efficacia, de bonorum operum necessitate, de Ecclesiæ auctoritate in præscribendis legibus, sanciendísve dogmatibus, de Christi præsentia in Eucharistia, etiam extra ipsius vsum, ac denique de veritate Librorum, quibus tamquam Diuinis effatis veneratio habenda, dissensio est in quibusdam ritibus, an in Fidei cardinibus? Si Christi cultus satis est Lutheranis, vt in reliquis tolerabilis discordia sit, frustrà desudauere tot Concilia in damnandis hæreticis, frustrà Deus peculiaria Fidei mysteria sacris Literis nos edocuit.

6 Age verò: Vbinam vmquam audiuit illud axioma Romæ decantari; *Esse magis hæreticos quàm infideles persequendos?* Docetur quidem Romæ, hæreticos, non infideles esse puniendos: illi enim sunt Ecclesiæ perduelles, violatâ Fide, quâ se per Baptismi tesseram Christo eiusque Vicario obstrinxerunt; hi verò neque sunt Ecclesiæ subiecti, neque ipsius legibus foroque tenentur. Non tamen hæc doctrina Romæ disseminatur, perniciosiorem esse hæreseos quàm Alcorani propagationem; nec esse ardentiùs bello petendos hæreticos, quàm Saracenos. Horum alteri cælum non adimunt aliquibus, qui eorum in secta nascuntur; iis videlicet, qui per Baptismum

1532. renati, ante rationis vſum decedunt, vel cùm ea ignoratione, vt nullam contrahant culpam quædam Fidei dogmata non credentes: at alteri proculdubiò ab Eccleſia Triumphanti omnes excludentur, ad cuius incrementum omnia Militantis ſtudia referuntur. Quænam contra hæreticos expeditio tanto vmquam ſtudio, tot itineribus, tam magnis ſumptibus promota eſt à Romanis Pontificibus, quemadmodum in Mahumetanos? Nulla planè eſt in Annalibus Eccleſiaſticis pagina, quæ id ipſum non teſtetur. Quónam aliò ſpectant tot militares Religioſorum Ordines, quos auctoritas Pontificia inſtituit, ac peculiariter moderatur? quorſum tot indultæ Decimæ, tot Crucesignatorum largitiones cum prouentu, tot decies centenorum aureorum millia Catholicis Regibus impertita, niſi ad eam Chriſtianæ Reipublicæ partem tuendam, quæ nunc libertate fruitur, & alias ab immanis draconis faucibus vindicandas?

Clemens ipſe nónne paulò antè Ferdinando Regi ad huiuſmodi 7
expeditionem tam multa conceſſerat, vt Suauis ea traxerit ad pretioſa illicia, quibus Concilium retardaret? Sed poſt concordiam à Cæſareis cum Lutheranis pactam, & patefactam de habendo Concilio voluntatem, num fortè præteriit Pontifex illi contra Solimannum opem conferre? Ad id miſit Hippolytum Cardinalem Mediceum, ſui Patruelis filium, non cum ſubſidio in menſem [a] quadraginta ſcutorum millium, vt narrat [b] Guicciardinus, ſed cum decem millibus equitum ex equitatu Pannonico, quibus vſque ad belli exitum à Legato ſtipendia ſoluerentur, præter duodecim triremes ſuo ære conſtructas, Cæſari ad tuendam oram maritimam Italiæ conceſſas; oblatis quoque maioribus ſubſidiis, vbi neceſſitas ingrueret, prout expoſuit in diplomate beneuolentiæ pleno per Legatum deferendo. Quamobrem omnium plauſu & acclamatione in Germania [c] collaudatus, quæ in tantis anguſtiis auxilia tam ampla experta eſt ab eo ſolo Principe, quem paulò antè Germani milites eiuſdem Cæſaris diripuerant, expoliauerant, in cuſtodia concluſerant. Quid verò, nónne Clementem in eo ſucceſſores imitati? Ac in primis Paulus III. nónne validis militum copiis, duce ſuo nepote, Cæſari præſtò fuit aduerſus Turcam bellum terra marique inſtauranti? Num fortè negligentes aut tenaces habendi ſunt Pius IV. in defendenda Melita, & Pius V. in componendo ſuſtinendóque fœdere, quod tantâ perculit clade Imperium Thraciæ? Quid Gregorius XIII. in eodem fœdere quibuſuis impenſis pro ſua virili parte continuando, promouendóque? Poſtremâ tempeſtate Clemens VIII. nónne pariter ad tuendam Pannoniam immiſit exercitum,

[a] 18. Iunij, vt in lib. cit. Archiu. Vaticani, inſcripto, *Acta Conuentus Ratiſponenſis, an. 1532. & alia quædam viſu digna.*
[b] Guicciardinus lib. 10.
[c] Epiſt. Aleandri ad Sangam, 7. Iulij 1532.

citum, illius ductore sui fratris filiæ marito, qui per eam expeditionem extinctus est? Enimuerò numquam desiere Pontifices Christianos Principes stimulare literis, legationibus, oblatis argento, milite, suique corporis præsentiâ, ad arma in communem hostem conuertenda. Haud certè prætermissum ab iisdem, suppetias ferre Catholicis Principibus ad bella etiam in hæreticos suscepta; præsertim vbi grauius periculum maiorque indigentia visa sunt: sed ob tenuitatem virium validiora adminicula reseruarunt aduersus hostem magis impium, magisque formidolosum. Neque sanè falsum est, Turcarum Imperium adeò non obesse sempiternæ Christianorum saluti, quibus dominatur, cùm liberum Fidei Catholicæ vsum illis concedat, qui ab hæreticis interdicitur. 1532.

8 Pergit in incepto Suauis: *Dicebant alij*, inquit, *nullâ habitâ Turcarum ratione, Principatus administrandos non esse ex vtilitate Sacerdotum: adeoq; cùm cuiuis Principum ex officio sit incumbendum, vt præcepta diuina, nec vnum altero magis seruetur, interdum eorum violationem tolerandam pro eo ac postulat quies publica; neque maiorem esse impositam obligationem, hæreticos quàm scortatores puniendi. Et quamquam vix huiusmodi permissionis exempla produci possint per octingentos ab hinc annos; tamen qui ad priora tempora conuerteret aciem, effectum id ab omnibus comperturum, & quidem cum laude, cùm ad id necessitas coëgit.* Qui hoc pacto philosophabantur, è Stoicorum secta fuerint oportet, cuncta peccata æqualia existimantium, per opinionem adeò absurdam, vt ea satis fuerit Marco Tullio, ad habendum apud populum Romanum ludibrio ipsum Catonem. Atque eodem arguendi modo deduci liceret, quâ facilitate à Catholicis Magistratibus meretrices tolerantur, permittendum esse subditis, vt ad Iudæos transfugiant, & Iesum Christum tamquam impium deceptorem detestentur; vt Alcorano dent nomina, Mahumetique delubra construant, vt idololatriam reuocent, & Mineruæ ac Apollini templa, Sanctorum nostrorum nominibus iam consecrata, restituant; & denique, vt atheismum deprædicent, omnemque Diuinitatem tamquam poëtarum fabulam derideant: hæc enim omnia nihil aliud tandem sunt, nisi diuinorum præceptorum violationes: *Cuicumque verò Principum incumbendum est, vt non magis alterum altero custodiatur.* Obseruetur in quacumque seu veteri seu noua Republica, an scortatores, gulosi, helluones, & huiusmodi vitiis humanæ imbecillitatis deturpati, per leges publicas puniantur tam acriter, quàm violatores creditæ Religionis, quæcumque tandem ea fuerit. Obseruentur Patres, & sacra Oracula, quàm diuersis execrationibus inue-

Vide Orationem pro Muræna, & eius Commentatores.

1532. hantur in hæresim, ac in reliqua flagitia. Quidnam indicat antiquissimum illud, horrendumque vocabulum, *Anathema*, ab Ecclesia in hæreticos præcipuè contortum, nisi *Seiunctionem?* Cetera delicta solùm fructibus ramisque arborem spoliant; at defectio à recta Fide illam radicitus euellit. Cùm in Fide tamquam in fundamento nitatur omne meritum, & omnis ad æternam salutem præparatio; Fide præditus si labatur in reliqua crimina, suum lapsum agnoscit, habetque in animo, quandocumque sit, resipiscere; quod certè quoddam semen est operis: fatetur ad hæc se cecidisse; adeoque per exemplum à semetipso damnatum minori alios contagione contaminat. At qui Fidem abiecit, resipiscendi voluntatem non habet, suam fassus turpitudinem: quin se supra ceteros perspicacem in eo iactitat, propriæque mentis auctoritatem auctoritati Diuini Verbi, ac legitimi eius Interpretis audacter opponit; atque ad id comprobandum habemus in Vitis SS. Patrum illum Monachorum Moderatorem, sui despicientiâ insignem, plurimis turpium criminum calumniis oneratum, nihil eorum negasse; at postremò hæresis insimulatum, ab ea se accusatione ardentissimè vindicasse. Præterea, tametsi culpa ad æternam vitam relata par omnino foret; quis inficiabitur, relatam ad ciuilem vitam longè imparem esse? Vbinam promiscua castorum incestorumque, sobriorum helluonumque commercia eos in Republica tumultus excitare solent, quos Religionis dissidia?

Quòd autem deinde affirmet, huiusmodi permissionem ante octingentos annos fuisse omnibus laudabiliter vsitatam, id Suauem arguit tamquam subdolè oblitum tot legum Romanorum Cæsarum in hæreticos, & vicissim tot persecutionum, quibus vel Ethnici, vel Cæsares Ariani Catholicos afflixere: sed dictum illud coarctatum per postremam exceptionem, *cùm ad id necessitas coëgit*, adeò verum redditur, vt non ante potiùs quàm post octingentos annos limitandum sit. Cùm adegit necessitas Christianos, vrbem sanctam Hierosolymam, & Christi Sepulchrum Saracenis tradidere: an hinc ergo conficiendum, id consilij per se ipsum, & citra necessitatem vltimam licere; atque ita prudenter ad ea conniuendum, vt ad pudicitiæ ieiuniique violationem conniuemus? 9

Subtexit deinde Suauis alios aliorum sermones; nec temperare sibi potest, quin eos quasi voces suas paternâ veluti charitate complectatur. *Id enim inquit hic agi, vtrùm vnaquaque ex regionibus Christianorum administranda sit prout ipsarum necessitas ac vtilitas postulant, an vnius tantùm ciuitatis seruitio mancipentur, ad cuius commoditates* 10

tes ſuſtentandas, oporteat cetera ſe ipſas exhauriant atque deuaſtent. 1532.
Cuncta ſeducentium effata idcircò peſtilentia ſunt, quòd ſpecie charitatis obtecta audientibus blandiantur: quemadmodum omnium hoſtium deterrimus eſt proditor, qui pro necis inſtrumento adhibet amicitiam. Huiuſcemodi argumentum parem habebit vim ad ſubditos deterrendos, ne ipſum dominum vitâ fortuniſq; defendant in bello, affirmando, nolle ſe, quò vnius commoda ſuſtineant, ſemetipſos perditum ire: deterrebit ètiam populares, ne dimicent pro Patritiis, qui Rempublicam per Ariſtocratiam adminiſtrant: atque ita Principatus quilibet euadet vitreus, inermique prædâ iniuſtas inuadentis manus alliciet. Hæc planè fuere ſenſa, quæ memorabilem Romæ ſeditionem peperere, cùm plebs ad ſacrum collem ſeceſſit, ac pro Senatu bella gerere recuſauit: ſed deceptam exuit mentem, vbi à Menenio Agrippa celebrem apologum accepit de membris animantium, quæ cum à ventre deſciuiſſent, recuſarentque ad ingerenda illi nutrimenta ampliùs laborare, ſtatim eo languente, ipſa pariter languere. Iam verò, ſi Menenio contigiſſet pro tuendo Apoſtolico Principatu cauſam agere, rationes ſimilitudineſque longè quidem efficaciores adducere potuiſſet: quandoquidem neque manus neque pes vmquam in ventrem migrant, ſicuti neque ferè plebeius in Ariſtocratia ad Patritios tranſit, neque ſubditus in Monarchia hereditaria vocatut ad Sceptrum; adeoque ſemper verum perſtat, potiſſimam vtilitatem communium laborum eſſe bonum alienum, quamquam inde ſingulis etiam aliquid emolumenti redundet; quemadmodum cibus ventrem præcipuè corroborat, ſed ex eo neceſſaria in reliqua membra refectio dimanat.

11 Verùm in Eccleſiæ corpore membrum quodlibet in ventrem conuerti poteſt, vti chylus in ſanguinem, hic verò in carnem: videlicet in hac Republica plebeo cuicumque licet in Senatorem, cuiuis ſubdito in Principem euadere. Roma, prout Regia Religionis, non eſt vna peculiaris ciuitas, ſicut alibi declaratum eſt: proinde in fruſta conciſa corruit muralis illa Suauis machina inexpugnabilis; *agi in hoc, vtrùm regiones Chriſtianæ vnius tantùm ciuitatis ſeruitio mancipentur, ad cuius commoditates ſuſtentandas, oporteat cetera ſe ipſas exhauriant atque deuaſtent.* Fuit olim priuata Ciuitas ea Roma, quæ per annos ſeptuaginta Pontificum præſentiâ Auenione degentium deſtituta iacuit, in cuius commoda nihil à reliquis Chriſtianorum nationibus conferebatur. At ea Roma, quæ Fidei Orthodoxæ, ac Pontificiæ auctoritatis viribus innititur, quædam Re-

1532. gia est ex cunctis Catholicis Prouinciis conflata, in qua quisque doctrinâ ac meritis ad summarum dignitatum fastigia eniti potest, ac reipsâ vel earum supremam obtinere, vel Ecclesiastici regiminis ac patrimonij particeps fieri. Est quædam Regia, quæ instar animæ tot Regna connectit, atque è regionibus sibi obtemperantibus corpus vnum ciuile constituit, ceterorum omnium maximè formidabile, maximeque virtute, literis, felicitate conspicuum. Itaque apud se quisque reputet, anne huiusmodi corporis membris conducat aliquod incommodum tolerare, ne ab hac anima seiungantur, néve deserantur cum solis *formis partialibus*, vt Scholæ loquuntur, quæ cuiuis membro, quamquam animâ viduato conueniunt. Id igitur non est quædam seruitus erga herilem dominationem, cui seruituti naturæ propensio reluctatur; sed coniunctio potiùs vitæ perfectè politicæ, adeò naturæ consentanea, vt Aristoteles pronunciauerit: Quemadmodum manus, quæ integro corpori non deseruit, è cuius bono statu suum cuique membrorum bonum redundat, dicitur per amphibologiam *manus*; ita hominem priuatum, qui proprium sibi bonum pro fine spectat, non commune à quo priuata singula deriuantur, per amphibologiam *hominem* appellari.

Primo Politicorum cap. 2.

Verumtamen, sicuti euenire quandoque potest, vt seu pecuniæ inopiâ, seu corporis imbecillitate computrescere brachium sinamus, ne vel ceteris membris alimentum desit, vel atrocitate remedij extinguamur; ita pariter aliquis Princeps iis poterit interdum angustiis deprehendi, vt cogatur seiunctionem à Romanæ Sedis obsequio permittere aliquibus ex suis subditis, quò potioris partis saluti consulatur. Sed, vt in corpore naturali fit, extrema non nisi euidens cogat necessitas, admittuntur; itidem in ciuili corpore statuendum. Vtrùm verò Carolus euidenti hactenus necessitate premeretur, temerarius esset, qui confidenter affirmaret, eâ planè ratione, quâ si quis telescopio discerneret merces è longinquo nauigio in mare proiici, temerarius foret in ferenda certò sententia de tanta periculi magnitudine, quanta iacturam illam prudentem redderet. 12

Errat tamen Suauis, dum ait, subsecuta tempora docuisse, ac perpetuò doctura esse, initum à Cæsare consilium, fuisse cunctis humanis diuinisque legibus consentaneum. Posteriora siquidem tempora docere neutiquam potuerunt, an Cæsar ab ineluctabili necessitate vim passus fuerit: sed potuerunt satis docere, libertatem conscientiæ indulgere, idem esse atque domo excipi Amphisibænam, quæ gemino ore animis æquè ac Principatibus virus afflet, inuertat- 13

que

que Religionem in quoddam chaos, in bestiarum mores, in atheis- 1532.
mum, obedientiam in contumaciam vnius, & optimorum regimen
in popularium plurimorum dominatum; quarum rerum exempla
funesta Caroli successores experti sunt ab ea concessione profecta.

CAPVT XI.

Solimanni receptus è Pannonia. Cæsaris in Italiam reditus. Inter ipsum ac Pontificem offensiones. Britanniæ ac Galliæ Regum tentamenta.

1 SOlimanni exercitus, quemadmodum vastæ machinæ, suâ magnitudine lentior, in Pannoniam serò peruenit; neque Princeps ille sapientis esse consilij existimauit, suam potentiam fortunæ committere, neque partam sibi gloriam, cum Carolo V. congrediendo in discrimen vocare; sed agro laté vastato, potiùs latrocinantium Ducis, quàm summi Imperatoris more, suas copias Byzantium reduxit. Cautum illud consilium in Orientis magno Imperatore imitatus est non minor Occidentis Imperator illius hostis, nullâ illatâ molestiâ ab aggressione recedenti; ratus insignem impetiri victoriam, dum solo aspectu impetentem deterret, vincitque gladio in vagina recondito. Quin quò celeriùs hereditaria Hispaniæ Regna repeteret, futurosque ibi heredes pararet, fratri opem ferre neglexit, eoque militum robore Pannoniæ illi plenam possessionem acquirere, aduersum Ioannem Scepusium Zapoliensem, ab Austriacis *Vayuoda* nuncupatum, qui supremus erat post Regem Magistratus intra ditionis fines, eamque obtinuerat priùs quam per electionem, habitam anno 1529. quamquam suffragiis deficientem, sibi ius Regni arrogasset, eiusque titulum ac possessionem occupasset; vnde Pannoniæ Coronam Ferdinando præripere adnixus, ad sui patrocinium Solimanni arma potissimùm solicitarat. Præcepit quidem Cæsar, vt ibi validus ad id Italorum exercitus remaneret: sed illi alterius nationis Ducem supremum sibi præfectum dedignati, seditione factâ secessere; neque ipsius Caroli præsentia ad eos placandos quidquam valuit, quin contemptus ac repulsæ iniuriam pateretur. Quare suâ sponte raptim in Italiam redeuntes, iter hostilibus incendiis funestarunt, dictitantes, quò deformem licentiam splendido aliquo colore cohonestarent, à se illa patrari, vt similes clades, à Germanis illatas patriis focis, vlciscerentur.

Vide librum de Republ. & Statu Regni Hungariæ pag. 136. 141. & 143. & Brodeeri-thû & Sambucum in Appendice ad Bonfiniû pag. 737.

2 Hinc accidit, vt cùm Cæsar Italiam versùs iter faceret, irâ commotus,

Guicciardinus lib. 10.

1532. motus, leuem ob causam grauissimo dedecore Clementis Legatum, eiusque patruelis filium affecerit; vti fert irascentium impetus, qui bilis æstuantis igniculis irritati, eam, qualicumque oblatâ occasione, contra quos possunt violenter effundunt. Designauerat Cæsar ordinem in viæ stationibus seruandum: at Legatus impatientiâ iuuenili Cæsarem præuerterat, aderatque cum eo Petrus Maria Rossius, præcipuus auctor creditus narratæ Italorum seditionis. Vnde Cæsar iussit non modò Rossium, sed Legatum etiam comprehendi: posteà verò facti pœnitens, Cardinalem dimisit, mox verò ad offensionem mitigandam, Rossium etiam paulò pòst exsoluit; nec prætermisit excusationis officiosissimæ lenimenta erga Legatum, ipsumque Pontificem adhibere; apud quem illatam iniuriam honestâ specie suspicionis obtexit, quasi vereretur, ne Legatus ægrè ferens antehabitum sibi in Florentiæ Principatu Alexandrum Patruelis filium, ad eum depellendum cum suo Comitatu deflecteret. At verò, tametsi Pontifex, qui cunctis animi perturbationibus præter timorem mirificè imperitabat, boni publici rationibus iustæ iracundiæ frænaret impetus, ad retinendam cum Cæsare necessitudinem; adeò tamen eâ tam publicâ contumeliâ fractus victusque animo est, vt in lacrymas præ dolore proruperit.

Petrus Sotianus, in relatione suæ Legationis ad Senatum Venetum.

3 Quò arctiùs cum Carolo Pontifex iungebatur, eò fortiùs duo Reges illius æmuli hunc ab eo diuellere conabantur, asperis certè modis, quandoquidem blandis non processerat. Horum alter, gloriæ ac potentiæ auidus, Insubriæ recuperandæ inhiabat: alter, exæstuans libidine, amicæ nuptias anhelabat. Vtriusque autem consilium, quippe & vtilitati & honori Caroli contrarium, adeoque fauore Pontificis indigum, in eorum coniunctionem velut in obicem offendebat. Idcircò, dum Cæsar bello Turcico distinebatur, quod diuturnum & arduum ij Reges fore sperabant, statuerunt in congressu Caletij habito, vt Galliæ Rex Acromontium & Turnonium Cardinales Romam mitteret cum peracerbis mandatis, qui Pontifici denuntiarent, eos Reges se ab eius obsequio subtracturos, nisi Gallo de Mediolani recuperatione, Anglo de Annæ connubio assentiretur. Sed inopinata celeritas, quâ Cæsar hostis tam terribilis aggressionem dissoluit, Gallum ad consilia moderatiora redegit, ne Clementem impelleret, non tam ad amicitiam cum Cæsare, quàm ad inimicitiam erga se. Proinde molliora Purpuratis Oratoribus iniuncta mandata; quamquam, vt Angli fiduciam foueret, cui amoris cæcitas prudentiæ prospectum ademerat, voluit aliquam offensionem in Pontificem præseferre, imponendo ex propria auctoritate

Guicciardinus loco citato.

ctoritate Ecclesiasticis vectigalia quædam. Simulque ad alias efficaces artes, sed minùs violentas conuersus, studuit suadere Pontifici, Germaniæ Protestantes, quòd Galliæ vires tamquam vnicum sibi aduersus Cæsarem præsidium spectabant, futurum vt à suo nutu penderent: Angliæ quoque Regem in prosequendo coniugio, eatenus ausurum vnà cum Pontifice Cæsarem lædere, quatenus Gallorum viribus se tutum agnosceret. Proinde aliam non posse rationem iniri, quâ dignitas Apostolicæ Sedis, reique Christianæ vnitas sustineretur, nisi se cum ipso coniungeret: posse id à Clemente perfici seruatâ Cæsaris amicitiâ, cui haud molestè ferendum erat, quando iam Gallus Pontificem cum solo Cæsare affinitate coniunctum tolerauerat, eum nunc pariter cum eorum vtroque Principe coniunctum aspicere. Ad ea consilia amplectenda compulsus est vehementiùs Pontifex, quòd aliorum fauore destitutus, minoris à Cæsare æstimari videretur. Cuius rei argumenta varia suppetebant: ac in primis, quòd Cæsar Alphonso Duci Mutinam, Rhegium ac Ferrariam contra Pontificem adiudicarat. Nam de Mutina ac Rhegio, elegerat Cæsar (vt Iurisperiti loquuntur) solùm ex Iure procedere; de Ferraria verò, de qua si hanc viam iniisset, oportebat Ducem perduellionis damnare, amici conciliatoris sibi partes assumpserat: secundò autem, in procrastinandis nuptiis filiæ iam nubilis cum Alexandro, absque causa conspicua: postremò, dum videbatur Lutheranorum violentiâ magis trahi, quàm æquitate Pontificis, in rebus de Religione & Concilio sanciendis; cùm satisfacere mallet non magis honesta petenti, meliusque merito, sed planè magis formidabili. 1532.

CAPVT XII.

Alterum Cæsaris cum Pontifice colloquium Bononiæ; aliaque apud Christianos Principes officia ad Concilium celebrandum.

1 REuersus è Germania Cæsar, atque in Hispaniam traiecturus, voluit iterùm Pontificem alloqui duplici de causa: & quò cum eo confirmaret amicitiam, quâ quicquid suæ ditionis per Italiam erat, satis in tuto fore existimabat; & quò aliquid de Concilio statueretur, sine quo se in Germaniæ negotiis intutum arbitrabatur. Clemens, quantumuis impar ad itineris incommoda, maluit se conferre Bononiam, quàm Cæsari occasionem inde præbere in Italiam penetrandi, ac Neapolim pertingendi, quò destinabat. Ferunt, in eo congressu non æquè vtrique satisfactum, Guicciardinus suprà citatus.

1532. ac in priori. Etenim Pontifex, cupiens nulli partium sese addicere,
1533. quòd id Patris personam magis deceret, magisque securitati conduceret, ægrè se passus est ad nouum fœdus pro rebus Italiæ adduci; præsertim tum quia Veneti illud inire recusarunt; tum quia, vt ad illud ineundum Ferrariæ Ducem traheret, necesse fuit Clementi, haud sanè libenter, ei polliceri, se ipsi ad certum tempus molestiam non illaturum. Ex altera parte cupiebat Carolus, vt Clemens patruelis neptem Francisco Sfortiæ matrimonio iungeret, quo tenaciori affinitatis nexu illum ad Mediolani tutelam pertraheret: cui rei Pontifex assensus non est, ne Regem Galliæ læderet, illius hosti eâ desponsatâ, quæ iam ipso Cæsare comprobante illius filio desponsa fuerat. Rex enim sibi hostem * declarauerat Sfortiam eo nomine, quòd in gratiam Cæsaris Meruellium interfecisset, sibi quidem subditum, sed qui ex Regiis literis Legati prærogatiuâ fruebatur. Cæsar arbitratus illud coniugium quasi per simulationem à Rege oblatum, petiit à Pontifice, vt Regem ad illud perficiendum vrgeret; sperans eâ ratione comperturum Clementem, adulterinam esse monetam, quâ Rex ipsum commercari studebat, adeòque propensionem erga Gallos in indignationem commutaturum. Sed contrà res accidit: Gallus namque explorato æmuli consilio, vt ipsum eluderet, eò statim properauit, quò fortasse magis dubitanter ac pedetentim processisset; ac duobus suis Oratoribus suprà memoratis, Bononiæ apud Pontificem degentibus, tradidit quidquid opus esset potestatis ad matrimonium stipulandum. Quapropter quantum Cæsari defuit de colore ac spe illius affinitatis remouendæ, tantum curæ ac solicitudinis accreuit; quæ insuper auctæ sunt, quòd Rex Pontificem rogauerat, vt vnà Nicæam in Prouincia conuenirent, cùm sibi aditus in Italiam vlteriùs non pateret. Nec Pontifex id negandum censebat, quippe iam bis ad colloquium cum eius æmulo accesserat. Inerat Cæsari suspicio, ne ea res spectaret aliquod fœdus pro recuperanda Insubria, Aurelianensi Duci Catharinæ sponso concedenda, cui compertum erat destinari à Rege eam ditionem, quò lis cum priori natu filio componeretur de Britonum Principatu. Sed in eo Pontifex nisus est animum Cæsaris securum reddere, initâ inuicem pactione, ne fœdus cum aliis Principibus sancirent. Et promissis quidem stetit, aduersus quàm Suauis affirmat; vti non solùm Guicciardinus testatur, sed Petrus Sorianus Venetorum Legatus in sua narratione, qui exquisitissimam ac certam notitiam profitetur eorum, quæ inter Clementem & Gallos tunc temporis agitata. De Concilio mirum est à Guicciardino narra-

* Falcarius lib. 20 §. 50.

Guicciardinus citatus.

narrari, fuisse tunc à Pontifice idcircò reiectum, quòd neuter è Regibus in id consentiret, simulque omitti quidquid ibi ea de re deliberatum atque statutum. Ex quo liquet, quàm indiligenter vestigauerit quæ ad res extra Italiam gestas pertinebant. Idque etiam patet ex eo, quòd pro certo ponit, Ferdinandum electum fuisse Romanorum Regem in Comitiis Augustanis; quodque tam confusè refert negotia de Anglicano diuortio; prætcritque quod præ ceteris erat animaduertendum, hoc est, postremam Clementis sententiam, Catharinæ connubium ratum pronuntiantis. Quem quidem notitiæ defectum in eo Historico visum mihi est iterum indicare, ne auctoritas scriptoris, alioqui conspicui summique nominis, lectorum fidem tenaciùs occupet; præsertim in iis rebus, quas ille negligenti calamo percurrit pictorum more, cùm lacinias finesque regionis, quod operis præcipuus scopus est, cursim adumbrant. 1533.

2 Habitus est Bononiæ peculiaris cœtus ad deliberandum de Concilio; vbi interfuere Pontifex, Cæsar, Cardinales Farnesius, Campeggius, Cæsius, & Archiepiscopus Aleander ex parte Pontificia; ex Cæsarea verò Gabriel Stephanus Merinus Hispanus, Archiepiscopus Bariensis, & Indiarum Patriarcha, at paulò pòst in Cæsaris gratiam Purpureo pileo donatus, magnus Cancellarius Granuelanus, Commendatarius Couius tunc apud Carolum gratiosus, ac Maius Iurisconsultus Cæsareus, apud Clementem Orator, & Arragoniæ Procancellarius.

Acta inter Clementem ac Cæsarem de Concilio, fusè continentur in libro Archiu. Vatic. inscripti, *Instructio ad Concilium Trident.* & in altero inscripto, *Varia, &c.*

3 Duo ibi constituta: alterum, vt quando conditiones à Pontifice propositæ de Concilio æquæ videbantur, Nuntius ab eo legaretur ad Germaniæ Principes, & Orator à Cæsare, qui Nuntio concors cum illis ea de re transigeret, animosque ad Concilij celebrationem pararet. Compertum erat, in eo solùm à Pontifice Cæsarem dissentire, quòd alter agnoscebat quidem conditionum æquitatem, sed vtpote cupidus quocumque modo Germanis satisfaciendi, quò Imperio quies esset, flagitabat à Pontifice etiam immoderata, vbi Germani æquioribus non acquiescerent. Contrà verò Pontifex, cui Vniuersalis Ecclesiæ salus curæ erat, cupiebat quidem vim omnem per officia Francisci Regis adhibere, vti Protestantes Concilium exciperent, quo par erat ritu celebrandum; sed vbi recusarent, nolebat insanæ libidini vnius partis indulgere, quasi totum illa corpus moderaretur: ac dum Concilium insolito peruersoque modo cogeret, fraudi esset Apostolico Principatui, cui non Dominus, sed Custos præsidebat, vniuersamque Ecclesiam perturbaret, eum imitatus, qui vt importunam sitim faucium ex febri arescentium

1533. expleat, potum illis indulget, vnde vitæ calor obruitur, & mors cietur.

Alterum ibi stabilitum fuit, vt Pontifex, de Aleandri consilio, iam tum scriberet ad Principes de Concilij celebratione; ne crederetur aut simulatum aut extinctum ipsius propositum, per encyclicum ad Principes Diploma duos ante annos vulgatum: à quo quidem Archiepiscopus Batiensis dissensit, ratus, non esse nouis se nexibus implicandos vsque ad ipsam Concilij conuocationem; ceteri verò omnes, ac præsertim Cæsar, consensere. 4

Pontifex, vt hoc ipsum exequeretur, aliud scripsit Diploma 10. Ianuarij ad Romanorum Regem, ac reliquos Principes Catholicos Imperij, in quo factâ præteriti diplomatis mentione, & commemoratâ interiectâ cunctationis necessitate ob Turcicum bellum, aiebat, cùm illud vtriusque fratris virtute feliciter confectum esset, auditusque à se fuisset Cæsaris reditus Italiam versus, neglectâ valetudinis ætatisque imbecillitate, & asperæ tempestatis incommodis, nec labori nec periculo pepercisse, quò Bononiam contenderet, ad agendum cum Cæsare de conciliandis Christianorum nationibus: ipsum autem Cæsarem vsque adeò se Concilij studiosum ostendisse, vt, vbi Pontifex ad illud alioquin haud propenderet, exarsurum adhuc fuisse illius cogendi desiderio, quò tanti Principis pietatem imitaretur. Proinde habere se in animo, quantocyus posset illud indicere. Sed quoniam, cùm Oecumenicum futurum esset, operæ pretium erat, vt omnes Principes Christiani in id consentirent, ne dum pars altera curabatur, altera discinderetur, quod & ipse Cæsar optime aduerterat; se minimè defuturum literis atque Nuntiis reliquos Principes ad illius consensionem solicitare. Hanc postremam periodum diplomatis ad Regem Romanorum, Cæsareani amputandam curarunt in diplomate ad Ordines Imperij destinato, simul cum aliis quibusdam vocibus, quæ illis esse poterant suspicioni: in reliquo idem planè fuit omnium tenor. 5

Ad eosdem quoque Ordines scripsit Cæsar eodem die, ac ferè in eamdem sententiam; adiectâ laude amplissimâ voluntatis ac solicitudinis in Pontifice, *qui*, dicebat, *animo verè paterno & ardentissimo ad hanc publicam causam promouendam adeò incubuit*, *vt nihil in eo desiderari potuerit in suo munere suisq. partibus explendis.* Ac speciatim posteà testabatur, Pontificem cogendæ Synodo libentissimè consensisse; sed simul optimo iure ac prudenter tamquam necessariam quæsiuisse reliquorum Principum consensionem, quò omne schismatis perturbationisque periculum vitaretur; atque in id impendisse 6

disse idonea officia per literas ac Nuntios; & consentanea respon- 1533.
sa eum præstolari, antequam Cæsar ex Italia discederet. Huius verò Cæsaris de Pontificis voluntate testimonij Suaui haud placuit meminisse, cùm eius memoria sit planè monoceroti contraria, ea nimirum, vt quidquid est veneni antidotum à se depellat.

CAPVT XIII.

Pontificis Nuntius, & Cæsareus Legatus in Germaniam pergunt ad componendas Concilij conditiones: & quid principes Protestantes responderint.

1 QVò res maturaretur citiùs, dum omnium Principum expectabantur responsa, voluit Pontifex alterum quod in consilio statutum erat exequi, de Nuntio destinando. Legauit itaque Hugonem Rangonium, Rhegiensem Episcopum [a] cum diplomatis ad Ferdinandum Regem, & Catholicos Principes 20. Februarij anno 1533. simulque Nuntium misit Vbaldinum de Vbaldinis, sibi à Cubiculo, ad Reges Galliæ ac Britanniæ, cum diplomatibus eodem die datis; [b] qui Nuntij Synodi conuocandæ conditiones cum iis Principibus statuendas curarent. Mandata Rangonio tradita, pariter ab Vbaldino seruanda, iniungebant, vt octo rerum capita, quæ necessaria & æqua videbantur, proponerent.

2 *Vt Concilium sit liberum, celebretur*que *more ab Ecclesia vsurpato vsque ab initio Vniuersalium Conciliorum.*

Vt ij, qui sunt interfuturi Concilio, se illi obtemperaturos polliceantur.

Vt ij, qui legitimâ causâ ne adsint excusantur, legitimos Procuratores mittant.

Vt intereà in controuersiis Fidei nihil innouetur in Germania.

*Vt locus decernatur; secùs enim omnia frustrà parari: ac proinde proponi à Pontifice Mantuam, Bononiam, ac Placentiam; quarum singulæ tutæ sunt, capaces, fertiles*que*, ac cælo salubri, atque Germaniæ propinquiores, quàm ceteris transmontanis nationibus Synodo interfuturis.*

Vt si quis Christianorum Principum operi tam Religioso absque iusta causa defuerit, non idcircò omittatur; sed cum reliquis sanioris mentis in ipsum conspirantibus promoueatur.

Vt si quis Sacrum huiusmodi Cœtum impedire, seu posteà eius Decreta violare tentauerit, reliqui cunctis suis viribus Pontifici pro Concilio tuendo adsint. Pontifex verò sexto mense postquam de ceteris memoratis capitibus propitium responsum acceperit, Concilium indicat, post annum coge-

a Mandata tradita Rangonio, atque per eam occasionem missis, extant in Volumine Vaticanæ Biblioth. in quo, & in alio, sunt multæ Literæ, Diplomata, & Commentarij Clementis Septimi de Concilio, posteà citanda.

b Hæc Diplomata extant inter alia Clementis.

1533. *cogendum, quo spatio opus est, tum Vrbi destinatæ rebus opportunis instruendæ, tum quo ij præsto sint, qui è tam longinquis regionibus aduocantur.*

Nuntio Rangonio adiunctus est Cæsareus Orator Lambertus Briardus, Belgici Concilij Præses, datumque ipsi negotium, vti prius à Romanorum Rege rei transigendæ rationem acciperet: vti statum Germaniæ obseruaret, animosque cognosceret, an per Concilium, an aliâ viâ reconciliari possent; ac de iis Pontificem ac Cæsarem certiores redderet; nullam tamen spem faceret Protestantibus de conditionibus Concilij, si quas fortè proposuissent, ne postmodum gloriarentur, vt aliàs euenerat, in procliui sibi esse, in summis atque grauissimis seu Fidei seu præceptorum Ecclesiæ negotiis, consensum ac tolerantiam obtinere. 3

Si priuata Nationis Synodus tentaretur, eam ostenderet inutilem; vtpote quidquam sanciendi auctoritate carentem, violentam Pontifice non annuente, neque consentientibus reliquis Prouinciis Christianorum, vbi tamen res communis ageretur; periculosam denique ob rationes quas suprà * recensuimus. De iis, quibus se à Romana Curia grauatos Germani querebantur, significaret, iam ex parte à Pontifice adhibita remedia, & omnibus ritè examinatis, aptius reliquis prouisurum. Quidnam certius, quid patentius præstare poterat Cæsar ad comprobandum Clementis animum Concilio celebrando paratum, quo tempore nulla suberat suspicio priuati in eum studij, dum ex noua cum Gallo affinitate, suborta erat aliqua sibi inuicem diffidendi causa?

* Capite 9. huius libri.

Legati, post accepta à Ferdinando mandata, officio primùm defungi statuerunt cum Ioanne Frederico, à parentis obitu Saxoniæ iam Septemuiro, tamquam cum principe Protestantium: & cum eo conuenere 2. Iunij Wimariæ, illius oppido in Thuringia. Is, quæ proponebantur auditis, ad respondendum spatium postulauit; quod à Nuntio collaudatum, tamquam prudens ad grauiora deliberanda consilium. Hîc Suauis insulsâ malignitate dictum Nuntij condit: Sibi, ait, temperare non potuisse Nuntium, quin per eam laudem conceptæ spei voluntatem patefaceret, interuenturæ suo negotio moræ ex voto Pontificis; sed mox accepto responso fuisse delusum. Primò quidem, quidnam vsitatius Principibus, vbi quid quantumuis leuioris momenti proponitur, quàm se deliberaturos respondere, antequam certum & irreuocabilem assensum præbeant? Adeoque nec improuisum accidere illud poterat, nec insolitam cunctationem præseferre. Secundò, quænam Oratori nouo magis vsitata ratio beneuolentiæ captandæ ab eo Principe quicum agit, 4

quàm

quàm acceptâ vndecumque occaſione ipſum laudare? Tertiò, 1533.
num fortè non obuerſabatur Nuntio lætitiæ cauſa, dum Ioannes Fredericus,adeò palàm obfirmatus in hæreſi, adeò abhorrens à quocumque Concilio ex Catholico ritu celebrando, ipſum non illicò repudiabat, ſed ancipitem animum præ ſe gerebat, adeoque nutantem in eo, cui ad eam vſque horam firmiter inhæſerat? Quartò, ſi Nuntius moram trahere cupiebat, multò magis ex eadem cauſa Concilij repudiatio optanda erat, quæ Pontificem ab illius ſolicitudine liberaret, ſimulque palàm faceret per ipſum non ſtetiſſe,quò minùs conuocaretur. Quare ſi verum foret quod pro certo ponit Suauis, repulſa confeſtim accepta debuiſſet Nuntij gaudium cumulare ob rem certam, non verò extinguere ob euaneſcentem ſpem, vt ille commiſcitur.

At huius hominis liuor adeò frequenter,adeò manifeſtè ſe prodit, vt verear,ne quæ in illo animaduerto,lectoris oculos iuxtà ac meum calamum defatigent. Nominis tamen fama,cum tanta Catholicæ Fidei fraude ab eo quæſita, poſtulat vt ſatius mihi ſit faſtidium legentibus narrando inferre, quàm in ipſo confutando deficientem videri, cùm pro victoria, non pro plauſu ſcribam.

5 Ad narrationem itaque regredior. Reſpondit poſteà Septemuir, velle ſe ceterorum Principum Proteſtantium ſuper ea re ſententiam rogare. Quapropter hi cum illo Smalkaldæ conuenere, vt de reſponſione conſuleretur; quam ibi decretam, ipſe communi nomine reddidit ſcripto, Iulij poſtremo die. Eius ſumma fuit, præter generales querelas de Religione per Romanam Sedem deprauata, ritibus ac definitionibus Diuinæ Scripturæ aduerſantibus, ſe primæ ac ſecundæ conditioni conſentiri non poſſe: in iis enim ex vna parte haberi, Concilium liberum futurum; ex altera verò, depoſci Pontificiæ auctoritati ſubiectum, cui ab omnibus eſſet obtemperandum. Sed mira ſanè excuſatio: nam in articulis modò recitatis ne nominatur quidem Romanus Pontifex, quin ſolùm dicitur, *Concilium celebrandum more ab Eccleſia vſurpato à primis vſque Vniuerſalibus Conciliis:* quæ poſtrema verba, quibus æqua & congrua conficitur propoſitio, à Suaui omittuntur. Neque ſermo ibi eſt de obligatione obtemperandi Pontifici, ſed Concilio.

6 Dein reſpondebant, in Conciliis à multo etiam tempore celebratis aberratum fuiſſe à recta ratione, initâ à primis Eccleſiæ Conciliis, arrogatâ ſibi à Pontificibus auctoritate ſuprà quàm par erat, ac ſubinde inductis abuſibus, doctriniſque aduerſus Dei Verbum: adeoque ſe velle Concilium,in quo Sacræ Literæ præualerent,quod-

que

1533. que Romanorum Pontificum aut Scholasticorum auctoritati minimè subderetur. Cuius responsionis imbecillitas mirum est quînam latere potuerit Suauem, dum eam tamquam iustam recenset. Vnum saltem ipsi proferant ex Conciliis Oecumenicis, in quo demonstrent, nullà vsos auctoritate Pontifices; quemadmodum ex aduerso Pontifici tot in medium afferre licet, in quibus ne ipsi quidem id ausint in dubium reuocare. Ea sunt in primis omnia in Occidente celebrata; non in Laterano inquam, sed in Gallia, in Germania, apud Reges ac Cæsares potentissimos, & conuenientibus tot amplissimis ac religiosissimis Episcopis; qui omnes numquam consensissent, occupati ab Romano Episcopo nouam & contra ius tyrannidem supra Ecclesiam vniuersam; præsertim cùm armorum vi seu formidine ad id minimè adigerentur. Fierine potuit, vt ad tam improuisam alienæ potestatis assumptionem, in prima quæ eo pacto habita est Synodus, nemo prorsus reclamaret, nullumque planè vestigium facti tam memorandi in vlla historia discerneretur? Præterquam quòd huiusmodi auctoritas Romani Pontificis vel in primis Orientis Conciliis, quorum memoria distinctior viget, manifestò liquet; cùm exploratum sit, quam subiectionem professum fuerit Ephesinum Cælestino, & Chalcedonense Leoni. Et satis quidem intelligebatur, Protestantes, dum articulum illum verbis tam appositis conceptum repudiabant, inde deducentes libertatem adimi, ac Pontifici Concilium subiici, se vel nolentes confiteri antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, non à longo hucusque tempore, sed à primis Oecumenicis Conciliis fuisse, vt illis Romanus Pontifex præsideret.

Prætereà, efflagitare vt Sacra Scriptura definitionibus Pontificum, Scholasticorumque doctrinis anteferretur, æquè erat, ac pro 7
certo ponere, eas inuicem sibi repugnare. Quod si contingeret, quisnam dubitet illam antehabendam? Si quidquam Pontifex contra Sacras Literas doceret, desineret esse Pontifex; & Scholastici qui hoc ipsum auderent, Scholasticorum nomen amitterent: vtrique verò proferuntur in Conciliis tamquam meri Scripturæ interpretes in obscuris locis; sed ille absque erroris periculo, hi vt erroribus obnoxij. Dixi, *in obscuris locis:* siquidem in iis quæ per se patent, variasque interpretationes minimè patiuntur, non requiritur neque conuocatur Concilium; vt ex iis omnibus constat, quæ ab Ecclesiæ primordio, vel per ipsos Apostolos celebrata sunt. At Lutherani per eam speciosam loquendi formam volebant, vt in effatis Diuinæ Scripturæ non adeò apertis, explicationes ex ipsorum libidine antehaberentur

haberentur declarationibus Interpretis legitimi, atque à Deo constituti, cum sacrorum Doctorum commentationibus à peculiari ipsorum lumine profectis; qui tandem communem Ecclesiæ sensum enuntiant. Quapropter postulatio Protestantium æquiparanda erat litigatoris petitioni, qui contenderet, in suæ causæ decisione rationem legi ac Iurisperitorum opinationi præferri. Certissimum quippe est, legem rationi aduersantem neutiquam valere, multoque minus cuiusuis Iurisconsulti opinionem rationi pariter repugnantem. Quare vbi ratio in aperto est, nihil opus lege, nihil Legisperito; sed sufficit lumen, hominum animis à natura inditum. Verùm quoniam in rebus moralibus ratio plerumque delitescit, idcircò eius inuestigandæ cura, ac declarandæ auctoritas prudentibus Legislatoribus tradita est; & cùm aliquando lex ipsa obscura sit, multò plus lucis accipit ab intelligentia Iurisdoctorum, qui diu accurateque in eo se studio exercuere, quàm à gregariis Iudicibus, quibus instrui necesse est innumera ferè Tribunalia. Hinc ergo, vt quàm possit tutissimè legi ac rationi adhæreatur, in more positum est, vti Iudices in ferenda sententia opinionibus suis insignium Iurisperitorum doctrinas anteferant. 1533.

8 Concludebant Protestantes: Vbi Pontifex more consueto Concilium habere vellet, se minimè recusaturos adesse, vbi ita aduocarentur, vt cautum publicè ipsis foret (intelligentes per eam conditionem inter alia Concilium in Germania celebrandum) & vbi existimarent id è Dei gloria futurum; sed retentâ libertate accipiendi, repudiandíve eius decreta, prout ea Diuinis Oraculis vel consona vel absona arbitrarentur. Quod profectò sonabat, se Concilio interfuturos, vt ipsum impugnarent ac diiudicarent, non vt ibi promouerent vnitatem Ecclesiæ, illud agnoscentes tamquam legitimum excitatarum dissensionum Iudicem.

CAPVT XIV.

Pontificis in Galliam aduentus. Et quid egerit cum eo Rege, præsertim de causa Protestantium, & Anglicano diuortio.

1 REx Galliæ non destiterat solicitare congressum cum Pontifice; qui respui à Clemente non poterat, quin immodicam seu existimationem seu beneuolentiam præseferret in Cæsarem, non solùm vt primogenitum, sed velut vnigenitum eum habendo; quod vicissim effecisset, ne Rex ipsum vti parentem agnosceret, cum causæ publicæ pernicie. Quoniam verò Sabaudiæ Dux

1533. iis Principibus arcem Nicænam concedere recuſauerat, neceſſe habuit Pontifex Maſſiliam nauigare; * quò 12. Octobris appulit, eódem poſtmodum deductâ, vt Rex poſtulauerat, Catharinâ ſponsâ. Hæc inter Florentinorum tumultus propè fuit vt infantula in horas occideretur: inde ætatis fauore ſubtracta, ac fortunâ propitiâ non modò ad Galliæ Coronam deſtinata, vbi demortuo primo filio ipſa cum viro regnauit; ſed etiam ad plenum fermè Gallorum imperium, tergeminâ ipſius ſobole ibi regnante.

* Guicciardinus lib. 20.

Suauis haſce nuptias à Pontifice ſancitas refert ad poſtrema offenſionum ſemina in Cæſarem iacta, præſertim ex occaſione Concilij; iter verò in Galliam, ad ambitioſam eiuſdem matrimonij cupiditatem. Et tamen de altero demonſtratum eſt, quatuor iam ante annos, cùm Clemens & Carolus aliàs Bononiam amiciſſimè conueniſſent, connubij negotium à Pontifice cum Cæſare communicatum, comprobatumque ab ipſo, ac poſteà rurſus idem propoſitum à Nuntio Aleandro Bruxellis, idemque redditum à Cæſare reſponſum, biennio priùs quàm res ad effectum adduceretur, ante Ratiſponenſem Conuentum, ac Pacem Norimbergenſem, ante Concilij petitionem, & adiudicatam Duci Ferrariæ cauſam, ante cetera Cæſareæ diffidentiæ irritamenta. Bononiæ denique Pontificem Cæſar extimulauit vt rem perficeret, atque ita ratus inanitatem ſpei patefactum iri, rei exitum maturauit. 2

Enimuerò quando iam Pontifex eam animi libertatem ab omni ſanguinis ſtudio non præ ſe tulerat, quæ ſui muneris ſanctitati plenè reſponderet, nullus ſupererat excuſationi locus recuſandi eam cum Gallo affinitatem ſine graui offenſione illius Regis, cuius beneuolentia Religionis rebus id temporis adeò neceſſaria cernebatur. Quare quicumque ſanæ mentis intelligebat, admiſsâ ſemel eâ in conſanguineos animi procliuitate, illum vel ex quacumque Religionis ſeueritate retrocedere haud potuiſſe. Quòd ſi Pontifex ambitione ad id compulſus eſt, non igitur opus fuerat diffidentiâ cum Cæſare; adeoque Suauis, quò duplici vitio ſimul hunc oneret, ſibi ſimul contradicit, & in vtroque fidem ſuam labefactat. Quod ad iter in Galliam ſpectat, patet ex narrationibus Scriptorum, rebuſque poſteà geſtis, nihil aliud in eo colloquio curæ fuiſſe Pontifici, niſi Eccleſiæ emolumenta, quæ ſimul etiam ad Cæſaris emolumenta ſpectabant: cuiuſmodi erat, per Franciſci Regis officia Germaniæ Proteſtantes mitigare, Regemque Britanniæ à repudio materteræ eiuſdem Caroli reuocare. Ceterùm, non modò Pontifex nullum cum Rege fœdus iniit, quod animosè Suauis affirmat aduer- 3

ſus

ſus teſtes incorruptos, quos ſuprà * produximus; ſed neque aſſenſus eſt Cardinali Mediceo, ſui patruelis filio, ex muneribus pretioſiſſimis à Rege oblatis quidquam acciperet, præter Leonem iam manſuetú Franciſco Regi dono miſſum ab Hariadeno Oenobarbo. 1533. * Cap.12. Iouius lib. 31. & Spondanus anno 1533. num. 9.

Cum Proteſtantibus egit profectò Rex quàm ardentiſſimis potuit officiis. Sed fallitur quicumque ſibi perſuadet, rebelles cùm externi Principis patrocinium implorarunt, ſuæ contumaciæ illius gratiâ temperaturos. Si enim parati forent ſuorum motus animorum componere pro alicuius imperantis arbitrio, illi ſanè ſe ſubiicerent, cui olim obtemperare conſueuerant; quod humana natura æquius fert, quàm denuò exterorum voluntati ſe ſubdere. Sic poſtmodum actum vidimus à Batauis perduellibus, modò cum Alençonio, modò cum Caſimiro Palatino, modò cum Archiduce Mathia.

Diutiùs, ac meliori cum ſpe tentatum fuit à Gallo, Henricum Octauum retinere ne ſe præcipitem daret. Qua in re accuratè obſeruandum, ſi Pontifex mortalibus inhians commodis, vt eum Suauis effingit, fautores Cæſari infenſos ſibi conquirere voluiſſet, in ea certè cauſa tam rectâ libertate nequaquam vſurum fuiſſe, adeò vt Suauis ipſe (qui prudentiæ nomine appellat politicam calliditatem, non autem iuſtitiam fluxis commodis imperantem) dixerit, in eo negotio Clementem conſuetâ prudentiâ à Deo fuiſſe priuatum.

4 Scire igitur oportet, Henricum Angliæ Regem, ſeu moræ diuturnioris impatientem, ſeu diffiſum Romanam Curiam ſibi propitiam futuram, iam diu vehementiſſimè efflagitaſſe, vt ſua cauſa Iudicibus Britanniæ committeretur, ac cum Pontifice conqueſtum acerrimè, quòd id pernegaſſet. Eius literis in Senatu Vaticano recitatis 22. Decembris anno 1530. adhuc tamen demandatum Romanæ Rotæ Auditoribus, vt ex Iure procederent, ac poſteà ad Senatum referrent, à quo ſententia proferretur. Eâdem die in Senatu, Catharinæ Procuratoribus poſtulantibus, alterum quoque latum Decretum. Ex Diario cit. Ludouiſior. Cùm enim Angliæ Rex Bolenam, nuptias ei pollicitus, ad ſe pertraxiſſet, cum ea ſimul degebat, eidemque ſe re ipsâ nupturum oſtentabat: quamobrem Carolus ac Ferdinandus ad Pontificem Senatumque Purpuratorum tanto animi ardore ſcripſere, vt ab eo Conſeſſu Diploma conficiendum impetrauerint, quo Regi, ſimulque Annæ, & cuicumque feminæ prohiberetur, ne matrimonium inirent, vel aliud quidquam auderent in ea cauſa attentare; & quidquid ſecùs faxint, irritum foret. Hoc Diploma

Nn 2 Alean-

1533. Aleandro ibi Nuntio traditum, iniunctúmque, vt apud se quamdiu posset id retineret, ne Henricus acriùs excandesceret: sed vbi rei necessitas, vel Cæsaris vrgentis efficacitas postularet, illud pro æquitate adhiberet.

Literæ Aleandri ad Saluiatum 14. & 15. Nouemb. 1531.
* 25. Octobris 1530.

Iam verò Bruxellis, vbi primùm Aleander Cæsarem adiit, flagrantissimè super ea re loquentem audiuit: Sibi materteræ lacrymis discerpi præcordia: ac proinde in ea causa Clementis iustitiam à se implorari; ad quem * literas ardentissimas dederat, in Senatu Vaticano lectas 29. Martij anno 1531. Nuntius aliquamdiu rem protraxit, causatus eâ Pontificem vti morâ, ne Regis animum in ipsam Reginam inflammaret, faciliorémque fineret aditum reconciliationi cum ipsa, vbi æmulæ pertæsum foret; prout ferre solent huiusmodi commotiones animorum, quò impetu citatiores, eò satietati propinquiores. Sed tandem comperto Regis cum Anna peruicaci contubernio, eiusque voluntate [a] ad grauiora procliui, necesse fuit Nuntio Diploma proferre; [b] quod ex mente Pontificis actum est. Vehementer querebatur Cæsar, vnius hominis, vniusque feminæ libidine, causam huiusmodi contra ius fasque retardari. Vnde oportuit interpositam in mittendo Diplomate moram cum illo dissimulare, ob indignationem ex eo ortam, quòd nondum missum suspicaretur.

a Literæ Aleandri ad Iacobum Saluiatum 25. Martij ann. 1532.
b Literæ Saluiati ad Aleandrum 14. Aprilis ann. 1532.
c Literæ Aleandri 17. Aprilis 1532.

[c] Granuellanus pariter, & Couius ob eamdem cunctationem ferociter obstrepuere, Nuntio significantes, eam futuram in Comitiis potissimam de Pontifice querimoniam: ab Henrico, cùm audacter in causa tam pudenda sibi obsisteretur, omnem audaciam deponendam: Anglicanum Regnum minimè passurum, vilem illam mulierculam sibi Reginam imponi. Studebat Nuntius Pontificem excusare, ab illo sententiam protrahi affirmans in rem ipsius partis eam efflagitantis. Verùm Cæsar ac Ferdinandus, Catharinæ questibus perstricti, Pontificem ad ferendam sententiam acerrimè compellebant, quam validissimum frænum libidini alioquin indomitæ perditi Regis fore sperabant. Hæc ipsa officia vim summam accepere ab ipsa Cæsaris voce Bononiæ alloquentis Pontificem, qui iam nihil obtendere poterat; séque in angustias redactum sentiebat, inter discrimina vel iustitiæ lædendæ, simulque abalienandi à se par fratrum potentissimorum Principum, vel Regem libidinis impotem vnà cum Regno præcipitem agendi. Sed quantò facilius est omittere quàm agere, illudque minùs periculosum habetur, cùm hoc semper in promptu sit, Clemens rem procrastinauit, nec irreuocabile sententiæ telum vmquam intorsit.

Con-

1533

6 [a] Contrà, Rex Galliæ ſpatium flagitauit, quo Henricus ſuæ cauſæ patronos Romam legaret; quippe qui arbitraretur ſe minimè obligati ad ſe vel præſentem vel per legitimos Procuratores Romæ ſiſtendum. Ac ſpatium quidem ad id, ſed extra iudicium illi conceſſum; adeò vt in Senatu Cardinalium Capiſucco, in Romana Rota [b] Iudici, iniunctum fuerit in cauſa progredi, niſi qui ad excuſandam Henrici contumaciam adeſſet, illius ad id mandata proferret. Interim Anna concepit: & Rex, quà vt eam leniret, ſibi momentis ſingulis exprobrantem inanem Regiæ promiſſionis fidem, per quam ipſi virginitatem ac famam ademerat, quà vt futuram prolem, quam virilem ſperabat, legitimam declararet, effecit vt coniugium Catharinæ irritum pronuntiaretur à Guillelmo Cranmero, qui Boleniæ familiæ à Sacris fuerat, ideoque ab Henrico in Sedem Archiepiſcopi Cantuarienſis intruſus; atque hac nixus ſententiâ, clandeſtinum cum Anna coniugium Henricus contraxerat.

[a] Literæ Saluiati ad Aleandrum 8. & 13. Decembris 1531.

[b] 10. Decembris 1531. ex Diario citato Ludouiſiorum.

Huiuſce rei certiorem fecit Franciſcum Regem, ſimulque ſignificauit, à ſe proſpici ob eas nuptias imminentia ſibi à Pontifice anathemata, & à Cæſare bellum: proinde ipſius opem implorare, enixeque ab eo petere, vt in Maſſilienſi cum Clemente congreſſu ob oculos illi poneret, vbi Pontifex latam in Anglia ſententiam abrogaret, Regem reipsâ Annæ nupturum, ſuumque Regnum ab illius obedientia ſubducturum. Reſponſum à Gallo, * ſe in omnibus, quæ Religioni detrimento non forent, fraternâ illi beneuolentiâ adfuturum. His cognitis, quæ ſanè latere non poterant, Cæſariani Pontificem adorti, ipſum vt ſententiam ferret, ineunte Iunio ſollicitabant. Ipſe tamen, quàm potuit cautiſſimè, iuribus contra Regem agentium ſuique Tribunalis auctoritati conſuluit. Itaque 11. Iulij anno 1533. in ſecreto Patrum conſeſſu, Cæſare & Catharinâ ſolicitantibus, ſuper duobus ſententiam tulit; nimirum, Regem in cenſuras incidiſſe, ob contumaciam in iis peragendis quæ ſibi fuerant per Diploma interdicta, vxore depulsâ, aliâ ſibi feminâ adiunctâ. Huius tamen ſententiæ effectum ſuſpendit vſque in integrum futurum * Septembrem, eâ temporis morâ Regi conceſſâ, ſi forte reſipiſceret atque pareret. Reginam verò, vtpote ab eo iniuriâ deturbatam, in priſtina coniugij Regiæque dignitatis quaſi poſſeſſione reponendam. Sed præcipuus litis articulus, an ratum fuerit Catharinæ connubium, de induſtria nondum deciſus, vt aliquid timendum ſperandumque Regi ſupereſſet.

* Guicciardinus lib. 20. Spondanus ann. 1533. & Iouius.

Blaſius Cæſenas in ſuis Diariis.

* Siue Octobrem, vt narrat in Diario citato Blaſius Cæſenas, qui ſententiam ſibi legit, cùm eſſet à Secretis

7 At Anglus adeò non paruit, vt idolo ſuo obſequendi cupidus; populiſque publicè oſtentandi heredem Regni in partu iam proxi-

1534. mo, ritu solenni nuptias celebrauerit, vetueritque Catharinæ nomen suæ coniugis inposterum tribui, sed *Arcturi Principis viduam* nominari. Ad hæc iussit Annam Regiâ Coronâ per insolitam pompam redimiri; Mariam filiam, ceu ex non legitimo connubio natam, titulo *Principis VValliæ* priuauit, adiectis ad hoc variis quoque neglectæ Pontificiæ auctoritatis argumentis.

Guicciardinus lib. 20.

Verumtamen cupiens aliquid cum Pontifice componere, Oratores suos Massiliam legauit, dum hic vnà cum Rege Galliæ ea in vrbe commorabatur. Ibi verò fortuitò contigit, vt Rex Galliæ, cuius intimum conclaue à Pontificis cubiculo solus paries secernebat, in quo peruia vtrique ianua patebat, eâ ingressus Anglos Oratores offenderit, à Pontifice ad Concilium inurbanis modis prouocantes. Hâc re iratus Rex, & ægerrimè ferens Pontificem domi suæ adeò indignè habitum, enuntiauit Pontifici, se minimè offensum iri, si ille in ea causa ex iure ageret. Tum verò Clemens intellexit, se iam necessitate adactum ad educendum potestatis suæ telum, nisi maluisset omnibus patefacere, idoneum sibi non esse brachium ad illud eiaculandum; adeoque compelli se tum ad decretorium anathematis fulmen euibrandum, quando præstituta sententiæ dies iam præterierat; tum ad potissimum articulum decidendum. Res tamen vsque ad eius in Vrbem reditum dilata, qui sub anni exitum contigit. Eò igitur regressus Pontifex certis sedatisque verbis propinquam sibi mortem pronuntiabat, ac sepulcralem sui funeris apparatum adornabat: cùm interdum in quibusdam magis conspicuis magisque commendandis euentibus indat Deus mortalibus intimam futuri præsagitionem, quâ testetur in terra, eam cæli prouidentiâ regi. 8

CAPVT XV.

Sententia in Regem Angliæ à Pontifice lata, eiusque Regni schisma.

8 Ianuarij ann 1534. vt in actis Consistorialibus.

REuersum Romam Pontificem Cæsariani ad ferendam in Henricum sententiam acriter extimularunt, pro qua exequenda validissimas copias pollicebantur. Cunctatus nihilominus Pontifex est, propterea quòd sese interim Galliæ Rex interposuerat, legaueratque ad Pontificem Ioannem Bellayum Parisiensem Antistitem, illustrem doctrinâ ac prudentiâ virum, ac posteà Purpurâ decoratum, quò illum leniret; eodemque tempore conatus erat præferuidis officiis Henricum ad Pontificis obsequium 1

per-

perpellere. Cumque hic ſpem aliquam faceret Pontificiæ ſententiæ obtemperandi, lis protrahebatur in plures articulos diſciſſa, quamquam Cæſarei poſtulationibus iteratis deciſionem vehementiſſimè flagitarent. Poſtremò per certum tabellarium Bellayus Regi Angliæ enuntiauit, non poſſe ampliùs Romæ citra Iuris famæque labem ſententiam Pontificis protrahi, quâ ille vti contumax damnaretur, niſi per eumdem tabellarium redeuntem miſſis ſiue literis, ſiue procuratorio libello, ſe foro Pontificio ſubderet. Elapſis omnibus præſcripti temporis ſpatiis, non modò nondum ille redierat, ſed vulgatum Romæ fuit, in Anglia, dum comœdia publica coram Rege haberetur, ab eo iuſſos in ſcenam produci ad ludibrium & ignominiam Purpuratos Patres, ipſumque Pontificem, quaſi non Eccleſiæ Principes, ſed Regis ridicularios. 1534.

2 Tum ſanè habita fuit imbecillitas, mentis quidem, ſi obedientia ſperaretur, pectoris verò, ſi ſententia protraheretur. Quare Pontifex, qui abſenti Capiſucco ad cauſam cognoſcendam ſuffecerat Iacobum Simonettam, Epiſcopum Piſaurienſem, Romanæ Rotæ Duodecemuirum, & poſteà honore Purpuræ à ſucceſſore donatum, [a] auditâ ab eo totius cauſæ ſerie, pronuntiauit, matrimonium inter Henricum & Catharinam ratum eſſe; præcepitque Regi, vt in eo perſiſteret, & Catharinæ pecuniam in litem expenſam perſolueret. At fortuna per euentum (qui laudis vituperationiſve apud vulgus menſuram obtinet) ſtuduiſſe viſa eſt admirabili quâdam orbitæ ſuæ conuerſione, Clementi notam præcipitis inurere in memoria poſterorum, cùm perpaucis diebus poſt latam ſententiam [b] reddita fuerint Romæ Henrici reſponſa, qui ſcenicum Pontificem à vero diſcernens, animaduertenſque ſceptri pericula, ſubditorum turbas, apud Chriſtianum genus infamiam, proliſque labem ac defectum, ſi ab Eccleſiæ Præſide ſupremo priores nuptiæ pro legitimis haberentur, ipſe verò denegatâ illi obedientiâ perſiſteret in ſecundis, obtulit ſe obtemperaturum tam ſententiæ de iis quæ ipſe attentauerat, modò anathematis fulmen cohiberetur, quàm Purpuratorum Cœtui, quibus cauſa commiſſa, modò nonnulli ſibi ſuſpecti excluderentur; ſimulque Cameracum delegarentur homines, quibus meritò fideret, vbi quædam pro ſua cauſa proferre cupiebat, & quò etiam tum procuratores ſuos præmiſerat.

3 Hic euentus, ſimul cum obitu Catharinæ, qui non intra decem menſes, vt narrat Suauis, [c] ſed intra vnum & viginti accidit, quique finem controuerſiæ impoſuiſſet, effecit, vt nimiæ feſtinationis in ferenda ſententia Pontifex incuſaretur ab iis ipſis, qui paulò ante ſeu

a 23. Martij ann. 1534. in Actis Conſiſtorial. & in Diario citato Ludouiſiorum; non verò 24. vt ſcribit Suauis.

b Poſt duos dies ſcribit Bellayus lib. 10. n. 14. id colligens è Commentariis Guillelmi fratris ipſius Bellaij: quamquam Anglus auctor Vitæ Henrici ſex dies interfuiſſe dicat.

c 6. Ianuarij ann. 1536. vti narrant auctores à Spondano citati, & Bartholierus in Indice Chronologico 8. eiuſdem menſis, vti narrat auctor citatus Vitæ Henrici Octaui.

1534. seu imbecillum illius animum, seu callidum in prorogando iudicio damnabant; neque secum reputabant, vel oportuisse perpetuò causâ supersedere, hoc est, nihil vmquam agere; vel quandocumque tandem lis diiudicaretur, potuisse statim aliquid contingere, cuius ne suspicio quidem cordato viro priùs incidisset. Mox 20. Aprilis a Reginâ petente, in Senatu datæ literæ, quibus executio sententiæ mandabatur.

a In Actis Consistorial.

b Vide Spondanum ann. 1534. num. 5.

Henricum auditâ sententiâ b ferunt aliquamdiu fluctuasse, hinc religione ac famâ, hinc libidine ac superbiâ eum distrahentibus: sed hæ, quippe geminum appetitum ad delectamenta pronum occupantes, rationis imperium detrectarunt. Quapropter quacumque Pontifici obedientiâ per suas ditiones abrogatâ, Caput Anglicanæ Ecclesiæ seipsum constituit, colendumque præbuit. Ordini Ecclesiastico interdixit capitali supplicio cultum omnem Romanæ Sedis, tametsi verbis titulisque solum exhibitum: expunxit vel è consuetis Ecclesiæ precibus precationem pro incolumitate Romani Pontificis, & illius loco apposuit, *à tyrannide Romani Pontificis, libera nos Domine.* 4

Citatus auctor Henrici Vitæ.

De his quæ egerat, ad varios Principes Catholicos & hæreticos scripsit. Hi factum comprobarunt; sed vtrique causam detestati. Optauissent Protestantes, vt eorum sectam palàm amplecteretur: sed ille quamdiu vixit id recusauit. Quin statim atque desciuit à Pontifice, multos hæreticos comburi iussit; siue Lutheranis iratus, vtpote radicem illam repudiantibus, cuius fructum poscebant; siue illius libri doctrinis inhærens, quem ad eorum scita refellenda conscripserat; siue Regno prospiciens, ne veteri euersâ Religione, quies publica pariter euerteretur. Quod narrat Suauis fuisse à plerisque collaudatum, tamquam consilium summæ prudentiæ, cùm se Romano iugo subtraxerit, ritibus ac Religione minimè perturbatis. 5

At nullo alio exemplo licuisset clariùs perspicere, quàm inter se indiuidua sint in quouis Regno veneratio Catholici Capitis, & Catholicæ Fidei conseruatio. Quis Principum, Religione desertâ fuit vmquam adactus ad polluendas sibi manus tanto ac tam illustri sanguine, tot capitum nobilitate, virtute, doctrinâ præstantium, vt Henricus solo in Pontificem obsequio eiurato? Enimuerò exegit ille postmodum vitam adeò subditorum motibus turbulentam, adeò funestam ministrorum strage sibi maximè intimorum, & vel etiam duarum coniugum, adeò popularibus exterisque inuidiosam, planeque abominatam, vt Caligulæ Neronisque vitæ merito 6

inui-

inuidere potuerit. Exactâ tandem vitâ Regnum tam malè constitutum reliquit, vt non modò confestim eruperit in apertam hæresim, quâ semper grauidum schisma est; sed ex hæresi orta subinde est tam enormis rerum confusio, vt magna Britannia, excellentium olim ingeniorum parens in Orbe Christiano, degenerarit nostrâ ætate ex discordia in Babelem, ex tragicis calamitatibus in Thebas. Quis autem non animaduertat, quàm hæc duo inter se dissideant, hinc Pontificem non agnoscere Religionis Caput, hinc eam Religionem retinere, cuius dogmata simul accepta nihil habent certi ac stabilis, à quo proximè pendeant, nisi Pontificis auctoritatem; quâ neglectâ, nequit alia Scripturarum intelligentia persistere, quæ sit vna suique tenax, non autem varia pro innumerabili ingeniorum varietate: quin etiam nequit tutum solidumque fundamentum præstare, quo nixi conspiremus omnes in credendo, hanc vel illam esse veram partem Diuinæ Scripturæ. Dum igitur cupiebat Rex, in veteris Fidei vnitate suum Regnum perseuerare, necesse erat vt vel inuitus idem cerneret perseuerans in illius Capitis Fide, in quo vniuersa hæc vnitas coalescit, hoc est in fide Pontificiæ auctoritatis; adeoque vti cogeretur exhaurire Britanniam optimo sanguine, iis omnibus mortali vitâ ademptâ, qui eam posthaberent immortali. Sed huius indiuiduæ coniunctionis aliud exemplum Suaui proferendum non esset, quàm Suauis ipse, qui concepto priùs in Romanos Pontifices odio, posteà in Romanum Pontificatum, ab odio ad impugnationem progressus, & in hac à leuioribus Ecclesiasticæ iurisdictionis articulis ad solidiora fundamenta Apostolici Principatus transgressus; continenter deinceps per sua scripta in eam doctrinæ impietatem se præcipitem egit, vt nihil aliud de ipso certò constiterit, nisi eum non fuisse Catholicum. De reliquo, cuinam sectæ adhæserit, incompertum; minusque omnium vero dissimile videtur, nulli adhæsisse. Atque vt hominem in ærumnis Romanæ Sedis festiuiùs exultantem, ac imprudentiæ in ea sedentis insultantem deprimam, ipsum, seu potiùs ab eius calamo seductos, duplicis hac in re erroris admonebo. 1534.

7 Errat primò: quoniam, tametsi grauem quidem passa fuerit Ecclesia iacturam tam piæ florentisque nationis; maiorem tamen passa est Britannia ab Ecclesia iam seiuncta. Neque hîc loquor de sempiterna cælestis felicitatis iactura, cùm hîc in eos scribam, qui nullam aliam prudentiæ existimationisque regulam agnoscunt, nisi fluxa terræ commoda; adeoque necesse mihi est vti sermonibus Christiano homine minimè dignis, vt ab iis capiar quibuscum loquor.

1534. Componatur ex vna parte ſtatus ille humanæ felicitatis, quo Catholicus Orbis, ac Roma eiuſdem Regia, ante Anglicanum diſſidium fruebatur, cum eo quo nunc fruitur, ſpectatis literis, virtutibus, tranquillitate, exiſtimatione, opulentiâ, gloriâ; ac leue quoddam detrimentum deprehendetur. Conferatur ex altera parte vetus Anglia olim Catholica, cum eadem poſteà ſchiſmatica; & deprehendetur in ea vera, non fabuloſa metamorphoſis, quâ nobiles Reginæ in rabidas canes commutatæ. Ita profectò contingat neceſſe eſt; ſi nocet corpori vnius manus abſciſſio, multò grauiùs nocebit manui ipſius à corpore ſeiunctio.

Secundus error ad Pontificis imprudentiam ſpectat. Sed ea ſanè nulla fuit: humana ſiquidem prudentia non ab euentu petenda, ſed ab antecedentibus futuri euentus coniuncturis. Auſim prætereà affirmare, etiamſi Pontifex euenta tunc minimè probabilia illius ſententiæ diuinaſſet, nimirum, eam neutiquam ſuſtinendam Auſtriacæ potentiæ viribus, tam illi additis, ſi ſanguinis, honoris, ſolicitationum, promiſſorumque ratio haberetur; Regem iam annos plurimos adeò religioſum in eam impietatis voraginem ſe ſubmerſurum, vt inde numquam emergeret; Regnum tam egregium haud obluctaturum ſacrilegis flagitiis hominis perditâ libidine inſanientis; Regis filiam priorem natu ac Religione Catholicam, atque heredem Regni ſine prole obituram, Sceptrumque in manus adulterinæ ſobolis delapſurum, quæ legitimum ſibi dominium in Angliam ſumere nequiret, ſi Pontificis iuriſdictionem in Eccleſia legitimam agnoſceret. Vbi, inquam, Pontifex hanc ærumnarum ſeriem inopinabilem prænouiſſet; tamen ex prudentiæ lege illud ipſum peragere debuiſſet. Eâ ſententiâ vnius quidem Regni obſequium deperditum; ſed confirmata Pontifici poteſtas, in qua Chriſtiani Principes, quotieſcumque ad Iuſtitiam ac Religionem per inemendabilem contumaciam violandam induxerint animum, Vaticana tela pertimeſcant, quæ in Regni diſcrimen Henricum Octauum redegere: & quamquam per eam occaſionem, non vti neceſſe fuerat res euenerint, tamen Regem illum infelicem in ſe, multoque infeliciorem in poſteros reddidere. Certè huiuſmodi exemplum Principibus Catholicis animos addere ad impiè agendum abſque terrore non poterit: contrà verò, ſi Pontifex poſt adeò turpiter conculcatam iuſtitiam contra ius faſque tam inclytæ vxoris, abiectam reuerentiam in Eccleſiæ Caput, deſpectam matrimonij religionem, deſes adhuc elanguiſſet, indicaſſet profectò, in ſacræ poteſtatis armamentario ſolùm ſuppetere tormentarium puluerem

ad

ad inanem edendum ſtrepitum, non pilas fulmineas ad vulnerandum: atque ita iacturam feciſſet illius auctoritatis, quæ in animis improborum terrore continetur. Nec aliâ ſanè lege videmus ceteros vti Principes: fulminantur proſcriptiones, promulgantur edicta in perduelles Prouinciarum perturbatores, tametſi dubium ſit ſatiſne virium ſit ad ea exequenda, tametſi quandoq; viribus hi poſteà præpolleant, tametſi denique interdum oporteat immunitatem iiſdem concedere, eoſdemque in amicitiam reuocare. Nihilominùs ea priora prudenter peracta, ne iis omiſſis vnuſquiſque citra metum rebellaret: ſatiuſque ſemper eſt, ſpiritus contumaces timore pœnæ frænare, quàm impunitatis ſpem illis permittere. 1534.

CAPVT XVI.

Noua Clementis conſilia de Concilio. Ipſius obitus; eique Paulus III. ſuffectus.

1 IAm verò vt hiſtoriam ad propoſiti argumenti ſeriem redigamus, affirmat Suauis, Cæſarem iis auditis quæ de Concilio Rangonus Nuntius propoſuerat, conqueſtum cum Pontifice, quòd actum ab eo fuiſſet cum Proteſtantibus aliâ omnino ratione quàm Bononiæ conuenerant, adeò vt illi ſe deluſos exiſtimarent; ab eoque enixè quæſiſſe, vt rationem iniret, quâ ipſis fieret ſatis: haſce verò Cæſaris literas in Vaticano conſeſſu lectas octauâ Iunij, ac paulò ante nuntios perlatos, à Lantgrauio Haſſiæ armis Ferdinando ademptam Wirtembergæ ditionem, ac Duci Vlrico hæretico legitimo domino reſtitutam; vnde opus fuerat Ferdinando cum iis pacem componere: Multos ex Purpuratis Patribus dixiſſe, Lutheraniseâ victoriâ elatis aliquid concedendum; nec vtendum ampliùs callidis artibus, ſed verè ſincereque Concilium conuocandum: veruntamen Pontificem, cum eorum potiori parte animaduertentem, fieri non poſſe vt ab hæreticis Concilium acciperetur iis conditionibus, quæ Romanæ Aulæ conducerent, ſanxiſſe, Cæſari reſpondendum: cùm in dies nouæ ſubnaſcentes diſcordiæ inter ipſum & Galliæ Regem, alioſque Principes Chriſtianos audirentur, opus eſſe potiùs illas componi, quò ex Concilio fructus expetiti colligerentur.

2 Mirum certè non eſt, Suauianas narrationes ab hiſtorica veritate aberrare; ſed abſurdum eſt, vel à poëtica veriſimilitudine recedere: altero ſolùm opus eſt quò veraces ſimus, altero quò ſaltem veraces credamur. Quonam pacto fieri potuiſſet, vt Cæſar conquereretur,

1534. à Nuntio Rangone actum cum Proteſtantibus aduerſus quàm inter ſe ac Pontificem Bononiæ conuenerat, ſi etiam tum mandata concorditer fuerant tradita duobus Miniſtris, ab vtroque Principe in Germaniam deſtinatis; ſi Legatus vterque à Ferdinando rei tranſigendæ rationem acceperat; ſi vterque ſimul adeuntes rem peregerat, vtrique ſimul Ioannes Fredericus communi Proteſtantium nomine reſponſa reddiderat ſcripto? Sed rem enucleemus. Quinam è ſancitis articulus, quæ ſyllaba fuerat immutata? Ipſe planè Suauis ea ne leuiter quidem indicat, cùm ad ipſa fucanda nullus ſuppetat color. Quid? nónne ipſemet narrat, quod ex legitimis etiam Commentariis conſtat, tunc fuiſſe à Proteſtantibus reiectum Concilium conſueto Eccleſiæ more celebrandum? Num fortè Bononiæ concordauerant, habendum eſſe Concilium contra morem Eccleſiæ? Subdoláſne artes Cœtus Patrum nuncupabat, cum ea conditione Concilium propoſitum? An erant auctores Pontifici, vt aliâ ratione illud cogeret? Atqui eius narratio tam longè à vero deflectit, vt numquam in Patrum Senatu Cæſaris ſeu querimoniæ ſeu literæ recitatæ fuerint, quantum ex eiuſdem Senatus actis liquet.

Scire iuuat, notam fuiſſe Pontifici, ſimulq́ue moleſtam, parum 5 ſibi decoram, ſed communem opinionem, ſuſceptum ab eo illud iter ex priuato ſtudio, quò patruelis neptem extolleret: quod equidem ob rationes ſuprà relatas falſum arbitror. Idcircò in primo Patrum Purpuratorum conſeſſu, [a] Romæ poſt ſuum regreſſum habito, publicas cauſas expoſuit itineris à ſe ſuſcepti: ſcripſitq́ue [b] poſteà Romanorum Regi, ſe percupidum Concilij ex pio Cæſaris fratris voto; eâ ætate temporiſq́ue inclementiâ, itineris laboribus, mariſq́ue periculis caput obiectaſſe, quò Regem Galliæ ad conſenſum impelleret, cuius opera ad eam rem tam ingentis tamq́ue perſpicui momenti videbatur: ea de cauſa, quò arctiùs eius animum ac voluntatem ſibi coniungeret, cum illo affinitatem contraxiſſe. Se quidem in eo Rege magnum Religionis ſtudium nactum; ſed ab eodem rem Chriſtianam adeò tunc variis motibus turbatam cerni, vt opportuniora tempora præſtolanda exiſtimaret, quibus ex cunctis Chriſtianorum Prouinciis Concilium per omnium conſpirationem fructuoſiùs coaleſceret. Hanc animorum præparationem ipſum vtique curaturum polliceri, & conſecuturum ſperare: dolere ſe nihilominùs, quòd vnde rem ipſam impetraturum confiderat, ſolam rei ſpem retuliſſet; quamquam ceteroqui congreſſus ille non abſque emolumento Reipublicæ Chriſtianæ fuiſſet: multis quippe

a 12. Decembris 1534. vt in Actis Conſiſtorial.
b 20. Martij ann. 1534.

quippe malis obuiàm itum, indicatis per hæc armis, quæ in Cæsarem Rex anteà moliebatur. 1534.

4 Et sanè de Concilio fatetur Suauis ipse, Regem vrgente Clemente impendisse operam, vti Protestantes aliquam Italiæ vrbem comprobarent, cùm Pontifici satis esset, eos consentire se Concilio interfuturos, vti Rangoni significauerant; tametsi obtemperaturos se neutiquam pollicerentur: hoc enim ab hominibus adeò perditis sperandum non erat; illud verò Pontificem ac Cæsarem apud Catholicos satis commendabat. At illi Regis postulationi non assensere: ac prætereà in Commentariis Petri Soriani, Veneti Oratoris apud Clementem VII. & Paulum III. habetur, ab Rege ipso ob alienationem animi à Carolo, recusatum Concilium in Germania, & ægrè etiam Mantuæ acceptum, vtpote iuris clientelâ, & propinquitate loci Imperij ditionibus nimis côniunctæ.

5 In Vaticano Consessu ter, quantum comperio, ea de re actum post reditum Clementis, & ante illius obitum. Primò 18. Maij, quâ die exposuit Pontifex grauissimorum malorum seriem, quæ à Germaniæ dissidiis oriebantur, Anabaptistarum obsidionem, bellicos Turcarum apparatus ad Tunetum expugnandum. Atque vt hæc duo postrema intelligantur, breuiter insinuandum: de primo, Anabaptistas, innumeras sacrilegas ineptias dissеminantes, occupato Monasterio præcipuâ Westfaliæ vrbe, Regem ibi creauisse Ioannem quemdam Bocoldum Leydensem sarcinatorem, qui post ductam vxorem in adulterio deprehensus, ac inde noxam libidinis sanctimoniæ velo studens obumbrare, ausus est capitali pœnâ subditos cogere ad polygamiam, ritibus impiis ac ridiculis solenniter profitendam. Hi ergo ab Episcopo, vt legitimo Domino illius vrbis, obsidione premebantur; ac posteà deuicti, vulgo priùs ludibrio fuere, deinde verò neci traditi, non ob cruciatum minùs, quam ob ignominiam detestabili. Quod attinet ad secundum: Hadriadenus Oenobarbus, Solimanni classis Præfectus supremus, Neapoli, Romaque priùs exterritis, potenti classe oram Italiæ percurrens, direptisque Capreis, Fundis, Prochyta, Terracinaque, Tunetum versus deinde impetum vertit, vt inde Muleassem expelleret; qui crudeliter ambitiosus, quà trucidatis quà occæcatis vnà cum Maimone natu maiore vno & viginti fratribus, eorumque filiis, præter Roscetem fortunatâ elapsum fugâ, sibi Regnum Tunetanum occupauerat, subditis odiosus. Hinc Solimannus, per speciem expellendi tyranni, legitimique Principis restituendi, tentabat, prout euenit, Regem eiusque ditionem sibi reddere vectigales; maioremque Christianis

Vide Spondanum anno 1534. num. 16. & anno 1535. num. 18.

1534. ſtianis populis eâ Regni proximi acceſſione metum incutere. De his itaque in eo Conſeſſu Pontifex rationem reddidit.

Secundò, de iiſdem rebus apud eoſdem locutus eſt Clemens 6
8. Iunij, vti memorat Suauis; recenſuitque denuò damna & diſcrimina Germaniæ, ex ea diſſenſione Religionis profecta, ac denium Patribus demandauit, vt re adeò graui attentiùs ponderatâ, in ſequenti Senatu de opportunis remediis ſententias dicerent. Tertiò, poſt biduum in Senatum Pontifex venit, nimirum 10. Iunij, lectæque ibi ſunt literæ, non Caroli, ſed eius fratris, quibus oppugnatus, non expugnatus Wirtembergenſis Principatus nuntiabatur: quem Cæſar ante annos plurimos Vlrico abrogatum, Ferdinando contulerat, propterea quòd recuſabat Vlricus illum ſibi à Carolo, tamquam ab Archiduce ac Domino hereditario bonæ partis Sueuiæ, beneficiario iure dari agnoſcere. Poſteà verò noua illa obſidio acciderat; cùm enim fuerit in more poſitum, decimo quoque anno fœdus quoddam (Circulum Sueuicum appellant) apud Germanos inſtaurari, à Frederico Cæſare inſtitutum, accitis vrbibus Imperio non omnino ſubiectis, quò per illud communis pax continuaretur; hoc fœdus poſtremò renouari haud potuerat ob Religionis diſſidia. Vnde Lantgrauius occaſione arreptâ, aliorumque hæreticorum Principum opibus fretus, illam Ferdinandi ditionem inuaſerat. Ipſe verò Ferdinandus concordiam Norimbergenſem, vt notauimus, exeunte Iunio confirmauit, adeoque aliquot hebdomadis poſt enarratum Conſeſſum, in quo Suauis ea de re Pontificem conqueſtum affirmat.

Cardinales concordi ſententiâ decreuere, nullum fore ſalubrius 7
remedium, tum hæreſi, tum reliquis Reipublicę calamitatibus, quàm Vniuerſalem Synodum, pacemq; inter maximos Chriſtiani nominis Principes. Proinde, vti Pontifex pro vtraq; eouſque laborem impenderat, ita peculiari ſedulitate eidem inſiſteret. Et quoniam emolumenta per Concilium ſperanda paci communi debebant inniti, eam primo loco promouendam. Ita libri legitimi de illo Patrum Conſeſſu loquuntur; cetera commentitia.

Paulò pòſt euenere quæ de obitu ſuo Pontifex præſagierat; qui 8
poſt moleſtum variumque morbum, vnde ſe alioſque grauiore ſui tædio affecerat, die 25. Septembris deceſſit. Eius mors tanto excepta gaudio, quanto ipſius electio; non ſolùm ob eam ſatietatem quam parit diuturnitas Imperij per electionem deferendi, ſed ob calamitates in illius adminiſtrationem ingruentes, quæ Principem pleriſque inuiſum, vti noxium reddunt, cunctis vt infauſtum. Iis etiam dotibus

doribus verè caruit, quæ populorum studia conciliant, quæque in eo tamquam in Leonis patruele sperabantur, creditoque illius Pontificatus capite, cuius re verâ solùm dextera extiterat; beneficentiâ videlicet & humanitate, quæ in Leone præstiterunt, excessu noxio, sed plausibili; in Clemente defuerunt, defectu minùs quidem nocente, sed magis inuiso. In eo timor dominabatur: ea nimirùm animi affectio, quæ dum alios pluris æstimat, hominem aliis minoris æstimabilem reddit. Ceterum mens in eo rerum plurimarum capax, magna in agendo solertia, conspicua morum grauitas, plurima linguæ efficacitas: hæc tamen decora, quæ Ministrum egregium priùs effecerant, haud quidem satis fuerunt, vt amabilem Principem posteà redderent. 1534.

9 Postremis diebus aptè rationem iniit deligendi sibi successoris. Nam Mediceo Cardinali, patruelis sui filio, hominem ad id commendauit, non sibi amicitiâ in primis carum, nec beneficiis maximè deuinctum, sed meritis supra ceteros insignem; Alexandrum videlicet Cardinalem Farnesium, Sacri Collegij Decanum: ita heredem voluit in Principatu, quem in Senatu non creauerat filium. Hunc postremis duobus Comitiis summi Principatus sibi competitorem Clemens expertus fuerat, quod in imbecilliorum animis odium parit, in obicem quasi propriæ celsitatis, at in magnanimis existimationem auget; victi siquidem amplitudo, victoris excellentiæ pretium facit. Hinc ab eo posteà grauissimis negotiis consiliisque difficillimis admotus, ac demum Romæ Legatus pro Pontifice constitutus, cùm is in Galliam profectus est.

Clementis iudicium subsecuti Vaticani Senatores, primò Comitiorum die concordibus suffragiis Alexandrum ad Pontificatum euexere Octobris die 13. Ait Suauis, vbi primùm Pontifex renuntiatus est, se Honorium Quintum nuncupasse; inde, cùm solenniter coronaretur, Pauli III. nomen accepisse. Equidem huic errato libens potiùs pepercissem, quippe nonnullis Scriptoribus communi, nisi Suauis exquisitam rerum cognitionem sibi gloriosiùs arrogaret, cùm tamen multas potiùs quàm selectas habuisse videatur. Id igitur mera fabula est, vti constat non modò illorum Comitiorum Commentariis, ab iis qui interfuere conscriptis, atque ex Ephemeride Blasij Cæsenatis, à Pontificiis cæremoniis, ac Petri Pauli Gualterij Aretini, qui pariter adfuere; sed ex legitimo libro, in quo Vaticani Senatus acta continentur.

* Videatur Spondanus ann. 1534. num. 9.

CAPVT

1534.

CAPVT XVII.

Primæ Pauli III. curæ de Concilio.

Ex Relatione Oratoris Soriani.

PRæ se tulerat semper Paulus, cùm Senator esset, animi propensionem in Concilium, quæ viam strauit supremæ dignitati, compulitque ad eam ipsi deferendam Cardinales Cæsari addictos; atque eamdem ille voluntatem in summo fastigio confirmauit. Sed vti mortales prudentiam à simulatione seiungere haud consueuere, cùm tamen huius vsus summa sit imprudentia, quippe qui diffidentiam alienationemque in aliis excitat, quæ duo præcipuè & suasionem retundunt, & rerum, quas apud alios aggredimur, successum interuertunt; vt, inquam, haud solent mortales secernere duas hasce qualitates, quamuis sibi mutuò repugnantes; ita prudentiæ opinio de Paulo callidiores induxit, ad optati Concilij simulationem illi appingendam: & tamen nihil Pontifex diligentiæ prætermisit, donec rem ipsam perfecit. Quamquam ipsius in eo sedulitas Clementis cunctationem purgauerit, cùm ea obstacula palàm fecerit, quibus hîc se retineri prædicabat; dum non semel Paulus visus est non modò incassùm indixisse Concilium, sed eò Legatos miserit, quos post diuturnam & otiosam moram opus fuerit reuocare, quòd ceteri minimè conuenirent: neque vmquam inchoare illud licuit, nisi eo impetrato, quod decessor vti necessariam conditionem postulauerat, hoc est, inter Cæsarem ac Regem Galliæ concordiam. 1

Gemina in re visus est Paulus Clementem prudentiâ superare. Prima fuit; Noluisse quacumque specie, ne meræ quidem defensionis, cum Principibus Christianis fœdus habere. Satis ille intelligebat, quicumque in aliqua lite cum altera parte confœderatum se gerit, numquam eumdem posse apud alteram partem in quouis alio negotio æqui iudicis fidem obtinere. Altera fuit; Haud malè fuisse animatum de Concilij euentu, vti Clemens solebat, qui diu professus est, se illi assentiri, quò votis potiùs communibus satisfaceret, quibus obsecundandum erat, quàm quòd sponte suâ opportunum illud arbitraretur. Atque id in causa fuit, vt à plerisque crederetur, voluntas eius Concilium auersata, vt sæpè vsuuenit, iudicium mentis traxisse ad improbandum ceu noxium, quod vniuersè expetebatur, ceu dictamus Ecclesiæ vulneribus salutaris. Eadem ratio nouum Pontificem mouit, ne tamquam arduam Concilij Congregationem ostenderet, vt Clemens quidem affirmabat, ac reipsa erat, 2

haud

1534. 1535.

haud ſanè inſcius, eum, qui rem aliquam auidiùs efflagitat, abhorrere tamquam ab aduerſante voluntati ſuæ, ab illo qui rei conficiendæ difficultates in medium affert. Paulus itaque ſatius habuit, vt ab ipſa re obſtacula detegerentur,& ipſe haberetur ab hominibus potiùs minùs in prænoſcendo ſagax,quàm minùs propitius in agẽdo.

3 Idcircò in primo Senatu * 13. Nouembris aperuit Patribus eumdem de Concilio ſenſum in ſe,quem in Purpura præ ſe tulerat; eoſq; cohortatus eſt,vt in ſeipſis, Curiaq; vniuerſa,ad morum emendationem exemplo cunctis futuram incumberent;deſignauitq; ad id poſteà,non quidem tres ſolùm Patres quos * Suauis nominat,ſed Piccolomineum Cardinalium Decanum,Sanſeuerinum,Ghinuccium,Simonettam, Cæſium, Chriſtophorum Iacouaccium , tunc *Datarium*, eumdemq; Epiſcopum Coſſanenſem,mox Purpuratum, Epiſcopum Nicoſienſem & Aquenſem,qui etiam in Romana Rota Duodecimuirũ agebat, viros Canonum peritos,in negotiis expertos,& ingenio moderatos, quales oportet Cenſores ſint, ne poſteà cenſuræ ipſæ magis noceant quàm corrigant, magiſque ſint ad contemplandum ſpecioſæ, quàm ad agendum accommodatæ. His verò auctoritatem ampliſſimam in cuncta tribunalia impertiit. Ante hanc ſolemnem Cenſorum deſignationem, * diu ea de re deliberatum; ac in Diplomate expoſita rerum capita, quæ opportuniora ad id cenſebantur, eaque in Vaticano conſeſſu propoſita, ſingulorum iudicio priuatim expendenda: ſed poſteà in alio * conſeſſu decretum, ne vulgaretur diploma ; quippe quod dum reformari mores iubebat, fatebatur in iis, in quibus reformandos curabat, deformationem ineſſe; adeoque obtrectationes hæreticorum apud vulgus confirmaſſet, ac prætereà nihil amplius ſupra Maiorum decreta præſtitiſſet. Proinde opus eſſe potiùs dari operam vt ea ſeruarentur , tam in tribunalium emendatione, quàm in morum honeſtate ad exterorum exemplum: atque vt huiuſmodi decretum re perficeretur , poteſtatem iam indicatam tribuit Pontifex Cenſoribus, quos retulimus. His à Suaui ſeu ignoratis ſeu diſſimulatis, errabunda deſtituitur eius narratio inter falſitatis liuoriſque laruas & vmbras.

* Non 11. vt dicit Suauis, & conſtat ex Actis Conſiſtor.

* 23. Auguſti in libro 1. Diplomatum Secretorũ Pauli III. in Secretaria Diplomatum fol. 53.

* 19. Aprilis anno 1535. vt in Actis Conſiſtor.

* 9. Iulij.

4 Mox etiam legauit Pontifex varios Nuntios, quibus apud Principes Concilium promoueret. Egregios etiam viros in Purpuratorum Senatum * adlegit, inter quos Ioannes Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis: is fuit qui à Latina lingua ſumpto vocabulo, *Roffenſis* dictus eſt, vir doctrinâ ac ſanctitate præclarus, cui nonnulli volumen tribuunt, ab Henrico Rege anteà typis editum in Lutherum. Hic habebatur id temporis in cuſtodia ob Regis indignationem, cuius

* 21. Maij ann. 1535.

1535. impiis iussionibus subscribere recusabat, quamquam initio, ne impetum obsistendo stimularet, plus æquo indulserit: cuius indulgentiæ, quamdiu posteà vixit, frequenter seipsum incusauit. Neque verò eam illi dignitatem Pontifex detulit, quòd eamdem speraret Regi venerationi futuram; vt pro certo ponit Suauis, quò Paulum rideat, quasi deceptum in eo ac delusum. Quem vmquam spes allexisset huiusmodi obsequij ab eo Rege exhibendi, qui conculcandi Pontificis, eiusq; Hierarchiæ destruendæ studiũ ostentabat? Consilium Pontificis fuit, vti auctor ipse Henrici Vitæ scribit: *Carceris iam annui molestiam solari eâ nouæ dignitatis accessione*; ac Roffensi, quocumque tandem modo per hoc quamuis mortale præmium, illos annos rependere, quorum iacturam patiebatur pro Summo Pontificatu defendendo: quandoquidem præcelsis animis, vel ex regula felicitatis naturalis, inest præsumptio, honorem ipsâ vitâ non malè emi. Eâdem etiam cum ceteris dignitate donatus Nicolaus Scombergius, Archiepiscopus Capuanus, natione Sueuus, qui præcipuis Magistratibus in Ordine Prædicatorum functus, ad eam Sedem euectus fuerat à Clemente, adhibitusque consiliis grauioribus, æquè ac Gilbertus Episcopus Veronensis, vterque summæ prudentiæ ac pietatis; sed prior in Cæsarem, alter in Gallorum Regem propensior. Hunc itaque Scombergium Paulus tunc existimauit reconciliandis Germanorum animis idoneum administrum: nec eum impediit vel in remuneranda hominis virtute, vel in credendis negotiis eiusdem fidei, affinitas citra culpam illius contracta cum hoste Sedis Apostolicæ maximè capitali: etenim (si tamen verum asserit Orator Sorianus in suis Commentariis) Scombergij consobrina, quæ iam inter sacras virgines se Deo vouerat, postmodum Luthero nupserat.

Philosophatur Suauis, Pontificem haud vero Concilij emendationisque studio rem gessisse, propterea quòd confestim inter Vaticani Patres adsciuit Alexandrum Farnesium, & Guidonem Ascanium Sfortiam, nepotes suos iuniores. Verùm, quòd Paulus amore sui sanguinis nimium exarserit, haud inde extemplò conficitur, non fuisse in reliquum Religionis studiosum; prout liquet ex vniuersa serie eius Principatus. Quemadmodum enim ex vnica honesta actione non rectè deducitur virtutum vniuersitas, ita perperàm ex vnico deformi actu omnis virtus excluditur. Eius verò in Paulo vitij nota tam est homini consueta, vt pro virij nota non haberetur in quouis alio Principatu, qui supra conditionem hominis non assurgeret. Adeò vt planè Philosophus asseruerit, à Principibus, cùm 5

5. Politicorum cap. 11.

cùm suam progeniem, quæcumque ea sit, ad Principatum non 1535.
prouehunt, *virtutem exerceri supra modum humanæ naturæ.* Proinde qui ob hanc humanæ conditionis labem Pontifices vituperat, inesse Diuinum quiddam in Pontificatu fatetur. Ceterùm nonnulli in Paulo ex humana imbecillitate lapsus, quos in Principatus illius initio expandit Suauis, vt infamiæ afflatus veluti prodromus animos paret secuturis obtrectationibus, quadraginta iam annis præcesserant ipsius electionem, & antequàm Purpurâ claresceret, ac per eam temporum licentiam, quorum memoria non sine horrore ac vituperatione repetitur. Posteà verò tam decorè, tam integrè vitam instituit, vt in omni Pontificatu inter summos habitus fuerit; in tribus Pontificiis Comitiis, inter Solio proximos; in postrema verò electione, sine competitore in eodem Solio collocatus. Quod non nisi præcelsa virtus consequi potest: non semper quidem concordi omnium voluntate conscenditur; at sine illa numquam. Quicumque rerum publicarum notitiam delibauit, satis nouit, administrationem Pauli extitisse Pontificiæ prudentiæ præclarum exemplar. Ex iis quos Vaticani Patres creauit, quatuor continenti successione per annos duodeviginti primam Sedem tenuere; & præter eos primaria illius ætatis capita, virtute ac doctrinâ in supremo Senatu ab eo constituta, vt duo iam laudati Roffensis & Scombergius, vt Contarenus, Sadoletus, Polus, Bembus, Aleander, Moronus, Bellayus, Guidiccionus, Parisius, Truxius, & Carolus Lotharingus. Enimuerò acerbior in Paulum se habuit Suauis, quàm eius tempestatis hæretici; de quibus Vergerius Nuntius pluribus in literis à me conspectis narrat, in existimatione singulari apud eos fuisse tanti Pontificis probitatem ac merita; vt mox constabit, cùm planè opportunitas instet enarrandi huius Nuntij electionem ac iter.

CAPVT XVIII.

Vergerius in Germaniam Nuntius. Eius colloquia cum Principibus tam Catholicis quàm Protestantibus, & cum ipso Luthero. Et quænam responsa reddita.

1 PONtifex itaque, quò penitiùs Germaniæ statum exploraret, Romam acciuit Petrum Paulum Vergerium Iustinopolitanum, qui apud Regem Romanorum Clementis nomine Nuntium agebat. Ab eo cognouit, vnicum exasperatis Germano-

1535. rum animis mitigandis lenimen fore, si Pontifex promptum omnino procliuemque animum patefaceret ad Concilium celebrandum, absque vlla cuiusuis obstaculi mentione; illudque re ipsâ, quocumque tandem modo conuocaret. Illi siquidem Nationi, discordiis intestinis defatigatæ, nullam quietis aliunde spem affulgere: adeoque hostis loco eum ducere, qui Concilij conuocationem reuocaret in dubium; seruatoris, qui eam polliceretur. Prætereaque sibi persuadebat, per errorem vulgo frequentissimum, à sola Pontificis voluntate Synodi congregationem re ipsâ pendere. Eam igitur agendi rationem secutus Paulus, Vergerium ipsum in Germaniam legauit, tamquam ingeniorum, quibuscum agendum erat, expertum, & auctorem Concilij à se promouendi. Tradidit eidem Diplomata ad cunctos Principes seu Catholicos seu Protestantes, charitatis quàm dignitatis studiosior. Iniunxit, vt vnicè locum cogendo Concilio statuendum curaret; quæ conditio minimè poterat in incerto relinqui: de reliquis verò conditionibus taceret, quò obices omnes amoliretur; re posteà inceptâ, cetera faciliùs componi posse. Quod consilium ceu periculo proximum improbare licebat, nisi grauissimis pariter malis remedia quoque periculi plena prudenter adhiberentur. Quin deinde monuit Pontificem Nuntius, vt consilium de non agitandis in futuro Concilio priorum definitionibus, vel ipsos Oratores Cæsareos ab eo celaretur: secùs enim, cùm illi ad Cæsarem scriberent (in cuius Consilio Lutherani aderant, suam factionem de singulis admonentes) ad primos eius rei Nuntios tumultuaturos Protestantes, ac proinde Concilij negotium euanesceret; quod ipsum à Cardinali Leodiensi posteà significatum, cuius sententia erat, perniciosum quidem, sed tamen necessarium fore Concilium. Pro Sede Concilij Mantua proposita: cui, vt alibi diximus, Cæsar consenserat, annuente Germaniâ, cùm de iis ibi Episcopus Dertonensis egerat; & quæ vrbs tum clientelâ, tum propinquitate Germaniæ, ceteris nationibus minùs fortasse opportuna videri poterat.

Literæ Vergerij 12. & 24. Septembris, quæ sunt in Volumine Biblioth. Vatic.

Quæ fuerint tradita Vergerio mandata ad ea conficienda, ex eiusdem epistola liquidò constat: * sic enim ad Ambrosium Recalcatum, qui erat à Secretis Pontifici, scribit: *Duabus de causis me Pontifex in Germaniam legauit pro Concilij negotio; altera nimirum vt obsisterem, ne quis hoc anno Conuentus habeatur, per quem forsitan peculiaris Nationis Synodus celebretur, uti minabantur: altera, vt re ipsâ Concilium Oecumenicum conuocaretur.* Neque quisquam putet, hæc ab eo scripta timoris impulsu, ne literæ interciperentur: altera enim epi- 2

* 17. Maij ann. 1535.

stola

ſtola * arcanis notis ſcripta hæc profert initio: *Mihi planè liquet, Paulum verè integerrimum ſanctumq́ Pontificem eo me animo delegaſſe, vt non ſolùm motus, qui timebantur, ſopirem; ſed vt Germanorum animos ad ipſum Concilium ſincerè veraciterq́ pararem.* 1535. * 29 Auguſti an. 1535.

3 Anxius erat, nec temerè, de eo Conuentu Paulus. Nam hinc Germaniæ Principes ſignificabant, ſe nihil certi reſpondere poſſe, niſi ſimul coirent: hinc cœtus ille in peculiare Concilium abire poterat, ex vno conflatum corpore, cuius magna pars corrupta integræ parti admiſcebatur. At verò in Oecumenica Synodo, ceteras omnes nationes complexura, pars tabida, præ incorrupta, modica ſanè fuiſſet.

4 Optimam de Pontifice opinionem vel in hæreticis nactus eſt Nuntius, non modò in ea quæ præceſſerat illius virtutis fama nixam, ſed in gemina illa agendi ratione ſub Pontificatus initia, cuius meminimus; hoc eſt, in Concilio efficaciter procurando, & ſe in Chriſtianos Principes æquè propenſo præſtando. De loco, Catholici Principes ferè omnes, excepto Palatino Septemuiro, nihil opponebant Italiæ ac Mantuæ; tantummodò conſenſum Cæſaris poſtulabant. Hic verò Africano tunc bello diſtractus, ac de Gallico ac Britannico ſolicitus, nondum animi ſui ſenſa patefecerat, ob cauſam mox exponendam. In Catholicorum de loco ſententiam venit paulò pòſt Georgius Brandeburgicus, primarius Lutheranorum fautor, tametſi duos Catholicos Septemuiros Patruos, vt alibi vidimus, haberet. Qui * non ſolùm Vergerium excepit honorum officiis, cuicumque ſummo viro conſentaneis; ſed irreſponſo ad Pontificem, eum *Dominum clementiſſimum* appellauit, adiecitque alias obſequij formulas, Principibus hæreticis inſuetas. In iiſdem ac ceteris Literis. Literæ Vergerij arcanis notis ſcriptæ 23. Iulij 1535. * Literæ Vergerij 7. & 19. Auguſti.

5 Interim de Cæſaris in Africa victoria per Germaniam fama percrebuit, Golettâ ac Tuneto feliciter expugnatis; quæ ſummoperè negotium promouit. Etenim antehac indigens Cæſar potentium Germaniæ opum, & conſcius occultæ inuidentiæ multorum ibi Principum Auſtriacæ ſtirpis incrementis, non modò verebatur, ne ab illis dereretur, ſed etiam ne captâ externarum expeditionum opportunitate, domi cuniculus ab iiſdem ageretur. Hinc adnitebatur illos ſibi beneuolos præſtare, atque ab omni ſuſpicione dimouere, quâ opinarentur, ſibi eſſe in animo ipſos per vim ad veterem Religionem adigere. Proinde ſupremum Cæſareæ Domus Præfectum, Adrianum Croium ad eos miſerat, qui contraria teſtaretur. Adeoque ex vna parte cupiebat quidem, vt Concilium, à Germanis ſummoperè expetitum, promitteretur; ex altera verò nolebat

1535. vllam ex Italiæ Vrbibus ad id probare, nisi satis exploratâ priùs illorum voluntate, qui in aliis Conuentibus semper efflagitauerant vrbem Germaniæ. Quare, dum aliqui ex Germanis Principibus, quamquam alioqui consensurus esset Cæsar, reluctarentur illius celebrationi in quouis Italiæ loco, causati, non licere Cæsari Comitiorum decreta negligere; ceteri verò, tametsi propitij, non aliter consentirent, quàm Cæsare comprobante; atque hic sententiam suam promere non auderet, nisi Germanorum consensus præcessisset; videbatur nouus Conuentus euitari non posse, quo decreta prioris abrogarentur. Verùm ea victoria Cæsari timorem minuit, Germaniæ auxit. Nihilominùs cum ingeniis adeò de sua libertate solicitis ita Nuntio agendum erat, vt simul minimè imperiosè rem gereret, simul auctoritatem Pontificis sustineret, quam deprimere conabantur hæretici. Is itaque sic sermonem ea de re cum illis temperabat: * Cum liceret Pontifici Concilium vbicumque censuisset indicere; tamen ex paterna beneuolentia, ac singulari illius egregiæ nationis existimatione, velle priùs eorum consensum deposcere.

* Literæ 16. Augusti.

Incommodè sanè tunc incidit Ioachimi Septemuiri Brandeburgici mors. Duo enim ab eo liberi relicti ad sectam Lutheranam propendebant matris operâ, quæ Christierni Daniæ Regis soror, illius hæresis virus tam altè hauserat, vt cùm illius vsus à marito fuisset ipsi interdictus, ab illo ad Saxonem suum consanguineum profugerit. Tentatum igitur, quà Moguntini eorum patrui auctoritate, quà Nuntij studiosis officiis, ne in apertam hæresis professionem, adeò Catholicis perniciosam, erumperent. At Nuntius, quò posset cum iis agere Berlini degentibus, coactus est per Saxonis ditionem iter facere. Quapropter necessarium duxit, in aperto haud pernoctare, ne rusticis hæreticis insanè furentibus præda foret, sed in tuto personam quam gerebat collocare. Itaque ab eo petiit, qui Wittembergæ absentis tunc Ducis vices obtinebat, vt isthac sibi tutò transire liceret. Hic maiori quàm à Catholico sperari potuisset obsequio, Primorum quosdam è suis misit viarum duces; vetuitque cauponibus, ne quidquam ab eo pretij caperent. Posteà illi processit obuiàm cum equitatu Nobilium: ex equo eum salutaturus desiliit: in ipsas ædes Principis illum deduxit; voluitque mensæ assidenti ipsemet ministrare. Ceterùm de Pontifice fidenter atque honorificè cum eo locutus, dixit ab eo Pontifice verè Synodum expeti, à qua decessores refugerant; adeoque eumdem in ea procella Iridem salutarem futurum. 6

Ex maximè prolixa Vergerij epistola 12. Nouembris.

Die postero, cùm ientaculum Nuntius manè prægustaret iter fa- 7
ctu-rus,

cturus, ad obsequium regressus idem Saxonis Vicarius, adduxit vnà Lutherum, & Ioannem Bugenagium Pomeranum. Erat hic insignis apud hæreticos; qui ex auctoritate Lutheri, ac Wittembergensis Academiæ, Sacerdotes Sacris initiabat; obtentà sacrilegij irritique ministerij excusatione, quòd Lutherani adigerentur ad ea, cùm Episcopi recusarent eos Sacris admouere. 1535.

8 Hoc inter Nuntium ac Lutherum colloquium pluribus sanè mendaciis peruertitur à Suaui, quàm Troiæ bellum ab Homero, cùm illud depingat velut indecorum Pontifici, quasi eius iussu quæsitum, & à Nuntio assentationibus promissisque viliter affusis, & imprudentià sensisque parum religiosis deturpatum: ex altera verò parte gloriosum Martino, sententiarum pietate, responsionum sapientià, magnanimitate repulsarum. Operæpretium erit illud hîc in summam redigere ex prolixis Vergerij literis, ea de re scriptis Recalcato, qui erat à Secretis Pontifici.

9 Qui Saxonis locum tenebat, duos illos adduxit, dixitque (Vergerij verba transcribo) *Absentibus Principe, aliisq; literatis viris, VVittembergensi Academiæ interesse solitis, in Thuringiam pestilentiæ causâ translatæ, alios sibi non suppetere, qui mecum cognitâ mihi linguâ colloquerentur; proinde inter ientandum illis aures præberem, qui sapientes illic habebantur. Non potui sanè, cùm in huiusmodi versarer loco, non assentiri: ac Martinum, eiusq; socium audiui ad finem vsque ientaculi, & dum famuli equos conscenderent.* De Luthero deinde tam contemptim loquitur, quàm ex sequenti earumdem literarum particula palàm fit. *Latinè*, inquit, *adeò ineptè loquitur, vt certum mihi videatur, aliquot libros eius nomine vulgatos, qui nonnihil latinitatis & eloquentiæ redolent, Luthero tribui minimè debere.* Et paulò pòst: *Hanc solam vrbanitatem exhibuit, quòd capite detecto mecum loquebatur, & quædam protulit in laudem Pontificis: audiuisse se, illum prudentem ac probum esse, iam tum cùm Romæ aderat, quo tempore (subridens bestia subdidit) multa Missarum sacrificia peregi. Atque vti confestim quid de eo sentiam expromam; ductâ coniecturâ ex vultu, habitu, gestu ac verbis, siue malo dæmone sit correptus nécne, certè ipsamet arrogantia, malignitas & imprudentia totus est.* Fusiùs deinde descriptis indumenti varietate, vilitate in agendo, morumque licentiâ, subiungit: *Primum quod protulit, me taciturnum conspicatus, fuit, an quidquam in Italia de ipso audiuissem, eum esse ebriosum Germanum.* Multas prætereà hominis ineptias enarrat, quem numquam præ se tulisse quidquam prudentiæ dicit, nisi semel, cùm habità de Rege Britanniæ mentione, sibi temperauit, ne ea damnaret comprobarétve, quibus Princeps ille immaniter sæuierat in viros

1535. ros probos; quamquam à Vergerio interrogationibus super eâ re compellaretur. Tantum quoque abfuit, vt Nuntius illi laudes, ac promissa blandiùs aut abiectè indulserit (quod vtique fingit Suauis) vt è contrario scribat: *Equidem magno cum cruciatu loquentem audiebam; nec vmquam respondere volui præter paucula verba, ne truncus viderer.* Postremùm ait, cùm de Concilio sermo incidisset, Martinum in rabiem actum dixisse: *Veniam in Concilium: & me capite diminutum volo, nisi meas opiniones defendero aduersus vniuersi mundi homines. Non est ira mea, sed ira Dei.*

Hæc fuit summa congressus. Neque sanè suspicari licet, ne fortè Nuntius in re ad Pontificem scribenda prorsus à veritate deflexerit: quod sanè effecisset, si Suauis narratio vera foret. Vult siquidem Suauis, à Vergerio ea promissa atque illicia ex præscripto Pontificis adhibita, adeoque non celauisse posteà suum Principem, quæ illo præcipiente peregerat: præterquam quòd ij sermones coram pluribus habiti ientante Nuntio, Pontificem aliunde latere minimè potuissent. 10

Supererat Vergerio, Lutheranorum Principum responsionem accipere. Ea verò fuit huiusmodi, quæ palàm fecit, haud illis posse per oblatum Concilium satisfieri. Nam Smalcaldæ coacti scriptum omnium nomine Nuntio reddidere, quo non solùm Romanos Pontifices, Romanumque Pontificatum proscindebant contumeliosis nominibus tyrannidis in occupata iurisdictione aliena, sacrilegij in deprauata Religione, insidiarum in re dolosè proponenda; sed repudiabant inprimis Concilium in Italia. Vt autem repulsam colorarent, ibant obuiàm iis quæ obiecta fuerant de Germania, tamquam intuta ceteris regione, propter sectarum ibi tumultuantium contentiones; asserentes, in ea potiùs regione cunctis libertatem præberi, iusto ac moderato Cæsaris Imperio subiecta. Perinde quasi nec notæ nec recentes forent innumerabiles iniuriæ, illatæ per eas Prouincias Ecclesiasticis, è quibus tandem Concilium erat conflandum; adeò vt ne Ferdinandi quidem, qui Cæsaris locum tenebat, nec aliorum Principum auctoritas * efficere potuerit, vt Legatus Campeggius Purpurati habitu Norimbergam Comitiorum gratiâ tutus ingrederetur: quin ægrè prohiberi potuerit, ne eidem Augustam transeunti obuiàm non occurrerent centum pueri tetri dæmonis specie laruati, raptantes ad ludibrium hominem Purpurati habitu personatum. Causabantur prætereà priora exempla Conciliorum (ad Constantiense scilicet alludentes, in quo Ioannes Hussus igni traditus) quibus docebantur, ne concessâ 11

* In mandatis rerum quæ erant Cæsari proponendæ post Conuentum Norimbergensem, in Volumine Archiuij Vaticani, inscripto, ex *Actis Wormatiæ*.

cessâ quidem quacumque fide publicâ, in Italiam irent, in cuius 1535.
vrbibus vniuersis adeò pollebat Pontificia potestas: & tamen Concilij negotia tanti erant ponderis, vt ea per se ipsos, non per procuratores agitari oporteret.

12 Verùm hæc ratio euicisset potiùs, Concilium in Germania cogendum non esse; cùm ibi Constantiense peractum sit, in quo Ioannes Hussus per ipsos Germanos Principes flaminis addictus. Neque licet excogitare Concilium, in quo Pontifex minus possit, quàm in Constantiensi; vbi omnes ij dignitate abdicati, qui sibi ius ad Pontificatum tribuerant, & Hussus sociique damnati, quo tempore Romana Sedes vacabat. Ex altera verò parte, quis tantam Pontifici potestatem in qualibet Italiæ vrbe tribuisset, quæ perfringendæ fidei publicæ satis esset, contra tam præpotentes tantæque venerationis Principes? Nónne paulò antè vel minores Italiæ reguli eum bello petiuerant? Nónne multò plus ditionis ac virium obtinebat in Italia Cæsar, quàm Pontifex? Nónne Mantuæ Dux Cæsaris beneficiarius erat, locique naturâ Germanorum aggressionibus obnoxius?

13 Opponebant secundo loco; Fraudulenter à Pontifice obtegi in proponendo Concilio ea suæ sectæ incommoda, quæ ipsius Decessor per Nuntios ac diplomata professus fuerat apertiùs: velle nimirum ipsum Concilio præesse, ac nolle in controuersiam vocari traditiones definitionésve præcedentium Conciliorum: quorum alterum idem esse, ac se Iudicem simul ac partem constituere; alterum, inauditos damnare; vtrumque verò aduersùs omne ius fasque. Deduci eam Pontificis mentem ex ratione propositi à Nuntio Concilij, quâ dicebatur, Pontificis esse Concilium indicere. Nec minùs de iis capitibus præteritos Pontifices sua sensa tam priuatim quàm publicè declarasse. Fraudulentum atque iniquum esse quòd à Nuntio proponebatur, re scilicet inceptâ, posteà de modo concordandum. Opus esse ante omnia, iudicij formam statuere; ac posteà, vt consentiant Tribunali, postulare.

14 Per hæc satis omnibus compertum fuit, propositas à Clemente conditiones non obices fuisse Concilio, sed potiùs notam in eo fraudis abstersisse; quandoquidem ex ea Lutheranorum responsione constitit, non posse de Concilio conueniri, quin simul de forma conueniretur, quâ constituendum fuisset. Quod verò attinet ad hasce conditiones, atque huiusmodi querelarum æquitatem: si Concilium cogere non erat Pontificis, cur adeò angebantur, quòd ab eo non cogeretur? Iudicis ac litigatoris simul par-

1535. tes agere, priuatis profectò non licet: sed in Republica semper oportet supremam aliquam potestatem esse, cuius sit vel in causa propria ferre iudicium: alioquin ea suprema non esset, & in infinitum abiretur, siue hic supremâ præditus potestate vnus homo sit, vt in Monarchia, siue vnus Senatus, vt in Polyarchia: atque hoc quidem apud omnes in more positum. Num ipsi non intelligebant, æquè se incursuros in incommoda ab ipsis adducta, vbi Pontifex aliorum Cœtui se subdidisset? Ille namque Cœtus, Iudicis ac litigatoris munus obiret in ferenda sententia super ea quæstione, quâ quæreretur, num eiusdem Cœtus vel corpus integrum, vel membra singula subessent Pontifici; num verò illi præessent, vel certè ab eo non penderent. Hoc posito, quænam ratio postulabat, vt hoc Iudicis simul ac partis munus illi potiùs qui id numquam possederat impertiretur, atque ei eriperetur, qui vel ipsis hæreticis fatentibus ipso functus erat in proximè superioribus Conciliis? Nec magis rationi consona postrema querimonia deprehendetur, quâ quiritabantur, nolle Pontificem Ecclesiasticas traditiones, priorumque Conciliorum definitiones in controuersiam adducere. Perinde siquidem erat, eas in controuersiam vocare, atque simul fateri, Ecclesiam falli posse: quod si concederetur, quænam esset vera Scriptura diuina, quæ vera illius editio, quæ vera interpretatio? Quare ea in dubium vocare, perinde erat, ac velle in aliqua scientia disputare, sed disceptationem incipere ab iis principiis, quibus ipsa tamquam fundamentis innititur, quæque ab eadem non probantur, sed pro certis ponuntur; adeoque si quis quæstionem de iis tamquam de ambiguis haberet, ambigeret pariter de tota scientia, ac proinde negaret eam esse veram scientiam. Eâdem ratione, cùm præcipuum in Fide sit, eam esse certam, ipsam confiteri vt incertam, idem planè erit ac falsam fateri. Hinc deducitur, velle in Concilio de his articulis decertare, nihil aliud fuisse, quàm eam inferre iniuriam Catholicæ Religioni, quam ipsi sectæ suæ vociferabantur illatam; hoc est, eam falsitatis ante omnem disceptationem damnare: cum hoc tamen discrimine, quòd altera per tot sæcula, per tot Concilia, tot viris doctissimis conspirantibus possessionem obtinebat; altera paucorum ingeniorum audax inuentum erat. Quin ipsa postulatio, vt per controuersias agitarentur Ecclesiæ traditiones ac definitiones, duo simul contraria postulabat; vt scilicet Iudex constitueretur, simulque pro certo haberetur, eum Iudicem legitimum non esse. Quodcumque siquidem Concilium simul coactum nihil amplius habuisset auctoritatis,

tis,

tis, quàm ipsa Ecclesia; ergo idem planè fuisset illud cogi, vnaque 1535.
pro certo poni, Ecclesiam falli posse, ac ipsum cogi; simulque pro certo poni, idem quoque Concilium falli posse, adeoque non esse legitimum Iudicem Fidei; quæ falli nequeat necesse est.

15 Conspirationi Protestantium confidentiam auxerant Regum Galliæ ac Britanniæ legationes. Hac fungebatur Edoardus Foxius, Erfordiensis Episcopus: illâ Ioannes Bellayus, cuius oratio typis edita legitur apud * Freherum. Anglus quidem, quò se aduersus Pontificis anathema communiret, fœdus illis obtulerat, præsertim in repudiando Concilio Mantuano, & quocumque alio, cui Pontifex præsideret, simulque in propugnando, Romani Pontificis auctoritatem supra Ecclesiam non esse Iuris Diuini, neque Christianæ Reipublicæ conducibilem. At cùm in ceteris dogmatibus nec se fateri discordem vellet, nec in suo Regno turbas ciere, suumque librum damnare; pollicebatur, se Confessionem Augustanam defensurum accepto *Defensoris* titulo, prout *Fidei Defensor* appellabatur, dummodò de communi sententia nonnulli ex reliquis articulis emendarentur: proinde de hoc & reliquis ad fœdus spectantibus acturum in Britanniam mitterent cùm legitima potestate Legatum. Gallus verò, cupidus in ditione Cæsaris comparandi sibi clientes, inflicta quibusdam supplicia Religionis causâ excusauit, ceu alterius sectæ asseclis, suique Regni perturbatoribus. Suam operam obtulit ad eas controuersias componendas, fœdusque contra quoscumque vim illis eo nomine illaturos. Denique postulauit, vt vel ipsi mitterent in Galliam viros, quibuscum controuersiæ capita expenderentur; vel apud se cœtum haberent suæ sectæ Doctorum, ad quem suos ipse Theologos Galliæ delegaret.

* Tom. 3. Scriptorum de Rebus Germaniæ.

16 At verò Protestantes, cùm animaduerterent, vtrumque Regem in excludenda è suis ditionibus eorum secta persistere, solumque studere, vt vmbratili quodam patrocinio eos inescarent ad suas contra Cæsarem partes in rebus Politicis; decreuerunt vmbræ vmbram rependere, rebusque oblatis vti solùm ad Cæsarem cohibendum, ne vim ipsis inferret. Egerunt itaque gratias Henrico, quòd ille, vt pro certo sumebant, ipsorum doctrinis assentiretur; de cetero ad eum missuros quæ statuissent. Francisci Regis Legato actis gratiis responderunt, se quoque contra quoscumque Regem defensuros, excepto Cæsare & Imperio. Quod autem de congressu pro controuersiis Religionis habendo proponebatur, rem esse grauissimam, sibique improuisam accidere; adeoque multorum Principum procuratoribus necessariam ad id facultatem ibi non in-

 esse;

1535. esse; se tamen curaturos, vt illi Principes de iis fierent certiores, & communi nomine ad Regem posteà responsa reddituros.

Et sanè Franciscus Galliæ Rex, literis imbutus ac ingenio curiosus, solicitabatur ad audiendos in disputatione nouæ doctrinæ propugnatores à sorore Margarita, Nauarræ Regina, quæ ad ingenij plusquam muliebris ostentationem insolitæ doctrinæ nouitati fauebat: vnde Rex ad Melanchthonem ciendum adductus. Quâ re cognitâ, Franciscus Cardinalis Turnonius, Archiepiscopus Lugdunensis, librum manu gestans Regem adiit; interrogatusque ab eo de libri auctore, respondit, Auctorem fuisse sapientissimum in Gallia Episcopum, eumdemque virorum Apostolicorum alumnum, Irenæum Polycarpi discipulum; cuius inter præcipua documenta illud erat, Catholicis nulla esse colloquia, nulla commercia cum hæreticis commiscenda. Qua de re tam grauiter disseruit, vt ab eo noxio consilio Regem deflexerit. 17

Vide citatos à Spondano anno 1535.

CAPVT XIX.

Cæsaris Romam aduentus: & indictum Mantuæ Concilium.

Vergerius, vt ipse suaserat, à Pontifice reuocatur, vt voce plenius distinctiusque narraret de Germaniæ statu ea, quibus explicandis semper calamus impar est. Statimque à Paulo Neapolim missus ad Cæsarem, eò regressum ex Africa, de iisdem edocendum. Inde Cæsar Romam aduenit die 5. Aprilis * moratusque ibi est, non quatuor solùm dies, vti Iouius scribit, sed tredecim. Labitur quoque Suauis, dum illum in Consessu Vaticano loquentem inducit die 28. Aprilis, hoc est, decimo post eius discessum die. In Octobrem anni superioris inciderat mors Francisci Sfortiæ absque liberis; adeoque Insubria in Cæsaris potestatem redierat: quod in Francisco Rege veteres igniculos suscitauerat ad ius, quod inesse sibi in eam ditionem arbitrabatur, eò certe flagrantiores, quò potentiorem ex eo suum æmulum prospectabat. Quare bellum in Insubria aduersus Cæsarem gerendum parabat; simul etiam Hariadenum, Africæ cladibus irritatum, extimulabat ad Neapolitanum Regnum secum vnà vexandum. Quod tamen fœdus nulli Francisco Regi emolumento fuit, sed plurimùm eius famæ detraxit vel apud Gallos * Historicos, Religioni magis addictos quàm Nationi. Etenim Gallus, conuersis maioribus virium neruis in Belgium Galliæ finitimum, eidemque olim clientelæ iure obnoxium, eas contra Cæsarem in Italia copias, quas Hariadeno promiserat, 1

* Diarium Petri Pauli Gualterij, & Acta Consistorial.

* Vide Spondanum anno 1537. num. 4. & 5.

ferat, neutiquam suppeditauit. Hic proinde, neglecta à Rege promissa conquestus, Italiam deseruit, maiori terrore quàm damno perculsam. 1536.

2 Verùm antequam hæc acciderent, Romam Cæsar accesserat, vbi prolixos intimosque cum Pontifice sermones habuit; adeò vt die septimo Aprilis [a] septenas horas vnà colloquentes insumpserint. Ac die postremo Pontifex Senatorio Cœtui proposuit [b] conuocationem Concilij; cui omnes consensere. Inde viri aliquot rerum experientissimi ibi designati, qui de Concilij habendi ratione consulerent. Ea cura Principi Senatus Piccolomineo Cardinali demandata, vnaque Purpuratis Patribus, Campeggio, Ghinuccio, Simonettæ, Contareno, Cæsio, & Cæsarino, ac prætereà Aleandro, ac [*] Vergerio; adeoque septem Purpuratis, vni Episcopo, aliique Præsuli; non autem sex Purpuratis & tribus Episcopis, vt refert Suauis. Existimauit Vergerius, nondum Mantuæ indicendum Concilium, nisi postquam ea vrbs disertè à Germanis probaretur, quò in eo sui rationem habitam agnoscentes, rem faciliùs aggrederentur. Omittendam pariter in diplomate conditionem illam, *secundùm formam præcedentium Conciliorum*; cùm ea non nisi ad augendas aduersariorum querimonias conferret, neque fuisset apposita, cùm indicta fuerant proxima Concilia Constantiæ ac Basileæ. Ex propositis à Vergerio, secundum placuit, non primum; propterea quòd Protestantium consensio in Concilium vllum legitimum speranda non erat; Catholici verò iam implicitè consenserant, cùm ipsi Mantùam probauerant, *si Cæsar assentiretur*, iamque de huiusmodi conditione constabat. Cæsar enim certus denique, Lutheranorum proteruitatem per Conuentus mulceri non posse (quod multò sibi priùs innotuisse monstrauerat in responsione reddita propositis à Gambara conditionibus, vt suprà dictum est) eoque animosior quò minùs indigens, vnicè animum adiecerat ad explenda Catholicorum vota; qui tandem & numero plures erant, nec minùs acriter quàm hæretici Synodum efflagitabant, & magis ex animo cupiebant. Hîc verò palmarium mendaciorum admirabilem structuram compingit Suauis, quæ Cæsarem æquè ac Pontificem repræsentat, nihil in eo negotio seu Religionis integritati seu Reipublicæ Christianæ quieti studentes, sed vtilitati politicæ solùm inhiantes.

[a] Diarium Petri Pauli Gualterij.

[b] Vt in Actis Consistor.

[*] Vergerius tunc Episcopus non erat, sed Episcopus primò insignitus, die 5. Maij eodem ann. vt in Actis Consistor.

3 Dicit, Cæsarem recenti victoriâ tumidum in spem venisse expellendi Gallum intra biennium ex Italia, ac deinde sibi subiiciendi Germanos: neque illi curæ fuisse, quâ formâ cogeretur Conci-

 lium,

1536. lium, cùm id duplicis rei gratiâ solùm posceret: altera erat, vti Pontificem coërceret, si pro more decessorum se cum Gallis coniungeret, vbi eos debilitatos cerneret: altera, quò Germanos ipsos in suam potestatem redigeret. Potestas enim Pontificia ab eo secundaria censebatur: ac propter eà ipsi Mantuam probari, neque de conditionibus laborare.

Sed ordiar à postremo. Si hoc ita se habebat, ergo Lutherani Mantuam iniuriâ recusabant, quasi Pontificiæ auctoritati nimis obnoxiam, Synodumque in Germania flagitabant, vt haberetur in vrbe aliqua *æquo ac moderato Cæsaris Imperio subiecta*. Præterea, si Mantuæ coactum Concilium poterat Pontifici frenum iniicere, ergo non alliciebatur Paulus humanis commodis, vt ibidem illud tam enixè postularet. Sed quam in Carolo Cæsare mentem fingit, vt hæc tam friuola cogitaret? Tametsi Mantuæ fieret Synodus, nónne ea è Gallis etiam, è Polonis, ex Italis conflanda erat, qui vim à Cæsare pati non poterant, & ad suorum Principum nutum illinc abiissent? Si Pontifex cum Rege Galliæ, aliisque Italiæ Principibus, ad eius tuendam libertatem sanxisset fœdus aduersum formidandam Caroli potentiam, nónne Cæsar animaduertebat Synodum illicò discissam iri, nec ampliùs Oecumenicam futuram, & quæ posset Pontifici timorem incutere? Iam quod spectat ad alteram causam, vt videlicet Cæsar sibi redderet obsequentes Germanos; quid poterat prodesse Concilium? Non quidem militaribus copiis, cùm id non nisi togatos complecteretur. Solùm igitur conducere ad hoc potuisset, dum hæreticos in inuidiam adduceret, per vniuersæ Ecclesiæ sensa eorum impietate patefactâ; eoque pacto rectæ conscientiæ viros excitasset ad conferenda Cæsari auxilia in eorum excidium. At hoc ipsum nónne priùs Germaniam redegisset sub auctoritatem Magisteriumque Romanæ Ecclesiæ, quo palàm fiebat, quemcumque illi perduellem, fieri pariter Christo perduellem, vnde Protestantes tantæ perduellionis nomine vexarentur? Pontificia igitur potestas non poterat à Cæsare tamquam secundaria censeri; sed tamquam ea, ex qua penderet suæ firmitas potestatis, quotiescumque vellet Lutheranos compellere ad obtemperandum Edictis Cæsareis, quæ Pontificiarum sanctionum legumque reuerentiam præscripserant. Enimuerò ex tot Caroli decretis significationibusque anteactis super ea Religionis causâ, quidnis aliud apparet potiùs, quàm remissum Religionis studium, & Pontificiæ auctoritatis incuria. 4

Affirmat deinde Suauis, Paulo non displicuisse Concilium eo 5
tempore,

tempore, quo Rex Gallorum Sabaudiâ & agro Pedemontano occupatis, opplebat armis Italiam, cùm inde decora suppeteret opportunitas armato milite Synodi muniendæ. Nec in mentem incidit sibi, post pauculas paginas esse narrandum, Concilium Mantuæ ex eo non fuisse coactum, quòd Mantuanus ibi stabilia militum præsidia poscebat, Pontifex verò armatum Concilium recusabat. Ad hæc percontor: Eræntne militares illæ copiæ solius Pontificis stipendio conducendæ? Num ipsi satis virium erat ad alendum exercitum, qui reliquis Christianis Principibus timorem incuteret? Minimè verò. Quod si is accepturus erat stipendia, maxima ex parte à ceteris Principibus, nónne is terrori potiùs fuisset Pontifici quàm munimini? 1536.

6 Narrat denique, Paulum Cæsari bellum Germanicum suasisse, non tam ad Lutheranos opprimendos, quàm ad eum auertendum ab occupanda Insubria, quippe cupidum, vt ea ad Principem Italicum deueniret: adeoque arbitrabatur, se Cæsari suadere posse, ipsum Pontificem, & vnà Venetos, quà officiorum quà armorum viribus satis futuros ad eam Prouinciam contra Gallos tuendam. At primò quidem, nimis hebes ac imprudens fuisset Paulus, si vel ex humani commodi mensione ardentiùs præoptauisset eam ditionem Italico subiectam domino, quàm hæresim funditus euersam. De nullo sanè Pontifice ea suspicio vmquam incidet: & Paulus quidem ipse, qui contra hæresim validissimas copias Cæsari suppeditauit, pro rebus Insubriæ ne vnum quidem militem, vnum teruntium subministrauit. Age porrò: Si Cæsar bello Germanico distrahebatur, num idcircò Mediolanensis ditio ad Italicum Principem deuoluebatur? An Rex Galliæ tam oscitanter languesceret; qui tam acriter, tam ardenter se gesserat, vt obsistentibus illi Caroli V. & Henrici VIII. Angliæ Regis viribus fœderatis, pax aliter confici non potuerit, quàm vel Mediolanensi vel Belgicâ ditione concessâ Carolo Aurelianensi Duci, Francisci filio secundo loco nato, cùm iam extincto Delphino, primi filij iura deuenissent in Henricum Catharinæ Mediceæ matrimonio iunctum? Quod sanè præstandum fuerat, nisi properatum eius Ducis funus promisso Cæsarem absoluisset.

In Pace facta 17. Septembris 1544. vide Iouium in fine suæ Historiæ, aliosque citatos à Spondano eo anno, num. 12.

7 Postremò: Quînam poterat Pontifex suas offerre copias contra Gallos impetum in Italiam facturos, cùm apud se potissimùm statuisset, cunctisque sæpiùs declarasset, velle se inter Christianos Principes medium, & nullarum partium stare; cumque de hoc ipso, quo tempore Cæsar * aderat Romæ, sanctiones confecisset? Habe-

* 24 Aprilis anno 1536.

1536. Habebatur in his, bello inter Cæſarem & Gallum imminente, ſe, quò pacificatoris officio vtiliùs fungeretur, polliceri inter vtriuſque partes medium perſtiturum, neutrius ſecum fœdere accepto, neutri ſeu pecuniæ ſeu militum porrecto auxilio, neutrum etiam in ſacras ditiones recepturum, neutri denique quidquam opis directè vel obliquè collaturum: prætereà quamdiu bellum duraret, ſe in nullum Chriſtianorum Principum arma moturum; ſed ſolùm ſua defenſurum iura, vbi fortè ſuæ ditionis homines obedientiam ſibi debitam detrectarent: adhæc, ſe nulli ex Italiæ Principibus impedimento futurum, ne pro ſe quiſque cùm alterutra parte fœdus iniret. Sex menſes in gratiam Cæſaris cenſuras & Apoſtolici fiſci Iura inhibiturum aduerſum Camertium & Vrbinatium Duces. Poſtremùm ſubſidia neceſſaria Heluetiis Catholicis daturum, ad Religionem ibi fortiter ſuſtinendam. Quod ſi bellum in Turcas, alióſve Chriſtianorum hoſtes mari terráve incidiſſet, pro viribus, expeditioniſque conditione, aurum ac militem ſuppeditaturum.

Cæſar dum Romæ morabatur die 17. Aprilis, ſecundo Paſchatis, 8
& proximo antequam diſcederet, in Aula Pontificia, vbi Senatus haberi ſolet, coram Pontifice iamiam * in Sacello ſacris operaturo, Patribus Purpuratis, ac Aulicorum frequentia, horam integram Hiſpanico ſermone concionem habuit, quâ poſt gratias officioſiſſimè actas Pontifici, ac Patrum Senatui, ob Decretum conuocandi Concilij, acerbè de Rege Galliæ queſtus eſt, ob illata in ſe arma: oſtenſâque ſuæ cauſæ æquitate, & aduerſarij iniquitate, affirmauit poſtremò, futurum opus fuiſſe, quò ſemel Chriſtiana Reſpublica conquieſceret, vel pacem omnino ſtabilem firmari, vel bello dirimi, ſolo vtriuſque illorum diſcrimine, vt ambo pallio, gladio ac pugione ſolùm armati, in conſpectu explicatarum copiarum ſingulare certamen inirent: in ea re ſuum animum Pontifici ſe patefacere, & de Regis animo intra vigeſimum diem velle ſe reddi certiorem.

* Hoc totum perſcriptum ab homine qui rei interfuit, extatque in Archiuio Burgheſiorum.

Reſpondit Pontifex, Sperare ſe fore, vt Diuina Clementia ea mala minimè permitteret, ſed pacem potiùs inter eos concederet; pro 9
qua conficienda nihil ſe diligentiæ curæque prætermiſſurum. Gallorum Regis Orator, qui Romæ degebat, permiſſu Pontificis in medium proceſſit, petiitque à Cæſare, vt quando ipſe Hiſpanicæ linguæ haud erat probe peritus, prolata ab eo verba ſibi ſcripto traderentur, quæ ad ſuum Principem mitteret. Cui Carolus ſubiecit, ſe non ea locutum, quò ad Regem Galliæ perſcriberentur, ſed quò Pontifici ac Vaticanis Patribus cauſæ ſuæ rationem redderet. Quòd ſi Orator expeteret ea cum ſuo Rege communicare, ſciſcitaretur

retur ab Oratore item Gallico, qui apud se erat; Hispanici sermonis satis gnaro, & cui sæpiùs sua sensa explicuerat, quæ huiusmodi erant in summa. Mox Italicis verbis compendio recensuit quæ iam narrauimus: adiecitque, reliqua vel se Regi per literas, vel Pontifici ex scripto significaturum. Postero die duo Gallici Oratores Cæsarem iam discessurum rogarunt, vti declararet, an pridie ipsorum Principem ad singulare certamen prouocasset. Quibus Cæsar respondit: Si eam habuisset mentem, se tam parum reuerenter cum Pontifice vtique non acturum, vt coram ipso quemquam ad certamen prouocaret: solùm pronuntiasse, satius sibi videri, vt singulari ipsorum, quàm communi tot capitum certamine finis bello imponeretur: id Pontifici se iterùm confirmare, cumque solicitare, vt rem totam à Rege pernoscendam curaret. Posteà verò die 5. Maij, Christo in cælum Ascendenti sacrâ, eodem in loco recitata est à Gallico Legato iussu Regis responsio ad Cæsaris concionem, nullo alterutrius partis emolumento, præterquam impotentem animorum perturbationem expromendi. 1536.

10 Digresso Cæsare, diploma confectum, quo Mantuæ Concilium indicebatur 23. Maij * futuri: quod perlectum & comprobatum fuit 29. Maij in Patrum Senatu; additaque Pontificia sanctio, quâ decernebatur, si perseuerante Concilio Romana Sedes vacasset, noui Pontificis eligendi potestatem non penes Concilium, sed penes Cardinalium Collegium futuram. * Deinde in proximo Senatu 2. Iunij promulgatum diploma. Tria in eo spectari affirmabantur; Hæresum excidium, Christianæ Reipublicæ pacem, & Libertatem fidelium regionum, quæ Turcarum tyrannide premebantur. Ad perficiendas diplomatis iussiones, Legati tres ex Purpuratis in * alio Senatu designati, Caracciolus ad Cæsarem, Triuultius ad Regem Galliæ, Quignonius, cui à S. Crucis titulo cognomen erat, ad Regem Romanorum, viri prudentiâ singulari, & Principibus, ad quos destinabantur, accepti. In eodem huius electionis Senatu literæ perlectæ, quibus nuntiabatur, ab Anglorum Rege deprehensam in adulterio Bolenam coniugem suam, quin potius concubinam; eaque propter simul cum fratre, aliisque quatuor nobilibus viris criminis sociis capite plexam. Ita sæpe contingit, vt flagitium sub honoris ac diadematis larua infamiam inferat ac securim.

* Non 27. vt Suauis asserit.

* Extat totum in Actis Consistorialibus.

* 9. Iunij.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI
LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.



VNTII *ad indicendum Concilium per Christianas Nationes delegati. Quæ in Germania Nuntius Vorstius egerit; & quæ vnà cum Oratore Cæsareo acceperit responsa Smalcaldæ à Protestantibus. Obiecta à Duce Mantuano, ne Concilium ibi cogeretur. Eius prolatio. Pontificis sedulitas pro pace inter Coronas. Eiusdem fœdus cum Cæsare ac Venetis contra Turcam. Et indictum Vicentiæ Concilium. Profectio Pontificis Nicæam Prouinciæ, ad duos Reges conciliandos; & Legatorum missio Vicentiam. Censuræ in Anglorum Regem promulgatæ. Noua Concilij, petentibus Principibus, dilatio: & Legatio Cardinalis Aleandri in Germaniam, quà Religionis discordiæ rogatu Cæsaris componerentur. Cæsaris administri cum Protestantibus Œniponti conueniunt, non sine Sedis Apostolicæ detrimento. Adhibitæ à Paulo curæ, ne ea Cæsar haberet rata. Legatio in Hispaniam Farnesij Cardinalis. Cæsaris iter per Galliam ad Gandauenses in obsequium redigendos. Congressus inter Catholicos & Protestantes à Carolo constitutus. Noua Legatio in Belgium ad Cæsarem Ceruini Cardinalis. Conuentus Hanouiæ, & congressus memorati executio VVormatiæ hic interruptus, & posteà solenniter renouatus in Ratisponensi Conuentu, cui Cæsar &*

Conta-

Contarenus Cardinalis Legatus interfuere. Huius Conuentus postulatio de Concilio Oecumenico in Germania habendo; & si hoc fieri nequeat, peculiaris Nationis Synodi. Cæsaris cum Pontifice colloquium Lucæ. Eiusdem ad Algerium infortunium. Initia dissidij inter ipsum & Galliæ Regem. Auxilia à Pontifice suppeditata fœderi Catholicorum, ac bello in Turcas. Ab eodem proponitur Tridentum celebrando Concilio; & in Spirensibus Comitiis comprobatur. Diplomatis promulgatio. 1536.

CAPVT PRIMVM.

Varij Nuntij destinantur, Concilium variis in Regnis indicturi.

1 PONTIFEX quæ per Diploma præceperat perfecturus, decreuit in Senatu [a] varios Nuntios destinare, qui Concilium in Christianorum Prouinciis indicerent iis Principibus qui erant inuitandi, iisque Præsulibus qui conuocandi. Petro Vorstio [b] Belgæ, Episcopo Aquensi quem suprà laudaui, ea cura demandata apud Romanorum Regem, ceterosque Catholicos, & hæreticos Germaniæ Principes. Missus in Poloniam Pamphilus Strasoldus, [c] qui aliâ tempestate Epidauri creatus Episcopus. Ad Iacobum Scotiæ Regem perrexit Dionysius Laurerius Beneuentanus, Seruorum Ordinis Præses Generalis, cuius operâ fuerat vsus [d] Clemens in grauibus Pannoniæ negotiis transigendis, vir præclaræ pietatis ac doctrinæ, qui pro virili supremam sui Ordinis dignitatem respuens, meruit postmodum ad Ecclesiæ supremum Ordinem euehi. Lusitaniam adiuit ad hoc ipsum Hieronymus Capiteferreus Ricinitensis, qui posteà splendidiores ad Legationes missus, & ad publicarum rerum administrationem adhibitus, post decem annos Purpuram adeptus est. Pro Cæsare eiusque in Hispania Regnis datum negotium Ioanni Poggio, ibidem Apostolico Quæstori, qui multos post annos in illius Principis gratiam inter Purpuratos est cooptatus. Regi Galliæ delegatus Rodulphus Pius, Carpensis, Episcopus Fauentinus, ibidem tum id temporis Nuntius, cui * mox in Senatum Vaticanum adlecto Cæsar Nobilis suffectus est. Prætereà id ipsum indictum Italiæ Episcopis per minoris notæ ministros.

[a] 12. Iulij 1536 vt in Actis Consistorial.

[b] Mandata iis Nuntiis tradita, sunt in Volum. Biblioth. Vatic.

[c] 30. Ianuar. 1540. vt in Act. Consist.

[d] Vide Iouium in historia Seruorum, Garibertum & Vghellium.

* 21. Decembris anno 1536.

2 Facili negotio mandata perfecere Strasoldus, Capiteferreus, Poggius, & Laurerius. Huic postremo fuerat iniunctum, vt vbi Pari-

1536. sios adiisset, sibi Francisci Regis operâ publicam fidem conquireret ab Henrico Britanniæ Rege, quà erat traiecturus. Sed contigit vt Parisiis Concilium * indixerit Scotiæ Regi, quò hic se contulerat, vt Magdalenam Francisci filiam sibi sponsam acciperet; quod coniugium, tametsi haud diuturnum ob proximè secutam sponsæ mortem, Angliæ Regi Scoti æmulo suspicionem iniecit, eumque à Rege Gallorum abstractum ad Cæsarem inclinauit.

* 18. Ianuarij an. 1537.

Indicti Concilij denuntiationem solenni ritu excepere tam ipse Scotiæ Rex, quàm memorati Principes, eorumque ditionum Antistites, promptæque voluntatis obsequio Pontifici responderunt. 3
Sed arduum supra cetera Vorstij negotium erat. Mandata igitur huic peculiaria tradita, præter communia reliquis Nuntiis præscripta. Vtrorumque hîc summam subiiciemus. Fuit illi impositum, ne cui priùs per viam Pontificium Diploma traderet, quàm Romanorum Regi: cùm à Capite initium indicendæ Synodi habendum esset.

Vt rem ageret de consilio Bernardi Cardinalis Clesij, qui à sua Ecclesia *Tridentinus* appellabatur. Erat hic Magnus Cancellarius, ac Præses Regij Consilij, atque in Regis tam gratia quàm existimatione supremus, incomparabili Religionis studio ac prudentiâ vir; qui certè, tametsi eam gloriam non obtinuit, vt dum viueret, eius vrbs compendiariam Ecclesiæ Vniuersitatem exceperit, & alter Sinai Christiani Orbis euaserit; satis tamen meretur laudis, quòd eam quasi rem * præsagiens, meliorem in formam redegerit, adeoque exornauerit, vt posteà tanto operi idonea visa fuerit.

* Præter Ciacconum, & Appendicem, Relatio Nicolai à Ponte, Legati Veneti apud Concilium tempore Pij IV.

Curaret, vt Rex ac Principes seu testimonio publico faterentur sibi Concilium indictum, seu idipsum scriberent ad Pontificem. Et quò ampliùs cautum foret, inter familiares suos aliquem haberet cum legitima scribæ potestate, aliosque rei arbitros tamquam testes, qui posteà certam fidem facerent, tam de indicto Concilio, quàm de rebus propositis ac responsis.

Vt singulis Concilium proponeretur iisdem, quantum ad rei summam, verbis.

Vt à Patribus Purpuratis, quippe præcipuis Ecclesiæ Romanæ membris, publica testimonia indicti sibi Concilij non exigeret; sed à cunctis planè reliquis Præsulibus.

Vt acciperet quæcumque scripto ad Pontificem ipsum mutanda traderentur, siue aperta, siue obsignata, ac Romam mitteret: non tamen denuntiationes, seu contestationes legitimas; causatus se Nuntij fungi munere, non scribæ publici nec præconis.

Vt

Vt si quis quidquam obiiceret de Mantua pro Concilij Sede, re- 1536.
sponderet, id à Pontifice statutum ex consensu maximæ partis Germaniæ Principum, Regis Romanorum, ac ipsius Cæsaris, qui ob eam rem Pontifici, ac Vaticanis Senatoribus gratias solenniter egerat. Si quid aduersus hæc cuiquam occurreret, Pontifici per se proponeret, cùm sui non esset muneris, iam decreta in consilium reuocare.

Vt tam ipse, quàm sui cauerent, ne cum hæreticis in disputationem venirent; cùm experimento compertum fuerit, per eam inflammari iram, ac pertinaciam obdurescere: sed ipsis responderetur, cùm iam Synodus immineret, posse pro se vnumquemque ibi quid sentiret expromere.

4 Præter ea quæ dicta sunt, cùm paulò pòst à Pontifice missus esset Ioannes Moronus (tunc Mutinensis Antistes, ac postmodum præclarissimus Purpuratus, & inter præcipuos actores quos nostra Historia in theatrum adducet) vt apud Romanorum Regem Pontificius Nuntius moraretur, mandata pariter ad eamdem rem spectantia detulit; ac speciatim illi iniunctum, vt homines delegaret, qui Episcopis Pannoniæ Concilium indicerent: de qua re meditatè consultum fuerat, quòd illi contumaces in Pontificem essent, eoque intrusi auctoritate Ioannis Scepusij Sacris interdicti, & cum Turca fœderati. Nihilominùs visum est satius, tam præcipuum nationis Christianæ membrum non omittere. Quòd si Romanorum Rex de eo expostularet, perinde quasi Ioannis potestas ita comprobari videretur; daretur responsum, ex duplici causa huiusmodi detrimentum euitari: Primò, quòd sacri Canones disertè docent, ex eo quòd Pontifex alicui tribuat in suorum diplomatum inscriptione Episcopatus alteriúsve dignitatis titulum, non effici, vt eam ille dignitatem adipiscatur, nisi anteà legitimè eam possederit: Secundò, quòd in diplomatis Nuntio traditis, non propria eorum nomina, sed solùm Ecclesiarum tituli apponebantur; ac proinde diplomata singula singulis legitimis Episcopis vniuscuiusque Ecclesiæ, quicumque tandem essent, scripta censebantur. Cùm autem posteà Concilium adirent, ibi tunc expendenda esse cuiusque iura ad singulos dignitatis titulos, adeoque ad ferendum suffragium. Per hanc occasionem haud tacuerim, paulò pòst compositam fuisse pacem inter Ferdinandum & Ioannem, cui ab altero concessa Regis nomen ac possessio illius Pannoniæ partis, quam tunc Ioannes obtinebat; sibi tamen ab Ferdinando successionis iure retento, sed cum ea conditione, vt vbi Ioanni Regi proles vi-

14. Octobris anno 1536.

1536. rilis superesset, in eam transiret hereditas Daciæ; & cum pactione mutua se aduersus Turcam tuendi. Quare Ioannes cum Ecclesia in gratiam rediit: verumtamen haud consensit posteà Ferdinandus, vt ille pro legitimo Rege haberetur, donec contractæ pacificationis promulgationem præstaret, à se flagrantissimè concupitam, & à Ioanne diutiùs retardatam, ex causis quas in Historiæ progressu subiiciemus.

Hoc de Pannonia negotium, vt dictum est, Nuntio apud Ferdinandum degenti datum, non autem Vorstio, ne ab itinere destinato diuerteret. Dedit tamen is operam, vt Episcopis Inferioris Germaniæ, vnde ortum ducebat, Synodus indiceretur, sed non item Mariæ Reginæ, viduæ relictæ à Ludouico Pannonum Rege, sorori Cæsaris, & quæ ipsius loco eas Prouincias administrabat: idque ex eo, quòd ipsi Cæsari, earum Prouinciarum Domino, Concilium indictum fuerat; adeoque solùm oportebat eam rogaret, vti maturè suæ ditionis Episcopos mitteret. 5

Hæc Vorstius mandata pro Catholicis accepit; alia verò pro hæreticis tradita: atque in primis, vt cum Saxoniæ Septemuiro sese gereret ex præscripto consilioque Georgij Ducis, tunc vel maximè Religionis studiosi, geminoque flabello etiam inflammati, duobus scilicet præstantissimis viris quos apud se retinebat, Ioanne Flugio, Scombergij Purpurati consanguineo, qui posteà insignis Antistes Herbipolensis fuit, & Ioanne Cocleo, Lutheri antagonista. Vt eodem pacto consiliis Moguntini Cardinalis plurimum deferret in agendo cum Septemuiro Brandeburgico, illius fratris filio, qui materno, vt narrauimus, impulsu nutare in Religione videbatur. 6

Cum hisce mandatis discessit Vorstius autumno ineunte: & credi vix potest quanto cum plausu Viennæ fuerit exceptus * à Ferdinando Rege cunctisque Catholicis Superioris Inferiorisque Germaniæ, qui & Pontificis studium in astra sustulere, & responsis obsequentissimis voce ac scripto se obtemperaturos, adituro sque Concilium promisere. 7

* Ex pluribus literis Nuntij ad Pontificem, & ad Ambrosium Ricalcatum, qui à Secretis illi erat.

Adeò veritati aduersatur id quod scribit Suauis, visam fuisse cuique mediocris ingenij importunam Concilij promulgationem eâ tempestate, quâ nouum bellum ardebat inter Carolum V. & Franciscum I. in agro Pedemontano, in Gallia Narbonensi, in Franco-Belgica; vt potiùs omnes consenserint re ipsâ conficiendam Synodum, quidquid tandem obstaret, aliter de Germania actum foret. At malitiæ est, quò magis adspectabilis eò magis cæcæ, ab eodem planè scriptore, qui pluribus in locis & paucas ante

paginas

paginas narrauerat, inustâ excusationis coloratâ notâ, causas quæ 1536.
Clementem permouerant vt abstineret ab indicendo Concilio vsque ad pacificationem inter duos Principes, nunc Paulum vituperari, quòd ante pacificationem indixerit: qua in re consilium Pontificis fuit, in conspectu Christianæ Reipublicæ, Sedis Apostolicæ moram purgare. Num ipse per otium ac voluptatem spectabat discordiam, quò vel denuntiatio Concilij foret irrita, vel in promptu esset honesta species dissoluendi prout liberet Concilij, atque interim illud milite muniendi, vt Suauis comminiscitur? Varias equidem literas hîc proferrem Triultij Cardinalis, atque Legati in Gallia, & Guidiccioni in Hispania Nuntij, cui ea cura delata, postquam Caracciolus Legatus à Cæsare ad Insubriæ Præfecturam missus est; ex quibus apparet indefessa solertia ac diligentia iussu Pontificis impensa, vt pacificatio impetraretur, nisi luculentissimæ huiusce rei testificatio cunctorum auribus insonuisset, à Triultio * habita Gallorum Regis impulsu coram Principum Oratoribus, qui huiusmodi Consiliis intererant. 1537.

* Extat in scriptuis Burghesiorum.

Ad Vorstium reuertamur. Præter procliues Catholicorum animos in Concilium, haud iniquè affectum nactus est Georgium Brandeburgicum, qui tamen humana Diuinis antehabebat. Vnde apud Nuntium Vergerium mutatam à se Religionem excusarat, quò suis populis gratificaretur: sed inter humana ita priuatis studebat, vt publica nequaquam negligeret; adeoque impensiùs præoptabat concordem nationem suam, quàm liberam ab omni suprema potestate factionem suam. Propensiorem etiam ad hæc Norimbergensem Senatum comperio: nolebant tamen hi quidquam polliceri, nisi auditâ priùs sanctione Cœtus Smalcaldici, hoc est, Lutheranorum Areopagi. E diuerso tantumdem offendit peruicaciæ in reliquis illarum partium Principibus, nimirum in Septemuiro Saxoniæ, & Hassiæ Lantgrauio. Ille quidem publicam Nuntio concessit fidem immunitatis per suas ditiones, [a] non tamen secum colloquium, allatâ per [b] literas excusatione; Cùm acturus esset Nuntius, quantum audierat, de rebus ad omnes Smalcaldæ fœderatos spectantibus, haud futurum sibi consentaneum fuisse, certam illis inconsultis responsionem ipsi reddere: Proinde eum hortari, vt illuc se conferret, vbi mox omnes ad deliberandum erant adfuturi: Polliceri postremò, nihil se prætermissurum, quà priuatis quà publicis officiis, quod in Dei & Euangelij gloriam esset futurum. Anceps tunc animo nutauit Nuntius, an eò iturus esset, cùm de hoc mandata Pontificis nihil dicerent, consuluitque Mogun-

a Vorstius ad Recalcatû 14. Martij 1537.

b 2. Februarij an. 1537.

1537. Moguntinum; qui haud dubitanter eundum suasit; adiecitque, nisi iret, ipsius nimiæ seueritati vertendum quidquid infra votum accidisset; adeoque minùs esse reprehendendum, alicui hæreticorum inurbanitati se exponere, & alicui apud Aulam obtrectationi ex leui dignitatis dispendio, quàm apud omnes Christianos infamiæ, ex præpedita Ecclesiæ concordia ob dignitatis obseruantiam inflexibilem: præsertim cùm ibi quoque intersuturus esset Matthias Heltius, Cæsaris Procancellarius, ab eo missus cum præualidis mandatis ad assensum à Lutheranis eliciendum. Quod prosperi successus spem faciebat, à quo semper rei gestæ oritur commendatio; atque vtcumque res cederet, commune illi cum Cæsare periculum repulsæ futurum; ac proinde eius ignominiæ, quæcumque tandem foret (quippe cum tanto Principe diuisæ) tum grauitatem tum exprobrationem diminutum iri. Mense igitur Februario anni 1537. perrexit Vorstius Smalcaldam, oppidum modicum quidem, sed munitum, montibusque circumseptum, ad finem celebris Herciniæ syluæ situm, adeoque parem tot belluarum conuentui sedem; cùm eo, præter multos Principes, Protestantiumque Ciuitatum delegatos, confluxissent tunc illius sectæ antesignani, Lutherus, Melanchthon, Pomeranus, Bucerus, Vrbanus Regius, aliique complures, tametsi minoris famæ, non minoris quidem impietatis. Nuntius verò, & Cæsaris Orator eodem ibi hospitio suscepti.

CAPVT II.

Quid Smalcaldæ Vorstius & Heltius egerint; & quid ab illorum Cœtu responsum.

Olicitè Nuntius dedit operam, vt Saxonem alloqueretur: sed 1
is eodem prætextu, quo anteà suis in ditionibus, hîc etiam colloquium recusauit: causatus rem, quantum ipse censebat, communem esse Cœtui vniuerso; proinde magis esse consentaneum, vt ad illum iunctim referretur. Obiecit Vorstius, data sibi esse mandata, nuntiosque peculiares à Pontifice ad Septemuirum, aliosque ex Principibus, non item ad Conuentum vniuersum; adeoque ipsis seorsim esse reddendos. Ita demum admissus coram Ducis consilio, duo Pontificis diplomata tradidit; alterum tamquam Septemuiro, alterum tamquam Principi Saxonici circuli, futurumque Concilium indixit. Assurgens Saxo, ac subridens accepit diplomata; atque vt erant obsignata, super mensa reposuit, posteà cum iisdem Consiliariis secessit: pauloque pòst per eosdem

se

se apud Nuntium excusauit, ad consueta vrbanitatis officia se non redire, quòd acciretur ad Conuentum ob maximi ponderis negotia; significauitque se breuì responsa redditurum. 1537.

Duriùs se gessit Lantgrauius illius Consilij Vlysses, quocumque priuato cum Vorstio sermone pertinaciter recusato. Verùm hi ambo Principes paucos post annos experimento didicerunt, eos, qui promptiores audentioresque præcurrunt ad inuadendam arcem, sub eius mœnibus mortem oppetere, tametsi postmodum arx capiatur.

2 Interim Heltius, quæ iniuncta sibi fuerant, ardenter exposuit: Promissum à Cæsare Concilium ad opus deduci; nec amplius spem ostentari, sed rem ipsam proferri: Indictum iam esse certo ac propinquo tempore, absque vlla rerum agendarum exceptione, absque conditionum laqueis, in vrbe penè Germaniæ finitima, à Principe Imperij cliente possessa: Hispaniam, Galliam, Poloniam, Italiam, & ferè omnes Germaniæ Principes illi consentire: A Protestantibus neque prudentiam neque studium Religionis supra ceteros Christiani nominis sibi arroganda: Egisse Cæsarem per se cum Pontifice; illudque testari, ne vmbram quidem suspicionis exploratâ illius mente deprehendi: Proinde eos hortari, vt & Concilium excipiant, & eidem intersint pro Christi gloria, cuius mysticum Corpus dissidiis laceratum deplorabatur; pro salute propria, sese inuicem communientes aduersus communem hostem Mahometanum, qui & atrociùs & propiùs minabatur illis Christiani Orbis Prouinciis; pro quiete Patriæ, quæ ob noua Religionis discrimina, ex ouili gregis charitate coalescentis, ferarum saltus euaserat inter se præliantium.

Hisce suasionibus * nonnulli Principum, Legatorumque Ciuitatum flectebantur; qui tamen propterea decreto mox exponendo nimimè subscripsere, sicuti contendebat Cæsaris Legatus à singulis præstandum, ad legitimam decreti formam; sed solùm duo memorati Principes communi nomine subscripsere. Horum seditioso consilio adhæsit pars Cœtus, seu numero seu viribus potior, ducta pleni dominatus ambitione, alij vt in populis, alij vt in literis regnarent: ita *quærentes solum*, vt de quibusdam scripsit Tertullianus, *in Capitolio Cælum*.

* Literæ Vorstij arcanis notis ad Recalcatum 13. Martij.

3 Idem itaque Heltio responderunt festo S. Mathiæ die, quod anno superiore Vergerio responderant: addentes, sibi Ducem Mantuæ haud satis notum: scire quidem, eius fratrem Romæ esse inter præcipuos Pontificis Senatores; ac proinde illius fidei sese committere nequaquam posse. Perinde ac si huiusmodi Princeps, quædam

1537. esset icuncula Belgica, quæ nisi è proximo inspiciatur, obtutum latet; neque potiùs ingens Colossus e longinquo spectabilis; & quasi par vinculum foret cum Pontifice ob fratris minoris natu Purpuram, ac cum Cæsare ob totius Principatus clientelam; cùm sæpè contingat, eos Principes nullâ fraternæ Purpuræ habitâ ratione à Pontifice dissidere, & cum eo etiam bellum gerere. Quod & mox patuit per eamdem occasionem, Mantuano Duce suam vrbem Pontifici denegante, quam pro sede Concilij postulauerat, non sine graui illius indignatione, vti paulò pòst narrabitur. Quin ea ipsa clientelæ ratio, quâ Mantuanus à Germania pendebat, nationes alias adeò retardabat, vt in mandatis vtriusque Nuntij ad Ferdinandum Regem disertè appositum sit, præter fidei publicæ tabulas petendum à Cæsare, vt Mantuanus, dum adesset ibi Concilium, clientelæ legibus solueretur: quamquam id posteà deletum, ne grauior inde suspicio Germaniam inuaderet, quæ pars vti morbo laborans, delicatiùs vtique tractanda erat.

Addebant secundò, in Concilio opus fore suorum Ministrorum, Concionatorum, ac Theologorum præsentiâ; quod aiebant non mediocri detrimento futurum fuisse illis Ecclesiis, vbi extra Germaniam coiret Concilium. Atqui hæc ratio confecisset, nullam ex nationibus consensuram, vt Concilium in alieno solo celebraretur; quin etiam in ipsa Germania, Galliam simul & Italiam magnitudine superante, vnamquamque Prouinciam meritò repugnaturam Concilio in alia Prouincia cogendo, cùm ex ipsis altera ab altera magis distet, quàm earum complures distent Mantuâ. 4

Tertio loco reluctabantur Concilio, quòd in eo Præsules constituerentur iudices, iureiurando Pontificis obedientiæ obstricti. At ex ea causa multò magis oportuisset eorum Ministros à Concilio excludi, qui tamquam oracula se interfuturos arbitrabantur, Lutherum inquam, Bucerum, aliosque ex religiosis familiis, qui solemni voto strictiùs professi fuerant obedientiam suis moderatoribus, constitutis ac pendentibus à sola Pontificis auctoritate. Quemadmodum igitur ipsi huiusmodi votum pro irrito habebant, ac pro vinculo iniquitatis, adeoque ipsum securè perfringebant; ita vbi Episcopis in Concilio contigisset, habitum ab ipsis iusiurandum irritum ac iniquum videri, illud pariter contempturos. Præterea huiusmodi ratiocinatio remouisset à Concilio non modò cunctos Ecclesiæ Antistites, adeoque eos omnes qui vnicè iudiciariam iurisdictionem exercuerunt in Conciliis Oecumenicis, seu recentibus seu vetustis, ducto initio à Nicæno; sed etiam Regulares, aliosque plures, 5

plures,

plures, qui gradus alicuius insignia suscipientes, professi sunt subie- 1537.
ctionem Pontifici tam in agendo quàm in docendo, seque ad Fidem Romanam defendendam obstrinxere. Quid verò? Horum omnium loco laici ad ferendum suffragium admittantur? At allata ratio prohibebit à Concilio Cæsarem, qui in sua inauguratione solemni sanctè pariter pollicetur, se Apostolicæ Sedi obsecuturum; & cum eo reliqui Catholici Reges, qui vel dum Coronam suscipiunt, eadem solemniter profitentur, vel per Oratores suos solemni etiam ritu promittunt Pontifici, se illi in Religionis negotiis obtemperaturos, eumque vti Christi Vicarium habituros: quare paulatim concludetur, Concilium non esse conflandum, nisi vel ex Græculis schismaticis, vel ex fece multitudinis, vilitate ignorantiâque aspernabilis.

6 Postremò nauiter obiectabant, se à Pontifice tamquam hæreticos per diploma proscriptos, ac proinde & illum & alios, qui ab eo penderent, sibi iudices nolle. Sed facilè intelligebatur, per ea obiecta magis peti Cæsarem, Reges Galliæ ac Poloniæ, ipsumque Britanniæ Regem, quàm Paulum III. Hi enim iidem planè erant, qui per sua edicta seuerissimas pœnas contorserant in Lutheranos, tamquam in hæreticos; quod potissimùm egerant Carolus, aliique Germaniæ Principes, postquam eos Wormatiæ & Augustæ publicè audiuerant. At contrà Paulus III. per obliquam enuntiationem, quæ in iudicio haud satis probat, hæreticos nominauerat. Vnde si quid roboris obtinebat ea ratio, potuissent æquiùs vti suspectos repudiare eos Principes, omnesque illis subiectos, & Synodum poscere ad solum Conuentum Smalcaldicum redactam. At sicuti omnes semel Catholici extiterant, ac postea veritate (vt aiebant) compulsi, ad eam Fidem impugnandam progressi fuerant; ita potuissent confidere, Pontificem, vel certè Episcopos, aliosque illarum partium, idem effecturos, vbi eadem illis veritas affulsisset.

7 Varia hisce responsionibus opposuit Heltius, absque alio relato emolumento, quam nouarum acerbiorumque accusationum in Romanum Pontificatum. Denique prima responsa illi reddita, Vorstio quoque a Cœtu fuerunt communicata; cui posteà Septemuir Saxonicus Pontificia diplomata reddi iussit, adhuc vt acceperat obsignata, ne vel ad vrbanum responsum, vel ad inurbanum silentium cogeretur. Cum Heltio etiam in alio concertatum: nam animosiores, non quietiores facti, vt vsuuenit, ex indulgentia Cæsaris Norimbergæ per ipsos extorta, contenderunt, ad eos pariter qui posteà transfugerant, illam extendendam; etsi sancitum pactis erat,

1537. ne quid interim noui vtrimque tentaretur. Prauum adeò consilium est, nimiùm subditis indulgere, quò illis fiat satis, vbi creditur indulgentia non ab amore, sed à timore suborta.

CAPVT III.

Mantuani Ducis obstacula, ne Concilium Mantuæ cogeretur.

Hic rei exitus, qui minùs fortunatus Apostolicæ Sedi visus est, re verà conducibilis fuit; cùm haud sane dubium sit, si Protestantes Mantuano Concilio consensissent, obicem enatum ne ibi celebraretur, ab ipsis Pontificiæ fraudi adscriptum iri, sinistram de eo per vniuersam Germaniam opinionem excitantibus. Dum igitur Vorstius aliique Nuntij promulgandæ Synodo dabant operam, * Pontifex Frederico Mantuæ Duci diplomate significauit; Quamquam existimaret illi iam esse comperta, quæ de conuocando Mantuæ Concilio decreta fuerant; tamen velle se in præsentia de iisdem eum reddere certiorem. Pergebat; Ex eo palàm fieri quantum & Pontifex, & Ecclesia vniuersa fiduciæ in eo reponerent, dum alter eius manibus sese crederet, altera in eius vrbe coalesceret: Postremò, ipsum rogare, vt cuncta opportunè pararet, quibus præscripto die tutò ac commodè hospites tam frequentes, tam nobiles exciperentur. Respondit Mantuanus; * Anteà eius rei solùm famam sibi delatam, de qua nunc Pontificio diplomate certior reddebatur; quod, quantum arbitror, ille scripsit, non quòd promulgatum Concilij diploma quidquam amplius quàm mera fama non esset, sed quò significaret, debuisse prius quàm res promulgaretur, id officij secum impendi; quamquam reuerà Pontifex * ab initio sanctionem illam aperuerat Cardinali Mantuano Ducis fratri, à quo grates illi actæ; præterquam quòd rem vnà cum Cæsare constituerat, supremo Mantuæ Domino, & cui exploratam addictamque illius Principis voluntatem sibi persuadebat. De reliquo iis literis Dux obstrictum beneficio animum, & voluptate gestientem præ se tulit, adiecto etiam subscriptioni *Mancipij Pontificij* titulo, promissoque quod in se esset, rerum omnium quæ opus erant apparatu. 1

* 15. Februarij anno 1537.

* 14. Februarij anno 1537.

* Mandata Pontificis Nuntio apud Cæsarem, & Regem Romanorum, 1537.

At minimè verum est, quod illi Suauis appingit, eum inconsultè primùm concessisse Pontifici (nisi tacitè, sicuti diximus) se Mantuæ Concilium excepturum; posteà verò re consultiùs inspectâ, cœpisse opportuna cautè præsidia postulare. Quin iisdem literis ille Pontifici significauit, quemadmodum omni solicitudine prospe- 2

ctturum

ctûrum ſe & hoſpitiorum commoditati, & annonæ vbertati; ita dolere, non ſatis ſibi virium ſuppetere, quibus poſſet de ſuo, ſanctiſſimi Capitis, ac tot præclariſſimorum hoſpitum ſecuritati conſulere. Adeoque Pontificem enixè rogare, vt eò quamprimum hominem mitteret, quicum inſpecto loco ſtatui poſſent, quæ ad rem opportuna viderentur. 1537.

3 Ducis literas æqui boniq́ue feciſſe viſus eſt Paulus, eiq́ue dono miſit Roſam auream, à ſe paulò antè conſecratam [a] quarto ſacri Ieiunij die Dominico, per hominem, qui ſibi erat à Cubiculo, Ducique ipſi ſubditus; [b] & cui mandata tradiderat de rerum apparatu, prout poſtulauerat Fredericus. Quod verò ad extremam reſponſionis partem adiecerat Mantuanus, oſtendit ſe credere eam ad verba diplomatis referri, quibus ab eo poſcebatur, vt Concilij ſecuritati conſuleret. Ac illi reſcripſit, [c] Ne ſolicitudine afficeretur ob ea quæ præcedentibus literis indicauerat; ſiquidem non aliâ ratione tutam ibi Sedem quæſierat, niſi vrbe prudenter ordinatâ, nequis in tanta nationum frequentia tumultus ſuboriretur, vti fuſiùs Cardinali eius fratri explicauerat. Verùm ab memorato Cardinali cognouit, reipsâ præſidium Pontificis ſumptibus conductum à Duce poſtulari, quod inprimis hoſpites, ſecundò ſeipſum communiret; cùm abs re videretur, tot eximia Capita domi ſuæ excipere, obiecta iniuriis ac petulantiæ tam immenſæ nationum varietatis, ignotarum, ferocium, diuerſiſq́ue ſtudiis & cupiditatibus æſtuantium, quæ ſimul eò conuenirent; multoq́ue minùs, ſi ſe ſuamq́ue vrbem huiuſmodi periculis ſubiiceret.

[a] In Diariis Blaſij Cæſenatis 21. Martij anno 1537. in Biblioth. Barbarinorum.

[b] Difficultates obiectæ ſuper Concilio Mantuæ celebrando, continentur in libro ex iis qui membranâ colliguntur, cui titulus, *Varia*, in Archiu. Vaticano.

[c] 21. Martij ann. 1537.

4 E contrario contendebat Pontifex, Concilium haud ex armatis conflandum; præſertim vbi nullum apparebat indicium, eò Principes vllos conuenturos præter ipſum Pontificem, qui aliud ibi præſidium, aliud tutamen nolebat, niſi fidem ac beneuolentiam Ducis, in cuius manibus pleniſſimâ ſe fiduciâ collocabat. Adeoque non alios ibi hoſpites futuros, quàm vel Eccleſiaſticos, vel certè Togatos, a quibus nec iniuriæ, nec violentiæ timor; & ad quos cohibendos ſatis erant conſueta vrbis præſidia, Duciſq́ue cuſtodiæ; adiectis, ſi quid accideret, tot nobilium Mantuanorum auxiliis, qui ſtatim inermem imbellemque turbam coërcuiſſent: & exempla peti ab anteactis Conciliis, ac potiſſimum è recenti Conſtantienſi; quod tametſi multitudine numeroſum, militum præſidia numquam adhibuit; & tamen ibi Summi Pontifices & abdicati & creari, tum verò hæreſis auctores multis aſſeclis factioſi in flammas coniecti; at propterea ne parua quidem ſcintilla ſeditionis emicuit. Hæc ſenſa

1537. [a] 12. & 15. Martij anno 1537. [b] 24. Martij, & extant in Actis Consistorial.

Duci à Cardinali perscripta, [a] & à Cæsaris Oratoribus, quippe sui Principis votorum satis gnaris, efficaciter coràm proposita. At Ducem minimè permouêre: quin per prolixas literas obstitit, [b] in Senatu Vaticano recitatas; per quas suam sententiam propugnabat his præsertim rationibus: Interfuturos Concilio multorum Principum Oratores, multos Purpuratos ac Proceres, quibus Aulicorum, qui ferre arma possent, comitatus denegandus non erat: Mantuæ arcem non esse, quæ militari robore ac tormentorum fulminibus turbam coërceret, sed ipsam vrbem sibi arcem esse contra impetum exterorum. Haud videri consentaneum rationi, Mantuanam nobilitatem, assuetam domesticis curis tranquillè occupari, inquietam, & quasi vrbanis excubiis custodiisque tamdiu mancipatam haberi: Superiorum ætatum exempla præsenti non congruere, in qua tanta animorum perturbatio cernebatur: Constantiam Mantuæ perperàm æquiparari; ibi enim liberam esse Rempublicam, adeoque eius ciues in tuenda, quandocumque res posceret libertate, semetipsos tueri, neque communem salutem ab vnius capite pendere, indigentis idcircò peculiari præsidio, sicut indigebat Mantua, vbi vnicus Princeps dominabatur. Et quoniam neque Pontifex, neque Pontificis Senatus illis literis acquieuere; ac plura Duci argumenta ex aduerso proposita à Recalcato, qui erat ab Epistolis Pontifici, studuit ipse in eorum animis eam persuasionem æquitatis imprimere, quam suis inesse postulatis existimabat (viuâ internuntij voce) notam auersatus seu minùs vrbani erga preces Pontificis, seu minùs studiosi erga Christi gloriam, & Christianæ Reipublicæ emolumentum.

* Qui Romam peruenit 15. Aprilis 1537.

Ad id Romam legauit hominem cognomento * Abbatinum, plurimis instructum rationibus, quibus persuadere niteretur postulati præsidij necessitatem. Rei summa erat, vt Pontifex ære suo centum quinquaginta pedites conduceret pro vrbis custodia contra motus vrbanos, & centum equites ad excurrendum agrum, quò tuta esset exteris via; sibi quoque liceret de suo militum numerum augere, si visum foret. Sed Pontifex & sacrum Collegium conditionibus dissenserunt, non tam ob sumptus (quod posteà in prorogati Concilij diplomate appositum est) quantumuis graues, eâ tempestate supra morem impendiosâ Pontifici, quâ vtraque Italiæ ora ipsi erat munienda aduersus Turcicam classem; quàm ne vel suspicio vel color obtenderetur hæreticis aduersus Concilium, quasi non liberum, neque tutum, sed vi obnoxium, ac militari terrori. 5

Hæc fuit vnica inter Pontificem ac Mantuanum dissensio, vt li- 6

quet

quet ex citatis vtriusque literis, quæ extant inter legitima monumenta, & in mandatis Abbatino traditis. Quapropter ignoro, quo pacto Suauis, præter leuiores lapsus, quibus eius confusa de hac re narratio sæpiusculè peccat, tamquam secundum obicem Synodi confinxerit firmam Pontificis voluntatem, quâ præsidium illud militum à sua Synodique auctoritate pendentium postulabat: contrà verò, à Mantuano peti milites ipsi obtemperantes, quippe qui iurisdictionem in Ecclesiasticos sibi arrogabat Concilio interfuturos; cui oppositum à Pontifice, non Ecclesiasticos modò, sed vel ipsam Sacerdotis concubinam ex vnanimi Doctorum sententia eximi profano foro. Quod inuerecundum dictum, à calamo nescio cuius imprudentis Leguleij profectum, nulli ex Iurisconsultis melioris notæ probatur, nisi fortè explicetur, eam concubinam in foro etiam Ecclesiastico pro delicto suo posse puniri: nec à * Romanis Tribunalibus accipitur, quæ neque fori immunitatem omnibus Clericorum famulis generatim concedunt: satis per se quisque intelligit, quantâ verisimilitudine id voci huiusmodi Pontificis affingatur, qui vt exemplar prudentiæ viuit in memoria posterorum. Quo pacto autem poterat Mantuanus eam sibi arripere iurisdictionem in Concilij Ecclesiasticos, si eam in suæ ditionis Clericos sibi neutiquam adscribebat? Si nec recenter in re simili sibi arrogarant Dux Ferrariæ, Florentinorum Respublica, & ipse Mantuanus Marchio, qui eum præcesserat in Concilio Mantuæ, vbi Pius II. aderat, celebrato? At noster Suauis primum illud ac præcipuum mandatum seruat, vt aliis faciat quod sibi vult; vnde cùm ipse identidem incondita & contumeliosa in Ecclesiam sensa depromat, iisdem aliorum ora per eximiam charitatem opplet.

1537.

* Videatur Fagnanus Cap. Nullus, à num. 25. vsque ad 33. de foro compet.

CAPVT IV.

Concilij prorogatio. Legatio Cardinalis Poli. Pacis inter duos Reges agitatio.

1 Pontifex frustratus spe Concilij Mantuæ cogendi, in angustiis hæsit. Hinc eius celebrationem cupiebat, ne videretur vota Germaniæ verborum inanitate lactasse, eamque ad peculiarem nationis Synodum adigeret, tam sibi infensam, ac periculi plenam: hinc nolebat illud extra Italiam celebrari; in Italia verò ditiones Cæsaris recusabat tamquam Gallis suspectas, tunc præsertim, cum inter duos Principes, si vmquam acriter, bellum atque iræ feruebant. Quare vrbes aptæ tutæque Concilio, non nisi vel in Veneta,

1537. neta, vel in Pontificia ditione censebantur; sed alteras impetraturum se diffidebat, ob summam illius Reipublicæ circumspectionem; alteræ non modò à Protestantibus repellebantur, sed ipsa repulsa honesto quodam velo prætexebatur. Itaque * quinto post aduentum Abbatini die, accitis in arcanum Senatus consessum Principum Oratoribus exposuit, vt confestim ad suos quisque Principes referrent, velle se Concilij conuocationem protrahere vsque ad initium Nouembris futuri, nullo designato nominatim loco, sed generatim aliquâ ex Italiæ vrbibus. Inde 20. Maij diploma vulgauit, quo rei peractæ ratio reddebatur, reiectâ in Mantuanum culpâ, qui tot menses ne indicium quidem huiusce suæ voluntatis protulisset, quæ consuetudini priorum Conciliorum, & opportunitati præsentis temporis aduersabatur: huiusque dilationis notitiam solicitè perferendam curauit in regiones longinquas, ne Præsules & Oratores frustrà iter arriperent.

* 20 Aprilis 1537 vt in Actis Consist.

Posteà per suos Nuntios in Hispania Cæsarem, in Germania Regem Romanorum certiores fecit; Quando nulla iam spes erat reliqua Protestantes adducendi ad Concilium, vt eâ postremâ Smalcaldicâ responsione constabat, solumque cogendum erat, vt Catholici confirmarentur, eisque satisfieret, sublatam videri omnem de Italia difficultatem. In ea verò in primis proponi vrbes Venetæ dominationis, quippe nemini suspectas, & situs amplitudine, rerum affluentiâ, cæli temperie, Germaniæ propinquitate opportunas, quales forent Patauium, Verona, Vicentia. Quod si Veneto Senatui, multa cautiùs de more consulenti, eas concedere non placeret, offerre se eorum prudentiæ considerandas nonnullas in Ecclesiastica ditione, nimirum, Bononiam ac Placentiam, ambas ei negotio peragendo commodas, & biduo tantùm plùs quàm Mantua distantes à Germania, nec iis suspectas, qui aduenturi sperabantur. Atque vt omnem diffidentiæ vmbram amoueret, pollicebatur, illius vrbis regimen à se abrogatum Concilio se commissurum, quousque perduraret. Duo prætereà vt obseruarent, Nuntios monuit. Alterum, vt de loco eligendo, quasi sponte sua loquerentur; ne Pontifex, dum Principum mentem exquirit, eam posteà tamquam legem sequi cogeretur. Alterum, si fortè iidem Principes Mantuam in deliberationem reuocarent, id omnino reiicerent. Etenim Rex Galliæ, cùm sui ad id assensus eum pœniteret, quem Pontifex tacitè sagaciterque elicuerat, nunc verò ex reuocatione indicti Mantuæ Concilij animaduerteret, se pristinæ libertati redditum, negabat se suos legaturum in vrbem aduersarij beneficiariam. 2

ciariam. Quin reuerà Episcopo Fauentino * Gallus affirmarat, tempus sibi idoneum non videri ad Concilium Ecclesiæ proficiens conuocandum, cùm Oecumenicum esse non posset, dum primaria illius Capita bello inter se concertarent; adeoque ipsorum neque consilia neque subditi conuenire possent: quamobrem ipsum, quò viam sterneret tam salutari negotio, promptum fuisse ad componendam cum suo incommodo pacem; eam tamen ab aduersario repudiatam, vt Pontifici compertum erat. 1537.

* Literæ Episcopi Fauentini, ex Valentia ad Rhodanum 15. Septembris 1537. ad Cardinalem Farnesium.

3 Romanorum Rex, laudato ob Concilij prorogationem Pontifice, quòd nec Hispaniæ, neque Galliæ Episcopi præstò essent, percontatus est Nuntium, in eum fortè sermonem incidens, Quousque pacis negotium, agitatum à Pontifice, progressum esset, quæ sanè facilem Concilio aditum aperiret; & in reliquis * deliberandi spatium petiit tantisper dum diploma Pontificium acciperet. Acerbè ille de Paulo conquestus erat, quòd neutrò inclinaret, dum, vt aiebat, Rex Galliæ Lutheranos ad Pontificatus perniciem tutabatur, Turcasque ad Christianorum excidium concitabat: at ex diuerso Austriaci neruis omnibus contendebant, vt alteros frenarent, alteros opprimerent: & tamen indulsisse postremò Pontificem Regi Galliæ duas Decimas, an vt per Christi patrimonium Hariadeni classis aleretur? Id esse in causa, cur Gallus honestas conditiones sibi à Cæsare oblatas recusaret. At priuato sui sanguinis commodo detineri Pontificem, ne palàm profiteretur quod suæ dignitatis celsitudo, commissique gregis vtilitas postulabant. Quare per eam occasionem, vbi diploma prorogationis Ferdinandus accepit, dixit, Hinc Germanos veritatis indociles nec Pontifici nec sibi fidem habituros; hinc verò nullum sibi videri locum Concilio celebrando opportunum bello strepente, nisi Pontifex, vt Christi Vicarius illi palam adhæreret parti, quæ Christo militabat: eo enim pacto facile repertum iri Concilio locum Germanis acceptum in Cæsaris Vrbibus, cuiusmodi foret Tridentum: nec esse desperandum, eò demum Lutheranos accessuros, vt etiam Bohemi Basileam conuenere, vbi coactam ibi Synodum aspexerunt. Blandè Nuntius vtrique expostulationi respondit. Quod spectabat ad habitam sanguinis rationem, nemini meliùs quàm Ferdinando innotescere, Pontificem, dum neutri adhærebat, priuatis familiæ suæ rationibus obstitisse; cùm ipsi magis quàm reliquis essent exploratæ conditiones amplissimæ, quas ipsi Cæsar eius frater obtulerat, vt eum sibi coniungeret: Regem Galliæ modicum adeò Christiani corporis membrum non esse, vt spernendum foret; neque tam perditum, de quo despe-

* Literæ Nuntij ad Recalcatum 9. Aprilis 1537.

1537. randum. Et sanè miserrima in hoc Pontificum conditio est, vt quidquid ab ipsis agatur, is Principum, cui id non prodest, adscribat sanguinis commodo, quò illos vel accusationis timore ad se pertrahat, vel infamiæ inustâ notâ vlciscatur.

Reuerà Pontifex in Catholicis pacificandis, hæreticisque reconciliandis strenuè desudabat. Idcircò ineunte anno, ad Angliæ motus componendos legauerat Reginaldum Polum, Regio ex matre sanguine ortum, & heroïcâ virtute conspicuum. Hic Henrici schismati consensu constanter negato, Patauium secesserat, priuatamque ibi vitam agebat in literarum studiis, pecuniâ ille quidem inops, sed doctrinâ opulentus. Eum deinde Pontifex ex ea vmbra paucos ante menses ad Purpuræ splendorem inopinatò eduxerat; & pro temporum conditione ministrum idoneum putauit ad duo quæ peroptabat. Primum, ac præ altero expetitum erat, vt Henrici animum alliceret, cùm in eo odia, tum ex veræ, tum ex illegitimæ vxoris causa concepta, vtrâque iam demortuâ, languescerent; & vel ex postremis illius edictis se Lutheranorum hostem profiteretur. Secundum, vt vbi priora vota non procederent, illius Regni Catholicos pro virili confirmaret. 4

Additus Polo Comes Ioannes Matthæus Gibertus, Veronensis Episcopus, aliàs à nobis memoratus. Erat ille animo Polo simillimus; & hæc inita ab ingenio priùs, quàm secum ageret, amicitia, posteà fortiùs coaluit ex consuetudine per eos annos, quibus Patauij & in finitimis vrbibus habuit Polus literatum secessum. Conspirabant ad id in Giberto summa politicarum rerum peritia, animique propensio, quam sub antecedente Pontifice semper præ se tulerat, * in Galliæ ac Britanniæ Reges, quibuscum agendum tunc erat, & cui tamquam de re sibi perspecta vterque Rex & studiosè gratias egerat, & eximia dona obtulerat, quamquam ab eo generosè repudiata. 5

* In Literis Giberti ad Recalcatum Ambiano 10. Aprilis an. 1537.

Aderat tunc Rex Galliæ Franciscus in Belgio, victoriis fortunatus. Etenim Galliâ infeliciter à Cæsare armis tentatâ, vt accidit plerumque iis bellis, quibus hostis validus ac subditis carus domi appetitur; Rex plenum impetum formidabilis Gallorum militiæ in Belgium impulerat, & Hesdinum, aliasque magni nominis arces occupauerat, cùm ibi libentiùs quàm in Italia Gallica nobilitas bellum gereret, propterea quòd in bello Belgico rem sibi suam recuperare videbatur, abscissumque quasi brachium Galliæ rursus adnectere; contrà verò spectabant iidem Italiam tamquam exteram regionem, in qua dominium negligebant, quòd ibi domicilium 6

lium non amabant: adeoque dicere soliti, * Se promptiùs petituros Belgium ad mortem, quàm Italiam ad victoriam. Prospero itaque Marte, accensisque suorum studiis pugnabat Rex contra hostem aduerso iam prælio debilitatum, distractumque ad muniendam Italiæ oram, cui formidabilis classis Turcica minabatur. In his Galliæ Rex versabatur, cùm illi Polus a Pontifice destinatus est, acceptis mandatis, vt cum ipso ageret, seduloque studeret eum ad pacem flectere, vel eius consilia operamque ad res Britannicas ab illo impetraret. * Sed quamquam Polus fuisset ad ea designatus Oratore Gallico comprobante, idque è Regis voluntate esse affirmante; quamquam etiam in itinere perhonorifice fuisset in Gallia exceptus, vbi tamen Parisios peruenit, per nobilem internuntium vetitus est Hesdinum ad Regem accedere, quin etiam in ipsius terris commorari; tametsi denuntiationis amarities quàm dulcissimo verborum lenocinio aspergeretur.

1537.
* Giberti Literæ infrà citandæ.
* Literæ Poli ad Carpensem Camerato, 16. Aprilis 1537.

7 Huius rei causa fuit, quòd Henricus, post libidinis ardores, irarum, ambitionis & auaritiæ flammis exæstuans, in Sedem Apostolicam contumax, implacabili odio contra Polum fremebat, quà illius constanti dissensu quasi despectus, quà tamquam in suspicionem adductus, ne quid eius opera Nobilitas Anglicana ad defectionem solicitaretur. Hinc vehementissimè institerat apud Franciscum Regem, vt Polum comprehensum sibi traderet; arbitratus, quemadmodum ipse ad omne Ius Diuinum conculcandum progressus fuerat, ita posse alios ad * Ius Gentium violandum adduci. Hanc impudentem petitionem cohonestare nitebatur Henricus eo nomine, quòd Polus ad commouendas sibi seditiones coniurationesque aduentaret; quam ob causam eius matri caput abscindi iussit, quasi proditionis filij participi, & quinquaginta millium aureorum præmium ei proposuit, qui Polum interficeret. Quapropter satius habuit posteà Paulus eum Romam reuocare, & custodiis communire. Et tamen, vt ipse perspexi, data Polo mandata vsque adeò erant mitia, vt parum abfuerit, quin Ministris Anglis, in Galliam contra se missis, eorum autographum visendum obtulerit; qui quantum imperio compulsi hominem insectabantur, tantum humanitate commoti ipsius miserebantur. Verùm Britanniæ Rex, inter tres illos Principes infimus, duobus reliquis quasi supremus ius dabat: duo quippe, libratis mutuò vtrimque viribus, intelligebant, leue additum alteri lanci momentum posse in libra dominari. Quare Gallus indignationem Henrici vel iniquam pertimescens, satius habuit se his difficultatibus liberare, Polo à se suisque Regnis amoto.

* Literæ citatæ Giberti 10. Aprilis.

1537. Idem à Gallo imperatum Giberto: sed compertum posteà ex quadam epistola Rodulphi Pij Cardinalis Carpensis, nondum ab Aula profecti post acceptum nouæ dignitatis Nuntium, non tam id fuisse Regis imperium, quàm internuntij interpretamentum; quare * Gibertus, non expectatis à Rege responsis, quem per literas vt ab eo exciperetur rogauerat, Hesdinum ad Regem contendit, ibique causatus, se nec personam publicam in eo negotio gerere, nec illis Regibus suspectum esse, quin potiùs se vt eorum studiosum, à rerum tractatione Clementis ætate recessisse, cùm is ab eorum coniunctione secesserat, benignè fuit admissus à Rege. Quoniam autem Paulus, pridie quàm ille proficisceretur, quædam de pace publica animi sui sensa patefecerat, ea Regi nauiter exposuit; conatus ob oculos ipsi ponere, quantum sibi laudis ac beneuolentiæ ab vniuerso Christiano nomine esset consecuturus, si eo tempore, quo viribus præpollebat, consuetâ sibi moderatione vsus esset, ne totius Christiani Orbis bonum seu immortale seu temporarium impediret, præsertim verò vt Christianos à Turcarum oppressionibus liberaret: hoc pacto comprobatum iri, quod aliàs Rex ipse professus erat, huiusce rei gratiâ se abstinuisse à Cæsare diuexando, cùm Viennensi ac Tunetano bello distineretur; nec minùs id nunc agendum, ne Britanno opportunitas daretur, in suipsius infortunio triumphandi, dum gemina illa Ecclesiæ brachia, quæ ipsum coërcuissent, inter se decertarent. Ita subtractum iri eius æmulo eam speciem, quâ apud Christianos omnes in inuidiam Regem traducebat: nullam ampliùs superfuturam Cæsari excusationem denegandi Gallo beneficiarium ius in Insubriam; quòd nempe perinde id foret, ac ignem alere, non sic expletâ, sed irritatâ ipsius inexplebili edacitate. Quin compertum fore, Regi tantum inesse animi, vt penè iam sibi quæsita deponeret, ac paci commodisque publicis immolaret. Quapropter vel Cæsarem, gnarum Regiæ integritatis, certumque in beneficiis eum sibi gratum futurum, quem humanum in iniuriis experiebatur, concessurum ei fuisse Mediolanensem Prouinciam fiduciario nomine, pro quo tot Regi iura suppetebant; vel vbi eam pernegaret, Pontificem ac Venetos iure optimo curaturos, priùs officiis, deinde si opus foret etiam armis, vt illi redderetur; cùm & ipsi & nationes omnes tunc intelligerent, ea arma & æquitati patrocinio, & publicæ tranquillitati adiumento futura. Contrà verò, si Rex eâ Turcarum expeditione in Italiam Cæsarem armis vrgeret, id ipsi plurimum inuidiæ, minimum commodi pariturum: Turcarum siquidem impetus minores famâ 8

* Literæ Giberti ad Rescalcatum Ambiano, 20. Aprilis 1537.

famâ futuros, maiori factâ iacturâ miseræ plebeculæ, per excursiones repentinas in seruitutem abactæ, quàm ditionis stabili marte occupatæ. 1537.

9 Responsum à Rege, quouis tempore à se desiderium pacis exhibitum; vt qui * consenserat, Insubriam in Pontificis manu deponi: ex eo suam in Pontificem fiduciam patere. Nunc, quando Deus sua contra iniustum æmulum arma sospirabat, nolle se Cæli opem æquirari suæ suppeditaram recusare: Nihil sibi cum classe Turcica esse negotij; sed inde malè erga se animatum Cæsarem parefieri, qui mallet se cum reliquo Christianorum genere obiicere periculo succumbendi Barbarorum tyrannidi, quàm sororis suæ viro sua reddere, fraternumque amorem impendere. Se, quò animi sui moderationem ostenderet, paratum tunc esse Belgicæ victoriæ cursum sistere, dummodò Pontifici cum Venetis conueniret, vt sibi per officia conferrent operam ad Insubriam obtinendam, & vbi officia minùs valerent, per vim.

* De hoc Consensu in Epistola Giberti ad Recalcatum Lugduno, 14. Martij 1537.

Reposuit his Gibertus; Si hoc pacto conuenissent, perditum iri validissimam rationem Insubriæ sine sanguine, sine sumptu, per summam gloriam recuperandæ: quæ ratio in eo sita erat, quòd tunc liceret iis Principibus inculcare Cæsari, Franciscum Regem non aliò spectantem, quàm ad suam comprobandam animi magnitudinem, ac publicæ quietis studium, & ad ipsum humanitate superandum, sibi temperasse, ne grauius illi vulnus infligeret, dum iugulo instaret: proinde opinione omnium obstringi Cæsarem ad par pari æquali magnanimitate referendum, oblato tamquam dono, quod aduersarius tamquam spolium potuisset auferre. Quæ tam honesta nomina si Cæsar negligeret, Italiæ Principes iure optimo Regi opem collaturos, cùm ita non alio duci studio viderentur, nisi officij & æquitatis. Verùm hæc Regi speciosiùs & exquisitiùs, quàm veriùs ac validiùs dici visa. Quare in proposito perstitit, nisi Pontifex ac Veneti arcano saltem aliquo se obstringerent promisso: atque ita res hæsit.

1537.

CAPVT V.

Fœdus Pontificis cum Cæsare ac Venetis contra Turcam. Induciæ inter duos Reges. Concilium Vicentiæ indictum.

EXcursiones per Italiæ litora ex voto non euenerant Hariadeno: proin abductâ inde classe, vires in Corcyram Venetorum Insulam conuertit.[1] Et iam Pontifex cum illis & cum Cæsare fœdus inierat contra Turcas, ad oppugnandum simul ac propugnandum. Sed huius fœderis exitus, vt sæpè accidit, spe minor fuit; cùm satis habuerit Andreas Auria, Cæsareæ classis ductor, hostium conatus eludere sine pugna, tametsi maior adesset victoriæ spes quàm cladis timor. Ille siquidem leue suo Principi emolumentum ex altera sperabat; ex altera verò grauissimum detrimentum formidabat. Quod consilium Auriæ Cæsari apud fœderatos inuidiam, apud vulgus infamiam peperit. 1

Primum retulit ad Senatum, 8. Septembris. Secundum 19. vt ex Actis Consistor.

Intereà Pontifex vsus opportunitate, à Senatu Veneto impetrauit Vicentiam ad Concilium ibi celebrandum. Contigerat quoque vt Cæsaris sorores, Eleonora Francisci Regis coniux, & Maria Ludouici Pannoniæ Regis vidua, quæ Belgium administrabat, breues inducias sancirent, quasi quoddam crepusculum serenioris ac diuturnioris concordiæ. Vnde Paulus 8. Octobris Diploma vulgauit, quo gratiis hilariter actis Diuinæ beneficentiæ, quòd Italiam à Turcarum aggressionibus liberasset, & pacis spe inter duos Principes significatâ, Veneti Senatus pietatem laudabat, qui quamquam grauissimâ Corcyræ defensione implicitus, commodam cogendo Concilio vrbem Vicentiam concesserat. Sed cùm id tam serò confectum esset, vt parum suppeteret temporis ad rem promulgandam, quo statuto per præteritam prorogationem die, qui conuocandi erant adessent, hoc est Kalendis Nouembris, instaretque incommoda itineribus tempestas, rursus illud protrahebat ad Kalendas Maias, Philippo ac Iacobo Apostolis solemnes.[2] 2

Habendæ simul morum emendationi opera nauata, instituto iterùm Cœtu quatuor Purpuratorum Patrum, & quinque Præsulum in primis præstantium. Purpurati fuere Contarenus, Sadoletus, Caraffa, posteà Summus Pontifex, & Polus à legatione regressus. Præsules omnes posteà Purpuram adepti, præter vnum, cuius meritis iure obstitit culpa non sua. Fuit hic Gibertus; eiusque ad idem opus collegæ fuerunt Fredericus Fregosius, Archiepiscopus Salernitanus, qui exemplo admirabili Purpuram recusauit, eamque 3

non

non nisi iussu Pontificis coactus accepit; Archiepiscopus Aleander, Gregorius Cortesius è Familia Diui Benedicti Abbas Venetiis, & Thomas Badia, sacri Palatij Magister, vterque Mutinensis, vitæ probitate ac literis præclarus. Hi plura emendationis capita proposuere, quæ præcipuè versabantur in quibusdam ab Romana Curia collatis beneficiis; quæ cuique displicent dum alteri conceduntur, sed eadem posteà ab vnoquoque importunè sibi flagitantur: atque ipsi Principes, qui reformatam disciplinam requirebant, validiùs præ ceteris admouebant machinas, quibus identidem à Pontificibus eadem extorquerent. Vnde Scombergius Cardinalis, vir & Religionis studiosissimus, & Germanicorum ingeniorum peritissimus, persuadere conatus est, vt Suauis fatetur, Quando plerique mortalium cupiditate relaxationis insaniebant, sacrorum Claustrorum repagulis, votorumque ligaminibus petulanter diffractis, opportunam non esse nouorum nexuum medicinam: Instare Concilium, cui huiusce rei deliberatio permittenda; quippe conflando ex cunctis nationibus, adeoque earum peritiam habituro, quæ nec pondus sibi intolerabile suscepturæ fuissent; & vbi de communi voluntate suscepissent, libentiùs tolerarent, quàm paucorum impositum auctoritate. 1537.

4 Addit Suauis, Hanc opinionem acceptam, tametsi contrà Ioannes Petrus Cardinalis Caraffa disseruisset. De hoc postremo nihil habeo exploratum: sed, vt ita fuerit, obseruetur, an is quando postmodum Ecclesiam gubernauit, per eum emendationis ardorem quidquam amplius perfecerit, quàm effecerunt alij de iis emendationibus priùs mente conceptis. Dixi, *quidquam amplius quàm effecerunt alij:* nam quamquam ob rationes anteà narratas, & ob eas quæ ante triennium Senatum Purpuratorum impulerant ad huiusmodi Concilium, allatas à nobis * libro superiori, satius habitum fuerit, nihil ad id nouo diplomate obstrepere; tamen reipsâ pedetentim, sed efficaciùs eius decreta inchoata. Ac deinde sub eodem Paulo III. spe Concilij longiùs protractâ, reformandæ disciplinæ cura rursus incaluit anno 1540. designauitque * Pontifex in Senatu quadruplicem Senatorum triadem, qui sancitas emendationis leges in vnoquoque Tribunalium seruandas curarent; videlicet *Apostolicæ Cameræ*, aliisque peculiaribus Romæ foris consulerent De Cuppis, Ghinuccius, & Polus; *Romanæ Rotæ*, Cæsarinus, Montanus, & Guidiccionus; *Cancellariæ*, Grimanus, Aleander, & Ridolfus; *Pœnitentiariæ*, Contarenus, Caraffa, Ceruinus. Prætereà seueris edictis cautum, ne Præsules à suis Ecclesiis abessent, allectique ad id nouâ concess-

* Cap. 17.

* 17. Augusti an. 1540. vt in Actis Consistor.

1537. concessione, vt non sine Pontificiæ Curiæ iactura ipsis liceret in sua Sede morantibus, alternis mensibus pro arbitratu distribuere ea Sacerdotia, quæ suis in Ecclesiis vacarent: varia quoque opportunè confecta diplomata. Alteram etiam partem non modicam earum legum quas plerique laudauerant, stabiliuit viuente Paulo Concilium eius industriâ coactum: reliquas verò posteà, leni quidem, adeoque lentâ, sed æquè assiduâ curâ in eadem Synodo posteriores Pontifices perfecerunt. Atque ad id confirmandum, in promptu mihi est * epistola Contareni Cardinalis, dum Legatus Ratisponæ aderat, in qua insignis ille Sacri Collegij Cato, ac nullius dissimulator næui quem in Clero Aulaque obseruasset, vti & ipsius, & aliorum de ipso scripta testantur, narrat, Ferdinandum Regem secum amicè conquestum sæpius fuisse, agitatam Romæ morum emendationem, sed numquam præstitam; se verò fidenter respondisse, licere sibi huiusce rei rationem reddere, quippe deliberationum illarum conscio, non posse tam multiplicem legum nouarum obseruantiam suauiter, adeoque fructuose, nisi lentè induci: Vt Episcopi in sua Diœcesi persisterent, iam prouisum; Præstantissimos viros in Senatum adlectos; ita pariter correctam in reliquis Aulam, vt si illius in præsentia mores cum præteritis conferrentur, satis foret ad accusationem eluendam; cùm ipsa emendatio non in paginis, sed quod potissimum est, in operibus discerneretur: subditque, fassum tunc Regem, ea omnia vera esse. Quoniam autem Suauis ait, dissertationem illam à Cardinalibus censuræ destinatis confectam eo tempore de quo scribimus, meruisse vt suæ historiæ insereretur, nisi eius prolixitas obstitisset, iuuat ipsius dissertationis capita breuiter expendere, ac palàm facere, designatam in ea morum restitutionem in omnibus ferè ipsius partibus fuisse ad opus deductam sanctissimis præscriptionibus, quæ hodie obseruantur, quantum sperare licet ex imbecillitate humanæ conditionis ac diligentiæ.

* Ad Cardinalem Farnesium, 17. Iunij 1541.

Ea capita bifariam diuidebantur. Altera ad Ecclesiam Romanam 5
peculiariter spectabant, reliquis Christiani Orbis tamquam exemplar proponendam. In ea verò reprehendebatur minùs decorus Vaticanæ Basilicæ cultus, in Diuinis laudibus mysteriisque celebrandis. Num quid in iis nunc desiderandum? In Nosocomiis aliisque piis operibus socordia. Quantum hodie in eo studio Roma præcellit? Pompa matronalis, quâ mulis vectæ, comitante Clericorum familiâ deducebantur meretrices. Num ampliùs hoc enorme spectaculum Romam deturpat? Cruenta inter Proceres & aperta dissidia. Quæ nunc vrbium Româ pacatior?

Altera,

6 Altera, in vniuersa Ecclesiæ gubernatione versabantur. Quo in genere cuncta incommoda profecta asserebantur à Pontificum facilitate, in fide habenda quibusdam assentatoribus, qui potestatem in ipsis interminatam exaggerabant, non tamquam administrantium, sed planè dominantium in vsu Clauium; adeò vt quod licet, & quod libet, in iis minimè distinguatur. Ad singula progrediamur. 1537.

Primùm: Incusabatur, ad sacros Ordines adscribi Clericos ac Sacerdotes illiteratos planè atque indignos. Obseruetur, an id nunc Romæ contingat; an validiores ad id leges ab ea expeti possint. Verumtamen prætereà opus est hominibus, qui sciant ac velint eas leges ad vsum deducere; quod à prouidentia plusquam humana, non à Romana dependet. Idem aio de secundo detrimento; nimirum de Sacerdotiis inconsideratè distributis, ac præsertim de Parochorum ac Episcoporum dignitate. Enimuerò nullus est principatus, in quo tot munera redditibus modica, curis laboriosa, solitaria, situque molesta, per tot examina, simulque tantâ literarum, morum, ætatis, natalium habitâ ratione impertiantur, perinde ac Romæ Parœciarum curæ, & Episcopatus conferuntur. Angelica solertia petatur ab Angelis in cælo regendo, non ab hominibus in terris administrandis. Transitur ad cessiones Sacerdotiorum, retentâ parte prouentus priori possessori pendendâ; in quibus pro se quisque experitur (multi verò cum querimoniis) quàm in præsentia difficiles sint Pontifices.

7 Iam verò eorum iurium, quæ ad vacatura Sacerdotia concedebantur, vulgo *Expectatiuæ* appellata, & hîc pariter accusantur cum aliis capitibus quæ adiiciemus, nunc omnino vsus abolitus. Multitudo Sacerdotiorum vni collata, generatim euitari non potest, cùm singulorum ferè prouentus satis non sit alendis Ecclesiasticis, ac præsertim sublimioribus, qui ceu columnæ, columen simul sunt ac decus Ecclesiæ. In iis verò Sacerdotiis quæ possessoris præsentiam exigunt, ac præsertim in Parœciis & Episcopatibus, ipsorum multitudo interdicta; prærerquam in quibusdam Prouinciis hæresi contaminatis, vbi conducibile ducitur, si multa alicui Principi Religionis studioso conferantur: ceterùm ipsis Cardinalibus æquè ac reliquis id prohibitum, nec minùs iidem pari cum aliis seueritate commissis sibi Ecclesiis abesse vetantur; quod inter præcipuos abusus pariter numerabatur.

8 Prætereà, in ea disceptatione acriter inculcabatur, vt Purpurati Patres à Catholicorum Principum clientelis amouerentur in Sacerdotiis ab iisdem accipiendis. Nemo non intelligit, quàm

1537. id Romano Pontifici arduum foret: nec ea de re pluribus disseram.

Diuturna procul ab Vrbe Cardinalium absentia, quæ ibi quoque redarguitur, non nisi aut Ecclesiæ commissæ, aut legationis causâ, aut interdum in Principum gratiam permittitur.

Quæ spectant ad Ordines Religiosos; tam acriter cum ipsis 9
actum est, vt plerique de seueritate potiùs conquerantur, quam indulgentiâ offendantur. Sed hîc etiam experimento docemur, quantò sit difficilius formas in materia imprimere, earum impressioni interdum reluctante, quàm in pagina scribere, quibusuis characteribus excipiendis parata.

Quis nunc leges relaxandi consuetudinem non nisi generatim petraram affirmet? Vt autem Pontifex, ceterique Antistites (quod censores proponebant) nihil inde sibi decerperent, esset quidem sanctissimè optandum; sed oporteret, nouam aliquam artem auri conficiendi edocerentur Pontifices, quò satisfieret cunctis Principibus, tam ardenter frequenterque subsidia deposcentibus, quando bella aduersus infideles incidunt, hoc est ferè semper. Quænam pecuniæ flumina vnius sæculi spatio recensere possem, a Romano Pontifice, & ab Ordine Ecclesiastico in hunc vsum profusa? Et tamen obstrepunt vndique Principum ac populorum indigentium querimoniæ contra Romanam tenacitatem. Itaque perinde plane est, velle Christianos, vt hi prouentus Romæ & Ecclesiasticis imminuantur, ac velle, vt simul idem fons vniuersi generis humani sitim expleat, simul canales, quibus aqua in ipsum defluit, præcidantur. Aduertendum hîc est, eâ planè tempestate Pontificem ad sumptus grauissimos vrgeri, quibus fœdus maritimum promoueret; Ferdinando Regi in Pannonia Turcicis armis atrociter vexato subueniret; Poloniæ Regi contra Scythas opitularetur: Ab eodem Pontifice tunc efflagitasse subsidia Fredericum Palatinum, vt eas ditiones recuperaret, quas sibi à Christierno Rege Daniæ hæretico occupatas conquerebatur: Simul etiam eius opem implorasse Catholicos tum illius Regni, tum Noruegiæ ac Sueciæ, contra impetum memorati Christierni & Gustaui: & tamen oportere tunc pariter sumptum suppeditare pluribus Legatis, qui de pace agerent, & quæ celebrando Concilio opus essent largè pararent. Si cui verò luberet exactam Pontificis per eos annuos prouentus rationem curiosiùs nosse, eam comperiet in narratione Soriani, Oratoris Veneti, sæpiùs à nobis memorata, quæ duo ac ducena scutorum millia non excedebat; è quibus plus dimidio trahebatur ex concessarum facultatum pretio, ac venditione illorum munerum, quorum

rum

rum fundus maiori ex parte gratiosi atramenti fructus est. 1537.

Opponet quispiam, Pontificios redditus copiosiùs redundaturos, si accuratiùs procurarentur. At equidem cedo Principatum paris amplitudinis, in quo hæc accuratior procuratio exerceatur: quòd si nullus est, hominum conditio, non Pontificum incuria incusetur. Opponent alij ea quæ Pontifices consanguineis largiuntur. Hoc in genere heroica præsentis Pontificatus exempla amplam mihi libertatem loquendi de præteritis largirentur: hinc ego, non ex vlla humana ratione, sed ex ipsa solùm æquitate, ne plus iusto mortuis detraham, pro certo affirmo, peccatum quidem in eo, sed multis partibus minùs, quàm seu populorum error, seu maleuolorum calumnia confinxerit. Ceterum parem huic Principatum proferant, in quo non sæpè contingat, à Principibus plura profundi in gratiosos administros, quin plerumque dissipari in homines, solùm fauore non merito vel vtilitate domini commendatos, quàm ea, quibus Pontifices consueuere suos remunerari, qui non modicam curarum partem sustinebant, & inuidiam Principatus quasi hereditariam adibant. Quod si nusquam est; sanctè Deum exorent, vt S. Petri spiritus, qui hodie perstat, eius animet successores: sed interim metiantur leges huius Imperij, vti hominibus destinati ex Adami labe profectis.

10 Mihi sanè de legum relaxationibus affirmare licet, Pontifices multis ab hinc annis ita constituisse, vt quidquid pecuniæ inde collectum est, pios in vsus conuerteretur.

Alia quoque corruptelarum genera numerabantur. Concessa scilicet multis post solennia vota Religiosis facultas deponendi habitum, seque ab obedientia subducendi: nunc verò citra summam necessitatem neutiquam conceditur. Permissa potestas matrimonia contrahendi cum consanguineis secundo gradu coniunctis: hæc pariter non sine graui causa indulgetur; tametsi vbi parcè id fiat, quid offensionis aut incommodi afferat, non apparet. Altaris deportandi vsus: & hic per vniuersam Italiam desueuit. Redintegratio titulorum simoniacis possessoribus, quæ itidem arguebatur: sed ea in præsentia non impertitur, cùm, vt loquuntur Canonum periti, *Simonia realis* præcessit; neque pariter impetrari solet in ceteris eiusdem criminis generibus, nisi interdum in conscientiæ foro, quando vitium ita latet, vt nec probari possit, nec infamiam parere: satius quippe tunc est, delinquentium animos ad quietem componere, quàm ad salutis desperationem adigere; vnde enormia quæque in iis hominibus erumperent, quibus alienæ salutis procuratio

1537. demandatur. Ibi demum reprehenditur immutatio supremæ decedentium voluntatis: sed quamquam è re publica sit, vt huiusmodi potestas in quouis supremo Principe insit, quandoquidem mortui reuiuiscere haud possunt, vt pro varijs quæ superuenere conditionibus rerum, diuersa statuant; ac prætereà legis beneficium sit, posse dominium exerceri ab homine, adhuc quadamtenus domino earum rerum quas inter viuos reliquit, cùm è viuis decessit; tamen conetur quispiam hæc Romæ impetrare, qui eius ad ea nimiam facilitatem vituperat, & se vtique falli animaduertet. Hæc erant quæ ad reformandam seu vitam, seu potestatem Ordinis Ecclesiastici pertinebant. Commendabatur insuper, vt ab Academiis impiæ doctrinæ arcerentur. Qua sanè in re, modò Pontifex liberam admoueat manum, timendum non est, ne Quæsitorum Fidei solerti operâ huiusmodi toxicis Ecclesiæ pascua non perpurgentur.

Itaque si dissertationem illam historiæ suæ Suauis inseruisset, vindicatio Concilij ac Pontificum ab eo fuisset inserta, qui de præcellentium virorum consilio, Ecclesiam Aulamque, quoad fieri potuit, emendarunt. Sed effatum quoddam Philosophi ibi prolatum, nimirum, Legum relaxationem Reipublicæ cladem esse, eo sensu quo prudentes illos censores accepisse arbitror, verum est; contrà verò generatim acceptum, falsissimum. Vero consonat, si sermo sit de relaxationibus, vel adeò crebris, vel adeò facilibus, vt lex in tabulis potiùs, quàm in moribus viua persistat; tunc enim earum reuerentia in contemptum degenerat; sed veritati plurimùm dissonaret scitum illud, vbi prohiberet in Republica quæcumque legum laxamenta. Eas quidem nullo pacto laxari fas est, quas Natura, eiusque Auctor animis insculpsere: si reliquarum firmitas adeò necessaria fuisset, earum prætermissio vitio vertenda esset Legislatori supremo, qui hominum imbecillo consilio eas sanciendas reliquisset. Disputat Philosophus, * an magis conueniat Rempublicam regi legibus vniuersè latis à Fundatoribus, an sanctionibus ad euenta singula editis à Magistratibus. Tria pro priori parte affert emolumenta. Ea sunt: Leges constitui absque animi perturbatione, diuturni consilij maturitate, & ab hominibus selectioris prudentiæ. Pro altera parte adducit, non posse à Legislatoribus præuideri conditiones cunctis posteà euentibus adfuturas. Vtraque opinio in eo certè conueniet, quòd lex omnibus communis plerumque vim habeat; at per aliquam occasionem liceat eiusdem derogatio. Prætereà vsque adeò humani est ingenij in vetitum ferri, vt semper operæpretium sit, leges seueriores præscribi, quàm Legislator

11

* Vide præsertim 3. Polit. c. 11. & primum Rethor. c. 1. & 13.

lator ſeu optauerit, ſeu ſperauerit obſeruandas. Hinc fit, vt earum rigor molliatur, vel conniuendo, vbi modicè peccatur; at hoc ipſum legis auctoritatem obtundit, redditque ſubditos ad peccandum proniores: vel indulgendo decentes ac moderatas earum relaxationes; quod imperantibus ſubditorum reuerentiam ac beneuolentiam ſimul auget, ſimul in ſubditis innocentiam fouet. Vt multa in vnum congeram, iuſtitia gratiæ expers, eſt miſera inferorum conditio. 1537.

12 Riſu quidem excipiendum eſt, quod hîc addit Suauis, veluti à quibuſdam ſagacioribus animaduerſum: Exemplum earum legum fuiſſe tranſmiſſum à Pontifice per Sconibergium in Germaniam, vt æmulis perſuaderetur, Romæ dari operam illi rei, poſteà verò eo inuito typis editum. In variis Pauli III. mandatis, quod primum reperio, eſt, ne ea de ſcripto traderentur: mox enim hæreticorum typis impreſſa ea prodıtura fuiſſe; & ſi quid Aulam Romanam rangeret, illicò exprobratum iri, prout Adriani monitis à Cheregato Norimbergam delatis acciderat: nec Romanæ Aulæ vitia proferenda; vt euitaretur quod obtigerat Meltitio, ad Saxonem à Leone miſſo, cuius narrationes quam facetè, tam inconſultè ab eius popularibus acceptæ ſunt, quaſi luculenta teſtimonia Aulæ Romanæ, atque pro huiuſmodi in Wormatienſibus Comitiis exprobratæ. Nec alia de cauſa ſemper in Senatu ſtatutum, ea documenta clàm habenda, & per opera potiùs quàm per leges complenda. Et quod ſpectat ad memoratam Cardinalium diſputationem; in manus mihi incidit Aleandri Legati Epiſtola ad Cochlæum, * in qua ſic loquitur: *Multa haberem ſcribere de Republica; ſed mali cuſtodes eſtis rerum arcanarum. Conſilij Cardinalium promulgatio cum inuectiua Sturmij, manibus hominum teritur, antequam vel ab auctoribus edita, vel executioni fuerit demandata:* quod palàm facit, eam diſſertationem alicui Catholicæ partis Germano concreditam, vt quid de ea ſentiret exponeret, & ab eo non ſatis cælatam ad aduerſarios emanaſſe. Ac Diuinâ prouidentiâ effectum, vt ea monita prodirent in medium, quò reuerà cunctis paterent penitiora vulnera regiminis Eccleſiaſtici per ſummam diligentiam perquiſita, & liberè ac ſincerè propoſita à cenſoribus, incomparabili ſtudio Religionis ſapientiâque præſtantibus, fuiſſe non dogmatum falſitatem, non ſacræ Scripturæ deprauationem, non legum iniquitatem, non calliditatem politicam ſanctimoniâ fucatam, non vitiorum impunitatem, quod Lutherani oblatrabant; ſed nimiam indulgentiam in delictis perſequendis, vel in abrogandis iis mandatis, quæ multò licentiùs abrogauit Lutherus,

* Viennæ 16 Iulij an. 1539.

1537. rus, cùm ea Wittembergæ publicè concremauit, suosque asseclas ab eorum obseruatione prorsus absoluit. Neque, vt ostendimus, seuera illa Præsulum consultatio perinde se habuit, ac Medicorum Chirurgorumque consilium, quod frustrà ægroto præscripserit salutaria pharmaca, quæ ab eo posteà seu delicatè reiecta, seu negligenter omissa. Quidquid tunc emendatione dignum habitum fuit, pro viribus humanæ conditionis emendatum nunc cernitur, imminuto bona ex parte Pontificiarum concessionum vsu, adeoque imminutâ illâ duplici bonorum adeptione, ex qua solùm Principatus videtur optabilis, auri videlicet & gratiæ.

CAPVT VI.

Pontificis Nicæam profectio ad duos Reges conciliandos. Legati ab eo Vicentiam missi. Noua protrahendi Concilij necessitas.

1 IN comperto erat, haud satis futuram ad perditos recuperandos, morum integritatem in Romana Curia, nisi Principum terror accederet. Alterâ populos simplicitate deceptos allicere potis erat; altero Proceres ambitione tumultuantes coërceri oportebat. Et huiusmodi terror incuti non poterat à duplici quantumuis valida potentia, alterâ ab altera per mutuum certamen debilitatâ. Eapropter quàm posset maximâ solicitudine Pontifex adnitebatur duos Reges ad concordiam cohortari. Captâ igitur opportunitate induciarum, quæ quasi quædam nubium explicatio videbantur ad formam Iridis excipiendam, * Legatos destinauit, qui de pace atque Concilio agerent, Iacobatium Cardinalem ad Cæsarem, & Pium Cardinalem Carpensem ad Galliæ Regem, apud quem munus Nuntij gesserat; ac per eosdem dies * misit Episcopos, Rhegiensem ac Veronensem, qui Veneto Senatui grates agerent, ob concessam Synodo Vicentiam, simulque ibi pararent quæ illi cogendæ opus forent. Interim Romæ consulebatur, an expediret, vt confestim ipse Pontifex Vicentiam se conferret. Videbatur ex vna parte id opus esse ad præstanda de Concilio promissa palàm exhibita, confirmandamque Pontificiæ voluntatis efficaciam: ex altera verò ea deesse, quæ ad illud celebrandum necesse erant, nondum pace compositâ. Quod si Pontifex ipse ibi adesset, nec eum vel antecederet, vel subsequeretur Præsulum Oratorumque frequentia, seipsum obiecturum fuisse ludibrio, quasi leuem in adeundo, & spretum in imperando.

* 15 Octobris 1537 ex Actis Consistor.

* 5. Octobris in Actis Consistor.

2 Consultius ergo visum, vt præmissis Vicentiam suis Legatis, palàm

lam faceret, quantum in se erat, nihil omitti quo minus Concilium inchoaretur; simulque, ne suo labori parcere pro re Christiana videretur, Subalpinam & Insubrium oram adiret, vbi Franciscus Rex ex occasione proximi belli morabatur, & qua Cæsar transiturus erat, vt è Germania in Hispaniam traiiceret, ibique vtrumque alloqueretur de pace inter se firmanda, & inchoando Concilio: quibus ex voto cedentibus, inde Vicentiam illicò peteret. His itaque in Senatu decretis, * Legati ad Concilium selecti tres ex Purpuratis, Campeggius, earum rerum experientiâ in primis præditus, Simonetta, Canonum peritiâ insignis, & Alcander, non minùs rerum intelligentiâ quàm exercitatione præcellens: vnde in eodem Senatu, in quo illi commissa legatio, fuere simul cum eo adhibitæ duæ illæ cæremoniæ, quæ per duos congressus in Purpuratorum inauguratione haberi solent, & imponendi, & abrogandi silentij. Post triduum Pontifex Nicæam profectus, vbi sperabat se duos Reges ad colloquium adducturum. Statim ac Placentiam peruenit, literas accepit à Legatis Vicentiâ, significantibus, nullum ibi Episcoporum conspici: quare ne contemptui exponeretur auctoritas Pontificia ac Legatorum, qui intra quinque dies solemni pompâ vrbem ingressuri erant, auspicaturi Concilium; statuit in Senatu, [a] inaugurationem Synodi intelligendam esse protractam ad diem per se præstituendum, adeoque non posse ante illum diem inchoatam censeri; euulgauitque de ea re diploma, [b] admonitis festinè Legatis, ne quid solenniter [c] agerent. 1538.

3 Paulus iter prosecutus, cum Cæsare 18. Maij prope Saonam; deinde cum Rege extra Nicæam ad colloquium venit; ibique Senatum habuit, [d] in quo ad rem assiduè promouendam tres Legatos sacri Collegij nomine constituit, qui vltro citroque eos Principes, quos è re visum fuisset, adirent. Hi fuere tres Purpurati, Cupis, Senatus Princeps, Ghinuccius, & Cæsarinus. Mensem vnum per ea loca versatus est Pontifex, modo cum Cæsare, modò cum Rege sermone habito. Nequiit inter eos pacem componere, sed inducias in decem annos firmauit; haud tamen impetrare vnquam potuit, vt illi simul congrederentur: quamquam posteà regresso Paulo id euenerit prope Aquas mortuas; Gallus enim prius suapte sponte in manus Cæsaris sese tradidit, cymbulâ vectus ad illius naues. Posteà verò Cæsar in Regis manus, ad eum terrâ progressus, biduumque apud illum commoratus. Id actum est per mutuam amoris significationem, patefactâ à Carolo voluntate gratificandi Francisco Regi, & cum eo pacem sanciendi, redditisque pariter à Rege promissis

Cæsari

* 20 Martij, vt in Actis Consistor.

a 25. Aprilis 1538. in Actis Consistor.

b Quod incipit, *Romanus Pontifex*, eadem die.

c Hæc mandata peruenerunt Vicentiam 28. Aprilis, vt constat ex responsione Aleandri ad Cardinalem Ghinuccium, Diplomatum Secretarium.

d 5. Iunij 1537. ex Actis Consistor.

1538. Cæsari opitulandi, tam ad hæreticos subigendos, quàm ad Turcas propulsandos. Qua de re consilia ibi inita à Cardinali Lotharingo & Comestabili Momorantio ex parte Regis, & à Couio & Granuellano ex parte Cæsaris; conuentumque in eo est, vt memorati Administri & Oratores, vtriusque Principis negotium agitarent absque solenniori congressu strepituque; & Rex interim denuntiaret transfugis à Fide, se in sinceram cum Cæsare amicitiam rediisse; eosque vehementer hortaretur ad reconciliationem auctoritate Pontificis habendam. Hæc omnia primùm ab Aquis mortuis scripsit Carolus, deinde Vallisoleto [a] Ferdinando Regi confirmauit.

Verùm tam studiosus vtrimque congressus ad Pontificem per suos Nuntios impigrè delatus, tamquam obsignata subscriptio amicitiæ paternis eius monitis contractæ, satis non fuit, vt sagacem illum senem spe lactaret firmæ concordiæ inter eos Principes perstituræ; [b] qui tum ex physicorum, tum etiam multò validius ex politicorum sententia amicitiæ impotes [c] censebantur. Et sanè ad colloquium illud Cæsarem adduxerat non tam voluntas quàm casus, eius triremibus tempestate iactatis, postquam à Pontifice digressus Barcinonem petebat: nec alia ex causa tunc faciliùs ad id se flexit, quàm ante profectionem Pontificis, nisi quòd eo pacto res in mutua humanitatis officia erat abitura citra pactionis arctioris necessitatem; at è contrario sequestri tam venerabili præsentiâ planè cogi videbatur ad pacem iis conditionibus componendam, quas & Gallus postulasset, & Pontifex pro quiete publica suasisset. Nihilominùs haud omisit Paulus rem læto animo ad Senatum referre, [d] actisque solenniter Deo gratiis edere publicæ gratulationis argumenta: ipsam enim significationem credendi quippiam, vel non credendi, interpretantur homines tamquam ab eiusdem rei desiderio vel auersatione profectam. 4

Duo hîc in Paulo III. carpit Suauis. Alterum est, quod ab aliquo scriptorum illius ætatis accepit, [e] causam suscepti Nicæam itineris fuisse non tam Christiani generis pacem, quàm Mediolanensem ditionem familiæ suæ impetrandam, vtrique Coronæ exhibitâ illius Principatus nomine clientelâ. Equidem vt liberè loquar, putauerim, libenter id Pontificem consecuturum fuisse, cùm intelligeret, simul in eo coalescere & proprij sanguinis, cuius erat studiosissimus, commoda, & Reipublicæ vtilitatem, Italico ibi Principe constituto. Sed fidenter affirmare mihi licet, lectis intimis & arcanissimis illarum rerum monumentis, cuiusmodi sunt mandata 5

à Pau-

[a] Misit exemplum Legatus Aleander Vicentiâ ad Pontificem, 2. Nouembris 1538.

[b] Aleander Vicentiâ ad Pontificem, 12. August. 1538.

[c] Ioan. Baptista Adrianus lib. 1. Hist.

[d] 29. Iulij ann. 1538. in Actis Consistor. Diarium Blasij Cæsenatis 5. Augusti 1538.

[e] Ioan. Baptista Adrianus loc. cit. & alij.

à Paulo tradita cùm suis Nuntiis Legatisque, tum Farnesio Cardinali nepoti suo, semel ad Carolum missi, & iterùm ad vtrumque Principem, ac literæ vltrò citroque per eam occasionem perscriptæ: perlectis, inquam, iis omnibus, quæ tunc Pontifex in suæ familiæ gratiam agitauit, ne verbulum quidem à me compertum, quod ad comparandam suis Mediolanensem ditionem spectaret, etiam in rerum conditionibus magis quàm id temporis ad hoc ipsum opportunis; quales erant post connubium Octauij Farnesij cum Margarita Austriaca: adeoque cùm eiusmodi concessio collatura fuisset Cæsari & amplitudinem filiæ suæ, & suorum posterorum dignitatem. Quin vbique comperio, semper à Pontifice iniunctum singulis Ministris, ipsique nepoti, cùm pacis necessitas vrgeret, quò & Othomanno resisteretur, & hæretici deprimerentur, nec ea, nisi traditâ Francisco Regi Insubriâ perfici posset, Cæsarem rogarent atque obtestarentur, ne grauaretur hac magnanimitatis hostiâ tamquam incolumitati Christianorum, & Religionis emolumento litare. Verùm, vt etiam fides iis porrigatur, qui non aliâ notitiâ, quàm ex opinione vulgari semper ad deteriora procliui, arbitrantur studuisse Paulum suis Mediolanum conquirere; certè inficiari nemo poterit, eum tam altæ cupiditati tam strenuè temperasse, vt accuratiùs publici quàm priuati parentis partes expleuerit. Satis enim intelligebat, vnicam rationem Insubriæ impetrandæ à Cæsare (penes quem eius concedendæ potestas erat, eiusdem quippe possessorem ac dominum supremum) futuram fuisse, si à proposito neutri parti adhærendi discederet, de quo adeò querebantur Austriaci. Qui medius inter duos hostes æquè perstat, sperare quidem quietem vtrimque potest, eximia beneficia ab alterutro sperare non potest. Quin vti animi perturbatio cognitionem decipit, & tepidus calenti manui frigidus, frigidæ calidus videtur; ita qui æqualiter in medio pedem figit, vtrique partium suspectus euadit, quasi alterius studiosus. Erat etiam Clementis exemplum, qui partes Cæsaris apertè secutus Florentiam obtinuerat. 1538.

Quod si tot legationes, tot sumptus, tot officia, tot itinera, tot res per eas curas confectæ parum valent ad persuadendum in Paulo III. pacis ac Religionis studium, quicumque certè in terris labor frustrà suscipitur, quo præclari nominis fama comparetur.

6 Sed hac in re possum equidem accusationem euertere oculato teste omnem exceptionem superante, cuius dictum latere Suauem haud potuit, adeoque malignæ fraudis eum redarguit. Num fortè non legit narrationem Nicolai Tepoli, qui Orator à Senatu Ve-

1538. neto ad ea negotia peragenda missus, Regum pacificationem de suæ Reipublicæ voluntate omni studio promouit, omniumque arcanorum conscius fuit? Hic itaque in illa accuratissima narratione * non modò numquam indicat agitatum à Pontifice de Insubria Farnesiis impertienda, sed refert, eumdem per summam efficaciam studuisse Cæsari persuadere, vt illam Aurelianensi Duci concederet. Insuperabilis quæ obstitit difficultas, in eo erat, quòd volebat ex vna parte Cæsar, vt eius concessionis effectio tres annos protraheretur, donec Ferdinandi fratris sui filia ætatem pertingeret, quâ cum Aurelianensi coniungeretur; Insubriâ interim penes amicum depositâ, acceptisque à Rege suppetiis in Turcam, & officiorum ope in Protestantes. E diuerso Rex abnuebat, præsenti suarum rerum dispendio, amicorumque iacturâ spem futuræ accessionis emere; hinc verò recusabat Cæsar præsenti Mediolani iacturâ spem Gallici auxilij fauorisque mercari. Inter hasce difficultates vtrimque ineluctabiles, ait Tepolus, præ se tulisse Pontificem tam studiosam boni communis voluntatem, tam liberam parentis, & Christiani animi sinceritatem, vt ab vtroque Principe quemcumque vaporem diffidentiæ priùs de se conceptæ planè depulerit, suspicionemque in fiduciam verterit. Affirmat quoque, Pontificem ardenti huiusce pacis desiderio posthabuisse cuncta corporis incommoda, senectute morbisque confecti, cunctasque Maiestatis offensiones, cui haud par exhibita, præsertim à Sabaudiæ Duce, reuerentia fuerat, vt qui pollicitus illi Nicææ arcem, in qua & ipse diuerteret, & in colloquium Reges exciperet, reipsâ postmodùm eam denegauit, ob suspicionem ex militia externa inducenda excitatam. Vnde Paulo, nolenti alio pacto vrbem ingredi, necesse fuit in Cœnobium extra Nicæam se recipere. Quod Pontificis reique agitatæ incommodum, vt asserit Tepolus, viam strauit induciarum sanctioni, quas priùs Carolus diuturnas, Franciscus breues recusabat. Ipsarum siquidem diuturnitati repugnabat anteà Cæsar Sabaudi gratiâ, qui oppidis à Gallo occupatis interim priuabatur; at vbi posteà sensit, auctoritatem suam tanti apud Ducem non fuisse, vt ab illo tam æquam gratificationem Pontifici impetraret, prout se posse confiderat, ac se velle declarauerat, statuit vicissim longas inducias voluntati auctoritatique Pontificis concedere, posthabitâ Sabaudi vtilitate.

* Apud Barberinos.

Alterum quod super hac re in Paulo Suauis arguit, Concilium spectat. Ad hoc ipsum intelligendum scire oportet, cùm Pontifex ab vtroque horum Principum quæsiisset, vt Antistites, qui tunc erant in eorum comitatu, ad Synodum mitterent, mox verò reli- 7

quos

quos ſuarum ditionum, moram ab vtriſque poſtulatam, cauſantibus, nec deeere alteros tam arduum opus ſolos aggredi, nec alteros ad maturè conueniendum præſtò eſſe: proinde rurſus à Pontifice Synodum Romæ prorogatam vſque ad futurum Paſcha, * diſertè aſſerente, id fieri tam in gratiam Cæſaris & Ferdinandi fratris, quàm Regis Galliæ; cùm ita ſe ſubtraheret à calumnia vitandi Concilij quaſi Pontificiæ Monarchiæ periculoſi. Edixit etiam, non idcircò putandum prius diploma Placentiæ editum per ea abrogari: quibus ſignificabatur, tametſi eius inchoatio vſq; ad Paſcha traheretur, non ideò ipſo Paſchatis die vt inchoatum cenſendum, abſque noua denuntiatione Pontificis; quandoquidem fieri poterat, vt ex variis rerum euentis ne tum quidem è Republica foret eius inchoatio. 1538.

* Genuæ 28. Iunij 1538 ex Actis Conſiſtor.

8 Hîc verò Suauis autumat, Paulum huic duorum Principum petitioni adeò ſe promptè flexiſſe, vt non tam alienis votis indulgere, quàm proprio ſatisfacere videretur. Sed in hoc pariter eumdem mendacij reum arguit Tepoli narratio; in qua non ſolùm nulla eius rei mentio fit, ſed contraria planè habetur, vbi affirmat; Cùm inter pacis conditiones proponeretur, vt Rex Galliæ Concilio conſentiret, haud illum id Cæſaris impulſu agere, ſed in Pontificis gratiam voluiſſe. Quòd ſi Paulus non ſe duriùs geſſit concordi Regum petitioni protrahendi Concilij, nónne Suauis animaduertebat, eſſe prudentis conſilij ad retinendam & auctoritatem & beneuolentiam, haud obfirmatè iis repugnare, quæ inuito petitore impedire in poteſtate noſtra non eſt, cum ſpes non ſuppetit hominem à petitione dimouendi? Quid amplius effeciſſet Pontifex, ſi firmus in feſtina inchoatione Synodi perſtitiſſet, niſi palàm oſtendere, in eo ſibi poteſtatem impotentem ineſſe, eoſque Principes impelli ad id per ſeipſos exequendum, Pontifice apertè repugnante, quod tunc ab ipſo tamquam beneficij loco poſcebant? An fortè id æquis titulis non petebatur? Rationes audiamus, quas Pontifex attulit inter mandata ſuis Legatis præſcripta.

9 * Prima fuit: Ab illis Regibus affirmari, ſe libenter Synodo interfuturos: ſed cùm diu ab ſua quiſque Regia belli cauſâ abfuiſſet, opus eſſe domum redire, & aliquamdiu ſua negotia ibi componere.

Secunda: Cùm ad tempus induciæ ſolùm inter eos confectæ fuiſſent, nondum pax perpetua, quæ vti inter eos conuenerat, miſſis Romam vtriuſque Oratoribus agitanda erat, vbi Pontifex eius ſequeſtrum ageret, rei euentum præſtolandum: etenim ſtabilitâ pace Concilium proculdubiò ſolemniori frequentiâ, accuratiori ſolertiâ, defæcatiori ſecuritate, vberiori fructu celebratum iri.

* Extat in libro Archiuij Vaticani, relicto ab Aleandro, cui titulus, *Litera Italica ex Legatione mea tertia Germanica*, in quo libro ſunt etiam ſcripturæ ac Literæ Aleandri infrà citandæ.

 Tertia

1538. Tertia erat: Cùm immineret præualidus Turcarum impetus, vniuersæ Pannoniæ minitantium, eorum conatus neruis omnibus reprimendos. Proinde Episcopos tam Germaniæ quàm Pannoniæ, eosque præcipuè, qui profanis pollerent ditionibus, defensioni operam impensuros, adeoque partem adeò nobilem Insularum Concilio defuturam.

Quarta: Ex pluribus acerbisque dissidiis inter Germaniæ Proceres gliscentibus, difficilem tunc videri huiusmodi Conuentum, & importunum; quapropter satius esse, illorum concordiam exspectare, cuius spem non inanem Carolus ac Ferdinandus faciebant.

Postrema: Cùm duos iam menses Legati Vicentiæ consumpsissent, nullum ibi Episcoporum visum, nec proximi illorum aduentus indicium haberi; quod non solùm vtilem, sed necessariam quoque dilationem ostentabat.

Num fortè hæ rationes parum ponderis præ se gerunt? Sed eas omnes mittamus. Nónne diu erat, quod tres præcipui Principes in eam petitionem conspirarant? Quis ardentius Carolo Concilium exoptauerat? Quâ penè dixerim importunitate ad illud conuocandum Pontifices extimulauerat? Cuiusnam magis quàm Cæsaris interesse videbatur ea præstare, quæ tot flagrantissimis totius Germaniæ postulationibus spoponderat? Cùm igitur idem prolationem deposceret, nullus erat dubitationi locus, quin vel nequiret, vel parum congrueret id temporis Concilium cogi. Enimuerò * Germani tam priùs auidi festinati Concilij, per eam occasionem ne vnam quidem linguam gerere visi sunt, quæ de prorogatione mutiret.

* Variæ Literæ Aleandri Legati, & Mignanelli Nuntij in Germania.

CAPVT VII.

Censuræ ac mulctæ à Pontifice in Britanniæ Regem promulgatæ.

Egerant ad ea vsque tempora Pontifices cum Rege Britanniæ 1
ceu cum corpore tabefacto quidem, at delicato, cui lenia medicamenta essent adhibenda, opem non vim inferentia, & præstolando temporis beneficio accommodata. Sed experientia iam spem consumpserat, adeoque pariter timorem; cùm illi nihil hostilium in mentem cadere videretur, quod in Ecclesiam non exerceret. Duo capita, quæ in maxima fuerant apud Anglos reuerentia, præcidi iusserat, Cardinalem Roffensem ac Thomam Morum, ab ipso, cùm castus regnaret, ad summos gradus euectos. Maiestatis crimen erat, noluisse hunc Nabuchodonosorem adorare tamquam Christi

Christi eo in Regno Vicarium. Patibula persuderat innocenti cruore integerrimarum Matronarum maximè spectabilium, Cœnobitarum virorum in literis summè præstantium. Aduersus Polum Cardinalem, qui præter affinitatis cum eo coniunctionem, ceu agnus præ mansuetudine habebatur, eratque omnium virtutum exemplar, tam atrociter insaniit, vt insectationibus, quas memorauimus, nondum satur, cùm ille Parisiis Cameracum confugerat, obtulerit Cameracensi Senatui multa militum millia vsque ad exitum belli, modò sibi hominem dederent. Et sanè impendebat Polo ingens vitæ periculum, nisi Cardinalis Leodiensis illi præstò fuisset tamquam Angelus ad custodiam. Templa per eum direpta, sacra Cœnobia profanata, Religiosi Ordines eiecti, nomen Romani Pontificis horrendis execrationibus infra ipsum Luciferi nomen proculcatum. Vbi Pontifex Concilium indiceret, illicò Regis diræ in illud concrepabant tamquam in sacrilegum ac tyrannicum. Vbi ex necessitate ipsum protraheret, aliæ rursus diræ perstrepebant, quibus prorogationis consilia ceu fraudes damnabantur. Ad summam, nihil Henrici similius quàm Suauis, in lacerandis Pontificum rebus gestis, in iisdem carbone stygio expingendis, in Christi Vicario odiis prosequendo, quantum satanas Christum odit. 1538.

2 Postremùm eò impietatis præceps abiit, vt vel Ethnicis abominandus videretur, nec vllius excusationis capax, tametsi in æstu furoris & in hostem recentem excandesceret: & tamen rabiem Henricus exercuit animo sedato (si quid vmquam sedati ab intestiniis furiis eius animo concessum est) & aduersus Diuum antiquâ Religione cultum. Id planè egit, cùm in cadauera immaniter sæuiit: & quoniam S. Thomas Cantuariensis Antistes, pro tuenda Ecclesiastica dignitate contra Henricum Secundum martyrium fortiter tolerauerat, hic verò postmodum Martyris ossa veneratus, voluntariâ pœnitentiâ sese abiecerat, veniamque ab illo lacrymabundus flagitauerat; Henricus Octauus illius ossa manu carnificis comburi iussit, cineresque in fluuium proiici, & habitâ in ipsum iudiciariâ quæstione, solemnique latâ sententiâ tamquam in perduellem, venerabilem eius memoriam deturpauit; addictis fisco Regio tamquam patrimonij bonis, Templi ornamentis, quæ ob illustria Viri miracula ab annis quadringentis fidelium pietas illi sacrauerat. Retulit hæc enormia scelera Pontifex ad Purpuratorum Senatum * eo die quo ibidem egerat de habenda morum emendatione; destinauitque ad consulendum super ea re viros spectatissimos, Ghinuccium,

* 25. Octobris, vt in Actis Consistor.

1538. cium, qui tunc Pontifici ab Epistolis erat, & Campeggium, vtrumque rerum Anglicarum peritum, Contarenum, omnibus planè dotibus eximium, instructumque prudentiâ Patriæ suæ, supremæ in eius arte magistræ; & Caraffam, studio Religionis, integritate vitæ, & Aulæ Regiæ, præsertim Londinensis, experientiâ probatissimum.

Iam vero apud se reputet vnusquisque, an vlcisci tot crimina, Apostolicæ Sedi, Iustitiæ ac Deo iniuriosa, post tantam tolerantiam ac lentitudinem, tantumque consultationis, fuerit *prudentem patientiam abrumpere*, vti Suauis loquitur. Censebant Vaticani Senatores, animaduertendum in Henricum grauissimo damnationis rigore aliàs à Romanis Pontificibus adhibito, videlicet censuris, Regiique iuris abrogatione, ac præterea Catholicis commercium cum illo eiusque asseclis interdicendum: atque id ita peractum per diploma die 27. Decembris eodem anno, misso priuatim Polo Cardinali ad Cæsarem ac Franciscum Regem, qui eos inflammaret ad abrumpendam quamcumque cum Henrico communionem, edoceretque cetera, quibus Britannia indigeret. 3

Henrici tam impia facinora plausu quidem excipit Suauis, scribitque, molestiorem accidisse Pontifici detractum sancto Thomæ cultum, quàm oppugnatam in se potestatem Synodi conuocandæ; siquidem sacris honoribus hominem spoliare à Pontifice inter Cælites iam relatum, idem erat, ac ingens arcanum patefacere. Sed dictum hoc multis erroribus permixtum est, amaro liuoris succo dilutis. In primis Rex, qui Pontifici Ecclesiæ supremum Principatum pernegat, ac sibi arrogat, vti Henricus ad eam vsque horam præstiterat, proculdubiò longè ampliùs illi detrahit, quàm auctoritatem hominis inter Cælites adscribendi; cùm & eam illi detrahat, & simul reliquam omnem supremam Pontificis potestatem, planeque ipsum redigat ad Antistitis priuati conditionem. Secundò, oppugnatio Summi Pontificum Principatus, potestatisque Oecumenica Concilia conuocandi, ad id vsque temporis ab Ecclesia Romana damnabatur tamquam hæresis, Fidei fundamenta conuellens; sed non hæresis damnabantur ab eadem Ecclesia auctores, qui affirmarent, posse Pontifices falli in deferendis alicui Cælitum honoribus, quippe quod ad factum merè spectaret: quam opinationem suis in libris in lucem editis Caietanus paulò ante asseruerat, tametsi damnaretur tamquam temerarius atque impius, quicumque affirmaret, in hoc vel illo inter Sanctos adscribendo erratum reipsâ fuisse. Verumtamen nunc eiusmodi opinio passim refellitur, cùm censeatur pertinere ad ipsam Dei prouidentiam, quâ semper Eccle- 4

Ecclesiæ suæ præstò fuit, ne illam in re tanti momenti decipi sinat. 1598.
Tertio loco: Nónne Suauis animaduertebat, damnatâ sancti Thomæ memoriâ eo nomine, quòd supremam Regis potestatem Ecclesiasticam oppugnasset, damnatam pariter iri sancti Ambrosij memoriam, quòd ausus fuisset supra Imperatorem Theodosium exercere potestatem; & S. Ioannis Chrysostomi, quòd in Eudoxiam Augustam suæ quoque auctoritatis neruos intendisset? Ac demum, si Regi liceat veneratione spoliare aliquem è numero Sanctorum, tot sæcula ab Ecclesia concorditer adoratum, idem etiam agere cum quocumque inter Sanctos habito licitum fore; adeoque neque nefas existimandum, erectas Sanctorum cultui aras euerti, eorum sacra lipsanâ conculcari, solumque generatim ac promiscuè colendos tamquam beatos illos Spiritus, quicumque sint qui cælo fruuntur.

5 Præterea videtur sibi Suauis Pauli III. imprudentiæ hac in re ludificari valido quasi argumento, vbi ipse addit, Euentu patuisse, quo in loco susceptum Pontificis consilium apud homines fuerit. Sed illudentis vecordia libro superiore * à nobis demonstrata iam est: perinde quasi maioris fuisset prudentiæ se proculcandum nihil obsistendo permittere, quàm incertâ victoriâ certare. Derideat simili argumentatione Philippum II. qui Aurantium, Britanniæ Rege longè minorem, publicâ sententiâ perduellionis damnauit, & tamen euentus ostendit, quo ea damnatio fuerit in loco habita. Derideat præteritos Galliæ Reges, qui tam sæpè Dynastas sibi beneficiarios ipsorum ditionibus tamquam perduelles spoliarunt, posteà verò satius habuere, eosdem sibi reconciliare, auctis in eorum commodum conditionibus. Quis adeò desipit, qui Pontifici tribuendam censeat vt Christi auctoritatem, itidem Christi dexteram omnipotentem? Ipsa cæli fulmina non semper scelestos interimunt; semper tamen deterrent, quòd interdum interimunt. At neque fœdera posteà cum Henrico à Catholicis Principibus confecta, despectum illius Pontificiæ sententiæ comprobant, vt Suauis argumentatur; cùm illi numquam causati fuerint irritam Pontificis in Angliæ Regem sententiam, sed necessitatem extremam, quâ se premi arbitrabantur, quando fœdus cum eo sanciebant. Vtcumque res cesserit, certum est, huiusmodi Pontificum animaduersiones, tametsi quandoque plagam non inflixerint, non ideircò contemptas ab vllo Christianorum Principum; quin etiam eorum aliquis Britanno Rege præcellsior haud priùs potuit firmam capite Coronam attollere, quàm eam Romano Pontifici submiserit.

* Cap. 15.

Neque

1538.

Neque id temporis hanc fiduciam Paulus temerè conceperat; 6
ciuilibus quippe tumultibus Catholicorum in Regem humanitate prorſus exutum, accedebat primò Regis vtriuſque diſerta comprobatio, vti [a] Farneſius Granuellano commemorauit. Addebantur ſecundò promiſſa Cæſaris, ſpeſque [b] à Franciſco Rege, ſicuti vel Suauis teſtatur, facta, nec certè per ſimulationem; nam poſt diploma Paulo ſpoponderat, ſe Legato ſuo apud Angliæ Regem iniunctum, vt eodem die inde diſcederet, quo Cæſareus Legatus diſceſſiſſet; ſimulque eam inſulam ſe aggreſſurum iuſtis copiis, vbi Cæſar cum Rege Scotiæ ſuis etiam viribus adeſſet, quò adempta bello poſteà inter ſe diuiderent, vel nouum illis Regem imponerent. Quin compertum habeo, noluiſſe Pontificem, niſi hoc nixum fundamento, ſententiam proferre. Cùm enim tres ante annos Ferdinando Regi ſignificaſſet quæ meditaretur in Henricum, ob iniuriam materteræ Cæſaris ac Ferdinandi, vnaque primæ Sedi ab eo illatam, [c] reſponſum accepit, videri quidem conſilium æquitati cauſæ, Regis contumaciæ, & Pontificio Religionis ſtudio conſentaneum, ſeque, quod in ſe foret, peroptare illi præſtò futurum ad rem perficiendam, vt ratio poſtulabat; non tamen poſſe fidenter illud comprobare, nondum perſpectâ ſuper eo Cæſaris voluntate. Pontifex verò ſubſtitit, dum hic bello Germanico & Gallico diſtinebatur: ſed cùm poſteà ab vtroque expeditum cerneret, ipſumque ſimul cum Regibus Galliæ ac Romanorum [d] benè animatum ad interdicendum cum Britanno commercium, vbi Pontifex ſententiam protuliſſet; nimis profectò ignauiter audiuiſſet, niſi rem tentaſſet; quippe nemo Paulum non incuſaret, quaſi animus ipſi defuiſſet ad curandam igne gangrænam, ne tam nobile Regnum putreſceret. Enimuerò non ciuili minùs quàm naturali corpori congruit Hippocratis documentum; In extremis malis adhibendam medicinam dubiam potiùs quàm nullam.

CAPVT VIII.

Legatio Cardinalis Aleandri in Germaniam ad Religionis diſſidia componenda.

CÆſar ac Ferdinandus Rex, qui ad id vſque tempus Concilium per ſummum ardorem efflagitauerant, cùm Pontifices lentè agere videbantur; vbi iam operi manus admouebatur, edocti reipſâ hæreticos Concilio nequaquam acquieturos, intuebantur eâ perſpicuitate, quam pariunt proxima corpora, veritatem 1

[a] Literæ Farneſij Toleto miſſæ ad Paulum III. 20. Ianuarij 1539.

[b] Ex cōpendio Literarū ex Gallia 21. Ianuar. 1539. ſcriptis à Latino Iuuenali, Internuntio Pontificis Extraordinario ad Cardinalem Farneſium, & ab eo ad Cardinalem Aleandrum miſſis; cuius manu nonnulla in margine annotata, repoſita ſunt in Archiuio Burgheſiorum.

[c] 3. Septembris 1535.

[d] De duobus primis conſtat ex autographo Cardinalis Farneſij, Epiſtolā ad Aleandrum, 17. Decembris 1538. apud Barberinos. De tertio ex Epiſt. Card. Aleandri Legati, & Flauij Mignanelli Nuntij apud Ferdinandum, ab vtroque ſcripta ad Cardin. Farneſium, 20. Nou. 1538.

tem oppositarum rationum, quas ipsis expendendas Clemens obiecerat, sed visas eo viuente minoris ponderis, quasi ab eo profectas qui rem suam ageret. Qua in re plerumque homines peccant, minimè intelligentes, huiusmodi Consiliarij non quidem auctoritati fidendum, sed audienda perpendaque argumenta: amor enim propriæ vtilitatis, qui ad oppositam sibi veritatem cæcus est, simul etiam ad sibi conducentem Argus est; quare validissima causæ munimenta, quæ Iudici patronus affert, ea sunt, quæ à voce litigatoris rei suæ satagentis accepit. 1538.

2 Itaque cum illi [a] futuram prospicerent ex Concilio non reconciliationem hæreticorum, sed proscriptionem futuram, atque ex ea turbulentiores motus pertimescerent, in concordiæ consilia omnes iere. De illa Cæsar egit Villæfrancæ cum Pontifice; vbi conuenit inter vtrumque, [b] vt Legatus in Germaniam mitteretur Aleander Cardinalis, in quo maior quàm in ceteris ad hæc inerat rerum vsu solertia, magisque Cæsari perspecta. At quoniam si eo nomine legaretur vt Lutheranos ad concordiam [c] reuocaret, meritò timendum erat, ne illorum arrogantia insolesceret, ne Pontificis maiestas abiiceretur, ne eius mercis pretium augesceret, cuius tanta cupiditas ostentabatur; satius Pontifici visum Lucam regresso, tria Legato diplomata tradere: Primum, [d] quasi secundarium & ex accidente, de Bohemorum conciliatione, ad quam procurandam acceperat à Pontifice ante annum facultatem Moronus Nuntius, & cuius breuî spem abiecerat: Secundum, primarium, vnde titulus Legationi inditus, de Pannoniæ rebus; ad pacem videlicet perficiendam, nondum solenniter confirmatam inter Ferdinandum & Ioannem Reges, & ad componendam Ecclesiarum administrationem, quarum Antistites nondum erant Pontificis auctoritate comprobati, atque ad arcendam inde Lutheri pestem Turcarumque tyrannidem: Tertium, de concordia Lutheranorum; quod diploma [e] tantisper celaretur, dum spes euentus prosperi assurgeret. De hac Legatione, quę annum expleuit, per supinam neglıgẽtiam ne verbum quidem Suauis.

3 Ferdinandus Rex quamuis initio Aleandri electioni plauserit, [f] eumque honorificè ac amanter exceperit; suorum tamen consiliis impulsus, in quorum multis non æquè ac in domino pietas inerat, Romæ per suos Oratores, an etiam Nuntij Moroni operâ; significauit, Aleandrum conflandæ concordiæ idoneum non videri, quippe Lutheranis odiosum ex præteritis contentionibus, & ob Edictum

[a] Epistola Moroni Episcopi Mutinensis, & in Germania Nuntij, ad Cardinalem Farnesium, 2. Iulij 1538. & ab eo communicata Card. Aleand. In Archiuio Barberinor.

[b] Ex Literis Caroli V. ad Ferdinandum Regem 12. Septembris, infrà citandis.

[c] In mandatis Hispaniam missis ad Poggium Nuntium à Card. n. Farnesio, 12. Octobr 1538. & Alcandro communicatis: & mandata data eidem Aleandro sunt, in lib. Instructionũ in Archiu. Vatic.

[d] 14. Iulij ann. 1538.

[e] Ex Epistola Aleandri Vicẽtiâ 14. Iulij 1538. ad Ioannem Blanchettum, Ministrum Cardinalis Ghinuccij, & aliis compluribus, posteà ad Pontificem & Card. Farnesium datis.

[f] Epist. Nuntij Moroni ad Card. Aleandrum, 2. Augusti & 3. Septembr. 1538.

1538. ctum Wormatiense, quasi fulmen in eius officina laboratum; ac prætereà, quippe ingenio præferuido, ad pugnam quàm ad pacem strenuiorem. Quin contigerat, vt in penultimo Purpuratorum selectu, cùm Pontifex haberet in animo Aleandrum prouehere, cohibitus fuerit, obtento obstaculo, ne id molestum accideret Ferdinando propter concitatam ab illo inuidiam apud Germanos, hominis impetu exasperatos. Cuius rei factus tunc certior Ferdinandus, grauiter indoluit, admonuitque per literas* Pontificem de rei propositæ falsitate, de beneuolentia quâ Præsulem illum eximium prosequebatur, de grata quâ apud Germanos viuebat commendati nominis memoria, de gaudio quo ipse & vniuersa natio afficeretur, vbi ad primas Ecclesiæ Sedes euectum Aleandrum aspicerent. De hac etiam Regis Germanorumque propensione in auctiorem Aleandri fortunam sæpiùs in eamdem sententiam eidem scripserat Moronus Nuntius. Quare motus huiusmodi quò magis improuisus Legato, eò sanè acerbior accidit; incessitque timor, ne Pontifex Reipublicæ bono magis intentus, quàm priuatæ ministri famæ, seipsum altero* suffecto reuocaret. Neque sibi ipse defuit, missis ad Pontificem exemplaribus tam epistolæ Regiæ aliàs ad illum scriptæ, quàm iteratæ Nuntij testificationis (à quo hæc ali sensa,* suum apud animum suspicabatur) de illius nationis erga se beneuolentia: vnde arguebat, minitantem sibi procellam non aliunde ortam esse, nisi vel à calumniis prauorum Consultorum, quibus religiosissimus ille Rex obsidebatur, vel ab ipso Rege; qui nollet rem agitari à viro dignitate conspicuo, ac literis præcellente, sed ab homine minoris notæ, qui à Pontifice delegatus meram gereret Pontificij nominis speciem, sineretque se duci, quò politici ex humanis rationibus conducibilius existimassent. Illius enim rei tractatio duxerat originem à Ferdinandi desiderio subsidij, sibi* per Germanos conferendi aduersus Turcas; quod cùm à Catholicis negabatur, causantibus necessitatem sese contra Lutheranorum impetum muniendi; tum ab hæreticis, periculum prætendentibus molestiæ quà à factione Catholicorum, quà à Cæsare sibi inferendæ. Hinc Brandeburgicus quamdam concordiæ formam insinuauerat, quâ Lutheranis indulgeretur Eucharistiæ perceptio sub vtraque specie, Sacerdotum coniugia, aliaque à legibus Ecclesiasticis laxamenta, veræ Fidei minimè repugnantia.

* Viennâ 3. Februarij 1537.

* In Literis iam citatis.

* Ex notis ab Aleandro additis exemplo citatæ Epistolæ.

* Apparet ex citato exemplo Literarum Nuntij Moroni ad Cardin. Farnesium, 2. Iunij 1538.

Citra iactationem significabat Aleander, ex cunctis qui ab Apo- 4
stolica Sede delegati eam rem curauerant, à nemine præterquam à se fructum decerptum, per opportunam tolerantiam sibi temperante,

rante, & ardentissimè rem promouente in Comitiis Wormatiensibus, vbi tot difficultatibus superatis extorserat à manibus omnium Principum Ordinumque Germaniæ validissimum telum, quod simul hæresim percelleret, ac Pontificatum communiret. Se cohibuisse tot annos, ne scriptionum acerbitate Lutheranos irritaret, quibus vsi nonnulli Catholicorum, ardore magis concitati, quàm prudentiâ circumspecti, bili vulnus exulcerarunt. In Augustano Conuentu, ad quem præpeditus morbo missus haud fuerat, cùm propinqua concordiæ spes euanescere cœpit, Melanchthonem suspirasse, *Vtinam adesset hic Aleander, quicum sat scio nos conuenturos!* Antistitem doctrinâ & integritate comprobatum excludi à Cœtibus, vbi de Religione agatur, eo solùm nomine quòd perditis odio sit, haud videri consonum exemplis Ecclesiæ vsu confirmatis: etenim prætextu non absimili agitatum est de excludendo Athanasio à Concilio Sardicensi; & tamen, ne excluderetur eâ constantiâ Patres obstitisse, vt septuaginta Episcoporum Arianorum inde secessionem libentiùs tulerint. Atque illius sanè viri præsentia in causa fuit, vt in Occidentis Ecclesia veri Canones Nicænæ Synodi, doctrinaq; Catholica, vel ipsis schismaticis Græcis confitentibus, perseuerent. 1538.

5 Verùm hæc Aleandri defensio plus ponderis quàm necessitatis habebat: [a] officia quippe Ferdinandi quò ille remoueretur, nec valida nec diuturna fuere. Sub initium rei agitandæ [b] Protestantes Esynachi ad Rhenum coniuncti postularunt à Ferdinando, vt rei transigendæ potestatem Septemuiris Palatino ac Brãdeburgico permitteret. Sed vtrique inter Catholicos minùs erat fidendum; alteri tamquam in Pontificem alieniori, ob datam eius fratri repulsam de Eystadensi Ecclesia adiutoris nomine accipienda; tametsi adeò æquis de causis, vt Ferdinandus eam ceu sanctam commendauerit: Alter, vti dictum est, in Fide nutabat; nec modò ipsius frater Luthero palàm adhærebat, sed Septemuir ipse suos populos Lutherana publicè doceri dogmata patiebatur. Dissimulanda tamen ea diffidentia visa est, ne patefacta suspicio tales redderet, quales Catholici suspicabantur. Quare Pontifex per diploma traditum Aleandro de concordia Brandeburgicum laudabat, quasi parentis religiosum studium imitantem in errantibus ad rectam semitam reducendis. Idcircò statutum fuit, à Ferdinando ipsis rescribendum, [*] haud licere potestatem illis concedere rem conficiendi, donec responsa Caroli rediissent; sed intereà curarent Lutheranos ad honestas conditiones adducere. Ipsi quoque Septemuiri iam ab ea petitione recessetant, per Lutheranos habita tamquam iniqua & inuidiosa; solum-

[a] Epistola Aleandri ad Pontificem Lintio 14. Septembris 1538.

[b] Aleandri Literæ ad Pontificem 1. Octobris & 2. Nouembris 1538.

[*] Epistola communis Legati ac Moroni ad Cardinalem Farnesium 18. & 20. Nouembr. 1538.

1538. ſolumque poſtularunt, vt plena huiuſmodi poteſtas à Cæſare Ferdinando fratri impertiretur.

* Ex poſt ſcripto Literarum Vallidoleto 21. Septembris 1538.

Acceperat hic * arcana à Cæſare reſponſa, nihil ſe poſſe illi ſpeciatim mandare, niſi priùs cognouiſſet quid demum Lutherani vellent, quid Pontifex indulgeret, cuius & Legati Aleandri conſenſu & auctoritate cuncta peragenda, coniunctàque pariter Regis Galliæ voluntate, quò cauſæ fieret propenſior. Illud vnum ſe in præſentia ſignificare generatim, vt per tres gradus ordine procederetur. Primus erat, Vt hæretici ad ritum Catholicorum omnino reuocarentur. Alter, Vbi id aſſequi non poſſet, vt illis ea concederentur, quæ neque vel ipſi Fidei obſtarent, vel reliquo Chriſtianorum generi offenſionem parerent, quò ſeu in perpetuum, ſeu ad certum tempus concordarent. Quòd ſi ne id quidem ſuccederet; tertio loco, Vt cum ipſis paciſceretur inducias quàm minimè poſſet incommodas: rem ſuapte naturâ haud talem eſſe, vt conficienda tam breui tempore videretur, quin priùs liceret nouam à ſe reſponſionem excipere; ſed vtcumque res foret, eſſe in poteſtate Ferdinandi ſuo nomine ſpondere. 6

Creuerat per eos dies inter Pontificem & Auſtriacos beneuolentia: cùm enim è viuis deceſſiſſet Mediceus Cardinalis, non ſine rumore veneni à Duce Alexandro fratris filio propinati, quòd Florentino Principatui ab eo timeret; deinde verò cùm interfecto Alexandro fraude Laurentij, illi ex eadem familia coniunctiſſimi, ad eumdem Principatum accitus eſſet à Senatu Coſinus, ex eodem quidem, ſed non ita proximè ortus ſanguine; Margarita notha Cæſaris filia, relicta Alexandri vidua, quamquam à Coſino, quò nouum Principatum firmaret expetita, à parente tamen Octauio Farneſio Pauli nepoti deſponſa eſt, eodemque tempore Romam deducta. Et tamen ſui tenax propoſiti Pontifex, medium ſe inter partes habendi, in beneuolentia pariter Franciſci Regis perſiſtebat; ad quam confirmandam, eo planè tempore quo cœptum erat agi cum Cæſare de nuptiis inter a Margaritam & Octauium, neſcio quid etiam Carolo conſentiente, Franciſco Regi propoſitum de collocanda Victoria Octauij ſorore in matrimonium Vandomio è Regio ſanguine, qui poſteà per alias nuptias ad ſolium Nauarræ conſcendit, eoſque progenuit Principes, ad quos extinctâ ſtirpe Valeſiâ, Galliæ Regnum deuenit: huic tamen propoſito connubio Gallus frigidiùs tunc aures dedit. Quin Pontifex adeò ſe difficilem præbuit in iis indulgendis, quæ poteſtatis erant Eccleſiaſticæ, & à Cæſare flagitabantur, vt hic per iocoſum aculeum b dixerit Farneſio Cardinali, 7

a Ex Epiſtola Legati Farneſij ad Pontif. 9. Febr. 1540. quæ cū multis aliis extat in Archiuio Barberinorū.

b Epiſtola Card. Farneſij ad Pontif. 19 Iunij Tolet. 1539.

dinali, dum posteriori anno in Hispania legationem agebat, Velle 1538.
suæ se filiæ succensere, vbi meliùs cum ea quàm secum Pontifex agere videretur. Hic nouus cum Pauli familia nexus, additus vtriusque Austriaci Principis pietati erga Pontificiam dignitatem, eos arctiùs adstringebat, vt ex animo, ac reipsà illius auctoritatem gradus sustinere ac fulcire niterentur. At nihil erat conditione temporum iniquius: nam Ioannes Vaiuoda Rex pacis promulgationi obsistebat,[a] nisi priùs præstò essent præualidæ Ferdinandi copiæ Solimannum repulsuræ, qui eâ pace irritatus contra se facturus impetum videbatur; iis autem parandis copiis, assensu Lutheranæ factionis opus erat. Hanc verò promulgationem [b] adeò cupiebat Ferdinandus, vt per ardentissimas preces diu Pontificem retinuerit, ne Pannoniæ Præsules confirmaret, vt eo acti stimulo Vaiuodam ad promulgationem pacis stimularent. [c] At Pontifex aliquamdiu moratus, consulendum tandem putauit saluti illius Christianæ nationis, adeoque non modò Episcopos Pannoniæ confirmauit, [d] sed etiam Ioannem [e] adiuuit pecuniâ; tametsi Aleander Legatus aduersaretur, [f] qui pro more administrorum ea præ ceteris spectabat, quæ administrationi suæ prodesse vel obesse poterant. Ferdinandus quidem id acerbè tulit; [g] non item Carolus, qui de protrahenda promulgatione cum Ioanne conuenerat, [h] nec de confirmatis Episcopis quidquam [i] cum Legato Farnesio questus erat.

8 Cùm itaque subsidia expeterentur, quò sceptrum Pannoniæ in Austriacorum Principum manibus firmaretur, in præualida offendebatur obstacula, si Lutheranorum intolerabilibus postulatis obsisteretur: [k] eorum quippe factio ad peditum triginta, equitum decem millia satis erat, adeoque per Germaniam diffusa, vt [l] Legatus cùm primò Germaniam adiit, nactus ibi fuerit mille & quingenta Sacerdotia, curis animarum addicta, Curionibus vacantia ex Catholicorum Sacerdotum penuria. Serpebat etiam in dies magis ea lues per summæ auctoritatis capita, quorum spiritu Germaniæ populi, quasi vento frondes, agitabantur. Hæc incrementa non parum ex eo prouenerant, quòd Ferdinandus, vt per seipsum suumque sanguinem sanctissimè Religionem excolebat, seuereque tunc interdixerat, [m] ne quis de Fidei controuersiis cum filiis sermonem haberet; ita ne Lutheranos à se prorsus abalienaret, Magistratus ipsis penè prodigus concesserat: [n] quod sanè impedimento erat, ne ille-

a Variæ eiusdem Literæ, præsertim 19. Iunij 1539.

b Variæ eiusdem Literæ, præsertim 15. Martij & 20 Aprilis 1539.

c Epist. Cardin. Farnesij ad Alcandrũ Ostiâ 1. Maij 1539. quæ cum reliquis omnibus ad ipsum scriptis, & hic citatæ, sunt cum autographis in Archiu. Barberinor.

d 30. Maij 1519. in Act. Consistor.

e Epist. Durantis ad Aleand. nomine Pontificis 9. Iunij 1539.

f Epist. Aleandri ad Card. Farnes. 23. Aprilis 1539.

g Epist. Aleand. 19. Iunij 1539.

h Epist. Nũtij Poggij ad Cardin. Farnesium 13. Decembris 1538. 16. communicata Aleandro.

i Epist. Farnesij ad Pontificem Iunio 1538. Toleto.

k Epistola Aleandri 28. Decembris 1538.

l Epist Legati ad Pontif 9. Septemb. 1538.

m Epist. Card. Farnesij Aleandro respondentis Româ 28. Octobris 1538.

n Epist. Aleandri 29 Iunij 1539.

1539. illecebræ ad amplectendam hæresim, per quas à sensibus & auaritia trahebantur, obiectâ supremi Principis offensione coërcerentur. Postremò, in Principum animis hæresis inualuerat; etenim eo plane tempore bonorum Ecclesiasticorum cupiditas Septemuiros Palatinum ac Brandeburgicum compulerat ad edicta nouæ sectæ fauentia promulganda.

Accessit ad hæc mors Georgij Saxoniæ Ducis, qui tamquam 9
præcipuus in Catholicæ factionis patrocinio, etiam ab hæretica venerationem obtinebat. Huius obitus, quem vnici filij mors antecesserat, nobilem illum Principatum detulit Henrico fratri Lutherano. Itaque credita virium imbecillitas præ tam validis aduersariis, animorum imbecillitatem obtegebat, eamque prudentiæ nomine colorabat. Proinde quæuis opera palàm impendebatur, vt hæretici per concordiam ad officium reuocarentur. Ac vitâ functo Cardinali Tridentino, qui in Regio Consilio vt auctoritate apud Ferdinandum, ita virili studio Religionis ceteris anteibat, ad consilia debiliora aditus liberior patuit.

Ad eam concordiam transigendam Legatus fuit à Cæsare Ioan- 10
nes Vessalius [a] Episcopus Londensis, & Constantiæ (vt Canonum periti loquuntur) Postulatus, qui Romæ duodecim annos exegerat, & fidus Pontifici censebatur. Hic ineunte vere Germaniam ingressus, comperit, à Lutheranis indictum ipsorum Conuentum Francofurti [b], ob suspicionem Catholici fœderis, vt dicemus. Sancitum hoc [c] paulò ante fuerat inter Cæsarem, Ferdinandum Regem, duos Bauariæ Duces, Georgium Ducem Saxoniæ, aliosque Catholicos Principes, indefessâ Mathiæ Heldi priùs à nobis laudati sedulitate, quod Smalcaldico Lutheranorum opponeretur, animaduersâ eorum in Cæsarem arrogantiâ & contumaciâ. Fuit hoc fœdus instar arcæ Noëticæ, quâ incolumis perstitit Germaniæ pars in ea miserabili eluuione. Vnde solitus erat Cardinalis Tridentinus dicere, *Heldum*, quamuis staturâ breuem, cognomentum illud mereri, quod Germanicè *Heroëm* sonat. Dux fœderis constitutus Henricus Brunsuicensis, cuius aliquot literæ ab Hassiæ Lantgrauio interceptæ, suspicionem armorum contra se Protestantibus incussere. Et quidem Lantgrauio publicæ rei studium priuatâ iniuriâ referbuit, cùm in iis literis se descriptum legeret quasi proximum insaniæ caput.

[a] Habetur in fine vltimæ dissertationis Romam ab Aleandro missæ per suum Secretarium.
[b] Epist. Aleandri ad Cardin. Farnesium, 6 Februarij 1539.
[c] Eiusdem ad eumdem Epistol. Augusto 1538.

Ad eum igitur Cœtum se contulit Londensis Antistes. Tria Lu- 11
therani postulauerant, * Norimbergicæ pacis continuationem, & securitatem ab omni molestia per mutuam promissionem. Quæ duæ conditiones pro temporum iniquitate Legato tolerandæ videbantur.

* Literæ Viennæ à Cardin. Aleandro ad Cardin. Farnesium, 24. Ian 1539.

tur. At verò tertia conditio, suprà quam ferri posset perniciosa 1539.
erat; nimirum, ita pacem esse declarandam, vt ipsius vi Cæsareum Tribunal supersederet causarum quæstionibus in raptores Ecclesiasticorum bonorum exercitis, vsque ad futurum Concilium. Tam iniusto postulato prætendebatur, Cùm ea bona Religionis nomine Deo fuissent donata, dum Religionis veritas adhuc in controuersia pendebat, pendere pariter in controuersia reliquos articulos cum ea connexos. Quanquam verò id de præterito non plus intulisset damni, quàm iacturam supellectilis, prædiorumq; haud magni pretij; trahebat tamen inposterum licentiam occupandi opulentiora Ecclesiasticorum prædia, oppida & vrbes, citra Magistratus metum, ac si rebellium patrimonium foret; & ne spes quidē supererat, ex Concilij sententia illa recuperandi, quandoquidē nomine legitimi Cōcilij nihil aliud animo cōcipiebant Lutherani, nisi suorū prçconū synagogam.

12 Huic conditioni, quæ dum sedasset hæreticos, multò grauiùs Ecclesiasticos Ordines perturbasset, reluctatus est Londensis. Quare Palatini ac Brandeburgici operâ, consentientibus Cæsaris ac Ferdinandi Legatis, huiusmodi temperamentum 19. Aprilis initum: Quindecim menses concordia Religionis persisteret, causarumque quæstiones ob inflicta iam damna suspenderentur; ita tamen, vt inpostetum cautum esset, ne ampliùs infligerentur. De reliquo, Londensis eâ ductus ratione, quòd acceptior Principi minister euadat qui pacem ab illo expetitam potiùs cum incommodo perficiat, quàm abrumpat, eas conditiones accepit, quæ Pontifici ac Cæsari, Regique Ferdinando simul officiebant. Ac Pontifici quidem, quia inter alia de articulo quodam conuenerant, vt scilicet primo Augusti haberetur Norimbergæ congressus de Religione, inter senos vtrinque Theologos, cum Cæsaris ac Ferdinandi Oratoribus; quo in articulo narrabatur, duos Septemuiros enixè operam dedisse, vt esset in Cçsaris arbitratu id significare Pontifici, si fortè vellet ad illum Conuentum suos administros allegare; sed Lutheranos contestatos esse, se illi Christianæ Religionis Principatum minimè deferre, adeoque non assentiri, vt ad eiusmodi Cœtum aduocaretur: Cæsari verò in eo officiebatur, quòd conuentum fuerat * (quamquam in articulo seorsim & clanculùm, quò melius eius dignitati consuleretur) ne Cæsari, tametsi quindecim mensibus elapsis, reipsâ agere liceret, neque iure, intra illud tempus aduersus Ducem Iuliacensem, Saxonis socerum, & cui Londensis erat subditus, de Gelriæ ditione: Ferdinando denique, ob admissam Saxonis subscriptionem, quâ contestabatur, à se Ferdinandum non agnosci Romanorum Regem.

* Habetur in differtationibus Romam à Legato missis num. 15.

Ea

1539. Ea igitur conciliatio cunctis Catholicis displicuit tum Religionis gratiâ, tum ex politicis rationibus; multoque magis, quia postmodum habito Conuentu Wormatiæ Catholicorum simul ac Protestantium, quo de auxiliis in Turcam decerneretur, statutum est, ea non priùs esse conferenda, quàm controuersiæ Religionis componerentur. Quod palàm fecit, Londensem tam incommodis conditionibus voti compotem in eo negotio minimè fuisse; nimirum, vt exoptatæ suppetiæ compararentur, quibus & Germanis defensio, & Austriacis Pannoniæ in tuto forent. Verùm præ ceteris [a] in eam pactionem excanduit Aleander, spe delusus, quam conceperat, & quam fecerat Romæ. Vnde [b] cùm altercati diu fuissent, admittendíne an excludendi essent intereà noui vtrimque clientes ac fœderati, ac postremò conuenissent, ne mutuo admitterentur sex mensium spatio, intra quod Cæsari liberum esset, hunc aliosque articulos ratos habere ad integrum præfinitum tempus; Aleander ansam arripuit ad eam concordiam euertendam; studuitque omni conatu, quà voce apud Ferdinandum, quà variis dissertationibus apud Pontificem, [c] & efficaciùs misso ad id homine qui sibi erat à Secretis, vt Cæsari per eos persuaderetur, ne ipsam ratam haberet, positis ob eius oculos non modò ignominiâ Sedis Apostolicæ, cuius ipse aduocati ac patroni nomine diu gloriabatur; sed manifesto Religionis periculo in eo congressu, in quo ne minimum quidem spei sublucebat ab hæreticorum factione, quippe hostibus infensissimis; nec fiducia erat habenda ipsis Catholicis, qui colloquio destinarentur, quorum alij hæresim interdum, quam corde priùs fouerant, euomebant, alij conscientiam vtilitati posthabebant: ex Religionis abiectione imminere pariter cladem Imperij, sicuti Orientis exemplum documento erat, & ipsi nouæ hæresis motus in Germania comprobauerant; quibus semper aliquid detrimenti vel Cæsaris auctoritas, vel Ferdinandi ditio passæ fuerant. Conabatur Aleander ostendere, Londensem per fraudem egisse, Augustanæ vrbis muneribus, Danique promissis corruptum; sibi auctoritatem potentiamque in Pannonia affectare; meditari Ecclesiasticæ vitæ repudium, cui numquam per sacros Ordines sese obstrinxerat: idcircò supra verum exaggerasse robora & arma impendentia Lutheranorum, vt quasi adactus formidine maioris in suos Principes cladis, passus fuerit iis incommodis assentiri, quæ priuati lucri spe condita facilè deuorauerat: atque id pluribus confirmare Legatus studebat. 13

[a] Aleandri Literæ ad Farnes. 28. Maij 1539.

[b] Se excusat in vltima dissertatione Romam missa.

[c] Extat in Archiu. Vaticano, in Aleadri libro, cui titulus, *Ex tertia mea legatione Germanica*

Prætereà per eumdem hominem, qui sibi à Secretis erat, Pontifici significare 14

significauit, Mariam Reginam, Belgij Præsidem, prauorum hominum consiliis abductam, à fratrum pietate plurimùm recessisse; eam Lutheranis per suam administrationem patrocinari; dehortari Septemuirum Treuirensem, & alios, ne in fœdus Catholicorum coirent, perinde quasi voluntati Cæsaris id repugnaret; curare, vt per suum Oratorem retardaretur Orator, à Francisco Rege destinatus ad agendum cum Ferdinando Pontificisque Legato de rebus quæ Religioni prodessent. 1539.

15 Ex altera parte, Londensis Romam scriptis maturè literis, rem actam tuebatur tamquam necessariam arcendis maioribus periculis tunc imminentibus: idemque Cæsaris animo imprimere nisus erat, maturato in Hispaniam itinere. Nec prætermittendum censeo quod comperi in literis Contareni Cardinalis, posteà, vt à nobis narrabitur, Ratisponam Legati, se ibi Londensis excusationem audisse, quam sibi probabilem videri præ se tulit; tametsi non æquè fuerit probata Pontifici, * qui laudauit quidem humanitatem Londensi à Legato exhibitam, non item fidem: censuitque nullâ hominem excusatione purgari posse, seu quòd in eam concordiam Religioni dissonam vltra Cæsaris mandata fuerat progressus; seu certè, quòd in eamdem pertraxerat Cæsarem à se perperàm de rebus edoctum, cùm præsertim duas ante hebdomadas Aleandro Cardinali perscripserit rei posteà gestæ prorsus aduersantia.

Habetur in mandatis infrà citandis.

* Literę Cardinalis Farnesij ad Cardin. Contarenum 24. Maij 1541. in Commentariis Ceruinorum.

16 Sed ad res eius temporis redeamus. Credidit Pontifex Aleandro; & ex occasione, quâ post regressum ex Hispania Farnesium Cardinalem nepotem suum eò misit Ioannem à Monte Politiano, vt ob annonæ caritatem frumentum è Sicilia Romæ impetraret, mandata illi tradidit * ex dissertationibus Aleandri propemodum descripta; Dissuaderet Cæsari pactionum confirmationem, incusatâ Londensis perfidiâ, apertisque de Maria Belgium administrante suspicionibus. Sed cùm esset in comperto necessitas aliquid indulgendi Germaniæ, malorum è discordia nascentium intoleranti; duo à Pontifice proposita Cæsari. Alterum, quod Mathias Heltius promouebat, vt Generalia Ordinum Comitia indicerentur, quibus interesset Cæsar, adeoque Norimbergense colloquium euitaretur: Alterum, quod Legatus præoptabat, vt Catholicorum fœdus armis & pecuniâ, aliisque adscitis Principibus roboraretur, eâque ratione Lutheranorum pertinacia coërceretur. Vtrumque Pontifex in mandatis proposuit; & quod spectabat ad fœdus, omnem opem largè spopondit.

* Habetur id in mandatis Ioanni datis 9. Aug. & in Literis Card. Farn. ad Aleandrum 18. Aprilis 1539.

17 Indicat Suauis, hæc mandata sibi perspecta: sed dum ea refert,

1539. bis Pontificem corripit. Primò, & sanè tolerabiliùs, cùm ab eo Paulus inducitur humanarum solùm rationum momentis Cæsarem adhortatus, ne pactionibus assentiretur; cùm reuerà Pontifex tamquam præcipuo validissimoque argumento, studio ipso diuinæ gloriæ vsus sit; certum apud se habere visus, eam numquam cuicumque humano commodo à Cæsare posthabendam. Deinde æstu quodam malignitatis abripitur: nisi quatenus morbi vis dici maligna non solet, vbi non latet. Cùm Rex Angliæ eâ tempestate seuerum edictum in hæreticos promulgasset, quo iubebat Sacramentorum vsum retineri, Missæ sacrificium ritè perfici, Religiosorum Ordinum vota custodiri, ad summum quidquid Fides Catholica præcepit obseruari, exceptâ erga verum ipsius Caput obedientiâ, de qua nulla in edicto memorato erat mentio; Pontifex Cæsarem cohortatus est, vt eiusmodi edictum imitaretur, quasi ab Henrico editum sua crimina emendaturo; atque vt hæreticos admoneret, illum Regem tantum abesse ab eorum secta fouenda, vt potiùs paratum præ se ferret animum ad se cum Ecclesia reconciliandum. Hìc verò Paulus III. à Suaui tam concinno deluditur epiphonemate: *Sic propria vtilitas efficit, vt idem homo laudetur, ac vituperetur.* Quasi verò Constantiensi Concilio Ecclesia non damnauerit Hussi hæresim, affirmantis omnia hominis probi opera esse bona, & improbi mala: & quasi multa ab Ethnicis gesta, commendata non legantur à sanctis Patribus. At profectò in hoc si erratur, huiusmodi erroris arguere Suauem haud mihi liceret, cùm ille semper sibi constet & in cunctis Pontificum rebus gestis vituperandis, & in cunctis hæreticorum comprobandis.

CAPVT IX.

Cæsaris consilium de pactionibus Francofurti habitis. Legatio Farnesij Cardinalis in Hispaniam, eiusque res gestæ. Concilij prorogatio.

BIs modò Suauem ex manifesta fraude peccantem vidimus: 1
nunc sæpiùs atque grauiùs in eadem narratione hallucinatum videamus. Ait missum Româ ad Cæsarem Episcopum Montis Poliriani. In quo adeò aberrat à vero, vt nondum quidem Sedes ibi Episcopalis fuerit. Missus verò fuit Ioannes Riccius, à Patria *Politianus* vocitatus, ex aulicis Farnesij Cardinalis: hic postmodum ad præcipua progressus munera sub Paulo; ac deinde sub Iulio, cui

cui per minorem vtriusque fortunam familiaris fuerat, inter Purpuratos adscriptus. Sed cùm sæpe dicta, vti somnia, casus comprobat, contigit posteà, vt Pio IV. Pontifice auctus Episcopali Cathedrâ Mons Politianus Riccium iam Purpuratum sibi Antistitem acceperit. Grauiùs in aliis labitur. Scribit, post abitum Politiani Concilium prorogatum. Sed ex opposito legitur eius prorogatio constituta in Senatu 30. Maij, eiusque diploma vulgatum 13. Iunij, antequam Farnesius Legatus Toletum perueniret: missio verò Politiani accidit 20. Augusti, post Legati reditum, qui datis die 18. literis certiorem facit Aleandrum Cardinalem, eam missionem in promptu esse. Fallitur, dum narrat, à Cæsare animi sui sensa neutiquam aperta, consenserit nécne colloquio Norimbergæ destinato. Palmare prorsus erratum, cùm reperiatur non solùm in Pontificio tabulario, sed in pluribus priuatorum manibus, Cæsaris ad Politianum responsio, quæ statim posteà fuit à Pontifice * Aleandro transmissa, & clarissimè loquitur: quare vel in hoc Suauis, vt in aliis pluribus, rerum gestarum notitiâ caruit, etsi non abditâ; vel fraude non caret, dum eam lectores celat cùm Pontificis existimationi conducit. Præ se tulit quidem ibi Cæsar, acceptam sibi fuisse Londensis operam, commendatq; hominem, quòd per eam concordiam opposito quasi aggere cohibuerit præcipitis torrentis impetum, & collocatâ in Cæsaris arbitrio illius confirmatione intra sex mensium spatium, manus Protestantium intra idem tempus reuinxerit, suoque Principi liberas reliquerit. Ita honorifice Londensem in Germaniam remisit, dissimulante idcircò Pontifice iustam animi offensionem: simul etiam ibidem Paulo spopondit, se rata minimè habiturum ea pacta Religioni parum consentanea, & profano illi congressui repugnaturum; quæ sane præstitit. Præterea per obsequiosa Pontifici verba in eadem responsione dicebat, Cùm Pontifex in suo iudicio reponeret vtriusque rei propositæ optionem, repudiare se generalia Comitia; non solùm quia in se non esset suam illis præsentiam polliceri, sine qua cuncti consentiebant, Comitia ingens periculum incursura ne in *Nationalem*, vt aiunt, Synodum quasi in abortum degenerarent; sed etiam quia tametsi præsens ipse Comitiis interesset, & sua & Sedis Apostolicæ dignitas plenam discriminis aleam subitura esset. Cœpisse iam Germanos in vnum coalescentes reuerentiam erga se dediscere; vt in Ratisponensi Conuentu fuerat animaduersum, in quo adeò violenter sese inuito ter planè fuerat decretum: Vbi ex quocumque impedimento Concilium Oecumenicum à Pontifice non cogeretur intra decem & octo

1539.

* Transmissa fuit Româ 18 Octobris 1539. vt habetur in notis manu Legati.

1539. menses, illud confestim à Cæsare pro potestate conuocandum, vel certè illius loco peculiarem Synodum nationis habendam. Vnde posteà Generalia huiusmodi Comitia euitata, ne tam perniciosa postulatio referuesceret. Accommodatius itaque sibi videri, ad cohibendum Lutheranorum impetum, ne tam iniquo tempore ob arma Turcarum præcipites agerentur, & ad arcendam à Catholicis desperationem exoptatæ quietis, alium indici congressum, quo vtriusque Religionis homines conuenirent, vnà cum Delegatis à Pontifice, cum suis Regisque Romanorum Oratoribus, & Regis pariter Gallorum, qui suam quoque operam concordiæ procurandæ offerebat, ibique per mutuæ charitatis officia res amicè agitaretur.

Oblatas itidem Catholicæ parti suppetias à Pontifice comprobabat Cæsar, eumque hortabatur, vt ad Catholicorum fœdus accederet, missis in Germaniam quinquaginta scutorum millibus, quibus alia centum millia se additurum pollicebatur; quod à Pontifice [a] in tempore præstitum est compositis pactionibus, dispulsisque à Rege Galliæ suspicionum vmbris, quas inde contraxerat. 2

Priusquam hæc agerentur, Augustæ mors contigerat: quam ob causam Pontifex, vt quàm honorificentissimè solatij officia exhiberet, Alexandrum Cardinalem Farnesium nepotem suum ad ea peragenda delegauit, qui 19. Maij profectus. Iniunctum illi, vt paucos apud Cæsarem dies moraretur, quà ne suspicionem induceret, eo officiorum obtentu aliquid profundius delitescere; quà, ne si fortè Cæsar aliqua difficiliora per Farnesium posceret, repulsa rediret ab Vrbe ante conspectum Farnesij, vnde eius officij gratia defloresceret. Tria tamen de rebus publicis quæ agitaret, commisse. [b] Primum erat de pace cum Gallo; ad quam perficiendam opus esse videbatur vt illi concederetur Insubria. Qua in re insinuabat Pontifex, quod suo quidem priuato bono prodesset tum Ecclesiasticæ ditionis ob Parmam ac Placêtiam, tum Farnesianæ familiæ ob contractam nuper affinitatem, placido se oculo spectare Principatum illum in Cæsaris potestate; sed præposse apud se communem Christianarum gentium rationem, quibus absque illa pacificatione frontem erigere non licebat aduersus immanem Othomanni potentiam; præsertim vbi Veneti Auriæ succensentes, vt increbruerat timor, peculiari nomine cum illo inducias componerent, seque communi fœderi subducerent, in quo perstituri non erant, nisi per validam expeditionem aliquid Turcæ fuisset ademptum, cùm amplius obstringi non possent sterilis defensionis nexibus, cum iacturæ periculo sumptusque continuatione, sine lucri spe; & sine Gallici 3

Regis

[a] Literę Farnesij Card. ad Poggium Nuntium, 29. Octob. 1539. & aliæ ad Cardin. à Sancta Flora ad eumdem Farnesium, 8. Maij 1540. & aliæ Card. Ceruini Bruxellis ad Farnesium, 7. Iunij 1540. habetur in Epistola Legati ad Pontificem Toleto, ad finem Iunij.

[b] Habetur in mandatis Legato 29. Maij, in Archiuio Burghesiorum, & in duabus Literis Toleto scriptis ad Pontificem à Legato, in Arch. Vatic. alteris 21. Iunij 1539. alteris paulò post: atque ex Literis citandis Card. Farnesij ad Poggium, vsque ad an. 1550. apud Barberinos.

Regis neruis nihil huiusmodi viriliter tentari posse: sed etiam vtcumque induciæ cum Othomanno, prout erat in votis, communes sancirentur, adhuc tamen Galli brachio futurum opus, quò Lutherani deprimerentur, adeoque pax Ecclesiæ stabiliretur, atque læsa Cæsaris auctoritas in Germania restitueretur: proinde à Pontifice proponi vicissim connubia inter Caroli filiam & Aurelianensem Ducem, & inter Francisci filiam & Carolum orbatum coniuge. 1539.

4 Cæsar propositæ quidem paci procliuem ostendit animum, non item coniugi: haud Gallum propensum fore filiæ nuptum tradendæ id ætatis homini; sibi verò, eâ sobole virili ac muliebri circumsepto, cogitandum potiùs de nuptiis tot filiorum florentis ætatis, quàm patris consenescentis. Quod sanè re Carolus comprobauit, per ætatis reliquum cælebs.

5 Alterum quod Legato Paulus imposuit, ad Britanniæ Regem spectabat. Vt Cæsar vnà cum Rege Galliæ Legatos ad Henricum mitteret, qui denuntiarent, nisi ille in sinum Ecclesiæ regrederetur, vtrumque & commercia cum eo abrupturum, & ipsum armis appetiturum. Abnuit Cæsar, causatus Lutheranos & Anglum eòdem tendere, vti scilicet raptis Ecclesiæ bonis crescant, Romanumque iugum excutiant: proinde sicut animis coaluerant, ita manibus coalituros. Iam quatuordecim Germanorum militum millia ad Oceani litus consistere, auxilio Britanniæ traiectura. Henricum pecuniâ, non milite abundare; Lutheranos contrà pecuniâ, non milite laborare. Idcircò satius esse Lutheranos antea concutere: Henricum enim, molestiam nondum passum, suâ se pecuniâ minimè priuaturum, quò Lutheranis opitularetur: contrà verò Lutheranos, allectos à Rege armis appetito libenter cum copiis adfuturos: quocumque siquidem magnete, ad ferrum pertrahendum, longè potentius aurum esse. Vrgente autem Legato, Pontificiæ dignitatis interesse; ne absque huiusmodi Legatorum denuntiationibus res planè languescere videretur, responsum est, expectandum quid Polus Cardinalis (qui postquam egerat cum Cæsare, Galliam petierat, & insidiarum metu Carpentorati degebat) cum Rege Galliæ pariter transegisset.

6 Postremum erat, vt de Concilio loqueretur; de quo certa mandata discedens Farnesius à Pontifice non acceperat, præstolante sententiam Senatus proximè habendi, quam iter facienti Legato significaturus erat, prout euenit. Diu anceps fuerat Paulus, an illud prorogandum, an omnino aperiendum sibi esset, atque vbi Episcopi non confluxissent penitus dissoluendum; cùm iam satis ex-

1539. ploratum cunctis esset, se quod suum erat nihil omisisse; sic enim & sincerè se gereret, & famem Christianæ gentis depictis libris minimè deluderet. Ad aperiendum itaque Concilium adeò Pontifex animum induxerat, vt Aleandrum [a] reuocauerit, qui tamquam Legatus Concilio præsideret. Etenim Germanorum Theologi, aliique Ecclesiastici, diuinarum magis rationum studiosi quàm humanarum periti, à Pontifice, [b] eiusque administris Concilium iugiter efflagitabant, perinde ac si cui auctoritas inerat ad ipsum indicendum, adesset quoque facultas ad congregandum; & quasi literaria ipsorum arma quantò validiùs se gessissent in doctrinarum certaminibus, tantò potentiùs armatas peruicacium seditiones oppressura fuissent: à qua persuasione viri illi pij abduci non posse videbantur, adeoque nec animo sincero erga Pontificem affici, nisi experimento fuissent edocti, impotentiam esse, quæ repugnantia credebatur. Sed hic Germanorum error discussus posteà [c] rationibus Legati, quem de se Concilij appetentem agnoscebant: atque id mandati quod submiserat Pontifex, postea suspensum. [d] Tandem potior Senatorum pars censuit, quando cuncti Reges improbabant recusabantque iam conuocationem, id excusando Pontifici satis esse; qui potiùs aperto illis nolentibus Concilio & hæreticis contemptui fuisset, dum sui sibi non obsequerentur, & obtrectationi Catholicis, dum quod prauidebatur fieri non posse, tentaret. Quin conquestus [e] priùs fuerat Aleander apud Regem, cùm Germanorum Præsules adeò Concilium percuperent, vbi illud Vicentiæ indictum est, eorum neminem obtemperasse. Verum eos Ferdinandus excusauit, non ex contumacia substitisse, sed cùm re non habendum putarent, noluisse frustra viæ laborem sumptumque profundere. Idem pariter ipsorum Conuentibus euenire, quamuis flagrantissimè indictis, nisi Cæsar adesset. Ceterùm, se planè confirmare, eam temporis conditionem [f] non esse habendo Concilio accommodatam.

Duo igitur Pontifici consilia supererant. Alterum, vt protraheret 7
Concilium ad alium certum diem, sicuti priùs actum fuerat: sed nihil solidi suppetebat, in quo sibi nixo liceret certo tẽporis spatio sese obstringere, nullâ affulgente successus propinqui spe; cùm præsertim Galliæ Rex Latino Iuuenali dixisset, [g] Protestantes Synodo in Italia numquam adfuturos, idcircò nihil consultum iri eorum reconciliationi, si Vicentiæ cogeretur; nec armis, neque disputationibus eam esse sperandam, sed solùm officiis; se cum illis amicitiam exercere, adeoque omnem operam ad id impensurum. Pro sede

a Literæ Farnesij Cardinalis ad Aleandrum, præsertim Ostiâ 15. Maij 1539.
b Literæ Aleandri ad Farnesium, 22. Febr. 1539.
c Aleandri Literæ citatæ
d Literæ Durantis absente Farnesio Card. Hispaniæ Legato, ad Aleandrum Cardinalem, 28. Maij 1539
e Literæ Aleandri ad Farnesium Cardinalem, vlt. Februarij 1539.
f Literæ Aleandri ad Farnesium Cardinalem, 25. Martij 1539.
g Extant hæc partim in summa Literarum Iuuenalis, reliqua vero in narratione suæ tractationis, missa à Farnesio Card. ad Aleandrum, 15. Maij 1539.

sede Concilij Lugdunum proposuit, à qua vrbe nec hæretici abhorrere possent,* neque adeo Cæsar auerti, iam amicitiâ secum coniunctus. Ita seu Regi amor sui persuadebat, seu studebat ipse Cæsari ac Pontifici persuadere, quò amicitiæ suæ vtilitatem extolleret. 1539.

8 Alterum erat, Concilij ad incertum tempus prorogatio, *cùm scilicet eius celebrandi opportunitatem nactus esset. Atque id in Senatu statutum, * dato diplomate, in quo commemoratis à Pontifice tam curis impensis, quàm difficultatibus obiectis in conuocanda Synodo, recensitisque in præsentia Catholicorum Principum postulationibus nouæ cunctationis, Concilium pro arbitratu prorogabat, omnem conatum ac solicitudinem pollicitus ad illud reipsa cogendum. Atque ad id suis administratoribus demandauit, * vt hoc ipsum Principibus denuntiarent, eosdem extimulantes ad abrumpendas moras expositâ Pontificis voluntate, cui statutum erat, nolle diutiùs rem protrahere.

* 31. Maij 1539. in Actis Consistor.

* Literæ Datûs, nomine Pontificis ad Legatum Aleandrum, 3. Iunij 1539.

9 Ad ea Cæsar Legato respondit, res actas in consultationem non cadere: sed vti sibi videbatur, non esse id temporis idoneum Concilio celebrando; ita se pariter opportunius existimare, ne quà malignis hæreticorum calumniis contra Pontificem daretur aditus per incertam prolationem, certo illud tempore, sicuti priùs, destinandum fuisse. Opposuit Legatus, materiam calumniis magis subtrahi incertâ dilatione, per quam liberum erat vel intra breuissimum tempus illud conuocari: at verò præscriptus dilationi dies proculdubiò ad eum vsque diem Synodum impediebat, simulque nouæ procrastinationis suspicionem ex præteritis exemplis relinquebat, quæ Pontifici paritura fuisset infamiam vel minùs sinceri animi falsa polliciti, vel imprudentis sibi haud verisimilia pollicentis: nimium decolorari fidem, quæ potissimus est Principum thesaurus, vbi videantur re in eo deficere, quod verbis palàm pronuntiauerant.

CAPVT X.

Altera Farnesij Cardinalis Legatio ad duos Reges, Pacis ac Religionis gratiâ.

1 ROmam redierant priùs Farnesius Cardinalis ab Hispanica Legatione, deinde Aleander à Germanica reuocatus a Pontifice, quòd * ibi eius opera superuacanea, hîc verò conducibilis futura esset, vt de rebus Religionis coràm dissereret, cùm Gandauenses tumultuati sunt in Cæsarem, illius vrbis dominum simul

* Literæ Farnesij ad Aleandrum, 28 Octobr. 1539.

1539. ſimul ac filium. Quapropter ipſe & quò eam ſcintillam extingueret priuſquàm in incendium ſe diffunderet, & quò moras amputaret aduerſus Iuliacenſem Ducem, ad Gelriæ Principatum enitentem, antequam armis auxiliiſque ſe magis communiret, ſtatuit in Belgium maturare inermi ac modico comitatu. Cùm autem illuc breuior non duceret via quàm per Galliam, ſe Gallo committere non eſt veritus, ac ſimul ab illo tranſitum petere, quem impetrauit. Hæc mutuæ beneuolentiæ ſignificatio ſanciendæ pacis negotium confirmauit, eiuſque tamquam certæ & tantùm non vulgatæ rumorem ſparſit, ac nouæ pariter inter eos Principes affinitatis. Eorum vterque Pontificem [a] certiorem reddidit incepti conſilij, miſſis ad id nobilibus internuntiis. Quare Paulus, cupidus operam ſuam feſtinationemque negotio conferre, & admonitus Romanorum Regem adire Belgium ad inuiſendum fratrem, alloquendumque de ſtatu Religionis, voluit [b] denuò Farneſium Cardinalem eò allegare, qui adoleſcentiam nondum egreſſus, animum ſupra ætatem præ ſe gerebat. Huic vbi primùm Purpuram Paulus detulerat, Marcellum Ceruinum Politianum deſtinauerat, qui à ſecretis ipſi eſſet, eumque conſilio regeret. Hic vir eximiæ probitatis, literaturæ ac prudentiæ, non modicum huius hiſtoriæ argumentum futurus, quippe qui euectus ad Senatoriam dignitatem, inter Legatos Pontificis Concilio præfuit, & cui, quæ ibi acta ſunt complures annos, magna ex parte debentur: poſtea, ſupremum Eccleſiæ regimen illi commiſſum, quod poſt paucos dies morte præciſum tantùm valuit vt hominis merita comprobaret, non vt expectatum inde fructum Chriſtiana Reſpublica decerperet. Quemadmodum itaque Ceruinus Farneſium Cardinalem deduxerat in Hiſpaniam, officioſæ Legationis comes & dux; ita voluit Pontifex, vt eò impenſiùs illum regeret in hac operoſa legatione Galliæ ac Belgij. Et quò ampliori cum dignitate Ceruino liceret & intereſſe & eloqui vnà cum Legato in congreſſibus maioris momenti, opportunum duxit, eum decore veſtis reddere Farneſio parem. Itaque cum paucis antè menſibus Neocaſtrenſibus Infulis Ceruinum ornaſſet, [c] antequam Lutetiam Legatus perueniret, in ſelectiſſima Purpuratorum cooptatione illum [d] connumerauit.

a Literæ Farneſij ad Poggium Nuntium apud Cæſarem, Româ 24. Nouembris 1539.

b 24. Nouembris 1539. vt in Diariis Blaſij Cæſenatis.

c 27. Auguſti 1539 in Actis Conſiſtor.

d 18. Februarij, vt in Act. Conſiſtor.

Moras in itinere nexuit ex induſtria Legatus, [e] vbi Cæſarem eſſe 2
in Gallia nouit, ſtatuitque Lutetiam non priùs ingredi, quàm ille

füiſſet

e Legitur hoc totum in Epiſt. Farneſij Card. ad Pontif Lugduno 18. Decembris 1539. & Epiſt. tam Ceruini quàm Farneſij infrà citandæ, præter peculiares Bibliothecas Barberinorum ac Burgheſiorum, vbi ſunt exemplaria: ferè omnes cum aliis Scripturis ab Alcandio Ceruino traditæ ſunt Sirlerio Vaticanæ Cuſtodi, & partim ſunt hic in Archiuio Pontificio.

fuisset inde digressus. Habebat enim in mandatis, ne se per affe- 1539.
ctationem intermisceret; quod planò tunc euenisset, cùm Rex Galliæ iam professus esset, se nihil acturum negotij, quamdiu Cæsarem apud se haberet. Et ipse Cæsar importunitatem transigendæ concordiæ vitasset, dum in Francisci potestate degebat, adeoque suspicionem concepisset ex Legati conspectu, quasi seria intempestiuè ingerentis inter festiua vrbanitatis officia. Habebat igitur in animo Farnesius præstolari abitum Cæsaris in Belgium, & posteà Regem adire, eique significare, se missum à Pontifice, vt pacem inter vtrumque Principem compositam gratularetur, eiusque promulgationem promoueret: tunc enim absque vllo suspicionis morsu ex congressu Pontificij nepotis cum æmulo, gratum Regi futurum fuisset, vt ille stimulus ad eam perficiendam Cæsari admoueretur; simulque acceptum Carolo, vt Legati apud se præsentia argumento cunctis foret, Pontificem Coronæ suæ præstò esse.

5 Sed cùm ex Regis commodo, qui Cæsari progressus obuiàm, Parisios eum deducebat, ac lecticâ vehebatur, iter adeò lentè hi Principes haberent, vt absque affectatæ moræ nota nequiret Legatus diutiùs accessum protrahere, satius duxit, longè à mente Caroli suspiciones arcere, Nuntio Poggio ad eum præmisso, qui hæc exponeret: Se Lutetiæ communia vrbanitatis officia neutiquam prætergressurum, quò ipsi Principes inter se liberiùs colloquerentur; in Belgio posteà, quæ sibi erant in mandatis pro Christiana Republica, ipsi patefacturum. Institit deinde Rex, vt [a] Farnesius Lutetiam ingrederetur pridie quàm eò Cæsar peruenisset: an fortè vt secum de rebus agere Legatus posset, quod præsente Cæsare vrbanitas prohibuisset? At Legatus ab eo abstinuit, vt iam statuerat, ac Cæsari significauerat. [b] Itaque exhibitis ibi amplissimis officiis, beneuolentia plenis ac negotio vacuis, ad Sanctum Quintinum Cæsar à Francisco Rege discessit; Legatus verò dies aliquot cum Rege commoratus: Tunc ei, quod præcipua mandatorum pars erat, exposuit: maturè videlicet curandum, vt pax perennis inter vtrumque Principem stabiliretur, quæ per tot argumenta mutuæ beneuolentiæ promulgata tandem dici poterat. Simul etiam, vt Rex daret operam, quâ & Othomannici furor propulsaretur, & Lutherani Angliq́ue ad Ecclesiæ obsequium adigerentur. Responsum à Rege; Certum à se redditum Cæsarem, nullum ipsi meliorem præ se amicum, fratremq́ue amantiorem fore; atque vbi Carolus nollet ad alia transigenda progredi, sed solùm in meris induciis persistere, iis contentum se pariter futurum. Subiunxisse tamen; Quò vires

[a] Ex Literis Farnesij ad Pontificem è loco S. Maturini, 19. Decembris 1539.

[b] Literę Farnesij ad Pontificem, 9. Februar, 1540.

1540. ſuas in communem contra Turcam expeditionem, & aduerſus hæreticos conuerteret, opus ſibi futurum, à multis ex amicis ſuis ſe deiungere; neque id recuſaturum, ſi honeſta illi detrectaſſent. Verumtamen huius rei gratiâ opus ſibi eſſe, vt tricis omnibus per integram reconciliationem tandem compoſitis, poſſet ſuis vti viribus à quauis alia remora expeditis. Addiditque; Placere ſibi, vt Legatus Cæſarem in Belgium ſequeretur, remque publicam promoueret per mutui connubij, ſicuti propoſuerat, confectionem. In hanc quoque ſententiam Ceruinum Cardinalem Momorantius allocutus,* apud Regem gratiâ & exiſtimatione facilè princeps; admixtis etiam Pontificis laudibus, cuius paternæ charitati aiebat acceptum referri, quidquid inter eos Principes concordiæ vel ad id vſque temporis erat, vel in poſterum futurum fuiſſet. Farneſius inde in Belgium Cæſarem conuenit, quò mox etiam Ferdinandus Rex acceſſit.

* Literæ Farneſij ad Pontif. Ambiano, 10. Febr. 1540.

Iniunxerat nepoti Pontifex, vt omni conatu ſtipulationem pacis 4
inter eos Principes ſolicitaret, quæ vulgabatur tamquam certa, & à qua pendere videbatur Chriſtiani Orbis incolumitas; præſertim cùm per id tempus rumor percrebuiſſet, Venetos cum Turca pacem inituros; quod euentus probauit. Quamobrem magis vrgebat neceſſitas communiendi aliunde fœderis, & cuiuſuis obicis amouendi à Cæſaris viribus, quibus commune fœdus ſuſtinebatur. Sed gaudia ex fama ſancitæ concordiæ concepta elangueſcere cœperunt. * Etenim Cæſar à Nuntio acriter ſolicitatus reſpondit, Eiuſmodi rem tunc agi, ob quam ſibi erat in ancipiti animus ſuprà quàm vmquam anteà fuiſſet, vel poſteà dum viueret futurus erat. Ictus inopinatâ Cæſaris fluctuatione Legatus, valde timuit, ne inutilem atque ingloriam legationem ſuſcepiſſet, euaneſcente fructu ac laude firmatæ concordiæ. Auxitque angorem ſuſpicio, * ne Cæſar haberet in animo Legatum apud ſe retinere, quò tam conſpicui ſequeſtri præſentiâ ſpem Franciſci Regis lactaret, adeoque per eum annum ab omni bellico apparatu dimoueret; vnde ſuboriri poſteà potuiſſet apud Regem opinio, ſe Pontifice conſcio deluſum, ac proinde ab omni in illum fiducia decideret; cui conſeruandæ Paulus tam accuratè ſtudebat, vt exoptauerit, quemadmodum indicauimus, aliquam cum Gallo affinitatem contrahere, quò compenſaretur coniunctio, quâ ex Octauij coniugio Carolus cum Farneſiis nectebatur, atque ita magis idoneus pacificator euaderet. Nexus hic Gallum inter & Farneſios vinciendus * etiam Regi Galliæ cordi erat, prout per Momorantium Legato ſignificauerat. Idcircò

* Literæ Farneſij ad Pontificem. 4. Martij Gandauo.

* Literæ Farneſij ad Pontif. 5. Aprilis 1540.

* Literæ Legati ad Pontif. Ambiano 10. Febr. 1540.

circò Paulus in collocanda in matrimonium Victoria [a] nepte sua, Ducis Guisij filium ceteris anteferebat, vt per Ceruinum Cardinalem Cæsari significandum curauit; cui consilium haud improbatum, [b] seu quòd ille id rationi consentaneum putaret, seu quòd dedignaretur, quasi Maiestate inclinatâ, poscere à Farnesiis, vt in sua tutela prorsus conquiescerent; præcipuè cùm in eo periculum subeundum esset indecoræ repulsæ. Sed cùm Paulo illæ nuptiæ non processissent, accepit, sicuti mox dicemus, in vxorem Horatij nepotis sui tertio loco geniti Dianam Galliæ Regis notham. 1540.

a Epist. Farnesij Card. Româ ad Ceruinum Card. in Belgium 27. Iunij 1540.

b Epist. Ceruini ad Farnesium Româ, 10. Augusti 1540.

5 Quò igitur hanc speciem collusionis cum Cæsare Farnesius declinaret, ac ne Regem crederetur deludere, reditum à Pontifice petiit, & impetrauit. Fallitur hîc Suauis, dum Legati abitionem adscribit molestiæ sibi à Cæsare inflictæ, ob indictum conuentum & colloquium de rebus Religionis, sicuti mox exponemus: Pontifici namque, Legati audita petitione, [c] placuit illum reuocare, priusquam sibi de eo colloquio perspectum esset. Quin ex iis quæ narrabimus, palàm fiet, ad primos colloquij nuntios necesse habuisse Paulum noua mandata Farnesio imponere, quæ illi iam inde profecto, & per Galliam iter habenti reddita. Porrò Legati suspicio, de Cæsaris consiliis in ipso apud se retinendo, vana confestim detecta est. Nam vbi primum à Nuntio [d] reditus Farnesij Carolo propositus est, illum Carolus comprobauit, asserens, æstum iam ingrauescere, nec posse pacem perfici, nisi priùs Ferdinandus Germaniam repeteret, vbi aliquid de Religione firmaret, ac postea ad se regrederetur, quod vt minimùm bimestre spatium postulabat.

c Ex Literis Ceruini Melunio ad Farnesium Cardin. 31. Maij 1540.

d Ex post scriptis à Farnesio 7. Aprilis 1540. Literis citatis ad Pontificem scriptis die 5.

6 Sed alia interim grauior suspicio oborta. Sparsus fuerat rumor, [e] componendam esse pacem collatâ ditione Mediolanensi Ferdinandi filio, & Belgicâ Francisco Regi; id verò tam arcanè transigi, vt nihil prorsus Legato concrederetur. Hinc ille acerrimè vereri, ne duo illi Principes quasi per duumuiratum Christianum Orbem inter se partiri vellent, attributâ Cæsari Italiâ Superiorique Germaniâ, ac Regi Galliæ Magnâ Britanniâ ac Germaniâ Inferiori: incredibile siquidem videbatur, posse alioqui Cæsarem adduci ad Imperium Austriacum discindendum, reuulso tam nobili Principatu absque alio emolumento, quàm vt Insubria fratris filio concederetur. Sed ea pariter Legati suspicio statim euanuit, euanescente confictæ pacificationis rumore. Vnde licet addiscere, grauioribus subiici erroribus eum qui facilè, quàm qui difficulter suspicatur; plerumque enim suspicio, quamuis veri similis, falsa deprehenditur.

e Literę Farnesij Cardin. ad Pontif. Gandauo 10 Aprilis 1540.

1540.

* In Literis Guidonis Ascanij Card. Sfortiæ ad Ceruin. Card. Româ 15. Maij & 5. Iunij 1540. aliisque subsecutis.

Ex argumentis verò solidioribus cœpit Pontifex ipse Carolo dif- 7
fidere. Nondum ille à Cæsaris administris obtinuerat, concessum sibi à Carolo * Siciliæ frumentum, quò Romam penuriâ subleuaret. Præterea cùm in idem tempus incidisset seditio Perusinorum, hortatu, sicuti credebatur, Florentini Ducis; & Pontifex à Neapolitano Prorege tria peditum millia impetrasset, quò tumultuantes ad obsequium adigeret, adiectâ conditione, ne Proregi liceret eos reuocare, nisi ob imminentem excursionis Turcicæ necessitatem; Prorex tamen eos hoc ipso nomine reuocauerat, cùm illorum opera maxime vsui esset, & ij pro tertia persoluti stipendij parte nondum militassent, tametsi nullus reuerà Turcicæ classis ingruisset timor. Quod sanè Pontificem acerbè pupugit; quà propter anxietatem, quòd adspiceret in Ecclesiastica ditione os tam nobile repentè luxatum; quà ob existimationis iacturam, quasi videretur placere Cæsari, intestinis ipsum molestiis vexari, atque a subditis despici.

a Liuus in Vita Cosmi Medicei lib. 1.
b Literæ Ceruini ad Farnesium, 31. Maij 1540.

At supra cetera Pauli animum confodit acerbum apertumque 8
dissidium inter Octauium nepotem suum eiusque sponsam, operâ Lopezij Hurtadi à Mendoza, a viri nobilis e Consilio Regio, ad illam ab Hispania destinati post funus Alexandri, vt eidem adesset. Hoc verò dissidium eousque processerat, vt negaret Margarita b se Octauij vxorem esse, propterea quòd consensum minime verbis pronuntiasset cùm annulum maritalem accepit, adeoque mera sponsalia inter eos esse, copulâ nondum habitâ, cuius vi eo tempore, ex præsumptione Canonum, sponsalia in perfectum coniugium transiissent. Iam verò quamquam Pontifex & ardentissimis officiis Nuntij, ac Legati, & misso iterùm ad id Politiano Cæsarem extimulasset, vt concordiam inter coniuges auctoritate suâ componeret, & Lopezium, quem discordiæ follem rebatur, inde amoueret; frigidas sterilesque responsiones ad eam vsque horam reportauerat. Quapropter c sibi videbatur, se suamque familiam tamquam fabulam in scenam adduci, Romæ Orbisque terrarum irrisionibus expositam. Verebatur etiam, ne Cæsar haberet in animo, illi frænum inicere timore dedecoris, quod sibi tam splendidi nexus abruptio intulisset. Sed tandem patuit, d sincero animo in iis Cæsarem agere, tametsi nollet filiæ vim inferre, ac ministro, quem sibi fidelem existimabat, notam inurere. Itaque simul Margaritam cohortatus Octauio reconciliauit, simul reuocauit Lopezium, sed per decoram speciem, quæsitumque à Pontifice honorificum hominis digressum. Prorex e quoque militem iterùm misit, & Perusinorum dedi-

c Literę Farnesij Româ ad Ceruinum, 9. Iunij 1540.
d Literæ Ceruini ad Farnesium Cardin. 10. Augusti 1540.
e Literę Farnesij Card. ad Ceruinum Româ 27. Iunij 1540.

deditio subsecuta est, vnde à Pontifice Carolo grates actæ. 1540.

9 Verumtamen nondum Paulo integrè obducta cicatrix, cùm sibi ex indiciis exploratum videretur, Proregem cum Florentino Principe consentire, simulque offensioni duceret responsum Cæsaris, expostulationi suæ de Prorege redditum; illum videlicet priùs errasse in milite Cæsaris iniussu concedendo, posteà verò in eodem reuocando. De hoc responso liberè conquestus est cum Cæsare Pontifex, admonuitque, dum fœdus in Turcas & hæreticos adeò vtrumque coniungeret, debuisse eam Cæsari mentem inesse, vt eius administri tamquam propriam ipsius causam ducerent Ecclesiasticæ ditionis incolumitatem, à qua pendebant supperiæ, quas posset Pontifex communi causæ submittere, licet de peculiari affinitatis vinculo nulla ratio haberetur: proinde absurdissimum sibi videri, in grauibus euentis, moræque impatientibus, Carolo haud placere, vt eius administri ex quadam Cæsareæ voluntatis interpretatione, quæ ad iustum Pontificis adiumentum essent exequerentur.

10 Dum itaque in Belgio Farnesius moraretur, hæc semina priuatæ offensionis iacta, quibus ex causa publica facta est accessio. Nam Cæsar per Granuellanum magnum Cancellarium Legato significauit, * videri sibi opus esse, vt Germanis fieret satis; Conuentum Spiræ cogendum 23. Maij, hoc est intra mensem; ac deinde post tres hebdomadas Colloquium inter Catholicos & hæreticos, qui designarentur vtrimque à Principibus numero pares, in quo Pontificiis Ministris præsentibus, per aliquam concordiam Religioni consuleretur.

*Literę Farnesij Card. ad Pontificem, 20. Aprilis 1540.

11 Legato ea denuntiatio haud improuisa, * cùm aliquod ipsum murmur præoccupasset, id à Cæsare cum Principibus Germaniæ constitutum. Ne tamen iuuentam suam committeret periculo minùs cautæ responsionis in re tam graui, generatim subdidit; Abhorrere Pontificem ab huiusmodi congressibus, quippe præuisos non nisi maligni fructus fecundos, prout cuncta præterita exempla, & perspecta Lutheranorum studia commonebant: proinde primo mandatorum loco sibi iniunxisse, vt huiusmodi congressibus sese opponeret, & Concilium proueheret; nihilominùs permissurum se, vt inopinatæ denuntiationi copiosiùs Ceruinus Cardinalis, vel vterque Nuntius responderent. Granuellanum tunc percontatus est Ceruinus, eáne Cæsar ac Ferdinandus Farnesio proponant, vt eius sententiam exquirerent, an vt solùm indicerent id quod fuerat sancitum. Hîc verò Granuellanus hærere, ac dissimulatâ interro-

* Literæ Farnesij ad Pontificem, 22. Aprilis 1540. in quibus & in illis, 20 die scriptis & citatis, habetur quidquid hic narratur.

1540. gatione, ſeſe conuertere ad commonſtrandam huiuſmodi congreſſuum neceſſitatem, ad quos viſus erat Pontifex propendere in mandatis Politiano præſcriptis anno ſuperiore, vt Norimbergenſem congreſſum amoliretur, vnde Pontificij adminiſtri arcebantur. Sed hoc facilè reiectum; cùm ſatis pateret, fuiſſe tunc à Pontifice quaſi aggerem propoſitum Generalem Conuentum, dummodò celebratio Concilij haberi non poſſet, quam in præſentia ipſemet offerebat: neceſſitatem verò non rectè prætendi; poſtrema ſiquidem Comitia Ratiſponenſia non Colloquium, ſed Concilium poſtulaſſe. Verùm de re quam ſpoponderat Cæſar, fruſtrà diſceptabatur. Vnde Legatus ne breue quidem ſpatium ab eo impetrauit, quò per celerem tabellarium id Pontificem edoceret, obtentâ vrgente neceſſitate, adiectoque, pro certo habuiſſe vtrumque Principem, Pontificiæ mentis adeò conſcium eſſe Legatum, vt ad eam cognoſcendam neque morâ neque tabellario illi opus foret. His tamen opponebat Legatus; Cùm res ageretur opinioni Pontificis inexpectata, ac voluntati contraria; quam rem ad illum vſque diem Granuellanus ipſe fuerat deteſtatus tamquam periculi grauidam, grauiſſimiſque incommodis obnoxiam futuram, haud eſſe Cæſarianis exiſtimandum, ſe paratum aduenïſſe ad Pontificias partes explendas in tam ſalebroſo negotio. Quæ ſanè rationes, quò plus veritatis, eò plus etiam obtinebant ponderis in ea temporis conditione ad vellicandum, quàm ad impetrandum.

12 Moleſte ſupra modum tulit quæ proponebantur Legatus; quippe qui per eam legationem intento oculorum obtutu eiuſmodi opinionem ſtudiumque conceperat de rebus Religionis, [a] quæ per iuuenilem ætatem hebeti aurium vſu Romæ concipere non potuerat. Vnde à primis vſque diebus eâ ſanè libertate ſcripſerat ad Pontificem [b] de Romanæ Curiæ & Eccleſiaſticorum celerrimæ emendationis neceſſitate, vt ea perlegens graui hæſerim admiratione defixus. At ex altera parte, vti iuuenum eſt ad extrema ſeu ſpei ſeu timoris adduci, facilè credidit Farneſius [c] Heltio, aliiſque veræ Fidei ſtudioſis, qui ab huiuſmodi congreſſibus Religionis excidium prænuntiabant; & acerbo ſuffundebatur pudore, quòd ea legatio, à quâ immenſam ſibi gloriam promiſerat, quaſi à Caſtoris luce rei Chriſtianæ tranquillitatem datura, priùs ciuili ſtatu, dein etiam Religione pacatis, vtrique nunc infauſta cederet, collapſâ pacis ſpe, initoque coram ſe conſilio, quod inſanabiliora vulnera Eccleſiæ minabatur.

13 In alio itaque congreſſu Granuellanum [d] allocutus, acerbiſſimam indigna-

a Literę Farneſij ad Santaflorام Card. 26. Aprilis 1540.
b Gandauo 26. & 27. Febr. 1540. quæ cum aliis citatis ſunt in Archiu. Burgheſiorum.
c Hæc de Legato ſunt in variis Literis ad Pōtif. Gandauo 20. 22. 24. & 27. April. 1540.
d Ex eius Literis ad Pōtificē. 22. Aprilis, ſed detentis vſque ad 26.

indignationem prodidit, ac die post primum colloquium proximo, prævalidum libellum Cæsari tradendum curauerat, per quem incredibili libertate huiusmodi consilium vituperabat, quippe nec Diuinis nec Politicis rationibus consonum. 1540.

14 Non quidem Diuinis, cùm esset in comperto, Lutheranos superbiâ elatos, in arenam descensuros non solum ad expendenda tamquam dubia, sed etiam ad impugnanda tamquam falsa, sacrosancta dogmata iam sancita, & per tot sæcula vnanimi consensu ab Ecclesia confirmata. Quod si de Fidei vnitate in reliquis conuenirent, exploratum cunctis esse, hoc ipsum sacrilego pretio vendituros, vt nimirum ceteri cum ipsis consentirent in deneganda Christi Vicario summa supra reliquos auctoritate, hoc est, in ea radice prorsus euellenda, vnde vitam & vnitatem omnes huius plantæ rami sibi trahunt: summam denique spei eò solùm progredi posse, vt ij, concessis sibi Rituum Legumque Ecclesiasticarum laxamentis & immunitatibus, acquiescerent, quod sine Concilij auctoritate, ceterarumque nationum consensione permittendum non erat, vt ipsæ posteà eam peculiarem in Germanos indulgentiam pacificè tolerarent, nec admotum ægræ parti fomentum in reliqua sani corporis membra tabidum humorem diffunderet.

15 Non Politicis rationibus. Nam tota quæ hinc speranda dicebatur vtilitas, in pace Germaniæ, in auxiliis Protestantium aduersus Turcam, in explendis Catholicorum votis, sita erat. Quod spectabat ad Germanorum concordiam; in confesso esse, fracta per summam audaciam ab illis Decreta generalia, priùs Wormatiæ, posteà Augustæ, deinde pariter Ratisponæ habita, etiam arrogantibus tamquam sibi licita latrocinia prædasque, per Cæsaris ac Imperij contemptum: vnde sperari non posse, eos maiori obsequio præstituros id quod per nouum congressum statueretur: nec maiori fiduciâ suppetias in Turcam eo anno à Lutheranis expectandas, cùm adeò prouecta esset anni tempestas, vt post elapsum Colloquij tempus nihil amplius ad id spatij superesset. Postremò; multò meliùs Catholicis satisfactum iri Oecumenico Concilio, cui Pontifex præstò erat, quodque ipse Pontificio nomine se perfectutum pollicebatur: hanc esse medicinam verè salutarem in huiusmodi turbamentis ab Ecclesia semper vsurpatam, tutam ab errore, cunctis nationibus gratam, vno verbo, esse Lydium lapidem, quo citra periculum erroris sincerum aurum ab adulterino secernitur, tam in doctrinarum integritate quàm in rituum sanctitate, legumque præstantia.

Ea omnia prævalidis intrepidisque dicendi formis exprimebantur,

1540. tur, tametsi per hanc leuem clausulam temperata: Caroli ac Ferdinandi prudentiæ cuncta permitti.

16 Hoc scriptum Cæsari bilem mouit, multoque grauiùs, cùm subauditum est, agitari vt illud in aliorum manus elaberetur, vel in Purpuratorum Senatu recitaretur; adeoque quasi libellum contra se vulgandum esse. Idcircò Legatus auctor Pontifici fuit, ne id fieret: simulque Paulum admonuit, ipsi opus esse, vt è Germanis clientes sibi compararet Cæsari minimè addictos: ad id proponebat, & vti peculiares amicitias cum Principibus Catholicis eius gentis iniret; vtque in Senatum adscriberet ex Germanis non quos Cæsar exposceret, sed quos ipse sponte seligeret.

Curauit autem, vt per Nuntium viuidâ linguæ efficacitate apud Cæsarem eadem confirmarentur, quæ scripto porrexerat. [a] At Cæsar, affirmans à se perlectum libellum, agnitaque rationum momenta, moram Farnesio non concessam, vt de iis Pontificem priùs faceret certiorem, excusauit; testatus, ante sextum diem nec à se nec à fratre id consilij cœptum, adeoque & in eo capiendo tarditatem, & ad id exequendum vrgentem celeritatem, impedimento fuisse, ne tam decoro erga Pontificem officio fungerentur. De rei summa conatus est necessitatem ostendere, simulque spopondit, in eo toto negotio Pontificem primas habiturum. Ita vsuuenit, vt cùm reipsâ duriora, & non ad iniuriam exhibentur, tunc verbis mollioribus inspergantur.

[a] Literæ Nuntij Poggi ad Pontificem, 24. Aprilis 1540.

CAPVT XI.

Reditus Farnesij Cardinalis Romam: & Ceruini Legatio. Congressus in Comitiis decretus. Episcopus Feltrensis Nuntius mittitur.

1 INtereà vertente Aprili [a] redeundi Romam facultas Legato perlata, prout ipse propositis sibi Comitiis & Colloquio flagitauerat. Itaque profectus per Galliam iter habuit; [b] ibique fuerat demandatum, vt Regi significaret, cùm pacis negotium non ita in promptu esset, vti priùs sperauerat, satius duxisse diu in Belgio non persistere. Ab eo verò Rege non solùm humanissimè fuit exceptus, sed saluberrima in Religionis emolumentum edicta impetrauit, vt Suauis ipse fatetur.

[a] Literæ Legati Gandauo ad Pontif. vlt. Aprilis 1540.

[b] Literæ Sanctæfloræ Cardin. ad Farnesium, 4. Aprilis 1540.

2 Dum Cardinalis reditum adornabat, ex ipsius nuntiis rescitum est Romæ Cæsaris consilium de Comitiis & congressu. Ipse quoque Cæsareus Orator Aguilarius Marchio ea de re Pontificem admonuit,

monuit, tradito ad ipsam excusandam libello. Illum Paulus per senilem moderationem accepit, ad remedia potiùs animo quàm ad querelas conuerso. Quamquam autem Farnesius suis in literis priùs anceps nutasset, expediretne Legatos Spiram destinari, cùm exploratum non haberetur, quanta cum dignitate Sedis Apostolicæ essent excipiendi; tamen ex prudentium amicorumque consilio id satius futurum existimauerat, cùm consideraret, Spirensibus Comitiis, sicut dicebatur, Lutheranos minimè interfuturos; sed solùm colloquio ibi præscribendo, atque ex altera parte, alicuius Legati præsentiam valdè profuturam ad salutaria in Cœtu consilia promouenda. 1540.

3 Sed angustiæ temporis haud sinebant [a] vt Româ Legatus mitteretur. Hinc de communi Purpuratorum sententia statutum, vt daretur negotium Ceruino Cardinali redeundi ad Cæsarem Legati titulo, eique adhærendi, quò [b] Cæsaris auctoritas Comitiorum sanctiones, prout par erat, moderaretur: quibus tamen interesse prorsus recusaret, ad euitandam aleam, ne ibi spectator adesset, si quid minus decorum Ecclesiæ decerneretur; tametsi ad maiorem facultatis amplitudinem particula Legationis fuerat apposita, [c] quæ Comitia pariter complectebatur. Ceterùm vbi ea dubitatio sublata fuisset, ac de re vniuersa Farnesius eò iam retulisset, designatus ei Legationi fuit Contarenus Cardinalis, [d] Cæsari etiam acceptus. Illius missio, solennisque Crucis traditio posteà retardata, [e] quòd Pontifex in suspicionem venerat, pacem postremò compositam inter Venetos & Othomannum, se simul ac Cæsare inuitis, effecturam ne Contarenus ob patriam Carolo minùs placeret: [f] sed confestim ea suspicio sublata.

4 Interim Nuntio Morono, [g] qui apud Ferdinandum aderat, eratque Comitiis interfuturus, iniunctum, quamquam Regis tam religiosi præsentia timorem omnem abstergebat, ne quid contra reuerentiam Romanæ Sedis ibi tentaretur; tamen id si forte accidisset, Nuntius inde statim discederet, sisteretque in aliqua ex propinquis vrbibus, ac de singulis subinde Legatū Ceruinum admoneret. Ne in disputationem accederet de Religione: quòd si quando inter Catholicos ac Lutheranos disputaretur, Catholicos ritè muniret, & quæ ibi agerentur, accuratè perquireret, nullâ tamen auctoritate commendaret. Si quid temperamenti proponeretur, de eo per tabellarium celeriter Pontificem certiorem faceret, & ab eo responsum præstolaretur. De mittendo illuc Legato promptam Pontificis voluntatem præ se ferret, modò certus esset, ibi pro digni-

[a] Duæ Epistolæ Sanctafloræ Card. ad Ceruinum, 15. Maij 1540. & alia eiusdem eodem die ad Farnesiū Cardinal.

[b] Literę Farnesij Card. Româ ad Ceruinum, 26. Iunij 1540.

[c] 17. Maij cum clausula, *etiam ad Dietam quatenus opus sit*, in Actis Consistorialibus.

[d] Literę Farnesij Card. Româ ad Ceruinū Legatum, 5. Iunij 1540.

[e] Eiusdem ad eundem Literæ 9. Iunij 1540.

[f] Variæ Literæ Ceruini ad Farnesiū, præsertim ex datis Bruxellæ mense Septembri.

[g] 15. Maij, in Archiuio Burghesio:ū.

1540. dignitate adfuturum. Hæc ſummatim Morono demandata.

Verùm peſte Spiram inuadente, indictus iam conuentus Haganoam traductus. Nec vllum officij genus prætermiſere [a] Cæſarei, vt eò ſe conferret Legatus; ſed fruſtrà: quantum enim eò ſuâ ſponte ferebatur, tantum mandato Pontificis cohibebatur. Et ſanè neque poſteà Ceruinus probauit, [b] ab illis Comitiis Legatum Pontificium abfuiſſe, quod aiebat à Germanis adſcribi contemptui Religionis, quaſi eius negotium Romæ negligeretur; fuitque auctor, vt Contarenus ad congreſſum omnino mitteretur, ex Comitiorum decreto Wormatiæ, modò Cæſari placeret, celebrandum 28. Octobris, Pontificis adminiſtris Regumque Legatis præſentibus; atque vndecim ex Catholicis Doctoribus, totidemque ex hæreticis, Religionis controuerſias expenſuris, non contentionis, ſed concordiæ gratiâ, quò poſteà cuncta ad noua Comitia referrentur, & quod expediret ſtatueretur. 5

a Literæ Ceruini Cardin. ad Pontif. 7. Iunij 1540.
b Literæ Ceruini ad Farneſium Bruxellis.

Rex Galliæ, dum Ceruinus illac ad Cæſarem Legatus contendebat, [c] ſingulari beneuolentiâ illum exceperat, allocutus de pacificatione nondum confecta inter ſe ac Cæſarem moderato animi ſenſu; narrauitque, fuiſſe poſtremum Carolo propoſitum, vt ſi Belgium mallet, cederet non modò Mediolanenſi Principatui, ſed cuicumque Italicæ telluris parti, quæ ad ditionem Ciſalpinam, ac Salutiorum ſpectaret: id ab ſe repudiatum, qui noſſet neque huiuſmodi concordiam Pontifici placituram. In reliquum præ ſe tulit animum perſiſtendi in pactionibus induciarum, exercendique cum Cæſare amicitiam, nullâ prorſus mentione factâ læſæ promiſſionis (quod confidenter nonnulli ſcriptores narrant) quaſi Carolus, cùm ab eo tranſitum per Galliam impetrauit, clam illi Mediolanenſem ditionem ſpopondiſſet. Profectò nulla veri ſpecies ſuadere poteſt, opportunitatem coërcendi Gandauenſes tumultus, empturum fuiſſe Cæſarem tam ampli, tam egregij Principatus iacturâ. Sed quis magis adhuc non admiretur Hiſtoricos, identidem errantes in iis ipſis quæ ſuis in regionibus viſu palàm fuerant vſurpata? vt hîc Spondano accidit, qui Ceruino inferioris Præſulis conditionem tribuit, dum is in Belgio apud Farneſium Cardinalem morabatur, ponitque pro certo, eumdem in Aula Caroli abeunte Legato perſtitiſſe, acceptâ ibidem poſtmodum Purpuræ Legationiſque dignitate: & tamen Purpurâ donatus fuerat antequam in Belgium perueniſſet; neque ibi remanſit, ſed inde diſceſſit, Lutetiam reuerſus, cùm Legatione fungeretur. Verùm excuſandus Spondanus ob copioſam rerum Hiſtoriam ſummatim contractam, 6

c Literæ Ceruini ad Farneſium, 31. Maij 1540.

eorum

eorum more, qui cùm plurima in angustum congerunt, quandoque in ipsis tractandis deerrant: sed non item in Suaui, qui tantummodò vni insistit huius argumenti narrationi, notitiamque absolutissimam iactitat, est excusandum silentium, hoc est, ignoratio huiusce Legationis. 1540.

7 In ea igitur Legatione, prima Ceruini officia Regi Galliæ sunt impensa, expositis sui reditus ad Cæsarem causis, commendatoque Religionis patrocinio, inter ea discrimina indictorum Conuentuum. Rex auersum ab illis Comitiis colloquiisque animum præ se tulit: adiecitque, se rogatum à Cæsare vti suum Oratorem mitteret, eâ certè lege missurum, vt is Nuntij consiliis concors eódem cum illo tenderet. Atque vti Rex pollicitus est, [a] ita planè ipsius Orator Franciscus Oliuarius re præstitit, habitâ in Comitiis summè Catholicâ prudentique concione. Cùm autem huiusmodi Conuentus euitari non posset, quò sanè periculosior agnoscebatur, eò grauior impendebat Pontifici vituperatio, si durius se gessisset in deneganda Colloquio Pontificiorum præsentia. Ad id duæ potissimùm causæ conspirabant. Prima ex Ferdinando Rege, concordiæ cupientissimo, [b] & ad remissiora huiusmodi consilia Cæsarem stimulante. Etenim animaduertebat, se nondum absque controuersia Regem Romanorum agnosci, neque adhuc Ioanne Rege prius demortuo Pannoniâ plenè potitum, simulque Turcico se furori obiectum, & inopiâ laborantem. Quare non alio propugnaculo suam vel amplitudinem vel salutem muniri posse rebatur, quàm pace Germaniæ: ipsius etiam Consiliarij Lutherani, quibus erat circumseptus, omni studio annitebantur eam necessitatis opinionem in animo Regis altiùs figere. Proinde si Pontifex, semoris à Colloquio ministris suis, voluntatem ostendisset ab ea pacificatione alienam, visus fuisset Austriacis, eorumque fautoribus, familiam adeò benè de Catholica Religione meritam, ac nationem illam, vnaque Christianam Rempublicam tanto bono fraudasse.

[a] Literæ Ceruini ad Farnes. Cardin. 20. Augusti. 1540. & constat ex eiusdem concione.

[b] Ex Literis Moroni Nuntij ad Farnesium Cardin. VVormatiâ 15 Decembris 1540.

8 Secunda causa erat; Quia Lutherani [c] Haganoæ per summam contentionem obstiterant, ne Pontificij ad Wormatiense colloquium vocarentur, in iisdem pactionibus Francofurti cum Londensi compositis obdurati: sed tandem conuentum erat, vt liceret Cæsari [d] eos inuitare, obtestantibus tamen Lutheranis, a se non idcircò Romanum Pontificem tamquam Ecclesiæ Caput agnitum iri. Vnde si defuissent, ea ipsa species indicasset Lutheranorum victoriam, illosque non sponte absentes sed exclusos, graui Pontificiæ auctoritatis dedecore.

[c] Literę Episcopi Feltrensis VVormatiâ ad Farnesium, 25. Nouembris 1540.

[d] In vltimo Capitulo Haganoæ recessus.

1540.

Induxit itaque Pontifex animum ad indulgendum Caroli ac 9
Ferdinandi precibus, suis etiam Internuntiis ad Wormatiense colloquium missis. Et quoniam [a] Orator Cæsareus exposuerat, optari à Cæsare non Legatum, sed Nuntium notæ inferioris, de Veronensi Episcopo cogitatum fuit: hic tamen à Cæsarianis reiectus vti Gallo propensus. Vnde Pontifex Thomam Campeggium Feltrensem Episcopum eò [b] destinauit. Consueuerat Paulus in seligendis Ministris ad grauiora negotia pertractanda, satis haud acquiescere in quadam eorum quasi speculatrice notitia, & generalia complectente, absque peculiarium rerum experientia; quò enim altera luculentiùs mentem attollit ad sciendum, eò tutius altera dirigit ad agendum. Et sanè Campeggio parta experimento notitia plurimarum rerum erat, quippe in huiusmodi negotiis exercito per varias Legationes, in quibus fratrem Purpuratum fuerat comitatus, & alioqui magna cum laude prudentiæ atque doctrinæ multis in Romana Curia muneribus perfuncto. Comites illi addidit quatuor Theologos ex Caroli ac Ferdinandi consilio: [c] hi fuere Thomas Badia, Apostolici Palatij Magister; Gregorius Cortesius, Abbas ex Familia Cassinensi, vterque à nobis connumeratus inter emendationis præfectos; Petrus Gerardus, Gallus; doctusque quidam vir natione Scotus, qui Romæ Pontificiæ liberalitatis ope degebat. Plures eò destinasset, sed insigniores Theologi, qui Romæ degebant, erant è Religiosis Ordinibus, sicuti reipsâ solus Cœnobita inter hos quatuor, Wormatiæ in primis excelluit, ex Granuellani Moronique sententia; [d] quorum nomen & habitus inuisa ibi erant, de quo Pontificem Cæsar admonuit. [e] Atque hac planè de causa [f] in eo Ordine quem Ignatius Loyola per eos dies condidit, ac post multa diuturnaque consilia Paulus comprobauit, instituto potissimè ad pietatem per sacras missiones propagandam & excolendam, habita ratio est amouendi ab eo appellationes ac vestes religiosorum fratrum, tametsi alioqui venerabiles ac sanctiores essent, quippe minùs tunc accommodatas, ex mortalium nequitia, bono quod quærebatur. Scripsit quoque duas epistolas Pontifex, quibus per Nuntium inuitaretur Albertus Pighius, vir libris editis clarus; & Antonius Perenottus, Antistes Atrebatensis, magni Cancellarij filius, ingenij perspicaciâ literisque præditus, quibus dotibus eximia parentis auctoritas decus addebat: hic posteà dum Regij administri munus obiuit, in eius ætatis historiis plurimùm claruit.

a Epistola Farnesij ad Poggium Nuntium, 16. Octobris 1540.
b Designatus est in Senatu, primo Octobris 1540. vt in Actis Consistor.
c In Instructione mox referenda, data 16. Octobr. 1540.
d Literæ Moroni Wormatiâ, 13. Decembris 1540.
e In Literis Farnesij citatis.
f 17. Septembris.
g 5. Octobris 1540. extat in libro Instructionum spectantium ad Concilium, in Archiuio Vaticano.

Hæc porrò Nuntio commissa: [g] Quamquam Pontifex non mo- 10
dò non probaret, sed detestaretur huiusmodi Cœtus, in quibus de Reli-

Religione disceptandum esset, animaduerteretque pariter, nimium exinde Sedis Apostolicæ dignitatem imminutam iri, absque cuius consensu fuerant indicti; tamen velle se illum imitari, cuius erat immeritus Vicarius, quique Maiestatem suam salutis humanæ causâ ad vilissima quæque demiserat. Cuicumque rationi, suadenti ne suum ibi Ministrum destinaret, præferendam duxisse spem, in Cæsaris id vrgentis probitate ac prudentia sitam: hinc sibi potiori nomine ab eo polliceri Sedis Apostolicæ patrocinium, quandoquidem singulari Cæsaris pietati stimuli addebantur, ne alios pœniteret, quod ipsius iudicio confisi, eiusdemque desiderio cessissent. 1540.

Vti Nuntius, eiusque socij, summam tum voluntatis tum sententiarum concordiam seruarent, nec vnquam sinerent ne minimam quidem dissensionis scintillulam erumpere, quæ omnem auctoritatem illius comitatus corruptura fuisset.

Vt reliqui nihil nisi consulto prius Nuntio, atque ex condicto aggrederentur.

Vt promptos ad auscultandum, lentos ad loquendum se gererent: abstinerent à disputationibus, ac potius amicis adhortationibus operam darent; per has animum lucro fieri, per illas mentem ad contendendum cieri. Temperarent se quantumuis lacessiti, ne quid seu per contentionem, seu per aculeos reponerent; sed per eam grauitatem, quâ palàm fieret, id non ex animorum imbecillitate, causarum diffidentia, sed ex charitatis excellentia, animorumque moderatione proficisci. Si concordia proferretur in medium, quæ neque Religionis candori, neque doctrinæ integritati noxia ipsis videretur, eius conditiones confestim Pontifici significarent, factâ propitij responsi spe.

Studerent potissimùm abradendis Lutheranorum calumniis ex omnium animis, de legibus ritibusque à Romana Curia deprauatis.

Conarentur vti congressus ille, si quidem non prodesset, nihil certè noceret. Verùm quocumque tandem res euaderet, ne putarent se meritum operamque perdidisse re infectâ, quemadmodum nec ipsum Pontificem existimaturum nullius pretij operam impendisse, dum suas ipse partes apud Deum expleret, etiamsi ex hominum improbitate nullus inde fructus existeret.

1540.

CAPVT XII.

Euenta VVormatiensis congressus. Alia Comitiorum destinatio pro Religionis concordia Ratisponæ.

COetus 25. Nouembris inchoatus Wormatiæ: Cæsar verò 1
causatus [a] eas res nondum compositas, quibus in Belgio detinebatur, pollicitusque aduentum suum etiam antequam plenè componerentur, cò misit cum potestate Granuellanum, qui Pontificius clàm significauit, Cæsarem Belgio nondum abiisse, quò Legatus à Britanniæ Rege sibi missus, [b] qui lentiùs progrediebatur ne ad ipsum nisi Wormatiæ perueniret, voto frustraretur: cùm Carolus nollet vel ea in vrbe, vel nusquam in Germania cum eo colloqui; gnarus, nihil ab illo prætermissum iri ad fouendam discordiam, cuius spinæ tutissimam Anglo sepem prætexebant: præcipuè verò lapidem omnem ab eodem motum iri ad auertendum quodque emolumentum Pontificis, quem sui veluti furoris metam spectabat.

Conuentus initio concionem habuit Granuellanus,[c] in qua, commemoratâ Cæsaris voluntate erga pacem Germaniæ, & in primis breuiter, sed honorificè, Pontifice eiusque in Religionem studio collaudato, luctuosas calamitates recensuit à dissensionibus exortas, conatus auditorum animos desiderio pacis inflammare. Recitatum ibi pariter diploma Cæsaris, cò Granuellanum cum potestate delegantis; in quo dicebatur: Cùm innotuisset Cæsari, suam ibi præsentiam à Germanis expeti, à qua publicam consensionem sperabant, adcò se studuisse eorum votis indulgere, vt huius rei potissimùm causâ hereditaria Hispaniæ Regna suosque liberos reliquisset, initis cum Rege Romanorum fratre suo consiliis, quò aperiretur facilior ad id assequendum via: idcircò celebrata fuisse Haganoæ Comitia, & nunc Wormatiensem Cœtum indictum, in quo vtriusque partis homines amicis animis, citra omnem obligationis nexum, conferrent inter se de Religionis articulis in controuersiam vocatis, vt concordarent. Cuncta postmodum in futuris Comitiis ad se, ad Pontificis Legatos, atque ad Ordines Imperij referenda, vt de iis vel per Oecumenicum Concilium, vel per aliam rationem decerneretur. 2

Nuntius Granuellano comprobante Cœtui primâ die non interfuit, [d] quippe præmittendis de more cæremoniis destinatâ, ad quod paratam sibi sedem esse satis erat. 3

Maior deinde suborta dubitatio, an oporteret vt ab eo quoque sua

a In Concione Granuellani infrà citanda.

b Literæ Moroni Farnesio Card. 18 Decembris 1540.

c 25. Nouembris; & extat manuscripta in Bibliоth. Equitis Christiani Furei, cum Deputatione Cæsaris de codem Granuellano, & Oratore Nuntij, intèrcedendo.

d Literæ Nuntij ad Farnesium, 25 Nouembris 1540.

ſua concio haberetur, * cùm timor eſſet, ne quid Lutherani inſolentius agerent in concione. Et ſane Mutinenſis Antiſtes, qui aderat vti apud Ferdinandum Regem Nuncius, ſed non actor primarum partium, exiſtimabat, lucro præponderare periculum; in quo pariter alij tantiſper conſenſere, dum idem ſentire viſus eſt Granuellanus, ibidem intereſſe detrectans: ſed ab ea ſententia illo priùs diſcedente, adeoque ad nouum conſilium quaſi vadem ſe dante, diſceſſum à reliquis. Magno ſiquidem adiumento alioquin erat, quà ad promouendum exoptatum Cæſarianis exitum, quà ad conciliandam Pontificiis communem beneuolentiam, ea publica teſtificatio, quâ in Pontifice ſtudium concordiæ comprobabatur, eiuſque adminiſtri ab inuidia purgabantur, vel à ſuſpicione, vel à calumnia illis conflata, quaſi ibi rei perturbatores, non fautores adeſſent. 1540. * In Literis Moroni 5. & 13. Decembris.

4 Breuiter itaque Nuntius expoſuit, * Profuſum à Chriſto ſanguinem non ſolùm eorum gratiâ qui tunc in ipſum credebant, ſed eorum etiam, qui eſſent inpoſterum credituri: ſimilem etiam charitatem reipsâ Ethnicis exhibitam, & ab Apoſtolo Paulo laudibus celebratam. Quòd ſi ea virtus in animis Chriſtianorum omnium vbertim affluxiſſet, funeſta Religionis diſſidia, quæ Germaniam lacerabant, nequaquam erupturа fuiſſe. Ad ea ſedanda nullam prætermiſſam induſtriam à Romanis Pontificibus, ac præcipuè à Paulo III. indicto Vicentiæ libero Concilio, eiuſque ibi Legatis diu ceteros Præſules ipſius iuſſu præſtolantibus; ſed nullis accedentibus, poſtremò ad prorogandam Synodum Pontificem fuiſſe coactum. Cùm autem ex eadem cauſa indixiſſet Cæſar præſentem conſeſſum, in quo agitarentur ea, quæ poſtea Comitus Ratiſponæ celebrandis referenda eſſent, vel vt illic componerentur, vel vt per Oecumenicum Concilium de iis ſtatueretur, miſſum ſe a Pontifice, vt omnem impenderet operam ad rem ex voto conficiendam, eiuſdemque nomine polliceretur, quidquid diuinæ gloriæ, ſinceræque Religionis ſtudium ſibi permitteret. * 8. Decembris 1540.

5 Dum hanc Orationem Suauis commemorat, non modò quidquid ineſt pietatis, ſilentio præterit, ſed bis etiam labitur. Primò, cùm affirmat, Nuntium Pontificis nomine ſpopondiſſe Concilium commodiore in vrbe quàm Vicentiæ. At Nuntius ſolùm affirmauit, paratum eſſe Pontificem illi indicendo, quandocumque Cæſari Germaniæque placeret. Iterùm labitur, vbi narrat tamquam à Nuntio pronuntiatum, Pontificem permiſiſſe Cæſari huiuſmodi colloquium, ceu præludium eorum, quæ in Concilio eſſent decernenda.

1540. nenda. Quæ narratio duplici etiam ex capite peccat: nec enim significauit vmquam Nuntius, permissum a Pontifice colloquium, à quo ea quæ Nuntio mandabantur, semper auersum ac refugientem Pauli animum declarabant: neque affirmauit, illud ceu Concilij præludium futurum, quod tunc Granuellani concioni repugnasset, quâ expositum fuerat, ineundam postmodum rationem, vt seu per Concilium, seu quoquo modo ea concordia perficeretur. Per eamdem disiunctionis formulam, sicut iam diximus, locutus est Nuntius, & solum affirmauit, fuisse colloquium indictum à Cæsare tamquam præludium concordiæ agitandæ in Ratisponensi Conuentu.

Impetratum quoque fuit, vt dum ea Oratio haberetur, Lutherani abstinerent * à consuetis contestationibus: atque ita communi nomine actæ gratiæ Campeggio, eiusque dicta collaudata, nullâ factâ mentione Pontificis. 6

* Extat in eadem Bibliotheca Equitis Putei.

Hîc verò summâ solicitudine Pontificij laborabant. Ex altera parte, si per colloquium nihil conficeretur, duplici metu infestabantur: Vel ne perpetua pax à Cæsare concederetur Germanicæ nationi; quæ vbi se animaduerteret liberam ab omni timore virgæ Cæsareæ, saltum præcipitem in Lutheranam licentiam meditari videbatur; adeoque se totam in eam voraginem immersura fuisset, & alias quoque Prouincias in partem ruinæ tractura. Vel ne digressus Cæsar, piâ quidem voluntate retentâ, sed abiectâ operis ac remedij spe, adeoque subtractâ manu, rem ferri suo cursu permitteret; vnde ipsius leges auctoritate ac viribus exarmatas Germania ex se perfringeret, & in libertatem Religionis prolaberetur. 7

Ex altera verò parte colloquium si rem perfecisset, peiorem euentum minabatur. Etenim vndecim vtrimque fuerant designati, pro numero Principum Vrbiumque præcipuarum inter Protestantes. Protestantes verò, vt euenit in quacumque noua atque oppugnata hominum coniunctione, arctissimè inter se connectebantur: at huiusmodi nexus inter Catholicos sperandus æquè non erat; nam inprimis * tres ex connumeratis Principibus in hac parte hæresi reipsâ fauebant. Erant hi Septemuiri Palatinus ac Brandeburgicus, & Dux Cliuiensis: deinde, quòd Doctores Catholicos æmulatio inuaserat; cumque inter eos Eckius præcelleret, reliqui tamen etiamsi superiorem faterentur, ipsum tamquam ducem sequi dedignabantur; proinde, ne in sententiis dissiderent metuendum erat. 8

* Literæ Moroni Nuntij 13. Octobris.

Huic postremo periculo Cæsar occurrit; * mandauitque per Granuellanum, ne peculiarium suffragiorum ratio haberetur, sed 9

* Literæ Campeggij 25. Nouemb.

vt

vt singulæ partes scripto firmarent quidquid ex vnaquaque partium 1540.
plures decreuissent. Atque eâ ratione cautum erat, ne quid perperàm à Catholicis proferretur, cùm eorum plurimi rectè sentirent. 1541.

10 Quò verò duobus reliquis periculis occurreretur, scripsit Moronus Farnesio Cardinali, adiumentum efficacius sibi haud suppetere, quàm si daretur opera, vt tantisper in Germania Cæsar detineretur, dum aliquid consilij certioris cœptum fuisset, adeoque gratificandum illi Legati missione, quam Carolus id temporis postulabat. * Etenim Granuellanus, apprimè gnarus non posse Lutheranorum impetum à se sustineri, & Pontificiam auctoritatem quoddam esse telum, cui neruosè tractando satis non esset dextera Præsulis quamuis strenui, qualem ipse Campeggium existimabat; doluit fuisse à Cæsare rogatum Pontificem, vt huiusmodi notæ Minister eò mitteretur, cœpitque Legarum deposcere ad Ratisponensia Comitia, cum egregio Theologorum comitatu, & potestate ac pecuniâ satis instructum. Ita quæ priùs suspecta censebatur nimia Pontificij administri auctoritas, ne speratam concordiam perturbaret; nunc è contrario necessarium præsidium videbatur vel ad pacem obtinendam, vel ad incrementa hæresis impedienda, quæ non minùs perniciosa Cæsareo quàm Pontificio diademati cernebantur.

* In Literis Moronicitatis, & in aliis 22. Decembris.

11 Interfuit illi Conuentui Galliæ Regis nomine Vergerius Iustinopolitanus Episcopus, à nobis priùs commemoratus, vir ingenio æquè viuido ac audaci, & ex eorum conditione, qui nec procul negotiis vitam ducere queunt, nec putant absque se negotium vllum confici posse. Suauis, qui ea narrat quæ ipse comminiscitur, semperque comminiscitur in Pontificibus callida & fraudulenta consilia, scribit fidenter, Pauli operâ ibi Vergerium adfuisse, sed sub Regij administri persona, quò rem opportuniùs promoueret. Hæc narratio adeò discrepat à vero, vt multò priùs Aleander Cardinalis arcanis literis * Pontificem admonuerit, Vergerium parum honorificè de Sede Apostolica loqui, illi fuisse minitatum, & exercere cum Lutheranis amicitiam; quarum rerum testes protulit Moronum, & apud Venetos Nuntium. Atque huic opinioni, conceptæ de homine, in quo iam tum eorum anguium semina translucebant, quos fouebat in animo, & qui posteà per scripta, perque res ab eo gestas erupere, consonabant Aulæ Romanæ sensa, dum ille degeret in Germania. Vnde quò ad repetendam Episcopalem Sedem alliceretur, pensionis quâ grauabatur relaxatio fuit oblata. Hæc omnia per Poggium à Pontifice Carolo renuntia-

* Epistola Aleandri Card. ad Ceruinum, 12. Martij 1539. quam accepisse fatetur Ceruinus, in Epistola ad Aleandrum data 28. eiusdem mensis.

1541. ta, * vt Cæsaris auctoritas, si fieri posset, ab illis prouinciis ac negotiis hominem amoueret.

* Epist. Farnesij Card. ad Poggium, vlt. Februarij 1541.

Per speciem confusionis ac prolixitatis vitandæ, numerum designatorum ad colloquium minuit Granuellanus. Dies aliquot Eckius & Melanchthon de originaria noxa disseruere, donec Cæsar, seu rem minimè perficiendam ratus absque suæ auctoritatis impulsu, seu veritus ne quid absonum se absente oriretur, congressum abrupit, distulitque ad Ratisponensia Comitia, quibus se interfuturum spopondit. 12

Hic itidem Suauis plura mentitur; tribuitque Pontificiorum technis prolatum sine fructu colloquium, Nuntiique Poggij officiis apud Cæsarem idem abruptum. Ex aduerso constat, Moronum in omnibus literis iam adductis, quas ad Farnesium Cardinalem Wormatiâ misit, conquestum esse, prolixitatem illam tamquam Lutheranorum astum, quò tergiuersarentur vsque dum Hispaniam Cæsar repeteret, ac penes se firma persisteret ea Religionis libertas, & iniusta possessio bonorum Ecclesiasticorum, quam ad breue tempus extorserant, donec potiora consilia caperentur. Enimuerò Poggius nullam potuit nauare operam prorogando colloquio, cùm ea prorogatio nimis esset molesta Pontifici; quod mox patebit: curabat quidem vt illud prorsus abscinderetur, & vti Cæsar conatum conuerteret, priùs ad permouendos hæreticos adhortationum auctoritate, disputationum loco; deinde, si hoc non succederet, ad eosdem armorum vi perdomandos. Quæ tamen arma à quouis alio confidentiis ad ictum cientur, quàm ab eo cuius manu stringuntur; cùm alij fulgorem in iis intuentur, ille debilitatem sentit. 13

CAPVT XIII.

Legatio Contareni Cardinalis ad Ratisponensia Comitia.

PRiùs indicauimus, Legatum fuisse destinatum ad ea Comitia, si haberentur; Gasparem Cardinalem Contarenum, ab ipso Cæsare vel post contractam à Venetis cum Turca pacem ad id comprobatum: sed posteà supersedisse Pontificem illius Wormatiam missione, quòd Cæsar minoris notæ Præsulem petiisset: deinde verò postulatum ab eodem Legatum ad Ratisponæ Conuentum, cui abundè esset & potestatis ad componendas dissensiones, & pecuniæ ad animos eo quoque auxilio conciliandos. Verùm potestas non nisi valdè circumscripta Legato concessa, vt iam liquebit; & alterum reconciliationis illicium à Pontifice omnino repudiatum, 1

diatum, quippe, vt Oratori Cæsareo Paulus ostendit, indecorum simul ac plenum periculi. Ceterùm libenter Legatum [a] expediit, cùm ad eum seligendum nouo consilio opus non esset. Elucebat in Contareno prudentia & peritia in ciuilibus negotiis, [b] doctrina tam in profanis quàm in sacris disciplinis, studium Religionis ad Petri causam constanter tuendam, integritas vitæ ad successoris personam cum dignitate ac fructu gerendam. Missus fuerat à Senatu Veneto Legatus ad Cæsarem, vt libertatem Clementis Septimi in arce Romana detenti ab illo impetraret; & vsque adeò fuit Carolo acceptus, vt eum posteà nominatim ad hæc agitanda Legatum flagitarit. Oratoris pariter apud eumdem Clementem munus obierat in solenni Cæsaris inauguratione Bononiæ. Ibi verò eam sibi laudem peperit, vt illius iam tum semina in animum Pauli III. iacta tam egregium deinde fructum protulerint, nimirum à Senatoria suæ patriæ Purpura, nullis aliis Ecclesiasticæ militiæ conscensis gradibus, ad sacram Vaticani Senatus euectum esse. Quod Aloysium Mocenigum Senatorem compulit ad amicam querelam, quasi Pontifex per eam electionem non tam Venetum Senatum decorasset, quàm defloraffet. Eius doctrinæ pietatisque præstantia viuit adhuc in ipsius literariis operibus, vbi dum lectores erudit, cum profunditate claritatem, cum elegantia subtilitatem aptè connectit, nec minùs, dum Pontifices admonet, cum sinceritate reuerentiam. In excolenda pietate, S. Ignatij alumnus fuit: [c] atque inter primos pias illas exercitationes, quarum Ignatius auctor & institutor fuerat, & adhibuit [illegible], & auctoritate suâ aliis commendauit. Quin etiam Contarenus ipse formam Societatis Iesu ab Ignatio digestam ad Pontificem detulit, & ab eodem illius comprobationem reportauit. Quod fortasse suspectas redderet viri laudes hîc adductas, nisi ampliores legerentur à nobilissimis eius ætatis scriptoribus concelebratæ.

1541.

[a] Designatus fuit in Senatu 10. Ian. 1541. vt in Act. Consistor.

[b] Vide eius Vitam scriptam à Ioanne de Casa.

[c] Ex Daniele Bartolo lib. 2. Vitæ S. Ignatij, & confirmatur ex Epistola manu S. Ignatij scripta Petro Contareno.

2 Arcana Pontifex illi documenta tradidit, iusso nullius ea notitiæ fidere, ac ne id quidem significare, sibi videlicet aliqua fuisse scripto demandata. Suauis in commemorandis iis quæ illi in mandatis tradita fuere, turpiter in primo gradu offendit. Narrat quippe, à Contareno, quò mandata exequeretur, allatam Cæsari excusationem, sibi potestatem à Pontifice minimè traditam ratos habendi Fidei articulos, propterea quòd ea potestas à Christi Vicario seiungi nequit, nec ab eo alteri delegari fas est: sed vbi Lutherani conuenissent de Religionis dogmatibus ab Ecclesia Romana sanctis, polliceri in reliquum se planè satisfacturum Germaniæ. At-

1541. qui hoc opponitur è regione mandatis Pontificiis, in quibus nullâ mentione habitâ de huiusmodi potestate ad præscribenda dogmata, solùm inerat, nullam à Pontifice facultatem illi tribui ad relaxandas leges ritusque ab Ecclesia iam inductos, cùm fieri posset, vt Lutheranorum postulata ad res inopinabiles progrederentur; & quantum diuinare licebat, eiusmodi futura, vt ne ipse quidem Pontifex si adesset, posset illis indulgere absque offensione, animarumque periculo, saltem nondum prospecto aliarum nationum sensu.

Addebatur: Cùm ad Germaniæ turbas componendas valeret plurimum pacificatio Principum, omni conatu ad eam Cæsarem cohortaretur; quemadmodum nec desistebat Pontifex pro virili Regem Christianissimum ad id cohortari. 3

Non posse Pontificem in animum inducere, Caroli ac Ferdinandi pietati, & Granuellani promissionibus Wormatiæ exhibitis confisum, eos vmquam vel indulturos, vel passuros, quod Catholicæ Fidei candorem, potestatemque Romanæ Sedis læsurum esset: quòd si quid huiusmodi agitaretur, rei omnino Legatus occurreret, oblato in præsentia Concilio. Ad illud repudiandum, locum non dari, quasi pace nondum initâ haberi non posset; vbi enim arderet in Principum animis studium Religioni debitum, vsurpari posse quod aliàs effici solitum, hoc est, fidem publicam Episcopis dandam, quâ liceret per eorum ditionem iter facere: deinde verò Concilij ope sperandam ex præteritis exemplis, non Religionis modò, sed ciuilem Reipublicæ Christianæ pacem. At si ne id quidem satis foret ad iniquas illas concessiones à Conuentu remouendas, liberè simul ac modestè denuntiaret, ne ibi quidem persistere sibi quasi spectatori licere, sed eas nomine Pontificio prohiberet. Quòd si iam admissæ fuissent, irritas declararet, & à loco, vbi concessæ fuerant, secederet; sed non ab Aula nec à Cæsare, absque nouis mandatis. Idem exequeretur, quamuis hæc non nisi ad tempus concedenda essent, quasi eorum arbitrio in futurum Concilium reiecto: vel vbi de Concilio in Germania cogendo decerneretur, quod & Pontifici ceterisque populis iniuriosum erat, & hæresi conducibile; quippe quæ ibi sua tamquam in arce se tueretur. Si necessitas harum prohibitionum ac denuntiationum vrgeret, Cæsari significaret, adigi ad ea Pontificem vnius Religionis studio, saluâ in reliquis amicitiâ, quæ semper inter ipsos perstiterat, affinitatis etiam nexibus confirmatâ. Haberet clàm apud se legitimum scribam ac testes ea dum ageret, quò dicta factáve legitimè perscriberentur.

Angebatur præterea Pontifex, cùm ipse tantum diligentiæ laborisque 4

risque impendisset, vt Concilium & concordia inter Principes statuerentur, tantumque diuturnæ patientiæ, quâ dissimularat in Cæsaris conuentibus agi de Religionis negotio, nixus spe salutaris remedij in Cæsaris præsentia & auctoritate, eâ se fraudatum fiduciâ ad illam vsque diem animaduerteret. 1541.

Famâ circumferri, Cæsarem confirmaturum prorogaturumque inducias Norimbergenses, quarum vi Protestantes in rem suam detorquebant quidquid ambigui esset in verbis, sibique omnem licentiam arrogabant: proinde si pariter in hoc intelligeret aliquid Religioni noxium committendum, præscriptâ iam formâ contestaretur.

Impensiùs verò id ageret, vbi ad conuocandam ex sola Germania Synodum animos aducerent, reuocans in memoriam Cæsari, cùm ipsum semper, tum maximè Bononiæ eam detestatum vti perniciosam tam Pontificiæ quàm Cæsareæ auctoritati; ac sæpiùs confirmasse, nihilo posse meliùs hæresi obuiàm iri, quàm Oecumenico Concilio.

Quoniam verò quæsierat à Paulo Contarenus, an quando experientiâ compertum erat, acerbiora in Lutheranos noxia euasisse, videretur Pontifici leniora adhibenda; responsum est: Hæc sibi minimè displicere, dummodò decorâ quadam agendi dignitate sustinerentur, quæ speciem omnem arceret siue timoris in causa, siue appetentiæ eos subornandi.

5 Legatus primus omnium Ratisponam peruenit; [a] deinde aliqui Principum, ac tandem Carolus. Cum eo studuit Contarenus agere, vti sibi demandatum fuerat, de pacificatione; [b] captâque occasione à prolato ad rem aliam Cæsaris verbo, eum percontatus est voce quadam amanti, suspirio admixto, quandonam liceret pacem sperare. Subiecitque, Non posse à Cæsare communia Christianorum vota cumulatiùs expleri. Expalluit ad improuisam interrogationem Cæsar: sed ita respondit, vt spem præcideret; affirmans more Principum, haud prætermisisse se æquissimas conditiones pacis offerre; contrà verò eas à Francisco Rege postulari non pro fratris æqualitate, sed pro domini potestate.

a Recensetur in prima propositione Cæsaris in Conuentu.

b Literę Cōtareni ad Farnesium 5. Aprilis 1541. quæ sunt manu auctoris.

6 In eo quod potissime spectabat legatio, visi sunt Contareno quidam ex Principibus Catholicis præ se ferre affectatum Religionis studium, quod eorum vtilitati prætendebatur. Etenim cùm ipsorum aliqui perspicerent Lantgrauium, dum Protestantium ducem ageret, opulentiam amplitudinemque sibi comparasse per subsidia & clientelas populorum; ad huiusmodi sibi commoda pariter aspi-

1541. tabant apud Catholicos; cupientes per astum ab Ecclesiis ad se conuertete, quod Lutherani per vim præripuerant: adeoque bello quàm paci procliuiores, colloquio nauiter aduersabantur, quod tamquam pacis adiumentum formidabant, & rem nomine atque operâ Legati cohonestare ac prouehere annitebantur. At contraria Legato mens erat; nimiàque fortassis de sua opera, ac præstantia causæ conceptâ spe, nedum quidem satis edoctus experimento, tebatur, medicorum vitio, non humorum prauitate morbum protrahi. Ad hæc, inuidiæ atque ignominiæ vertendum Sedi Apostolicæ existimabat, si vulgò iactaretur, incepta reconciliationis stamina eius operâ præcisa, præpeditumque congressum dissidentibus, quò simul coalescerent. Itaque Catholici, quos indicauimus, [a] fauore capitis destituti, ab incepto destiterant. Quæ Cæsaris nomine Conuentui proponenda erant, conscripta, ac Legato communicata. Duo hic adiicienda postulabat: [b] Primum faciliùs impetratum; videlicet, vt ibi declararet Cæsar, à se nihil efficaciæ detrahi Augustanis Decretis Religioni plenè fauentibus, aduersus quæ Lutherani dum protestarentur, nomen Protestantium, vt suo loco commemoratum est, accepere. Alterum spectabat auctoritatem ac prærogatiuam Legati, de quo nulla ibi mentio. Silentium excusauit Granuellanus, propterea quòd agendum illic erat cum brutis ferisque animantibus; adeoque oportere ipsorum insaniæ indulgere, quò mansuefierent. At repulit excusationem Contarenus, opposuitque, Decere quidem humanitate erga illos vti, non tamen proprias arces defetendas, quò aduersario fiat satis. Et animaduerso Ministrorum languore Cæsarem allocutus, scriptum reconcinnandum curauit. In vtroque additamento formas maximè ieiunas Cæsariani adiecere, ne Lutheranorum palato nauseam mouerent.

a Literæ Contareni ad Farnesium 14. Aprilis.
b In Literis Contareni ad Farnesium 5. & 14. Aprilis 1541.

Hæc itaque Cæsaris nomine proponebantur: Cùm Germania Religionis dissidiis afflicta languesceret, ademptâ intestinâ quiete, fractisque viribus aduersus hostem externum, visum fuisse Comitiis Imperij, malis vnice opportunum Concilium Oecumenicum. Huius cogendi gratiâ tot itinerum laborem à Cæsare libenter susceptum, quò de illo cum Romanis Pontificibus coràm ageret: sed armis illatis terrâ marique ab hereditario Christiani nominis ac Imperij hoste, se à re perficienda distractum. Hic paucis, sed magnificè, immensam auri vim commemorare, longissimis repetitis itineribus impensam, innumerabiles militum copias consumptas, perpetùa incommoda à se numquam defesso tolerata, quò dignita- 7

tem

tem Imperij à Turcarum impetu vindicaret. Necesse quoque sibi fuisse, tamquam supremo Domino, magnis sumptibus ac incommodis patrocinari Sabaudo Principi, & clienti Cæsareo aduersus exterorum iniurias, & ab eorumdem violentia Insubriam tueri, Imperij pariter beneficiariam. Posteà verò diuturnis induciis inter se Gallumque Nicææ firmatis, inde nauigasse Carolum in Hispaniam, quò hereditarij Regni compositis rebus, per Italiam breuî Germaniam repeteret, ad Concilij negotium perficiendum: verùm propter obstacula Concilio interiecta aliquanto amplius commoratum. Postremùm, Galliæ Regi humaniter impenséque inuitanti, vt per suam ditionem iter haberet, libentiùs indulsisse, quò & fraternæ inuicem charitatis argumenta præberet, & fidentiæ in eo Principe. Ita in Germaniam Inferiorem deuenisse, vbi negotia summi ponderis impedimento sibi fuerant, ne ad Conuentum nuper Haganoam se conferret; illi tamen Romanorum Regem fratrem suum adfuisse. Ex tot tantisque sumptibus ac laboribus passim constare, quantæ sibi curæ fuisset Imperij decus, cuius causâ nihil se imposterum operæ laborisque prætermissurum. Id verò comprobari aduentu suo ad ea Comitia, quamuis nondum valetudine confirmatâ. Præ ceteris sibi cordi esse Religionis concordiam, ex prauis Diuinarum Literarum interpretationibus dissidentis. Ad hoc consequendum, vbi breuior expeditiorque via sibi non commonstraretur, apud se statuisse, vt pauci ex honestis ac piis viris, pacis amicis, & Imperij Nationisque studiosis, vtrimque designarentur (*saluis tamen Augustanis Decretis*) ad Religionis controuersias agitandas, qui facilem aliquam concordiæ rationem excogitarent, eamque posteà ad Cæsarem Comitiaque referrent; quò tandem stabiliri posset, & Pontificio Legato communicari, vti fuerat Haganoæ sancitum. Id consilij libentiùs à se susceptum, quippe quod & Augustæ & Wormatiæ Imperij Ordinibus maximè conducibile visum fuerat; semper tamen integris rebus paulò antè commemoratis. 1541.

8 Profitetur Suauis, moueri se ad accuratiùs enarranda huius Cœtus euenta duas ob causas: Alteram, quòd in eo videre est, nihil boni perfici posse, vbicumque administri Pontificij in partem negotij venirent: Alteram, quòd res ibi actæ Paulum impulere non ad concedendum vti priùs, sed ad omni ope promouendum Concilium. Et tamen hæc accurata Suauis narratio, quà voluntatis nequitiâ, quà notitiæ penuriâ, mirum quàm manca mutilaque à quocumque deprehendetur, modò eam cum Historia nostra contulerit.

Præter-

1541. Prærerquam quòd ea duo, quæ ille obſeruat, perſpicuè falſa conſtabunt.

Quod ſpectat ad primum; num idem in vniuerſa narrarione quidquam à Contareno geſtum commemorat quod rem confirmet? Prætereà ſcribit, Lutheranos in pleriſque grauiſſimorum dogmatum, vt in Euchariſtia, in Confeſſione, in veracirare Conciliorum falli neſcia, à Catholicis diſſenſiſſe. Quo pacto igitur Pontificiorum adminiſtrorum virio in concordiam itum non eſt? Anne vitio vertitur ex Suauiana ſententia, fidem verſarilem non habere, cuiuſuis accommodam libidini; perinde ac ab illo genethliaco factum eſt, cùm in amici gratiam natalitium eius ſyſtema compoſuit, amoto ex angulo quadrati Saturni maligno aſpectu, infauſta minitantis? Quid porrò? Ne illa quidem verſatilis ac planè cerea fides concordiæ ſatis fuiſſet, cùm ipſi quoque Lutherani [a] in eo conſeſſu inter ſe diſſiderent, vt reliquas omittam ſectas per Septemtrionem diſſeminatas: præſertim ibi Ioannes Caluinus interfuit, tametſi obſcuri nominis eâ rempeſtate, [b] cuius operâ ex hæreſis Lutheranæ ſinu noua religio educenda erat, non minùs Lutheranâ Germanis accepta, nec magis Lutheranæ concors quàm Catholica. Conſtat verò, Contarenum vſque adeò incubuiſſe pro virili ad concordiam conficiendam, vt Suauis ipſe fateatur, à pleriſque fuiſſe reprehenſum. 9

Nec minùs altera pariter animaduerſio diſſonat à vero. Nam etiam ante habitum Ratiſponæ conuentum, Pontifex per tot Nuntios, tot Legatos, tot preces, tot ſumptus, Concilij celebrationem curauit, vt ſi ea omnia conſenſus ſolùm dicenda, & non item ſedula procuratio, neceſſe profectò ſit vocum ſignificationem peruertere. Præſtò mihi ſunt literæ arcaniſſimæ Farneſij in Belgio Legati ad Paulum conſcriptæ, in quibus, dum ceteroqui Franciſcum Regem collaudat, ſolum dolet, languidum à ſe compertum in Concilij negotio, ad quod nouerat quanto Pontifex ardore ferretur. At nulla in re facilius eſt mentiri, quàm in ea quæ difficiliùs cognoſcitur, hoc eſt, in alienæ mentis conſilio. 10

a Literæ Contareni ad Farneſium, 15. Maij 1541.

b Apparet initio libri Caluini in Albertum Pighium, de libero arbitrio.

CAPVT

1541.

CAPVT XIV.

Certi homines Ratiſponæ à Cæſare deliguntur ad componendas Religionis diſcordias. Liber quidam ibi ad examen prolatus. Catholicorum ac Proteſtantium congreſſus.

1 AD id negotium peragendum deligendi erant homines triplicis conditionis: Theologi videlicet, qui ſecum vnà diſſererent, amoto inuidioſo diſputationis nomine, dedecus inferentis iis qui aliorum poſteà ſententiam amplecterentur, hoc eſt iis qui concordarent: Præterea qui colloquiis præeſſent, ſuiſque reuerentiâ animos linguaſque moderantes, furorem illum literarium longè arcerent, vnde colloquia, ad veritatem indagandam inſtituta, degenerant in cauillationes, quæ veritatem ipſam ab æmulo adductam fraudulenter falſi ſpecie decolorant: Demum auditores, qui teſtes ſimul ac theatrum forent. Horum omnium delectus [a] Cæſari ægrè permiſſus à Proteſtantibus; ſed ægriùs à Catholicis, vt qui maius incommodum timere poterant, cùm ipſis minimè liceret quidquam dicere, dictumque reuocare, ſeque tot in ſectas quot in capita diuidere, hæreticorum more, ſed vnitatem dictorumque conſtantiam profiterentur: nihilominùs priùs liberæ Ciuitates, à proprio emolumento ad pacis ſtudium acriùs quàm Principes extimulatæ, poſteà hi quoque conſenſere.

2 Cæſar Conuentui delectum commiſit; [b] Conuentus verò, pro eo ac communitas aſſolet, cui nomen potentiæ ſatis eſt, & agendi cura moleſta, illum reiecit ad Cæſarem. Hic re cum Legato communicatâ, Theologos ex Catholicorum parte nominauit Ioannem Eckium & Iulium Flugium, à nobis antè laudatos, & Ioannem Gropperum, Colonienſem Archidiaconum, à quo conſcripta priùs fuerat Colonienſis Synodus Prouincialis, non minori excepta plauſu à Germania, quàm Senonenſis à Gallia.

Ex factione Proteſtantium ſelecti ceu Theologi, Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus, hæreſis partim Lutheranæ partim Zuinglianæ Profeſſor, & Ioannes Piſtorius. Duo conſtituti Præſides, alter Cæſaris adminiſter Granuellanus, alter Fredericus Princeps Palatinus, Septemuiri frater. Educatus ille apud Cæſarem, eiuſdem ſororis ac Daniæ Regis filiæ nupſerat: ſed iam tum, [c] cùm Aleander legationem obiit in Germania, Pontifici ſignificauerat, hominem nutare in ſtudio erga Fidem ac Cæſarem, quod ipſi poſtmodum

[a] Literę Cōtareni ad Farneſium 14. Aprilis 1541. quæ ſunt in volumine Literarum Contareni, infrà citandarum, & quarum exemplar ſubinde traditum eſt à Secretaria ſtatus Romę Aleandro Card. eiuſque manu ac notis ſignatæ.

[b] Literæ Contareni ad Farneſium 20. Aprilis.

[c] Totum exſtat in variis Literis Aleandri ad Farneſium Viennâ, & præſertim datis 20. Ianuar. 1539.

1541. modum ignominiam ac miseriam intulit. Sex auditores destinati, Principum pleriquę administri.

Existimauit Cæsar, haud in rem fore, si Augustanum congressum iam ante duodecim annos habitum, hîc prosequerentur, vt quidam auctores erant, perinde quasi eo quòd tunc de pluribus conuenerant, minuendus hic esset concordiæ labor, diminutis controuersiarum capitibus. Vna ex rationibus quæ ab eo Cæsarem dimouêre, fuit profectò hæreticorum volubilis fides, vnde posteà discesserant à plurimis quæ priùs Augustæ pronuntiauerant: sed altera super eadem re à Contareno prolata, magis ad eum impellendum idonea, nec minùs vera; Protestantes videlicet tam in Augustano Colloquio, quàm per interiectum posteà temporis interuallum voluisse obstinatis animis sustinere quidquid ibi dissenserant, atque ad id vtrimque mutuis se libellis concitasse; adeoque pacis negotium felicibus auspiciis inchoari non posse. 3

Idcircò Cæsar per Granuellanum, arctissimo silentij obstrictum nexu, ne cui rem excepto Nuntio Morono significaret, librum Legato detulit, confectum, sicut ipse affirmabat, à piis doctisque viris in Belgio, qui, vbi Legato visum foret, partibus proponeretur, si fortè in ea doctrina vtrique concordarent. Illuc etiam à Granuellano Gropperus deductus fuerat, vt, iunctâ cum ipso operâ, Legatus faciliùs percurreret expenderetque * volumen, quod magna ex parte Scripturæ sanctorumque Patrum dictis contextum viginti duo capita complectebatur. Peruoluêre librum Legatus ac Nuntius, vnaque Gropperus, ac facilè duo priores coniecere ex variis argumentis, librum Gropperi Opus esse; de cuius docilitate, nullo suæ opinionis amore corrupta, Romam Legatus perhonorificè scripsit. Cùm enim Contarenus in loca supra viginti offendisset, quæ correctionis indigere existimabat, Gropperus ea tam prompto animo correxit, vt amor sui ne verbulum quidem expresserit vel ad repugnandum, vel ad tuendum. Quod sanè auxit potiùs homini quàm minuit apud Legatum & Granuellanum eam existimationem, cuius nimium studium solet plerisque in causa esse, vt opinioni de se apud alios detrahant, vel tamquam docilitatis expertibus, vel tamquam pertinaciâ obduratis. Verumtamen noluit Contarenus tanti ponderis responsionem reddere. Dixit itaque Granuellano, sibi vt priuatæ personæ videri quidem volumen sic expolitum ab omni labe alienum; posse tamen fortasse fieri, vt alius perspicacior maculas deprehenderet, idcircò sibi tamquam Legato non licere iudicium proferre de eo, nisi sibi permitteretur cum pluri- 4

* Extat impressum apud Goldastum hæreticum, in Collectione legum consuetudinumque Cæsarearum, in titulo, *Acta Conuentus Ratisponensis.*

pluribus Theologis librum communicare. Permiſſum itaque illi 1541.
fuit, ſuper eo conſulere duos etiam Theologos colloquio deſignatos, & Badiam Apoſtolici Palatij Magiſtrum, qui ſolus inter peculiares Legati Theologos doctrinæ famâ eminebat. Id egit Legatus; ac ſubitò Eckius in ſuſpicionem venit, auctorem Operis fuiſſe Vicelium ſibi infenſiſſimum. Primò librum improbauit, poſteà ſenſis aliorum manus dedit; ſemper tamen indicans, alienâ auctoritate ſe trahi, non opinione ſuâ duci.

5 Cùm igitur ex Pontificiorum ſententia nihil erratum deprehenderetur in eo libro, iuſſu Cæſaris deſignatorum Cœtui fuit propoſitus. * Ac proſperum quidem initium congreſſus habuit, quippe in articulis de Iuſtificatione, de Fide, de Operibus, de Epiſcopis, de Baptiſmo vtrimque conſenſum. Eorum tamen comprobationem expectandam à Pontifice Legatus cenſuit, ad quem ſubinde ſingula perſcribebat. Prudenter etiam voluit, vt * articulus de Auctoritate Pontificis, poſtremæ trutinæ relinqueretur. Etenim ſi contigiſſet, vt in eam Syrtim negotij concordiæque proſperitas impingeret, viſum certè fuiſſet, in eo ſolùm Proteſtantium doctrinam Romæ diſplicere; vnde ipſorum proſcriptioni auctoritas detraheretur, tamquam vtilitatis ſuæ nimis appetentium: at verò cognitâ Lutheranorum diſcordiâ in aliis dogmatibus ad ſpeculatricem doctrinam ſpectantibus, cunctos animaduerſuros fuiſſe, Romanam cenſuram ab integerrimo Religionis ſtudio ſolùm profectam. Quod ſi de ceteris omnibus conſenſiſſent, adeoque difficultatem ſe retractandi perfregiſſent, & ſpem pacis prægustaſſent, faciliùs inductum iri ad veræ Fidei vnitatem, in poſtremo etiam articulo.

* Literæ Contareni vlt. Aprilis, & 3 ac 4. Maij 1541.

* Literæ Contareni 9. Maij.

6 Sed prima diſſenſionis labes Euchariſtiæ Myſterium Lutheranis * fuit. Duxerunt ſiquidem contentionis initium à voce *Tranſſubſtantiationis*, quippe ab antiquis Patribus haud vſurpata. Nec rem voluit diſſimulare Legatus (prout erat quorumdam conſilium) quaſi vocis controuerſiam: intelligebat enim vocem reiici, quò res per eam ſignificata negaretur, eâ planè ratione, quâ Ariani ſeceſſerant à Catholicis, quòd nollent admittere nouam vocem ὁμούσιον, haud ambiguè declarantem ſubſtantiæ vnitatem in Diuina Triade; vnde ea poſteà vox fidelium teſſera nuncupata.

* Extat in Literis Contareni 9. & 11. Maij.

7 Oppugnabant itaque Lutherani huiuſmodi vocabulum, in magno Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. vſitatum (vbi, vt commemorabat Legatus, Epiſcopi ſupra octingentos interfuerunt, atque Conſtantinopolitanus & Alexandrinus Patriarchæ) quia repudiabant veram ſubſtantiæ panis conuerſionem in Corpus Chriſti;

1541. atque huic alteram hæresim adnectebant, nimirum, Corpus Christi transacto post vsum tempore ibi non esse, quod alibi declarauimus; adeoque Eucharistiam posteà conseruandam adorandamque non esse.

Indulgentiùs quidem se gesserat Legatus in exigendis aliis vocibus, quas aduersarij recusabant, * cùm de ipsa rei veritate conuenirent, solumque eas negarent ob significationem diuersam à Catholicorum intelligentia; quapropter minùs laborauerat, rem admirante Romæ Aleandro Cardinali, quòd nollent honestis iustorum operibus *meriti* nomen apponere; quippe *meritum* apud illos sonabat titulum ex iustitia, perinde ac operarius pactam mercedem meretur; in qua pariter significatione * S. Thomas explicauit, idcircò inficiatus, dici posse hominem à Deo mereri, nisi quid adiungatur quod vim huiusce vocis attemperet, cùm inter Deum & hominem vera non intercedat iustitia, tam ex infinito inter eos discrimine, quàm ex eo quòd homo nihil obtinet patrimonij distincti: sed quidquid possidet, ex sola Dei liberalitate possidet, qui nobis idcircò debitor numquam est, sed solùm sibi ipsi, cui planè deficeret, si suo promisso deficeret. 8

* Extat hoc planè in Literis Contareni Card. 4. Iulij 1541.

* P. 2. qu. 114. art. 1. in corpore ad tertium.

Neque similiter institit, vt pronuntiarent, tribui nobis æternam felicitatem vt operum præmium; quandoquidem verum est, ante quodcumque opus, cuius illa præmium sit, infundi nobis à Deo habitum gratiæ, qui nos Diuinæ naturæ participes reddit; cuius excelsitati hæc supra ceteras naturas prærogatiua conuenit, vt absque operum adiumento debeatur ipsi extrema suæ perfectionis absolutio; vt liquet in infantibus sacro Baptismo lustratis, qui solius gratiæ vi, absque honestorum operum auxilio, cælo potiuntur. Propterea, tametsi postmodum operibus cum gratia exhibitis sempiterna gaudia debeantur; tamen quia primus titulus, cui ea debentur, non sunt opera, sed gratia nobis à Deo liberaliter collata, fiebat, vt dum Lutherani rei veritatem fatebantur, eos non premeret acriùs Legatus ad ipsam vocem extorquendam. Aiebat etiam, Videri sibi haud illis denegandum, quod Græcis indulgetur, qui æternum Patrem Filij *Causam* appellant, quamquam cautius Latini solum *Principium* dicant. Sed vbi à dogmatis Fidei alienos comperit, simulatæ concordiæ fucum renuit admittere; qualis ea fuit inter Pelagium & Catholicos in Concilio Palæstino composita; gnarus, minùs esse perniciosam pestem, si quando immedicabilis est, occulta non sit. Atque id apertè apud Granuellanum ac Cæsarem est contestatus. 9

At

10 At Romæ * formulæ indultæ *Iustificationis* articulo, ob earum ambiguitatem haud probatæ: quare Pontifex Legatum admonuit, caueret, ne seu publico seu priuato nomine assertionem vllam admitteret, nisi cuius non modò sententia sincere Catholica esset, sed etiam voces citra periculum ambiguitatis sonarent. Consideraret pariter, quamuis ipsi nulla definiendi esset potestas, idemque fuisset professus, habendum ita colloquium, vt nihil in eo certi statueretur, nisi Pontifice comprobante: tamen, vbi licuisset Protestantibus speciosè in medium proferre Pontificij Legati opinationem, suis doctrinis fauentem, non mediocrem id offensionem Ecclesiæ, sibi ac Pontifici graue pondus, ipsique veritati vmbram noxiam allaturum fuisse. Quapropter, si huiusce rei causâ oportuisset acrius ac disertiùs cum Cæsare ac aliis loqui, vt in capite de Eucharistia iam egerat, nequaquam parceret verbis, quippe plurimum laudis ex eo à Pontifice consecuturus. Idem præstaret circa duos præcipuos articulos, de *Primatu Romani Pontificis*, & *Conciliorum auctoritate*, ac de vtroque clara voce dissereret: Ex vtroque grauissimas consecutiones deduci, & esse quoddam argumenti genus offensionibus obnoxium, præsertim hoc factioso tempore, non solùm hæreticis, sed etiam profanæ potestati: proinde Romæ quasdam formulas, quas Legatus excogitarat, reiectas tamquam variis interpretationibus expositas. Fidentiùs exigendam in his articulis perspicuitatem, simul ob rationum efficaciam, simul ob certa promissa, ab Cæsare eiusque Ministris confirmata, nihil noxium Sedi Apostolicæ permissum iri: quibus nixus Pontifex, in Cæsaris gratiam ad ea Comitia Purpuratum Patrem allegauerat. Subdidit his Farnesius, in literis ad Contarenum, non displicuisse cautum consilium seponendi duo illa capita ad colloquij finem, quò potiùs aliunde, quàm ex iis dissolutio congressus oriretur: posse nihilominùs in eo ipso fraude malâ hæreticos agere, consentiendo in reliquis, præsertim si quid vocibus inesset ambigui, & hac arte ita aucupantes opinionem amantium concordiam, & auctoritati Pontificis obsecundantium, vt deinde hunc articulum in inuidiam traherent tamquam lapidem offensionis. Qua de re fuerat Pontifex admonitus à Bauariæ Ducibus, eademque Legato proponebatur, sed ipsius arbitrio permissa.

1541.

* Literæ Farnesij Card. ad Contarenum 29. Maij 1541. apud Ceruinos.

11 Hoc pacto, atque hisce instructus mandatis se gerebat Contarenus. Cæsariani ægerrimè ferebant, * rem ad dissidium deduci; vnde perquam studiosè nitebantur hæreticos lenire. Nec tandem illorum Theologi, quod ad se spectabat, animos inexpugnabiles præ se fere-

* Literæ Contareni ad Farnesiũ 13. Maij 1541.

1541. ferebant, præſertim Melanchthon ac Bucerus, ſeu propriæ ſalutis ſtimulis adducti, ſeu publicæ calamitatis horrore perſtricti. Sed coërcebantur metu, ne videlicet plerique ex Principibus, eorum ſuaſu ad grauia damna Eccleſiæ inferenda anteà commoti, & iam auri vinculis compediti, multò validioribus quàm ferri, ad factionis tutelam, ſi modò tamquam ſeducti ſuis à magiſtris deſtituerentur; atque ita abreptis lucris expoliati, & publico expoſiti dedecori, in furorem & vltionem erumperent. Nec vmquam huiuſmodi terrorem potuit illis abſtergere, vt aperte faſſi ſunt, quæcumque tutelæ pollicitatio, ſiue Pontificiæ ſiue Cæſareæ; ſatis gnaris, plus ineſſe roboris minori potentiæ ad vitam auferendam, quàm maiori ad tutandam.

Ceterùm nemo non obſtupeſcet, illa tot Prouinciarum oracu- 12
la, quibus tamquam cæli Legatis habebatur veneratio, eò deueniſſe paupertatis, non quidem voluntariæ, vt olim Apoſtoli, & nunc Ordines Mendicantium, vt Bucerus abiecerit ſe ad petendam eleëmoſynæ nomine ſtipem à Legato; quam hic tamen negauit, cùm ſibi liqueret, nolle Pontificem ob rationes iam memoratas illicio pecuniæ perditos ad frugem reuocare. Ac de ipſo Luthero à populis penè adorato in pictis tabulis, ſcripſit Vergerius, * à ſe conſpectum cum habitu quàm vano, tam detrito; quippe qui nihil præter ſtipendium ſuæ Cathedræ ad victum habebat. Sed deſinet admirari, quicumque animo recolet, ad eos confluxiſſe aſſeclarum genus, non qui vellent ſua largiri, ſed qui mallent aliena diripere.

* In literis iam citatis cap. 18. lib. 3.

Huius itaque metus rigore conſtricti Theologi Proteſtantes haud inflecti potuere, cùm ad examen peruentum eſt illorum capitum, in quibus perſpicua & cunctis explorata diſſenſio fuerat; adeoque nullus dabatur receptui locus per diſſimulationem, quaſi controuerſiæ ſenſus haud ſatis partibus priùs innotuerit, prout ipſis licuerat in ſubtilioribus doctrinis, magiſque communem aciem fugientibus. Quapropter ſtatim atque agitari cœpit, An in Euchariſtia remaneret, néc ne, panis ſubſtantia: Num poſt eius vſum Chriſti præſentia perduraret: An confiteri peccata neceſſe eſſet: An poſſet errare Concilium: Vtrùm Pontifex Romanus vniuerſæ Eccleſiæ præſideret; in quibus quæſtionibus peruius erat vnicuique quamuis indocto ſenſus; illi Theologi non ſunt auſi terga vertere, ne in ſibi patrocinantium indignationem incurrerent. Quo Cæſarei comperto, cœperunt ſpem ex colloquio conceptam deponere. * Contarenus verò cautiùs ab omni auſteritate vel impatientia abſtinere, ne rei infectæ culpa ſibi poſteà tribueretur.

* Literæ arcanis notis ſcriptæ à Contareno ad Farneſiū, 13. Maij 1541.

Cœpit

13 Cœpit igitur & ipse ex his paroxysmis longè alia præsagire, sibique persuasit, ne reconciliatis quidem operâ suâ Theologis, idcircò hæresim euulsam iri, cuius radix non certè doctrina erat, sed libido atque auaritia: statimque Pontifici significauit, nullum sibi consilium aptius * ad illam extirpandam suppetere, quàm si Germaniæ consuleretur per Episcopos, per Concionatores, per Magistros literarum scientiâ idoneos, & vitæ probitate Religionis studiosos, qui Nationem verbo simul ac facto docerent, eamque operam impenderent ad imbuendos veritate populos, quam hæretici ad hæresim imprimendam. Etenim id temporis Germaniæ Antistites adeò negligenter se gerebant, vt * dum ageretur in congressu de articulo Episcoporum, dixerint Protestantium Theologi, à se quidem Ordinem illum Ecclesiæ vniuersæ commendari, sed non intelligi, quo pacto Germaniæ Præsules reuerà essent Episcopi, cùm illud nomen ex origine Græca idem valeat quod *Inspector*; quandoquidem nulla per ipsos habebatur inspectio: adeoque probos quidem ac magnos Principes esse, non item Episcopos. Ad hoc tamen acutè respondendum curauit Legatus, interrogatis Protestantibus, censeréntne eos Præsules omissâ suarum Diœceseon inspectione peccare. Ita sanè; cùm in eo ipsos reprehenderent: Ergo, conficiebat, iam illos veros Episcopos confitebantur; quippè non alio nomine id illis vitio verti poterat, nisi Magistratus munere non perfunctis. 1541.

* Literę Cõtareni ad Farnesium, 23. Maij & 5. Iunij 1541.

* Literę modò citatæ.

14 Hinc itaque tanta Religionis clades in Germania ortum ac vires traxit: cuius rei conscius ex diuturna illius gentis consuetudine, vsuque huiusmodi negotiorum, Moronus, cum Contarenò & sensis & beneuolentiâ coniunctissimus, primus auctor aliâ tempestate fuit, vt Romæ Germanicum Collegium fundaretur, de quo ætate Iulij III. sermo redibit, quasi tyrocinium præcellentium Pastorum, quorum custodiâ à Christi grege luporum impetus arceretur.

Iam verò cùm huic malo non nisi temporis diuturnitas mederi posset, conuertit animum ad perfugium illud, à quo tamquam à suspecto sub initium abhorrebat, hoc est, ad fœdus Catholicum corroborandum, cui se promptum exhibebat Pontifex, * non modò ad insumendam pecuniam quam deposuerat, sed etiam ad ampliora subsidia conferenda, dummodò ea omnia impenderentur ad bellum, non ad mercaturam Religionis, quam nolebat ab vllo sibi pretio coëmere; quod neque cum Dei gloria, neque cum Ecclesiæ dignitate fieri poterat: vnde hæc indecora adiumenta Legato iterùm seuerè interdicta. Præterea iussus est, nullius vmquam tolerantiæ

* Literæ Farnesij ad Contarenum, 9. Iunij 1541. in scripturis Cerumonij.

1541. rantiæ conditioni consentire: id enim effecisset, vt altiores falsitas radices ageret; & cùm indiuidua Fides sit, tam in vno quàm in omnibus tolerantiam fugiendam. Verùm priùs quàm hæc mandata Contareno deferrentur, cùm de fœdere sermonem habuit, * comperit, suspiciones, quas ipse passus fuerat, iam in Carolum irrepsisse, qui pronuntiauit, Nolle se Religionis obtentu à quibusdam Principum implicari bellis ciuilibus, dum Turcico tam grauiter vexabatur. Vnicum ac præsens remedium supererat, ipsa scilicet mora Cæsaris * in Germania, cuius præpotens Maiestas validissimi teli vim habuisset ad incutiendum terrorem, quamuis in vagina reconditi. Sed Hispania tam ingens erat elementum in vniuersitate suæ dominationis, vt negligi minimè posset ab intelligentia moderatrice, adeoque remotum à Germania, vt dum hanc curabat, virtutis attactus & operatio eousque protendi nequaquam posset. Vnde tandem Carolus consilium init acutius quàm fortunatius; vt videlicet ipsemet expeditionem in Africam susciperet, quò vtrumque semotissimum Principatum tueretur, Othomannumque Algerij adoriretur, atque eâdem operâ simul ab infestanda Pannonia illum retraheret, vbi tunc non mediocres progressus habebat; simul Hispaniam ab excursionibus Africanorum piratarum vindicaret. Sed multa consilia nos produnt, dum specie ingentis vtilitatis ex euentu prospero comparandæ, verisimilitudinem obuelant aduersi.

* Literæ Contareni ad Farnesium, 15. Iunij 1541.

* Literæ Contareni ad Farnesium, 1. Maij 1541.

CAPVT XV.

Quæ de Concilio Cæsar cum Legato egerit. Noui libelli ad eum delati à Catholicis, ab hæreticis, & à Legato. Recessus Cæsareus, & Comitiorum exitus.

Postquam Cæsar profectionem in Africam apud se statuit, cognitâ subsidiorum indigentiâ, rationem aliam inire cœpit, 1 quâ Germaniam pacatam relinqueret. Idcircò præteritos gratosque illis populis sermones redorsus est, de Oecumenica Synodo apud illas regiones procuranda; & vbi nequiret id confici, de *Nationali*. Prætereà, quò ostentaret fructum aliquem à se decerptum, & concordiam, si minùs perfectam, saltem ex parte auctam, iussurum se per Edictum Cæsareum proposuit, excipi interim in Germania eas doctrinas, de quibus partes conuenerant. Suboluit id Contareni sagacitati. Hinc Pontifex in tempore ab eo factus de re certior, maturè præuenit Cæsaris consilia, quæ Ecclesiæ rebus

&

& auctoritati noxia, ad Concilium vsque obseruanda erant; ac prior ipse statuit in Senatu, * nullâ interiectâ morâ Concilium Oecumenicum indicere, quod in gratiam Caroli ac Ferdinandi supersederat; ac per certum tabellarium id Legato perscribit. Hic verò accepto nuntio, exposuit Cæsari quæ Pontifex decreuerat, nisi quid opportunius ille suggereret. Doluit Cæsar, eâ nec opinatâ Pontificis maturitate sibi quasi frænum iniectum: responditque, Satius fuisse, si Pontifex Comitiorum postulata de Concilio expectasset: vbi enim suapte sponte illud indixisset, periculum fore, ne Germani vel in patriis sedibus illud exposcerent, vel suâ tantùm Natione conflatum. Reposuit è contrario Legatus, maximæ vtilitati fore, si cunctis explorata esset Pontificis in Concilium propensio, animaduertentibus ad illud sponte ferri, absque stimulo petitionis alienæ: hoc etiam pacto reliquas Nationes facilius coituras, existimantes non id fieri ex vnius peculiaris gentis voluntate, sed è communis Pastoris electione. Haud sanè licere, ex vna tantùm Natione Synodum conuocari ad sancienda dogmata Ecclesiæ vniuersæ communia: & ne congregaretur Oecumenica in Germania, satis esse rationes ab ipso Cæsare per singularem prudentiam expensas expressasque. Ad hæc verò Carolus: In eadem se persistere sententia, & in se recipere, Principes ab ea mente dimouere, si fortè ea res in Comitiis agitaretur; adeoque opportunum sibi videri, illorum exitum præstolari. Legatus, animaduerso moras à Cæsare quæri ne vllis interim vinculis necteretur, institit, affirmans, demandatum sibi fuisse, vti remitteret tabellarium cum responsis intra biduum. * Tum verò Cæsar ad consulendum fratrem spatium cepit, eumdemque posteà cum Legato acturum misit, ac tandem Granuellanum cum libello, in quo Concilij celebratio voluntati Pontificis permittebatur, nullâ loci ac temporis habitâ mentione, sed promissâ quacumque Cæsaris operâ ad rem perficiendam. Secundo loco proponebatur, vt alia interim ad Religionis pacem conducentia excogitarentur.

1541.

* Ex Actis Consistor. colligitur fuisse 17. Maij.

* Literæ Contareni Card. ad Farnesium, 17. Iunij 1541.

2 Primùm itaque conuenere, cùm pax nondum perfecta esset, nullam ex rebus agitatis tamquam ibi compositam ac ratam putandam. Quod priùs etiam Cæsari denuntiarat Legatus; * Lutheranos siquidem, nondum sincerum animum in Ecclesiam gerentes, corrupturos fuisse prauis interpretationibus sancitas doctrinas, nouisque cauillis Catholicorum sententias oppugnaturos: & ex altera parte, huiusmodi sanctiones nihil commodi collaturos Ecclesiæ, tum propter licentiam, quâ vtebantur hæretici in suis opinamentis permutandis,

* Literæ Contareni ad Pontificem, 14. & 19. Iunij 1541.

1541. mutandis, tum maximè, quia cùm Fides Christiana in indiuiduo sita sit, vbi contumaces illi persisterent, parum prodesset, in multis an paucis articulis à Fide recederent. Deinde petiit à Legato Granuellanus, vt Germaniæ Episcopis exacta morum emendatio præscriberetur, atque ad id quantum in se virium esset, exhibuit. Postremò sermones habiti de moderata agendi ratione erga Lutheranos à Pontificiis adhibenda, quantum Religionis candor, eiusque Capitis decus paterentur, ne saltem asperitas deteriores faceret.

* Omnes Scripturæ hic à nobis relatę extant impressæ apud Goldastum hæreticum, priùs citatum.

Paucos post dies Cæsar * ad Ordines plenè retulit scripto quidquid in congressibus peractum erat, eorumque sententiam rogauit. 3
Ea fuit, vt liber Legato traderetur, qui expenderet, an ibi falsa dogmata continerentur, & num liceret ea certè capita recipi, de quibus Theologi citra omnem obligationem, & ex priuata sententia conuenerant; atque vt in reliquis capitibus concordia tentaretur. Quòd si à Protestantibus ea obtineri non posset, controuersia Concilio Oecumenico committeretur; vel Concilij spe prorsus ademptâ, vnius tantùm nationis Germanicæ Synodo. Vt id consequeretur Cæsar, librum cum adiectis in congressu notis, totiusque rei peractæ narrationem ordine perscriptam ad Legatum misit. Alio pariter scripto Contarenus respondit: Cùm hæretici in quibusdam articulis à communi Ecclesiæ sensu discordarent, in quibus tamen sperabat eos postmodum consensuros, existimare se, nihil in reliquum statuendum, sed rem Pontifici committendam, qui vel per Oecumenicam Synodum maturè celebrandam, vel per alium modum Catholicæ veritati ac Reipublicæ Christianæ, & inclytæ Germanorum Nationi consentaneum, rerum temporisque habitâ ratione negotium perficeret.

Hæc responsio à Suaui præ obscuritate antiquis oraculis æquiparatur: & tamen quàm perspicua illa sit, pro se quisque satis intelligit. Quòd si eam Cæsari in suam sententiam, vt mox dicetur, placuit detorquere, voces adeò claras humana locutio non obtinet, quæ non possint alium sonum edere auribus, verum excipere recusantibus. Aduocauit pariter Legatus Antistites, & varias ipsis disciplinæ leges præscripsit, vt Cæsar ipsique Lutherani postulauerant; atque eumdem Carolum de iis omnibus scripto certiorem reddidit. 4

Cæsar, expositis coram Septemuiris, iis quæ senserat feceratque Contarenus, dixit, Sibi, nec minùs etiam Legato videri memoratos articulos suscipiendos, donec vel Oecumenica Synodus, quam confestim habendam pollicebatur Legatus, cogeretur; vel vbi spes 5
illius

illius omnino deficeret, aut vbi plus æquo protraheretur, cuius tamen Synodi summa necessitas vrgeret, eos obseruandos vsque ad futura Ordinum Comitia, per quæ aliâ ratione rebus publicis consuleretur. 1541.

Miratus est Legatus, sententiam suam de suscipiendis laudatis articulis referri, tam ab eo discrepantem quod ipse toties cum Cæsare & cum Granuellano differuerat, atque à tenore satis aperto traditi libelli. Statimque aliud scriptum edidit, in quo, Cæsaris omisso nomine, aiebat, delatum sibi esse, proponi Septemuiris tamquam animi sui sensa illos articulos vsque ad Concilium retinendos: proinde palàm se facere, oppositum fuisse sibi probatum, diserteque ipsi Cæsari expositum, vti reuerà tunc sentiebar, illos nec recipiendos neque tolerandos, sed omnia in Pontifice reponenda.

6 Communis Septemuirûm responsio ita se habuit: Videri sibi admissa doctrinæ capita vsque ad Oecumenicam Synodum retinenda, quam dignaretur Cæsar à Pontifice impetrare in opportuno Nationi Germanicæ loco; vel eo non habito, vsque ad *Nationalem* legitimè congregandam. Adeoque nec postulabat, vt *Nationalis* aduersus Pontificis voluntatem coiret; quippe cùm ipsum vt Ecclesiæ Caput agnoscerent, conuocatio Synodi ab eo interdictæ intelligi ab illis non poterat per eam loquendi formulam, *legitimè congregandam.*

7 Peculiarem libellum obtulere Principes Vrbesque Catholicorum; vbi suam in Religione veteri constantiam Cæsari significantes, flagitantesque Edictorum illi fauentium confirmationem, conspirabant in postulanda à Pontifice Oecumenica Synodo; eaque si deficeret, Nationali: sed non item in recipiendis memoratis dogmatibus, causati, ea esse de rebus superuacaneis, & per formulas ambiguas, atque ab vsu Ecclesiæ alienas, in quibus nimiùm hæreticis indultum erat, adeoque correctione & explicatione indigere. Addebant postremò, rem illam dedecori Pontifici, ac Cæsari, Imperioque futuram, præcipuis, simulque maioris ponderis capitibus in controuersia persistentibus: sed in iis repudiandis solùm Principes, Proceres & Antistites conuenere. At verò Delegati Catholicarum Vrbium, vt quæ aliquam certè concordiæ guttulam appetebant, conciliata dogmata suscipienda plerumque maluere.

8 Legatus perspectâ Septemuirûm propensione ad peculiarem Nationis suæ Synodum, de qua publicè loquendi opportunitas ipsi nũquam priùs obuenerat, scriptum Ordinibus detulit, per quod & suo & Pontificio nomine ab ijs petebat, vt suis è postulatis particulam

1541. illam amouerent, cùm Fidei controuersiæ ab vnica solùm Natione
dirimi haudquaquam possent; proinde per huiusmodi Synodum
non finiendas controuersias, sed augendas.

Germani, qui varijs in ipsorum Conuentibus priuatam suæ Na- 9
tionis Synodum proposuerant, respondère: Pontificis in manu esse,
illius necessitatem arcere, Oecumenicam celebrando; nec ab ipsis
agnosci, quænam deterior inde controuersia timenda esset, quàm
ea quâ tunc Germania diuexabatur.

Protestantes verò varijs libellis & præscriptam à Legato disci- 10
plinæ restitutionem improbarunt, & edicta Cæsaris in ipsos iterata
reuocanda postularunt, & se minimè consensuros Concilio cui
præesset Pontifex, eiúsve clientes, edixerunt; & articulos iam com-
positos varijs circumscriptionibus limitarunt. Refellere pariter co-
nati sunt plurimis argumentis ea, quæ Legatus opposuerat solius
Nationis Concilio; in quibus recensendis superuacaneus labor esset,
cùm ab hæreticæ doctrinæ principijs deducta sint. Sed præter hæc
aliud adduxerunt quadamtenus speciosum, quod à Suaui sub effica-
ci adspectabilique forma profertur, ad offundendas mentibus tene-
bras semper intento. Nimirum, multos errores per anteacta sæcula
damnatos conspici, non ab Oecumenicis, sed à peculiaribus Natio-
num Concilijs, cuiusmodi erant Donati, Pelagij, aliorumque pluri-
morum hæreticorum errata. Inane penitus argumentum, & mero
illitum fuco: etenim animaduertere oportet, doctrinas ab illis Syn-
odis proscriptas, eo solùm nomine in Ecclesia hæreticas haberi, quòd
vel Pontificum Romanorum auctoritas eorum Cœtuum sententias
ratas habet, vel Communis Theologorum sensus illas adeò com-
probat, vt iisdem aduersari temeraria noxa censeatur. Qui Cœtus
alioquin erroribus obnoxij esse possunt, & reipsâ non semel deerra-
runt: idcircò diuinum illud organum non sunt, per quod nouimus
nullam permeare vocem, nisi Sancto Spiritu afflante. Quare si solius
Germanicæ Nationis Synodus fuisset habita, licuisset ceteris Natio-
nibus, quin & ipsis Germanis, illius simul decreta improbare, simul
etiam Fidem Catholicam profiteri, adeoque materia discordijs sup-
peditata fuisset, vt rectè præmonebat Legatus. Emolumentum pecu-
liarium huiusmodi Conuentuum in tractandis Religionis rebus,
alterum ex his duobus esse solet: Primum, expendere id quod inter-
dum reipsâ dixerit aut docuerit aliquis, erroris accusatus, vt vel
absoluatur, vel puniatur. Et hoc frustrà fuisset circa Lutheranos,
quorum sententiæ palàm prodierant in libris, & iam proscriptæ
legebantur in ipsis Lutheri verbis à Leonis diplomate, * adiectis et-
iam

* Habita est hæc cautio quó amoueretur omnis dubitatio, vt in Actis Cōsist. 25. Maij 1520.

iam accuratissimis comprobationibus à me suo loco enarratis, adstante Luthero habitis Wormatiæ. Secundum est, Episcopos tamquam iudices non quidem falli nescios, sed legitimos, conferre simul sententiam de aliqua doctrina, vt eam suis in diœcesibus aut permittant, aut interdicant. At neque huic commodo dabatur ibi locus: nam vel agendum fuisset de positionibus, iam per Occumenica Concilia anteacta, & per Romanorum Pontificum sanctiones damnatis; & hæ subiiciendæ non erant examini inferioris subsellij: vel de aliis recentioribus, de quibus nulla fuit prolata sententia; & hoc pariter frustrà erat, tam quod ad Germaniæ Catholicos, quàm quod ad hæreticos spectabat. Germani siquidem Catholici suorum Præsulum opinamenta dubitationis capacia minimè requirebant super nondum certis sancitisque sententiis; sed decretorium, & commune iudicium Ecclesiæ, quò à Lutheranorum molestia liberarentur; ac multò minùs id quærebant Catholici aliarum Regionum, qui recusassent Germanorum tantummodò Episcoporum opinionibus adhærere. Sperandum verò non erat, hæreticos auctoritati huiusmodi Conuentus, si non falsitatis immuni, certè in veneratione habitæ, consensuros, quando assentiri nolebant auctoritati & Romani Pontificis, & Vniuersalium Conciliorum, Constantiensis, Florentini, Lateranensis sub Innocentio III. imò abhorrebant à Concilio ex Episcopis Romano Pontifici obtemperantibus conflato; & eò iam progressi fuerant, quemadmodum indicauimus, vt negarent Germaniæ Præsules reuerà Episcopos esse. Quem igitur fructum ex Lutheranis huiusmodi Synodus pollicebatur, nisi vel despectum, si eos damnasset; vel inexpugnabilem pertinaciam, si quid forte ibi erratum fuisset in articulo aliquo postmodum ab Ecclesia repudiando? 1541.

11 Post commemoratos libellos recessum Cæsar edixit. Satis ipse conscius erat, Germanos acriter conqueri de tam frequenti eius absentia, quòd ipse hereditarij sceptri curâ à delati Imperij solicitudine distraheretur, relictâ intestinis discordiis Germaniâ. Et sanè huius futuræ absentiæ suspicio, post Maximilianum extinctum præcipuo illi fuerat obstaculo ad Imperium obtinendum. Eapropter studebat enixè Carolus, quà voce, quà scripto eam à se accusationem depellere apud Germanos; vt facilè per se quisque cognosceret, si attentè perlegerit quæ ille ad Comitiorum exitum euulgauit. 28. Iulij 1541.

12 Tunc itaque, cùm se iterùm cogi videret, Germaniam inter Religionis dissidia gementem relinquere, vnde non ciuilia solum, sed fraterna quoque bella grassabantur; existimauit, ne deliquium ex

1541. ictu tam molesto sequeretur, partem læsam peculiari indulgentiâ leniendam: & quoniam Germanis præsens debitumque ipsis bonum adimebatur, promittenda saltem esse futura commoda, quamuis nec debita, nec parabilia. Hæc ratio Cæsarem perpulit, vt ea consilia, quæcumque tandem essent, à Generalibus Comitiis proposita comprobaret: quare in recessu edixit, vt memorata doctrinæ capita exciperentur vsque ad Oecumenicum Concilium in Germania celebrandum, à Legato, vt affirmabat, promissum. Quæ certè conditio in Germania celebrandi Concilij, quamquam semper à Contareno fuisset reiecta, tamen cùm idem esset pollicitus generatim Concilium, placuit Carolo illam condire eâ loci gratiâ, quâ pleniùs gratificaretur populis quos deferebat. Adiecit, Si Concilium illud non cogeretur, persistendum in iisdem doctrinis vsque ad peculiarem Synodum Germanicæ Nationis, vel ad noua Comitia intra sesquiannum celebranda; seque curaturum, vt ad alterutrum illorum Cœtuum Legatum cum potestate Pontifex mitteret. Exposuit morum correctionem, quam Contarenus se petente statuerat, & quæ ipse, vt ea seruaretur, præscripserat. Iussit Augustanum Edictum illibatum manere; sed forensibus quæstionibus ex causa Religionis vsque ad præfinitum tempus supersedendum, nullamque eo nomine inuicem inposterum molestiam inferendam.

Verùm nihil ex iis præstitum: nam nec à molestiis cessatum, nec 13
in Germania Oecumenica seu peculiaris Synodus habita, nec ea doctrinæ capita ab vlla partium suscepta. Quin Eckius, qui ex febri postremis à congressibus abfuerat, [a] acrem libri confutationem scripsit, affirmans, semper à se reiectum. Duos id collegas impulit [b] ad Apologiam edendam, quam duobus Colloquij Præsidibus obtulerunt, narrantes quidquid actum à se fuisset, etiam Eckio comprobante. Quare liber ille, qui concordiæ quasi vinculum contextus fuerat, euasit implicatior controuersiæ trica.

a In variis Contareni Literis ad Farnesium.
b Extant impressa apud Goldastum suprà citatum.

Peractis Comitiis, Cæsar in Italiam contendit, & eum comitatus Contarenus. Vbi Tridentum peruentum est, petiit à Cæsare, 14
vt per ipsum sibi liceret ad suam Sedem Episcopalem se conferre: [c] quippe amplius nihil cum Cæsare transigendum supererat, & inter se non solùm in rebus agendis, sed etiam in iam actis referendis discordes fuissent. Non tamen Carolus hominem abire permisit; eidemque mox etiam Pontifex, vti Cæsarem comitaretur, imposuit. Hinc illi comes adfuit solenni pompâ Mediolanum ingredienti, non solùm ob dissensionem præteritam minimè inuisus, sed ob exploratam virtutem in honore singulariter habitus. Verumtamen,

c Vide Vitam Contareni à Casa scriptam.

men, vt accidere illi ſolet, qui prudenti moderatione cauſam vnius communitatis aduerſus alteram egit, nimirum contrariæ acerbum videri, languidum ſuæ; ita planè contigit Contareno. Conqueſti ſunt in ſuis Commentariis Proteſtantes, ſperatum ſibi à tanto viro æquiùs erga verum ac iuſtum actum iri: ſimul etiam his oppoſitas obtrectationes Romæ perpeſſus eſt. Multi ceu remiſſum in Lutheranos arguêre; perinde quaſi animi feruor expers potentiâ, & inter populos concordiam ſitientes, non euadat contempta leuitas,; & odioſa vehementia. Ab aliis carpebatur, non ſine acerrimo illius dolore, quaſi in dogmatum ſumma indulſiſſet aliquid aduerſariorum erroribus. Sed dolorem mitigauit epiſtola Poli Cardinalis, cuius autographum penes me; [a] vbi non ſolùm teſtatur, obiecta illi Romæ, reipsâ minora famæ rumoribus fuiſſe; ſed conſtanter affirmat, à nullo Legato multis antè ſæculis tanta cum dignitate Sedis Apoſtolicæ nomen aſſertum, non modò quod ad virtutis opera, & charitatis officia cunctis opitulantia, ſed quod ad doctrinæ ſoliditatem pertinebat; fracto in Germaniæ conſpectu eo Lutheranorum telo, quod vnicum (non autem quidquid calumniarum congerere poſſent in Aulæ Romanæ mores) ſi perſtitiſſet integrum, facilè valuiſſet apud eos tueri inceptam defectionem; à Pontificiis videlicet haud probè percipi præcipuum noſtræ Fidei dogma, hoc eſt, habitam à Chriſto redemptionem, cùm illud ipſe ſuis libellis explicuiſſet egregiè. Proinde libenti animo rediret: cùm enim illi obiecta ortum ducerent ex eo, quòd nonnulli ipſius dicta in ſenſum alienum traherent, vbi præſens adeſſet, ſe nubeculas abſterſurum. Atque ita planè contigit. Compertum eſt, [b] à Pontifice Lucæ peramanter acceptum, etiam nondum eius excuſationibus auditis, [c] nec vllum proditum ab eo indicium, vt narrat Suauis, Legationis minus idoneè adminiſtratæ. Quin eum illicò Bononienſi Legatione remuneratus eſt Paulus.[d] Lucæ hic Cæſarem in Africam tranſiecturum præſtolabatur, [e] quò cum eo colloqueretur; qua de re per certum tabellarium illum Cæſar rogauerat, [f] vt de Religionis & Chriſtianæ Reipublicæ negotiis ageret. Sed viſum eſt in terris, perinde ac in cælo, ex maximorum planetarum coniunctione haud ſemper ingentia illa prouenire, quæ per vanam coniecturam ibi Aſtrologi, hîc Politici præſagiunt. 1541.

a Ex Capranica 22. Auguſti 1541.

b Totum extat in citata Vita, à Caſa conſcripta, qui fuit Venetiis Nuntius, & Status Secretarius Pauli IV. ac proinde veriſimile eſt, veras notitias obtinuiſſe.

c Exceptus eſt in Senatu 7. Septembris, vt in Act. Conſiſtor. d 27. Ianuarij 1541. vt in Act. Conſiſtor. e Eò venit circiter 28. Auguſt. ex Actis Conſiſtorial. f Ioannes Baptiſta Adrianus lib. 3. Hiſtoriæ.

CAPVT

1541.

CAPVT XVI.

Congressus Lucæ Pontificis cum Cæsare. Pacis negotium cum Gallo agitatum. Alia cum Rege Romanorum acta. Et Algeritana Cæsaris calamitas.

SVperuenit Lucam post aduentum Pontificis Cæsar, vti mino- 1
rem decebat. a Paucos dies vnà commorati quater habuere sermonem. Neque quidquam dissensionis contigit, vt Ratisponæ res actæ minitari videbantur: cùm semper Cæsar suam esse mentem fateretur, per ea quæ in recessu affirmarat, de loco Concilij Oecumenici, seu de peculiari Nationis Germanicæ Synodo, nihil aliud effectum iri, præter qualecumque apud Germanos præsentis tristitiæ leuamentum. Quare nullâ de hisce rebus habitâ controuersiâ, tria postulauit à Pontifice.

a Sandoualius lib. 25.

b Primò de Concilio: pro cuius Sede Vicentiam haud improbabat. Pontifex verò 29. Iulij, adeoque postridie Ratisponensis recessus ea de re locutus fuerat in Senatu, ac responsa Francisci Regis retulerat, c rem comprobantis: sed alia de Vrbe cogitandum fuit. d Nam Veneti agendum in Concilio rati, vti fama tulerat, ac propositum erat, de fœdere à Christianis gentibus contra Turcam ineundo, nolebant Solimannum sibi nuper reconciliatum ad renouandum bellum concitare, concessâ Vrbe illi Conuentui, qui bellum contra insolescentem eius potentiam moliretur.

b Narratur in tertia petitione Ardinghelli ad Regem Galliæ, extatque in Archiuio Burghesiorum.
c In Actis Consistor.
d Paruta primâ parte Historiæ lib. 11.

Secundò petiit, vt in partem Catholici fœderis veniret Pontifex, sicuti Ratisponæ conuentum denuò inter Principes fuerat; nimirum, quarta sumptuum pars ab eo subministraretur, & altera quarta pars à Cæsare simul ac Ferdinando Rege.

Tertium postulatum, fuit de Cleri Germanici reparatione, iam præscripta à Legato Contareno.

Pontifex tempus ad deliberandum petiit, ob rei grauitatem Se- 2
natorum consilium flagitantis, quorum modicum numerum Lucæ secum habebat. Idcircò dixit, ea Romæ in Senatu proponenda.

Actum itidem est de Christianæ gentis pacificatione; cuius rei consilia e tunc magis necessaria videbantur, quòd ob nouum facinus timor ingruerat ne induciæ soluerentur. Querebatur Rex Galliæ, f illatam sibi à Cæsare iniuriam: nam Antonius Rinconus, perduellis Hispanus, & Cæsar Fregosus, quos Gallus ad Solimannum miserat,

e Habetur in Literis Ardinghelli, ex Aula Gallorum ad Farnesium Card. 1. Decembris 1541. inter Burghesiorum Commentaries.
f Vide Historicos illius ætatis, præsertim Adrianum lib. 3.

miserat, dum induciis fisi iter habebant per terras subalpinas Cæsari subiectas, & Eridano vehebantur, capti fuerant iussu, vti Rex affirmabat, Vastij Marchionis; quod ex fama verum censebatur, vt iis captis fœdus abrumperetur, iam à Rincone priùs Constantinopolim misso penè transactum inter Solimannum & Franciscum Regem aduersus Carolum: quamquam Cæsar Oratori Regio, & Vastius Galli literis peracerbis respondissent, nihil ipsorum iussu peractum. Ad quod confirmandum adducebat Vastius, re per Magistratum accuratè indagatâ, vtriusque cadauera fuisse reperta in agro sepulta; vnde arguebatur, eos à grassatoribus interfectos. At Rex arbitratus, postquàm Vastius extorserat per tormenta confessionem arcanorum à Regiis Nuntiis, fuisse illos eiusdem imperio necatos, & de industria in agro sepultos, efflagitabat à Cæsare, vt in hominem acerbè animaduerteret, ni mallet onus subire ruptoris induciarum. De componenda igitur semel constanti pace consilium Pontifex & Cæsar habuere. Vbi ad conditiones ventum est, ostendit Carolus apud se statuisse, Insubriam nequaquam concedere, sed satius habere filiam Belgio dotare, quæ cum Duce Aurelianensi, Francisci secundo loco genito nuberet, modò interim continuatis induciis securus esset. 1541.

3 Ad eam rem Pontifex confestim misit in Galliam Hieronymum Dandinum, sibi tunc à secretis, quem posteà Pauli successor Purpurâ decorauit. Ipsum verò Pontificem Romam redeuntem secutus est Granuellanus, tum vt Francisci Regis responsa præstolaretur, vrgeretque negotium, tum quò plura Cæsaris nomine in Hetruria componeret. Responsum retulit à Rege Dandinus, obfirmato ipsum animo persistere, vt sibi plenè fieret satis pro illata, sicuti rebatur, iniuria. Prætereà Rex idem Lugduni iussit custodiri Georgium Austriacum, nothum Cæsaris patruum, Valentinum Archiepiscopum, eumdemque Leodiensem Episcopum electum, dum per Galliam iter faceret, minitatus par illi redditurum, perinde ac in suos Nuntios Cæsariani sæuierant. Ex eo incredibiliter hi commoti: & vti mos est publicis administris, qui tunc maximè Pontificiam Iurisdictionem extollunt, & in ea violanda sacrilegium detestantur, cùm id aptè conducit ad certamen inter Pontificem suique domini æmulum excitandum; exponebant Paulo, dignitatis suæ munus esse, vel Præsulis liberationem statim obtinere, vel vindictam minitari. Insuper postulabant, vt Rex palàm ediceret, num inducias integras vellet. E diuerso Rex petebat, vt ex Nicæna pactione Pontifex de

1541. induciarum violatione iudicaret, & vbi eas ab aduerſario violatas arbitraretur, ſecum, prout ſpoponderat, in illum fœdus ſanciret.

Pontifex itaque Nuntium ſuper ea re ad Regem nominauit 4
Nicolaum Ardinghellum, tum in amœnioribus ac politioribus literis, tum in forenſibus ac ciuilibus longè præſtantem; tunc quidem ſcribendis arcanis literis præfectum, poſteà ad Senatoria ſubſellia promotum. Iniunxit, vt enixè curaret pacis confectionem, Antiſtitis libertatem, & conſenſum Concilio celebrando: quidquid Lucæ cum Cæſare actum erat, Regi concrederet, quò Pontificis beneuolentiam ipſi præferret.

Equidem dum hæc geſta recenſeo, tam ſæpè Hiſtoricos illius ætatis lapſos comperio in iis quæ conclauis arcano commiſſa ſunt, nec fori theatro patuere, vt ſi eorum hîc lapſus referre velim, longior euaderet falſi confutatio, quàm veri narratio.

Ardinghellus ad Regis colloquium primò admiſſus, prudenti 5
conſilio nihil de Præſule captiuo locutus eſt, ne videretur eius legatio ſpectare potiùs Cæſaris aut Pontificis quàm Reipublicæ vtilitatem. Proinde ſolùm de pace diſſeruit, eius inter Chriſtianas gentes neceſſitate propoſitâ; de paterna Pontificis ſolicitudine; de ipſius Regis emolumento, eam quippe confecturi factâ ſibi Belgicarum ditionum acceſſione, Inſubriam longè ſuperantium; de minus honorifica fama, quæ alioqui glorioſiſſimum Regis nomen inter Chriſtianas Nationes inumbraſſet, vbi apud homines, ſæpè ignorantes, ſemper ambigentes, quænam iura huic an illi Principum belligerantium debeantur, ea ſolùm vigeret perſuaſio, ſeu vera ſeu certe communis ac ſpecioſa, ob illatas à Franciſco Primo moleſtias Carolo V. tot fuiſſe ademptas Prouincias generi Chriſtiano, in æternæ vitæ negotio ab hæreſum propagatione, in huius vitæ bonis à Turcarum tyrannide. Cæſari non niſi vnicam tandem eſſe virilem prolem; eâ deficiente, tot Regna in poſſeſſionem feminæ tranſitura, quam Carolus Aurelianenſi Duci deſpondebat. Multò longiùs abfuiſſe ab ineunda eorumdem Regnorum hereditate ipſius Caroli patrem, ob proprium ac paternum connubium; quæ tamen reipſa in ſuas manus illam detulerant. At obiici hæc omnia in mera ſpe ſita: quid? num bella quidquam porrigere præter incertam ſpem, certamque rei priuatæ ac publicæ perturbationem, ærarij ſumptum, militum ſtragem, regionumque vaſtitatem?

At Mediolani cupiditas altè Regis animo inſederat; an vt ibi Do- 6
minus ſuſpiceretur, vbi captiuus deſpectus? Ideò reſpondit, Aliàs à Carolo Belgium ſibi oblatum, ſed tot conditionibus, quæ rei pretium

tium superabant: esse quidem egregium Principatum; posse tamen 1541.
adhiberi similitudinem, quâ Paulus Æmilius vsus fuerat, qui obiurgatus ab amicis, quòd castam fecundamque coniugem repudiasset, detractum sibi calceum nouum atque concinnum amicis ostentans ait, Vni sibi compertum esse, vbi nam ille sibi molestiam exhiberet.

7 Cùm iterùm Regem adiit Ardinghellus, rediit etiam de pace sermo: ac per eam occasionem ad Induciarum obseruantiam delapsus est. Tunc Nuntius per speciem incusantis Cæsarianos, imperiosius efflagitantes, vt Rex suam omnino patefaceret voluntatem eas vel retinendi, vel abrumpendi, oblique Francisci mentem explorauit. Hic verò pronum ad eas rescindendas animum haud præ se tulit: quin vt inuidiam à se repelleret, quasi Turcarum emolumentis fauisset, asseruit, abstinuisse se ab inferendis Cæsari armis, ne Algeritanam illius expeditionem obturbaret. Instabat tamen, vt sibi pro iniuria insigniter satisfieret. Hinc Ardinghellus opportunitate captâ, de Archiepiscopi dimissione sermonem inferre, ac liberè quidem exponere id quod dissimulatum non quidem ideò clàm fuisset, sed tamquam odiosa fictio nocuisset: solicitè rogatum Pontificem à Cæsarianis, vt operam suam pro libertate Præsulis interponeret; sed non propterea Paulum commotum, quippe qui eorum postulata repellere haud verebatur. Ab iisdem omni studio agitatum de nuptiis inter Victoriam Pontificis neptem, & Ascanium Columnam; sed à Paulo negatas. In Aula Regis Galliæ degere Horatium Farnesium, minorem natu Octauij fratrem, paris beneuolentiæ testem, quâ Pontifex vtrumque Principem tamquam filios complectebatur. At negligere sibi nefas esse Ecclesiasticæ libertatis iura, ad quæ tuenda Pontificio munere cogebatur, præterquam quòd magis id Regiæ gloriæ, quàm Cæsaris commodo conduceret. Quæ in Rinconem ac Fregosum patrata obtrudebantur, esse vulgò incomperta, opinationibus incerta, ab Hispanis negata: at nec celari nec dissimulari posse, à Rege Christianissimo in custodia retineri Archiepiscopum, illius facinoris minimè participem, & ex ipsa dignitatis sanctimonia nulli nisi Pontifici subiectum. Per ea igitur Regem non Hispanorum iniurias vlcisci, sed publicis incusationibus illos subducere, suamque famam longè grauioribus onerare. Res tandem eò desiit, vt Archiepiscopus multos post menses, nec mihi satis liquet quonam pacto, libertatem receperit.

8 Postremùm, in peculiari congressu, de Religionis negotio, ac potissimùm de Concilio disputatum est. Aiebat Ardinghellus, Satis patere illius cogendi necessitatem semper à Pontifice cognitam &

1541. inculcatam; frustrà ea de re verba profundi apud Regem sapientissimum. Superesse de Sede Concilij dubitationem: cùm autem vrbes reliquæ alicui Nationum aut incommodæ aut suspectæ essent, post accuratam consultationem, tres à Purpuratis Patribus comprobatas; Mantuam, Frederico extincto, faciliùs ab herede concedendam; Ferrariam, cuius Princeps, quamquam beneficiarius Romano Pontifici, per illustria tamen & recentia exempla constabat, quàm esset suæ dominationis & auctoritatis tenax. Harum vtramque & frequentium hospitum capacem esse, & à transmontanis hominibus haud remotam. Sed quoniam Pontifex ex se nulli Vrbi aut Prouinciæ addictus erat, vbicumque foret alioqui Fidelibus accepta & commoda illius celebratio; nolle quidem locum coarctare Italicis vrbibus: hinc tertio loco proponere Cameracum ciuitatem liberam (nondum ea in Cæsaris potestatem redacta fuerat, vti post biennium contigit, * & credebatur in Gallos potiùs propensa) amplam, & in finibus Inferioris Germaniæ & Galliæ sitam. Significauit prætereà quæ Lucæ postulauerat Cæsar de Clero Germanico reformando, & de statuendo Catholico fœdere, quâ ratione in Ratisponensi recessu Conuentum erat. Cùm verò Paulus enixè studeret, ab animo Regis excutere quodcumque suspicionis semen de constanti sua voluntate, ne cui partium sese inflecteret, per Nuntium adiecit, conceptam Ratisponæ fœderis formam ex eo quidem placere Pontifici, quòd apertiùs quàm anteà soli defensioni suffragabatur; non tamen conferre posse præscriptam sibi, vti diximus, tam grauem sumptuum portionem.

* Belcarius ann. 1543. lib. 23. n. 35.

Nihil his obstitit Galliæ Rex: de quibus sub idem tempus agitabat * apud Ferdinandum Regem Hieronymus Verallius, Rotæ Romanæ Duodecimuir, ac recenter Casertanus Antistes renuntiatus, posteà verò inter Pontificios Senatores adscitus. Per eos planè dies à Nuntij munere apud Venetos ad idem munus in Germania gerendum transierat, vnde Moronum reuocauerat Paulus: quippe cui mos erat, velle identidem coràm audire suos peritiores Nuntios, qui proinde eò pleniùs quàm absentes Principem de negotiis certiorem reddunt, quò melius illi homines nos edocent, qui aurem ad audiendum, & mentem ad respondendum obtinent, quàm pagina ad interrogationes excipiendas surda, & ad nouas responsiones reddendas muta. Cumque instaret nouus Conuentus Spirensis, eò Nuntium destinarat ipsum Moronum, * iis mandatis instructum, quæ distinctiora atque vberiora susciperet ab ore Pontificis. 9

* Literæ Verallij ad Farnesium Cardinalem, 2 Decembris 1541.

* In Senatu 7 Nouemb. vt in Actis Consistor.

Quo

10 Quo tempore Verallius Ferdinandum adiit, infausti nuntij peruenerant calamitatis quæ Cæsaream classem oppresserat: hæc enim ad exitum Nouembris ad Algeritanam oram iactata, ac disiecta vi turbulentissimæ procellæ, suprà quàm vmquam per mare desæuierit, quâ per integrum Decembrem eam continenter exagitauit. Vnde intellexit Cæsar, sapienti consilio sibi Lucæ improbatam à Paulo eam expeditionem, cùm adeò progressa esset anni tempestas. Studebat Ferdinandus infortunium occultare, ne Caroli existimatio minueretur per eos dies, quibus de stabili subsidio suppeditando à Germanis agitabatur: sed ex aduerso vsque adeò fama rem exaggerauit, vt Europam rumor peruaserit, non solùm ex ea classe ne vnum quidem asserem seruatum, sed ipsum etiam Cæsarem vel obrutum, vel detritum. Sed breuî rumoris intumescentis æstus deferbuit, reique veritas patuit; modicam nimirum fuisse iacturam nauium, ac minorem etiam capitum, cùm ferè omnes ad Hispaniæ litora se recepissent: vnde Cæsaris hostibus animus non est additus ad eius fortunam velut afflictam proculcandam. Quin non defuit qui diceret, casum illum fauisse gloriæ Caroli, patefactâ in eo singulari quâdam animi virtute, ad eam vsque diem obtecta perpetuo felicitatis accessu, qui egregium quidem Principem illum redderet, sed summum Heroëm non ostenderet, inuicta inquam in aduersis constantia. Me certè pudet, humano generi tam parum humanitatis inesse, vt heroici quasi animi magnitudo in eo Principe celebretur, maluisse, vt in penuria nauium, quæ prope litus Africæ aderant ad conscensionem paratæ, pretiosi asturcones perirent, quàm strenui milites. 1541.

11 In his rerum conditionibus cœpit Verallius agere cum Ferdinando: ac primò quidem consuetas querimonias audiuit de Pontifice, quòd in vtramque partium æquè se haberet: quæ certè æqualitas molestior Cæsareis accidebat, Pontifice sibi propensiore tunc maximè indigentibus. Damna, quæ Gallorum culpâ patiebatur Ecclesia, Rex amplificauit: illum hæreticis fauere, Turcas extimulare, Episcopos lædere; & tamen nouis illum tamquam præmiis à Pontifice beneficiis foueri; idque eousque progressum, vt cùm Austriaci ne vnam quidem Purpuram possent à Paulo impetrare, Gallis interim ea copia impertiretur, vt si Petri Sedes vacasset, periculum aditura fuisset, ne ab homine Gallo, cum ipsius & rei Christianæ pernicie, occuparetur. At contrà Verallius disseruit: Pontificem numquam à medio se flexisse: id ipsum non modò Parentis communis officio deberi, sed opportuni pacificatoris partibus opus esse;

 quas

1541. quas ille semper indefessus per summum studium expleuerat, præsertim verò per eos menses, missis in Galliam viris præcipuis, qui Regem efficacibus suasionibus ad concordiam cohortarentur. Sed questus est ex opposito Verallius, editam à Carolo Ratisponensis recessus declarationem, quæ Lutheranis fauebat, eorumque fouebat in diripiendis Ecclesiis audaciam; ac Ferdinandum solicitauit, vt eam reuocandam curaret. At is renuit, Germanorum opis supra modum indigus; affirmauitque, se decreta Cæsaris sui fratris ac Domini tamquam sapientissima venerari; adeoque cum ipso Carolo super hisce rebus agendum. Atque ita inuisam repulsæ faciem speciosæ reuerentiæ modestiæque gratiâ respersit.

Percontatus est etiam Nuntius Regem, An in proximo Spirensi conuentu religionis negotium agitandum esset. Is verò respondit: Præcipuum quidem argumentum id non futurum; sed insinuari posse per occasionem responsionis à Pontifice reddendæ de triplici postulato, videlicet, De Concilij celebratione in Germania; De illius Nationis Ecclesiasticorum reparatione; De collatione subsidij contra Turcas: quæ, vel certè duo priora, ad Religionem pertinebant. Hîc de loco Concilij dissertum. Rex Germanis gratificandi appetentissimus, vt haberetur in Germania contendebat ardentiùs; tametsi ex literis Granuellani pernosceret, in eo postulando Cæsarem haud firmiter perstitisse. Affirmabatque, Si Pontifex hoc indulsisset, Lutheranorum calumnias disiectum iri. Oportere vt ægrotus à Medico inuisatur, quò rectè curetur; adeoque cùm ad curandum Germaniæ morbum Concilio tamquam Medico foret opus, necesse videri vt Concilium Germaniam inuiseret. 12

Ad hæc Nuntius: Lutheranorum rationem haberi non posse, qui toties apertè repudiauerant Concilium, quod vel à Romano Pontifice penderet, vel conflaretur ex Episcopis eidem Pontifici obtemperantibus. Plerosque ex Catholicis Germanis Concilium extra Germaniam haud recusare; Nationes ceteras in alio non suspecto loco deposcere; atque eas omnes suis quoque pariter laborare morbis, eo balneo curandis. Quando Regi placuerat illâ vti similitudine; ne grauaretur eamdem a se tunc expensam, rebusque aptatam audire. Homines quidem, non parietes ac vrbium vias ægrotare: hinc fieri, vt Medici eum inuisant qui ipsis fidat, eosque morbo præpeditus conuenire nequeat: at ægrotos, Concilium in Germania dumtaxat cogendum efflagitantes, huiusmodi esse, qui tamquam à veneno abhorrerent à medicamentis, quæ Medicus eos aditurus præscriberet, hoc est, à legitima Synodo Oecumenica, 13

simul

simul etiam esse tales, vt dummodò vellent, vis certè illis non deesset eò se conferendi, quò se conferunt ægroti, qui reuerà ab hoc Medico curationem exposcunt. Nihil aliud futurum Concilium, quàm consilium, in quod Medicorum plurimi confluentes, quales erant Præsules, vim suffragij obtinentes, vel Theologiæ Canonumque periti Consiliarij, inspecturi ac exploraturi fuissent ægrotum, ac de morbo ad alios relaturi, quibus illarum ægritudinum notitia suppetit, nimis etiam remotioribus innotescentium: sed adiecit, Mox adfuturum Moronum Nuntium, ac certiora de his responsa redditurum: quò simul suæ responsionis austeritatem temperaret, cùm per modum dissertationis, non extremæ repulsæ, rem ageret; simul temerarij notæ, & aduersantis inuidiæ se subduceret, vbi Pontifex per alium gratiora indulgeret. 1541.

CAPVT XVII.

Moronus ad Spirensem Conuentum Nuntius mittitur. Quænam illi mandata. Statuitur celebrandum Tridenti Concilium, atque indicitur.

1 MAturauit ad eam Prouinciam proficisci Moronus, acceptis à Pontifice * mandatis de Germaniæ rebus, siue cum Cæsare Lucæ transactis, siue postmodum expositis à Nugarolo, Ferdinandi apud Pontificem Oratore. Spectabant igitur ea potissimè reformandæ disciplinæ negotium. Ad id traditum ipsi fuerat earum legum exemplar, quas Ratisponæ Legatus digesserat, adiectumque, Haud illi ob angustias temporis, quo ibi moratus est, licuisse rem perficere: proinde eas Nuntius promoueret apud Germaniæ Præsules; sed ita, vt videretur potiùs adiutorem se illorum Ecclesiasticorum Principum exhibere, quàm exactorem ab eorumdem socordia debitæ disciplinæ. Erat enim Pontifex probè gnarus, à nobilioribus plantis fructus vix primis digitis quasi spontè porrectos esse legendos, & solùm à siluestribus perticâ decutiendos, quasi violenter exactos.

* Habetur mandata 9 Ianuarij 1542. & extat in Archiuio Vaticano.

2 Addebat Paulus: Cùm sit naturæ terreæ semper ad ima delabi, oporteatque identidem eam releuare; suæ mentis esse, vt in Italia pariter ceterisque Christianorum regionibus emendatio morum præscriberetur; secùs intolerabilem eam futuram Germaniæ Clero, seu tamquam onus peculiare subituro, seu deprauatione peculiari notando.

Aliud

1542. Aliud mandatorum caput agebat de nouo fœdere, Ratisponæ decreto, in cuius societatem Pontifex vocabatur. Responderet in primis, Inesse in eo libello Ratisponensi voces quasdam Pontificiæ dignitati aduersantes; adeoque minimè decere Pontificem eas comprobare. Huiusmodi voces, quantum coniicio ex documentis, * quæ Ferdinandus Rex posteà tradidit suis Oratoribus, ad fœdus illud perficiendum Romam missis, erant in Edicto Ratisponensi, per quas nonnulla præscribebantur ad Pontificis curam potestatemque spectantia: sed his prospectum fuit per literas à Carolo & Ferdinando ad Paulum III. datas, quibus testificabantur, * per tenorem illius decreti nihil intellectum, quod supremam Pontificis Romani dignitatem vlla ex parte violaret. 3

* In Commentariis Burghesiorum.

* In citatis Commentariis.

Præterea, æquum non esse, à solo Pontifice tantum pecuniæ fœderi conferri, vt volebant, quantum Cæsari ac Ferdinando soluendum imposuerant, qui ditiones ærariumque omni comparatione maiora quàm ipse possidebant, atque per illud fœdus sua tuebantur: at verò Pontificem eò coire tantummodò tamquam Caput Ecclesiæ. Proinde offerre se non quartam totius pecuniæ portionem, prout ipsi postulabant, sed sextam, hoc est tertiâ parte minorem præscriptâ. 4

Porrò de suppetiis contra Turcam Germaniæ tribuendis responderet: Non posse Pontificem vltrà progredi, quàm Granuellano significauerat; nimirum, * stipendia soluturum quinque militum millibus, si Cæsar copias duceret; sin verò alius quicumque, binis millibus & quingentis, dummodò classis Turcica seu superam seu inferam Italiæ oram haud infestaret, ad quam propulsandam essent cogendæ Pontifici vires omnes. Atque in eo Paulus quæ spoponderat reipsâ superauit. * Etenim, tametsi copiarum ductor haud Cæsar fuisset, sed Septemuir Brandeburgicus; eò tamen tria peditum millia duce Paulo Vitellio misit, & posteà sexcentos equites, ductore Sfortia Pallauicino. 5

* Belcarius lib. 23. n. 4.

* Belcarius suprà citat.

Cùm autem ad hoc ipsum Ferdinandus Paulum rogasset, vt ea lenitas Lutheranis adhiberetur, quâ illecti opem expeditioni suppeditarent; responsum est, Mirari Pontificem, & vix sibi posse in animum inducere, siue Catholicos siue hæreticos illicus indigere vt saluti communi consulerent: nihilominùs placere sibi, erga Lutheranos voluntatem non hostilem, sed amicam proferri, modò præstaretur integra potestas custodiendi à Christo sibi tradita, neque legum relaxationes indulgerentur instante Concilio, cuius erat eas concedere vel denegare.

De Concilio hæc in mandatis data. Duas rationes maximè Germanis 6

manis accommodatas vt illud extra Germaniam haberi vellent, Nuntio ſuggeſſit Pontifex: Prima fuit, Habere in animo, ſe interfuturum Concilio, vel certè velle, vt vbi vſui eſſet intereſſe poſſet: in præſentia verò ætati ſuæ tam deuexæ, ac virium habitudini tam imbecillæ, intolerabile futurum vel iter, vel cælum Germanicum. Et quò hæc ratio vim haberet, neque de Cameraco, neque de vllis aliis vrbibus ab Italia remotis, etſi extra Germaniam exiſtentibus, mentionem fecit;à quibus ex ſe non abhorrebat,vt à nobis commemoratum eſt in Ardinghelli congreſſibus cum Rege Gallorum. 1542.

Secunda fuit; Cùm in ea Prouincia mutuis diſſidiis arderent animi, rem periculo proximam fore, ſi controuerſiarum momenta ibidem expenderentur, & quaſi follis admoueretur igni; adeoque facilem futurum tranſitum à linguarum ad gladiorum certamen. Cordi eſſe Pontifici, vt quantum fieri poſſet, commodo Nationis illius proſpiceretur; proinde primo ſibi loco probari Mantuam, aliàs acceptam Cæſari, quòd Germaniæ ſitu & clientelâ coniuncta eſſet. Præter illam, ſi fortè Mantuani Ducis tutores illius concedendæ auctoritate vti nollent, proponi ſecundo loco Ferrariam, quæ amplitudine loci, ſoli fertilitate, magnique fluminis propinquitate maximè opportuna videbatur ex cunctis vrbibus inter Alpes & Appenninum poſitis. Verùm cùm ea vrbs ſuæ ditionis non eſſet, nec priùs ab Hercule illius Domino ipſam ad id petere voluiſſet, quàm ſciret gratam fore Germanis, non aliter ſibi licere illam offerre, niſi poſitâ conceſſuri Principis conditione. Ex ſuis proferre Placentiam ac Bononiam, alio tempore propoſitas.

7 Cum his mandatis ad Spirenſem Conuentum peruenit Moronus, ineunte Februario inchoatum, & 14. die menſis eiuſdem * ibi verba fecit Gallorum Regis Orator Franciſcus Oliuarius, Alençonianus Cancellarius. Expoſuit ſui Principis animum in Germanos, beneuolum ſemper rebus ipſis comprobatum, atque antiquioribus omiſſis, ad id confirmandum aſſeruit poſtremò, increbreſcente famâ Solimannum meditari bellum in Pannoniam, miſſos à ſuo Rege Nuntios, qui Turcam ab eo conſilio dimouerent; ſed eoſdem captos à Cæſarianis, ac fortaſſis etiam trucidatos: falsò poſteà vulgatum, deſtinatos à Rege, vt his contraria molirentur; id tamen à ſuo Principe poſſe redargui variis libellis, eodemque rerum gerendarum commentario, à Cæſareis vnà cum captis Nuntiis intercepto. Prauum ſibi videri conſilium, Turcam id temporis ſuſcitare ſpectatâ eius potentiâ, rebus à Chriſtianis gentibus infeliciter in illum geſtis, & contentionibus, quibus in præſentia diffidebant. Nec Pannonum

* Sleidanus ann. 1542. Belcarius lib. 23. n. 8. & 9 & tam Oratio Galli Oratoris, quàm cuncta geſta huius Conuentus, extant in volumine Archiuij Vaticani.

1542. nonum inconſtantiam, qui ſæpè Germanos in Turcas, nec rarò Turcas in Germanos ſolicitaſſent, mereri, vt ipſorum gratiâ perturbaretur, ac diſcrimen ſubiret vniuerſa Germania à nemine laceſſita. Satius videri, impendi operam ciuilibus diſcordiis componendis, & opportuniora tempora ad inferenda externis arma præſtolari.

Oliuarij concio fauentibus auribus haud excepta, cùm ob auctoris ſuſpicionem, tum ob manifeſtam conſilij indignitatem; cùm grauis ignominia Germanici nominis videretur, Turcis diripiendum deſerere Chriſtianorum Regnum Germaniæ finitimum, ac legitimo iure poſſeſſum ab vno ſuorum Principum, electo iam Imperij ſucceſſore. Vnde Orator Gallus ante Conuentus exitum inde deceſſit.

* Belcarius & Sleidanus iam cit.

At Nuntius in Conuentum admiſſus 23. Martij * gratiùs perorauit. Placuit quippe Germanis ſubſidium contra Turcas oblatum: vbi verò de Concilio ſermonem habuit, cauſas protulit, quæ Pontificem à Germanicis vrbibus auertebant; verùm in aliqua alibi eligenda, neceſſe fuit illas quatuor in mandatis, vt notauimus, à Paulo præſcriptas præterire. Per priuata enim colloquia compererat, tres vrbes, ſeu beneficiario, ſeu pleno iure ſubiectas Pontifici, Conuentui ſuſpectas haberi; & Mantuam illis fruſtrà proponi, ratis Tutores Ducis, id quod parens eius negauerat, haud conceſſuros: præterquam quòd auctoritas Mantuani Purpurati, addicti rebus Pontificis, vt aliàs obiectum fuerat, eò tunc maioris ponderis cenſebatur, quò illam ampliorem reddebat minor imperantis ætas ex fratre nepotis. Quamobrem impetrauit à Pontifice Moronus * facultatem duas prætereà proponendi, alteram Cameracum, de quâ aliquid inſinuauimus, & in ea Pontifex erat pronior, vtpote ſemotiorem à Germania, ceteris Nationibus haud ſuſpectam, adeoque aptiorem continuationi Concilij, etiam bello inter eas excitato, & à timore Martis Othomannici remotiorem. Hæc tamen Pauli propenſio diſſimulanda ipſi erat, quò narratam à nobis cauſam ſuſtineret, cur Germanicas vrbes excluderet: & inſuper Cameracenſis ciuitas neque prorſus commoda Germanis videbatur, neque cui plenè confiderent. Altera Tridentum erat, cui nihil ferè deerat vt eſſet Germanica, niſi nomen, atque in eam exploratum erat Nuntio conſenſuros Germanos. Proinde connumeratis priùs in Conuentu quatuor vrbibus, quas Pontifex opportunas exiſtimabat, ac prætereà Cameraco, poſtremò Tridentum obtulit celebrando Concilio, in Alpibus ſitum prope Atheſim, vrbem Germaniæ conterminam, & Ferdinando beneficiariam. 8

* Literæ Farneſij ad Poggium, Nuntium apud Cæſarem, 27. Maij 1542.

Reſpon-

9 Responsum à Conuentu, Vbi non liceret sibi in Germania Concilium obtinere, placere vt haberetur Tridenti. At Lutherani seorsim per suas contestationes reclamarunt tam Concilij loco in Italia, quàm auctoritati Pontificiæ illi præfuturæ. Decretum Romæ, vt dies 13. Augusti Concilio destinaretur; sed, postea cùm nimis angustum temporis interuallum visum esset, post habitam * per tres Senatus de hac re ac de tenore diplomatis deliberationem, tandem 22. Maij statutum diploma atque signatum, promulgatum verò solenni Principis Apostolorum die, cuius supremum Principatum Lutherani oppugnabant; indictumque Concilium Sanctorum omnium sacro die inchoandum, quorum pariter Festo die, & in quorum templo ante vigesimum quartum annum primò Lutheri hæresis eruperat, cui extinguendæ sacer ille Cœtus indicebatur. 1542.

* Die 5.12. & 22. Maij vt in Actis Consistor.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI
LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

LEGATI *Tridentum missi, qui Concilium instruerent; & quæ illis mandata. Suspiciones inter Pontificem ac Cæsarem. Eorum congressus Buxeti. Bellum inter Carolum, & Franciscum Regem. Tridentum adeunt Cæsaris Oratores; & quid ibi egerint. Supersedetur Concilio. Altera Farnesij Cardinalis Legatio ad duos Principes pro concordia; sed infectâ re. Comitia Spiræ habita; eorumque Decreta Religioni perniciosa. Epistola Pontificis ad Cæsarem querimoniis plena; & quid effecerit. Pacificatio inter Cæsarem & Gallum. Iterùm indictum Concilium, & alij Legati Tridentum missi. Quid iniunxerit Neapolitanus Prorex Præsulibus ipsius Regni de Concilio adeundo, & suffragio ibi ferendo. Diploma Pontificium illi oppositum. Iterùm Farnesius ad Cæsarem Legatus. Demandatum Legatis, vt Concilium inchoarent tertiâ Maij; cur tamen non inchoatum. Quæ Farnesius transegerit cum Cæsare de Concilio, & bello aduersus hæreticos: eadem Romæ quoque agitata. Euenta varia Tridenti. Edictum alterius VVormatiensis Conuentus. Aurelianensis Ducis obitus; vnde Pax in incerto nutat. Dies 13. Decembris aperiendo Concilio præstituta. Difficultates in Gallis Episcopis ibi retinendis. Inchoatio Concilij,*

cilij, & quo ritu. Habita solenniter ibi Oratio à Cornelio Musso, Episcopo Bituntino, eiusque à Suauis calumniis vindicatio.

CAPVT PRIMVM.

Apologetica Cæsaris ac Regis Galliæ contentio, ex occasione Diplomatis promulgati de Concilio. Auctus Cardinalium numerus. Legati Tridentum præmissi, eisque iniuncta mandata.

1 DIPLOMA quo Synodus indicebatur, paria honoris & fiduciæ sensa promebat de Cæsaris ac Francisci Regis pietate. At Rex suorum Nuntiorum necem vlturus, bellum Cæsari palàm intulerat, & in Subalpinis, & in Belgij atque Hispaniæ finibus; instigato etiam contra Cæsarem Solimanno per Antonium Polinum Constantinopolim allegatum. Nouâ ac periculosâ iniuriâ Cæsar offensus exarsit; vnde hostium quasi loco sui aduersarij studiosos habebat. Præsertim verò sibi offensioni duxerat illam animi æqualitatem in vtrumque significatam à Pontifice, cui magnam Principes auctoritatem tribuere consueuere, adeoque magnam obligationem illius exercendæ, vbi causâ magis quàm robore pollere se putant. Quemadmodum in eiusmodi rerum conditionibus mos est cunctis hominibus, iurisdictionem extollere, ac vim integram postulare in illis Magistratibus, quos, si viribus præpollerent vel vti legitimos non agnoscerent, vel vti violentos vituperarent. 1542.

2 Conquestus igitur per literas * Cæsar cum Pontifice, de Rege Galliæ sibi æquato, cùm ipse more obsequentis filij Parenti Christianæ familiæ seruiuerit, eam aduersus Turcam terrâ marique tutatus infinito planè dispendio, labore, ac vitæ periculo; adhibitoque simul omni conatu ad hæresim in Germania suffocandam: cùm intereà Franciscus Rex instar filij prodigi, dissipatâ portione sibi aduenientis potentiæ, per ambitionem & inhonestas cupiditates exciuerit, & vel tunc exciret arma Othomannica ad rem Christianam profligandam; & pecuniâ stimulisque Protestantium pertinaciam promoueret; ac postremum, colore quæsito iniuriæ acceptæ in quibusdam ab eo missis non Legatorum sed exploratorum specie, violaret inducias per ipsum Pontificem firmatas, atque in custodia retineret Archiepiscopum, harum rerum minime conscium.

* Vide Belcarium lib. 23. à n. 24. vsque ad 28.

 Hæ

1542. Hæ Cæsaris ad Paulum literæ vulgatæ, ex auctoris voluntate, & per exemplaria ad Regem Galliæ delatæ, ipsum ad prolixiorem acrioremque apologiam compulere. Ac primò quidem per ironiam aiebat, Meritò Carolum obsequentis primo loco geniti laudem sibi arrogare, vt qui parentem in carcerem coniecerat, direptis illius ditionibus, nec eum nisi redemptum ingenti pretio dimiserat. Quid illum per iactata in Turcas bella consecutum, nisi stragem perpetuam ac dedecora Christianæ gentis, quibus læsus ac victor hostis irritaretur ad plura occupanda? At verò Franciscum curasse, Pannoniam filio Ioannis Regis, legitimo successori seruandam, quæ posteà vel incuriâ vel socordiâ Austriacorum armorum in Solimanni potestatem deuenerat. Suorum officiorum studio IESV CHRISTI sepulchrum, & augustissimæ Hierosolymæ monimenta integra persistere, alioquin Aulæ Turcicæ iussu demolienda, eademque fuisse Franciscanis restituta. Hic verò summam reuerentiam erga Pontificem sacrumque Collegium profiteri; purgare carcerariam inclusionem Præsulis, affirmando, cùm ipse tunc existimaret suos Nuntios adhuc viuere, sperauisse, per eam compensationem inductum iri Cæsarianos, ad eos sibi reddendos. Denique pluribus excusare obiecta cũ Solimanno fœdera, & subsidia quæ aduersus Ferdinandum Regem Ioanni collata cum Turcis coniuncto, & per anathema Põtificium à Catholicis seiuncto, submisit. Et quod ad primum spectabat; plurima exempla veteris nouique Testamenti producere, quibus ostenderet, fœdera ciuilia cum infidelibus minimè interdicta: quod verò ad alterum, causam reddere, quòd pro Ioanne ratio staret. Sed vtrumque sapienti libertate refellitur à Belcario, satis gnaro, scriptorem in suorum Principum laudes semper profusum eos numquam laudare, quippe qui fidem verbis suis abroget, adeoque, si res subtiliùs expendatur, vim ipsam significandi. Nec minùs sapienter se gessit Ludouicus XIII. dum neutiquam postulauit, vt liber, quamuis typis editus in sua ditione à scriptore sibi subdito, suoque dicatus nomini, semper suorum Maiorum causam suis æmulis anteferret: adulterinis siquidem ornari gemmis haud iis placet, qui veris abundant. 3

Pontifex quò resurgentes discordias extingueret, primò preces * adhibuit, misso statim ad vtrumque Principem Ioanne Politiano. Deinde, vt negotio pondus adderet, duos Legatos designauit, quibus nec eloquentia deerat ad persuadendum, nec auctoritas ad promouendum, nec beneuolentia ad conciliandum. Itaque destinauit in Galliam Sadoletum, * virum non minùs morum quàm literarum præstan- 4

* Adrianus lib. 5.

* 7. Augusti, vt in Actis Consistor.

præstantiâ illustrem, Gallis haud parum addictum, quibuscum illi peculiarem etiam coniunctionem conciliarat Episcopalis Carpentorati Sedes & commoratio. Ad Cæsarem verò Contarenum, ipsi charum ex duplici legatione ibi peractâ: hic rerum ciuilium, Geographiæ ac Mathematicæ peritiâ Carolum, qui huiusmodi studiis oblectabatur, mirificè alliciebat, vt secum ageret non tamquam cum hospite Legato, sed cum intimo familiari. At ob importunam Contareni mortem Michaël Cardinalis de Sylua Lusitanus illi suffectus est, qui ab Episcopali Sede vulgò Visæus dicebatur, * paulò antè sacrâ Purpurâ insignitus; vir eâ tempestate, ob humanarum literarum, rerumque cognitionem, inter primos habitus. 1542.

* 11. Decembris 1541. in Actis Consistor.

5 Hoc in loco Suauis elogium Pontificatus edit, dum satyram in Pontifices molitur. Scribit, eos Legatos à Paulo missos, *ne communis parentis officio deesset, à suis decessoribus semper ostentato.* Amplissimam sanè Principatus Apostolici commendationem hæc paucula verba complectuntur. Quinam paternarum actionum cursus in Christianæ Reipublicæ vtilitatem semper profluxere à Romanis Pontificibus, necesse fuit vt in conspectu non paucorum simplicium, sed vniuersi Christiani generis, & tot sagacissimorum Principum, perpetuò paternum hoc officium ostentauerit. Qui semper clementiam ostentat, tametsi crudelem animum gerat, quoties parcat necesse est? Qui semper liberalitatem ostentat, à quot quantisque sordibus oportet abstineat? quot sumptibus, quot donis indulgeat opus est, quamquam intus sibi auaritia dominetur? Si ergo Romani Pontificis & mos & institutio est, charitatem communis parentis ostentare, erit pariter eiusdem mos & institutio, innumera charitatis beneficia Christianis, tamquam filiis, elargiri. Quòd si quis Pontifex auersum ab his animum occultat, eum certe promere non audebit, nisi rarò, & vbi speret, perspicacissimis obtutibus innumerabilium lynceorum occultum fore. Vnde perspicuè conficitur, plurimum Christianæ Reipublicæ prodesse conseruatam apud se Pontificum auctoritatem, cùm in iis conseruetur, quibus vel inuitis necesse sit suam semper operam in commune bonum conferre.

6 Vtinam huiusmodi ostentationi, Principum pro se quisque studeret! Tunc enimuerò cum hominum genere præclarè ageretur: perinde ac pariter eueniret, si cunctis hominibus consuetudo ac necessitas adforet, vel vt probi essent, vel certe vt probi viderentur. Nec verum narrat, Adrianum secutus, Suauis, dum ait, missum à Pontifice Visæum, tametsi parum Cæsari acceptum agnosceret.

1542.

sceret. Etenim nihil in ipso Visæo Cæsarem offendebat; • sed eius legatio minus illi probata, quòd Visæus inuisus esset Lusitano Regi, qui cum Carolo & sanguine & amicitiâ arctissimè nectebatur. Animus autem illius Regis adeò erat à Visæo auersus, vt delatis ad eum quibusdam literis, ex quibus amicitia inter Cardinalem & Episcopum Bergomatem deprehendebatur, Pontifex, qui Episcopum in Lusitaniam miserat, vt prius ibi futurum Concilium indiceret, dein verò Nuntij munere fungeretur, hoc ipsum munus reuocauerit, illum ratus hoc solo nomine Regi suspectum. Iam verò quòd hæc vna ratio legationem Visæi minimè gratam Carolo reddiderit, Carolus ipse disertè Nuntio patefecit, conquestus, velle Pontificem à se amicorum animos abalienare. Proinde Visæus Romam confestim à legatione reuocatus.

• Totum apparet ex Literis Farnesij Card. ad Poggium Nuntium in Hispania, 3. Nouembris 1541. & omnes hæ Literæ ad Poggium vsque ad annum 1580 extant apud Barberinos.

Sed ad ea quæ à Paulo gesta sunt, redeamus. Auxerat ipse per eos dies Purpuratorum Collegium • viris idoneis promouendo Concilio; inter Vaticani Patres cooptato Christophoro Madrutio, Tridenti Præsule ac Domino, quò & auctoritas & studium adderetur Concilio; ac duobus Theologiæ laude conspicuis, Badia videlicet & Cortesio, & insuper Morono, doctrinæ varietate prædito, eorumque negotiorum experientissimo; Marcello etiam Crescentio, insigni Iurisconsulto, vt eiusdem celebres Decisiones testantur; aliis etiam, singulari prudentiâ in rebus politicis. Et sanè memoriâ dignum videtur id quod Pontificem retraxerit, • ne quemquam tunc euexerit ex Nationibus exteris, & ex Nuntiis apud geminos Principes. Rex Galliæ pronuntiauerat, Purpuratos ex suis neutiquam sibi acceptos fore, nisi eorum numerus Cæsareos æquaret; contrà verò Cæsar, nisi suorum numerus Regios superasset. Hinc vnica ratio, ne alter offenderetur fuit, neutri quemquam indulgere. Cùm igitur per eas Aulas noui Purpurati suæ Nationis prodire non possent, satius habitum est, ne vllius generis Purpurati noui per easdem conspicerentur, atque idcircò Nuntij tunc exclusi. A causis adeò remotis pendent sæpè, vel in sapienti Principum gubernatione, Ministrorum fortuna & amplissima præmia. E selectis ad Purpuram, Morono præcipuè cum duobus aliis Purpuratis legatio Concilij demandata, quasi inter collegas principi; illorum alter fuit Parisius, legum notitiâ commendatus; alter Polus, in Theologia nauiter versatus, & morum sanctitate, splendore sanguinis, & exilij atque ærumnarum gloriâ, quas pro Romana Sede tuenda tolerabat, cunctis venerabilis. 7

• 2. Iunij 1542.

• Literæ Farnesij ad Poggium 4. Iunij 1542.

De his Legatis tam probè doctum se gerit Suauis, vt eorum Romà

mâ profectionem assignet 26. Augusti, qui tamen ne designati quidem fuerant ante diem 16. Octobris, vt in actis Senatus habetur. 1542.

8 Statuit [a] iterùm Paulus, quod in altera Concilij promulgatione sex ante annos decreuerat: Si nimirum Sedes vacasset, Pontificis electio penes Purpuratos foret, quò schismatis periculis iretur obuiàm; quæ forsitan creasset seu lis inter ipsos Concilij Patres, vbi res decisa non esset; seu numerositas, tenuisque electorum notitia, si Patribus electionem addixisset. Idcircò etiam adiecit decreto: [b] Tametsi Pontifex alibi quàm Romæ moreretur, prout dubitandum erat ex animo Pontificis adeundi Concilij, electio tamen Romæ haberetur, quippe in Vrbe ab exterorum violentia supra ceteras tuta.

[a] In Congregatione Consistoriali, vlt. Octobris 1542. vt in Actis Consist. r.

[b] 29. Maij 1536. vt in Actis Consistor.

In mandatis habuere Legati, statim ac peruenissent, aduentus sui rationem Principibus reddere, eosque adhortari, vt suarum ditionum Præsules ad Synodum mitterent: Præfigere Templi maximi valuis schedam, quâ vniuersè Synodus indiceretur iis omnibus qui vel ex iure scripto, vel ex legitima consuetudine illi adesse deberent: Ante inchoatum Concilium nullam cum hæreticis disceptationem admitterent, sed moderatè cum illis agerent; nec tam austerè, vt implacabilis indignationis metus ipsis infligeretur; nec tam leniter, vt iidem confidentiam sibi arrogarent remissæ socordiæ: Non priùs aperiendum Concilium, quàm eò conuenissent frequentes Patres ex quatuor præcipuis Orbis Christiani regionibus, Italia, Germania, Gallia, Hispania: tum verò Pontifice præmonito, eiusque consensu expectato, inchoandum. Omnino ita solicitè se gererent, vt mora numquam ipsorum procrastinationi tribui posset, sed Præsulum infrequentiæ.

Mandata extant in Archiuio Vaticano.

CAPVT II.

Pontificis cum Cæsare congressus Buxeti; & belli continuatiò.

1 AD irritum cecidit Legatorum labor de pacificatione inter Gallum ac Cæsarem, vt in æstu iracundiæ solet contingere, priùs quàm vel in opus defluat, vel lassitudine langueat. Præcipuè verò Visæus non æquis auribus auditus à Carolo, non modò ex indicta causa, sed, vti Cæsar tunc Nuntio patefecit, ex alieno Caroli animo, ab eo quod per Legatum agebatur, & à Principe qui eum legauerat. Par enim in vtrumque Pontificis beneuolentiâ, videbatur Cæsari in alterum propensio, causæ spectatâ æquitate, quam à se stare putabat. Et tamen Granuellano Pontifex

 discer-

1542. disertè dixerat, a *Romam pane vesci, & in neutram partium propensione:* atque genus insaniæ sibi videri, expertum se infelicem exitum, eique adnexam vituperationem sacrorum armorum, quæ auctoritas Pontificia in Principem adeò minorem, ex adeò maiori causa contorserat in Britanniæ iudicio; velle nunc non modò sibi membrum abscindere, sed corpus medium secare, Galliæ Rege reciso. Et sanè Pontifex omnem mouebat b lapidem, quò Cæsarem retraheret ab ea voluntate tam obfirmata, vt à Francisco Rege deiungeretur, expendendumque illi proposuit: In primis eam seiunctionem mortalium opinioni haud æquam visum iri, quippe nec Regis confessione, nec manifestis indiciis compertum erat, Turcam ab eo solicitatum ad Christianos diuexandos. Nulli pariter vtilitati eamdem Cæsari futuram, cùm absque eo paratus adhuc esset Pontifex ad illi suppeditandum quidquid in se virium foret, aduersum Othomanni conatus: quo præstito, parum interesse, eadem auxilia hoc vel illo nomine obtinere. Præterea Christianæ rei noxium id futurum; nam vbi Pontifex se Gallo aduersarium prodidisset, fiduciam in ipso auctoritatemque sequestri ad pacem componendam illicò collapsuram: detrimentum denique ipsi Cæsari inflictum iri; Regem enim obtentu illatæ sibi à Pontifice iniuriæ, eam vlturum deriuatis ad se Ecclesiasticis bonis, ac tam pingui subsidio fortiùs in Cæsarem arma laturum.

a Literæ Farnesij ad S.Georgij Card. 24. Decembris 1542. in Archiu.Burghesior.

b Variæ Farnesij Literæ ad Poggium, præsertim 7.Augusti 1542. & vlt. Febr. 1543.

Sed cùm is Italiam peteret, in Germaniam iturus ad contrahendas armorum vires, inde in Belgium, ad ea sui brachij neruis tractanda, Paulus Senatum consuluit, expediréttne, vt adhortationes suas ad pacem ipse per se Carolo impenderet. Et post longam consultationem in Senatu, ibidem 11. Nouembris statuit, diploma scribendum iisdem ferè verbis ad vtrumque Principum inter se pugnantium: vbi commemoratis conatibus à se constanter adhibitis, quò reconciliarentur, dicebat, Suas fortasse noxas obstitisse, ne quidquam profecerint: ostendebat auctam tunc concordiæ necessitatem, cùm ob bellicos Othomannicæ potentiæ apparatus, tum ob indicti Concilij celebrationem. Proinde nolle se spe cadere Diuinæ clementiæ: vnde statuisse in Insubriam se conferre, vt cum vtroque colloqueretur, confisum, ipsos si non sui, Christi certè, cuius personam gerebat, reuerentiâ ab eo congressu se minimè subtracturos, propinquum aliquem locum adeuntes, atque interim suspensis armis, tutoque transitu præstito cursoribus, aliisque administris, quos ipse ad rem transigendam adhibuisset: ad id Pontificalis muneris officio se stimulari; ex quo enim quocumque tandem Diuino 2

11. Nouembris, vt in Actis Consistor.

Diuino consilio collocatus in eo fuerat, numquam partem vllam omiserat seu Patris seu Iudicis, quæ sui muneris interesset. Posse vtrumque pro sua prudentia ac probitate sibi persuadere, ad iter illud à se susceptum per eos hiemis algores, & ætate decrepitâ, non nisi à studio communis incolumitatis adduci, quæ ipsorum, quippe potentissimorum Principum, commodis supra ceteros profutura fuisset, perinde ac communis clades ipsis quoque detrimentum maximè esset allatura. Ceterùm ex diuturna experientia potuisse satis deprehendi parem in vtrumque beneuolentiæ suæ constantiam, à præcipuo in alterutrum studio semper alienæ. Postremum, ipsos rogare, darent operam, vt Episcopi suorum Regnorum ad Concilium maturarent, prout illorum munus, & iussio Pontificis exigebat. 1543.

3 Discessit Româ Pontifex[a] 26. Februarij, & Vrbis regimen Rodulpho Pio Cardinali Carpensi tamquam Legato commisit, viro perquam conspicuo. [b] Cumque Bononiam circa Idus Maias peruenisset, Senatum Purpuratorum seriò commonuit, [c] vt præscriptæ reformatæ disciplinæ leges obseruarent; quarum exemplar in seipsis exprimerent oportebat, quod posteà Synodus minoribus Ecclesiasticis, remotisque Nationibus imitandum proponeret. Genuam appulit Cæsar Vere abeunte; secumque adduxerat Octauium Farnesium, generum suum, qui eum obsequij gratiâ in Hispaniam adierat. Pontifex verò Petrum Aloysium Octauij parentem officij causâ ad eumdem misit, & mox etiam Farnesium Cardinalem cum dignitate Legati, qui omni studio atque efficaciâ Carolum ad colloquium secum traherent. At Carolus, quà ex indignatione in Galliæ Regem à pacis colloquiis alienus, quà ex festinatione comparandi in Germania ad bellum copias, omnem auersatus moram, negauit, licere sibi ad huiusmodi congressum Bononiam vsque deflectere; paratum se tamen ad eum esse, vbi Pontifex locum adiret, quà sibi iter habendum esset.

a In Literis Farnesij ad Verallum Nuntium Spoleto, datis 4. Martij 1543.

b Designatus fuit 9. Februarij 1543. in Actis Consistor.

c 29. Martij Bononiæ, vt in Actis Consistor.

4 Narrat Sadoletus, [d] per id temporis à Gallica legatione regressus, Bononiæ, post acceptum Caroli responsum, fuisse deliberatum in Senatu, an deceret Pontificem aliò Cæsarem conuenire; communemque fuisse sententiam, vbi certa spes rei conficiendæ non affulgeret, maiori labori exponendam non esse infirmam Pontificis valetudinem, nec maiori demissioni supremam Maiestatem, cum opera Nuntiorum ad negotia pertractanda satis esset: iterùm autem re ad Senatum relatâ, quò quid demum agendum statueretur, quinque ex Purpuratis, qui ante Sadoletum sententiam dixere,

d In libro Literarum ad Paulum Sadoletum, in quibusdam 16. Iunij 1543.

1543. in iam memorato consilio perstitisse: se verò, repositâ in Pauli iudicio suarum virium valetudinisque ratione, de cetero affirmasse, quòd spectaret ad Pontificiam dignitatem, nullam aliam à se concipi dignitatem in rebus à summo Pastore gerendis, quàm vt illæ sui gregis vtilitati conducant. Proculdubiò sperandam potiùs pacificationem ab officiis, Pontificij oris maiestate prævalidis, quàm in priuatorum administrorum voce languentibus: certè congressum illum profuturum ad arcendam opinionem, quàm communem, tam noxiam fidelium exemplo, animorum alienationem inter Pontificem ac Cæsarem obstare pariter corporum propinquitati. Atque in hanc sententiam à reliquis itum: quapropter decretam fuisse [a] congressui Parmam vel alium opportunum locum. Placuit ea vrbs Cæsari; & Pontifex eò contendit. Inde suborta controuersia, permittendum nécne Cæsari, vt eò cum copiis militum ingrederetur, vt habebat in animo, ex arrogato sibi Parmæ supremo iure, quod iam in celebri ac prolixa responsione declarauerat, à nobis suo loco recensita, ad literas quibus à Clemente incusabatur. [b] Quò remouerentur obstacula, conuenere, vt Buxeti in oppido Pallauicinorum, prope Padum, pari militum adductâ vtrimque ad custodiam manu, colloquerentur. Eâ re in Senatu [c] decretâ, bini simul selecti Legati, Cæsari obuiàm ituri, Parisius, Tridento Bononiam [d] à Paulo accersitus vt cum eo de rebus Concilij ageret, & Ceruinus.

a 8. Iunij an. 1543. vt in Actis Consistor.

b Iouius lib. 43.

c Parmæ 13. Iunij, vt in Actis Consistor.

d In Congregatione Consistoriali Bononiæ 15. Maij, vt in Actis Consistor.

Buxetum itaque Pontifex adiit, ac die postero Cæsar iisdem in 5
ædibus vnà diuertit. Aures hic pacis consiliis haud faciles præbuit, ardens cupiditate iniurias vlciscendi, quas sibi à Francisco Rege querebatur illatas (quippe qui ipsum opprimere conaretur, non ab hominum, sed à ventorum conflictu reuertentem) parantemque Cliuiensis Ducis contumaciam frangere, Gelriam occupantis. Vnde Paulus, gnarus haud parum à Pontifice confici in negotiis à se ad communem vtilitatem inductis, si cunctis palàm fiat, suas à se partes ad ea conficienda expletas abundè, petiit, impetrauitque à Cæsare, vt preces & consilia sacri Collegij in Senatu super hisce rebus audiret. [e] Ibi Marinus Cardinalis Grimanus facundâ prudentique oratione Cæsarem ad pacem est cohortatus. E diuerso Cæsar grauibus efficacibusque responsis studuit causæ suæ æquitatem ob oculos ponere, necessitatemque ne ad conditiones aduersarij sese flecteret; qui, aiebat ille, post exclusum secundo loco genitum in Gallia à propria Britonum ditione, quærebat eidem in Imperij Romani Prouinciis Insubriæ Principatum. Hunc tridui congressus exitum

e 24. Iunij 1543. Buxeti, vt in Actis Consistor.

exitum habuit, Cæsare posthac Germaniam versus digresso, & 1543.
Pontifice Romam, cui non alius inde fructus extitit, nisi obtrectationum depulsio, quasi Paulus labori pepercerit, quem plerique fructuosum fore prædicabant.

CAPVT III.

Quàm verisimile sit quod narrat Suauis, & cum eo alij Scriptores, in priuatam Pontificis vtilitatem fuisse quæsitum illum congressum. Et per huiusmodi occasionem expenditur variorum illius ætatis Scriptorum auctoritas.

1 SEd huius accusationis loco, quam homines, promptiores ad pollicendum sibi felicem ex cunctis futuris industriis exitum, parabant, alteram extruxere temerarij in trahendis deteriorem in partem caussis operum præteritorum. Affirmat Suauis, Paulum in illo congressu potissimùm eò spectasse, vt à Cæsare Mediolanum Octauio impetraret, oblatis vicissim ingenti auri copiâ, plurimis Purpuris, & promisso contra Gallum fœdere; cuius rei nullum ille testem producit. Mihi quidem dissimulare non libet, nonnulla ex his à me comperta apud Ioannem Baptistam Adrianum, scriptorem illorum temporum haud ignobilem, sed infensum Paulo, adeoque Suaui acceptum: in Suauis enim atramento veneni natura deprehenditur, in eo planè sita, quòd humorem nocentem vndique trahat, præter id quod confert de suo. Nec sanè tempus insumerem in ea narratione refellenda, nisi alioqui nimiam vero dissimilitudinem præ se ferret; cùm operis nostri non sit, culpas Pontificum quantumuis graues abstergere, præsertim in iis, quæ neque ad Concilium, neque ad Religionem pertinent; neque nostri consilij, amorem Pauli procliuiorem in suos obtegere. Sed verè affirmo, perpensis omnibus rationum momentis id falsum confici.

2 Ac primò quidem nullius est ponderis Adriani affirmatio, huiusmodi videlicet hominis, qui nullam habuit seu communicationem, seu notitiam rerum arcanarum præter Hetruscas, sæpiusque hallucinari visus est in iis, quæ passim in comperto fuere. Vt exemplum aliquod in re nostra indicemus: Narrat ipse, Protestantes consensisse Concilio, si cogeretur in Germania; ideoque pertimuisse, ne adigerentur à Cæsare vti Tridentinum acciperent: & tamen per hominum manus ipsorum denuntiationes circumferebantur, à se non modò quamcumque Synodum à Pontifice administratam re-

 pudiari;

1543. pudiari; sed quocumque fieret modo, eam recusari Tridenti, tamquam in vrbe verè Italica, non Germanica. Scribit, Lucæ visum Pontifici duriùs se premi à Cæsare ad Concilium celebrandum: sed è contrario ex innumeris Commentariis à me perlectis ac suprà recitatis apertissimè constat, & ne Suauis quidem inficiatur, tunc à Pontifice promotum pro virili Concilium. Præterea mirum non est, ab eo historico, cui vnicus erat labor Principem suum Cosmum extollere, tantumdem fuisse depressum Paulum Tertium, cui Princeps ille summoperè aduersabatur, & animo & vtilitate contrarius: prius, ex vtriusque æmulatione assequendi honorem ac dotem, quas contulissent nuptiæ Margaritæ Austriacæ, Alexandri Medicei viduæ; deinde, ex lite propter memoratam dotem circa bona prioris viri, ex veterrimo fideicommisso Mediceæ familiæ à Cæsare filiæ adiudicata, Cosmo id ægerrimè ferente. Iræ posteà exasperatæ per mutuam suspicionem, hinc tumultuantibus Perusinis, hinc Florentinis exulibus nouas res molientibus. Postremò odia si vmquam anteà, tunc maximè ardebant ob Senensem ditionem, quam pro se vterque affectabat; idcircò magnam pecuniæ vim offerebat Cæsari, illius perquam indigenti; simulque sperabat, haud illum recusaturum sui dominatus intestina membra communire præsidiis, non satis firmata per iacturam, vt sic loquar, aduentitiæ laciniæ illius nouæ, seiunctæque ditionis.

Porrò neque quemquam ex eruditis viris mihi obiecturum puto tem auctoritatem Prudentij Sandouallij, Pampelonensis Antistitis, in Vita Caroli V. Erroribus enim tam palmaribus scatet, vt commiserandus potiùs sit, quàm refellendus. Exemplum afferam: Refert, Cæsarem, expertum haud posse Pontificem ad suas partes pertrahi per literas à nobis indicatas, quibus æquatum sibi Gallum querebatur, studuisse, postulato Concilio, quasi fræno illum in medio saltem sistere. An oculis non vsurpauerat in literis memoratis tenorem ipsius diplomatis Concilium indicentis, in Cæsaris gratiam iam promulgati? Præterea Pontificem arguit, quasi non satis illi fuerit, suos ad Parmæ ac Placentiæ Principatum euexisse; sed insuper ad Mediolanensis accessionem tunc aspirasse. Ridicula planè obiurgatio; etenim Farnesij in earum vrbium Iura non nisi multò pòst tempore immissi. Profert ille Commentarium quemdam Didaci Mendozæ, Cæsarei moderatoris apud Senenses, quo suo Principi suadet, ne vel illius vrbis vel Mediolani possessionem deserat. Cuius Commentarij molliorem à se partem adduci profitetur, asperiore prætermissâ. Et tamen ea mollitudo mordacissima 3

vrtica

vrtica est, quæ honorem Cosmi, Mediceique nominis, & vniuersæ Florentinorum nationis, ac demum Pontificis, lacerat per contumeliosum despectum, viro cordato honesteque nato planè indecorum. Ad hæc iactitat, facillimum Cæsari fuisse, qui tamen pecuniâ ac viribus nihil id temporis affluebat, solâ nominis existimatione debellare Gallos, Turcas, vnaque Pontificem; cuius ditiones vt bello petat, Cæsarem hortatur: iactatio enimuerò magis apta glorioso Plauti militi, quàm Cæsaris Consiliario. Quare Commentarium illum existimo quasi nothum planè filium, qui in obscurissimis natalium tenebris aliquid sibi lucis quærat, splendidum parentem ementitus. 1543.

4 At neque maiorem hîc fidem afferam Iouio; quamquam is in hoc Mediolanensi negotio, & de re ipsa pauca quædam afferat, & in adiunctis, ac generatim satis honorifice Paulo Tertio faueat; testatus hoc in loco vetus & constans illius studium Synodi celebrandæ ad rem Christianam constituendam; tum exactissimam inter duos Principes æqualitatem, insuperabilem Cæsaris tentamentis, cui spes inerat eius deflectendæ per filiæ connubium, aliaque impertita Farnesiis emolumenta. Scriptor hic, alioquin admirabilis styli præstantiâ, & narrationum euidentiâ ac venustate, illustrem molem supra caduca fundamenta construxit; non quidem in sinceri animi vitio, vt fama blaterat, cùm illum comperiam satis liberum in quocumque promiscuè vituperando, vbi vituperatione sibi dignus videatur, tametsi ex potentioribus sit, & alibi à se collaudatus; sed penuriâ Commentariorum probatæ auctoritatis in iis quæ spectant ad arcana negotia, & exquisitioris curæ in iis quæ palàm gesta sunt peruestigandis. Et ne longiùs progrediar in enumerandis frequentissimis eius erratis, quæ Belcarius, aliique accuratè notarunt, adducam aliqua in hisce Cæsaris itineribus. Suo loco memoraui, Cæsarem, cùm anno 1536. Neapoli Romam venit, ex Iouij narratione solùm in Vrbe quatriduum commoratum, cùm reuerà tredecim ipsos dies ibidem expleuerit: nec veraciùs se gerit in recensendo eius per Insubriam itinere, de quo nunc agimus, & cui se interfuisse commemorat; affirmatque, se compellatum à Cæsare, vti calamum paratum haberet ad ingentes euentus perscribendos, quos motus illi moliebantur. Ait, fuisse Bononiæ statutum Buxeti colloquium; & tamen nemo ex Pontificio famulatu de opposito certus non erat; cùm publicus tunc per Aulam rumor esset, vt liquet ex adducta Sadoleti epistola Bononiæ data, Parmam fuisse destinatam: idque confirmant duo Senatus decreta quæ retulimus, alterum

1543. alterum Bononiæ habitum, vt Parmam conuenirent, vel in alium
commodiorem locum; alterum Parmæ post multos dies, vbi con-
gressus Buxetum translatus. Omissis ceteris, pro certo assumit hic
auctor, gratissimum Regi Galliæ futurum fuisse, si Farnesiis Insu-
bria concederetur: quod adeò veritati repugnat, [a] vt cùm paulò
antè Regi proposuisset Ardinghellus, permitteret Principatum il-
lum virili proli, quæ ex Aurelianensi Duce & Ferdinandi filia na-
sceretur, Franciscus recusauerit; addens, sibi Mediolanum ereptum,
& sibi velle vt in filij capite in præsentia restitueretur. Belcarius
denique, [b] vti parum studiosus in narrandis, ita parum solicitus in
perscrutandis Italiæ rebus, quas veluti fimbrias suæ telæ adsuebat,
narrat quidem, noluisse Paulum Francisco Regi, relictis communis
parentis partibus, adhærere: de cetero insinuat ipse, pariter nego-
tium de Mediolano agitatum: sed manifestè à vero aberrantem in
eo Iouium sequitur, affirmando, fuisse pro certo habitum à Ponti-
fice Galliæ Regis assensum. Ac ne quid loquar de minutioribus
eius mendis in diebus notandis, in grauem etiam Sandouallij erra-
tum labitur, dum ait, Parmam ac Placentiam Petro Aloysio iam
à Paulo beneficiario iure concessas, & Cæsaris comprobationem
Buxeti quæsitam. Hinc est, quod ego horum Scriptorum testimo-
nio non vtar ad ea quæ narro confirmanda, nisi raro & in rebus le-
uioribus, nec in dubium aliunde reuocatis, in quibus ne ipsa qui-
dem lex testes repudiat quamuis in aliis errati conuictos.

[a] Ex Literis Ardinghelli ad Farnesium ex Gallia, quæ extant apud Burghesios.

[b] Lib. 23. num. 30.

Sed nostrum argumentum repetamus. Tametsi Scriptorum, 5
quos nominaui, fides adeò nutet, non tamen ab illis recederem, ni-
si prævalidas rationes haberem. Initium ducam à minùs cogente;
quippe quæ solùm eleuat affirmantium auctoritatem, quæcumque
alioquin illa fuerit, sed affirmationis falsitatem in seipsa non osten-
dit; quo pacto Daniel Susannæ innocentiam defendit, hoc est,
adductâ testium in affirmatis rei conditionibus repugnantiâ. Iouius
& Belcarius affirmant, de Insubria Octauio concedenda agitatum
esse cum Galliæ Regis consensu, eumq; hoc pacto pacem initurum.
Quod si verum esset, Pauli in ea re postulationem honestaret. Sua-
uis & Adrianus oppositum scribunt; quin volunt, oblatum à Pau-
lo vicissim fœdus cum Cæsare aduersus Gallum. Sed posteà ij ipsi
inter se dissentiunt: Adrianus siquidem refert, Pontificem, quam-
quam in Vrbis Arce supra trecenta scutorum millia non asseruaret,
per opulentioris thesauri ostentationem fuisse Cæsari pollicitum de-
cies centena scutorum millia in pecunia numerata, totidemque in
data fide, eidemque in conditionibus permisisse retentionem Arcis
Medio-

Mediolanensis & Cremonensis. Contrà verò Suauis, rem huiusmodi ratus incredibilem, narrat, idcircò negotium haud vltrà progressum, quòd Cæsar decies centena scutorum millia, simulque arces postulasset. At Sandouallius imperitiùs comminiscitur adductam à Pontifice secum pecuniam; atque idcircò cum armatis copiis Cæsarem ab eodem haud admissum, quòd ab eo pecuniæ suæ timeret. 1543.

6 Animaduerso testium dissidio, probationum pondus expendamus. Si Paulus tam anxiè cupiebat cum Cæsare colloqui tam ingentis emolumenti gratiâ, cur in Bononiensi Senatu vocabat in dubium, eundum nécne ad colloquium sibi esset? Cur passus est in consessu Purpuratorum, qui plenè ferè omnes ab eo donati Purpurâ ab eiusdem voluntate pendebant, ne iret, decerni? Adeò vt nisi fortè Sadoletus accessisset, qui in secundo congressu argumentis ipsius pietate animatis rationes quinque antecedentium collegarum diluisset, omnino de profectione Pontificis actum fuisset.

7 Præterea, si Pontifex eâ siti laborabat, non quidem tunc primò Paulum aggressâ, sed multos ante annos in eo succensâ, vt isti autumant; cur tam ardenter Cæsarem vrgebat, & per iteratam nepotis & per Ceruini legationem, vt deditâ Francisco Insubriâ Reipublicæ Christianæ tranquillitatem daret, cuius flagrantia in id officia tot iam probatis à me commentariis comprobata? Cur Farnesius in suis literis, vel maximè arcanis ad Pontificem scriptis, adeò dolebat Cæsarem obstitisse? Cur inter tot negotia, & illi & aliis ministris apud eos Principes data ad suam familiam euehendam, atque inter mandata, quæ penes me sunt depromere paratum legere cupienti, ne nutus quidem vspiam deprehenditur, qui huiusmodi Mediolani concessionem respiciat? Cur verò per Gibertum priùs, posteà per Ardinghellum Francisco Regi varias componendæ pacis vias aperuit, quæ huic consilio aditum præcludebant?

8 Ad hæc, cur per ea tempora, quæ Cæsaris Ministri petierant, tam liberè, tam consultò cum eorum ægrimonia repellebat; vti priùs Farnesius S. Georgij Cardinali significauerat per epistolam à nobis allatam, atque vti liquet ex acerbis querimoniis Caroli, editisque vltionis argumentis; cùm in ipsius beneuolentia vnicè inniti posset tam eximij spes beneficij?

9 Perge porrò: Obseruemus, quonam pacto in reliquis Paulus se gesserit. Volunt isti montes aureos ab eo inde Cæsari exhibitos, euiscerato Ecclesiæ patrimonio. At paulò antè, cùm apud se statuisset,

1543.

Legitur in Literis alibi citatis Farnesij ad Pontificem ex legatione Hispanica, & ab alterius eiusdem, & Ceruini Cardinalis, ex Belgica.

set, in iura Camertium Principatus, Varanis à Fisco erepti, Octauium immittere, Cæsari per Farnesium in Hispania Legatum proposuit, ne illi graue esset, vt si Octauius ex trecentis scutorum millibus, quæ secundùm pactiones Campeggij cum Margarita in fundum Neapolitanæ ditionis impendenda erant, dimidium in eum Principatum insumeret, quo Pontificis ærario satisfieret; quippe tantumdem pecuniæ suppeditauerat bello contra Varanos, & Vrbinatium Ducem, ad eam ditionem recuperandam. Cùm verò Cæsar ægrè ad id animum induceret, veritus, ne fortè alius Pontifex Octauium eo Principatu spoliaret, qui filiæ vadimonio obstringendus erat; fassus est Paulus, sibi neque per conscientiæ legem, neque per famam licere, illius Principatus iura concedere; neque vmquam ad id animum induxit, donec post longum tempus variosque conatus Farnesij, iterùm ad Cæsarem in Belgio Legati, ac posteà Ceruini, Caroli consensus in iam propositam conditionem impetratus est.

Postremò, si Paulus egisset Buxeti cum Cæsare, eiusque administris, vt Suauis & Adrianus rem colorant, de huiusmodi Principatus accessione Farnesiorum familiæ, semet vt confœderatum, non vt pacificatorem pollicitus; quâ fronte potuisset ibi statim posteà Cæsarem in Senatum vocare, & Patrum vocibus ad pacem cohortari? Quânam ibi confidentiâ fuisset ausus Carolo tam acerbas literas scribere, quas mox proferemus; tam ingenuè iactare, quàm rectè semper se gessisset, si conscientia suggessisset, posse sibi à Cæsare exprobrari tam indecoram auiditatem, tam impudentem simulationem? Libeátne rumoris ortum agnoscere? E consuetis vulgi opinamentis erupit, semper proni ad cudenda in Principibus figmenta, & arcana vtilitatum molimina, semper Pontifices auctfantis post illa Principatus primordia, quæ satis temporis habeant ad excitandam inuidiam in pleri sque cupidis & ambitiosis, inflammandamque communem nouitatis appetentiam. Facem ad id præfert laudata Sadoleti epistola, quâ scribit, dum adhuc Pontificis profectio anceps pendebat, & Senatus sententiæ ad eam impediendam inclinabant, communi sermone circumferri, illud iter à Paulo suscipi Suorum vtilitatis gratiâ, non publicæ cunctorum quietis. Quare ea scriptorum opinio non à veris rei gestæ narrationibus profecta est, sed ab ipso rumore, rem tamquam futuram vaticinante. Quicumque Principum negotia quandoque penitiùs introspexeris, nonnumquam experimento compereris, quædam illis à populo adscribi, sibi quidem manifestò falsa; ita tamen asseueranter communiterque confirmata, vt iis obsistere vel putida assentatio, vel pueri-

pucrilis inſcitia videretur. Ita conditiones hominum inter ſe compenſantur; cui tributariæ ſeruiunt manus, refractariæ inſultant linguæ. 1543.

CAPVT IV.

Legatorum Tridentum aduentus, ac Cæſaris Oratorum. Quænam ab his agitata. Oratio Atrebatenſis Antiſtitis, Cæſaris nomine.

1 IAm verò poſt longam, ſed non alienam digreſſionem, oportet aliquantulum regrediamur, narrationemque argumenti noſtri magis propriam reſumamus; hoc eſt eorum, quæ ad Concilium intrinſecus pertinent. Legati, quos ſuprà nominauimus, acceptâ Romæ Cruce, legationis teſſerâ, 20. Octobris, cùm indicto die nequiſſent Tridentum attingere,[a] tum ob temporis inclementiam, tum ob neceſſariam Moroni moram, cui recèns in Senatum adſcripto multa erat ornanda ſupellex, [b] eò præmiſſus eſt Pontificis nomine Ioannes Thomas Sanfelicius, Comenſis Epiſcopus, cui demandatum eſt, vt vnà cum Tridentino Cardinale adeuntes Præſules exciperet, & quæ opus eſſent pararet. Superuenere poſteà [c] Legati 22. Nouembris; at non niſi pauci Antiſtites eò conuenerant, [d] iique vel ex propinquis Germaniæ locis, vel ex Italia, compulſi à Pontifice. Hic verò quò mordax ſit, mendax eſſe patitur variis in rebus Suauis.

2 Primò affirmat, Impoſitum Legatis, ne quid ſui muneris publicè gererent, donec mandata ſuſcepiſſent, opportuno tempore ad eos deferenda. Nihil à vero diſcrepantius: nam mandata eis Romæ tradita ſunt; tametſi continebatur in ipſis, quod ex tenore ſuprà recitato patet, ne Concilium inchoarent abſque decenti Præſulum frequentia, & prætereà Pontifice priùs admonito, eiuſque expectatis mandatis: id verò per eam celeritatem conficerent, vt omnem affectatæ procraſtinationis ſuſpicionem euitarent; & omnino liqueret, quamcumque moram ab Epiſcopis ex adeundi negligentia oriri.

3 Secundò refert, Illuc à Pontifice eos miſſos, quibus maximè confidebat. Si eorum nomine, quibus maximè confidebat, illos ſignificat, qui Pontifici maximè obtemperabant, verum refert; hos enim ſolos potuit Pontifex accire. Sin verò ſignificat, hos tantummodò datâ operâ ad id ſelectos; impudentis mendacij ſe auctorem prodit. Omnes literæ Farneſij Cardinalis ad Nuntios in Hiſpania

a Epiſtola Farneſij ad Poggium in Hiſpania Nuntium, 5. Nouembris 1542.

b Fuit indictus dies 3. Septẽbris, vt patet ex citata Epiſtola Farneſij. Sed leguntur ſignata diplomata 22. Octobris, & miſſa fuerunt 8. vt patet ex Epiſt. Pandini ad Epiſcopum.

c Epiſtola Farneſij ad Poggium Nuntium in Hiſpania, 9. Decembris 1542.

d Epiſt. Farneſij ad Poggium, 14. Februarij 1543.

1543.

atque Germania [a] iteratis cohortationibus feruent, quibus illarum regionum Antiſtites ſolicitantur, ac ipſe Cæſar vrgetur, vt Neapolitani Regni, ſuarumque ditionum Præſules ad feſtinandum compellat; atque ad idem hortetur Luſitaniæ Regem, quicum eâ tempeſtate nouam affinitatem contraxerat, illius filiâ in vxorem acceptâ à Philippo Hiſpaniæ Principe, cum opulentiſſima dote, quâ bellorum difficultatibus ſubuentum eſt. Quin Pontifex æſtu ſolicitudinis adeò incaluit, vt ad acerbas querimonias cum Cæſare ob cunctationem progreſſus fuerit, atque ad hoc vnum opus in Germaniam Truxeſium [b] miſerit, de quo paulò pòſt agemus, cum literis Pontificiis, ad eos Præſules perpellendos: pari etiam [c] ardore Regem Galliæ ſtimulabat. Præterea cunctis Purpuratis [d] indixit, vti ſe Romam conferrent, vt Synodo præſtò eſſent, binis ſolùm vtriuſque Principis arbitrio conceſſis, quos ad ſuorum Regnorum procurationem ſelegiſſent.

Tertiò ſcribit, Iuſſos à Pontifice hos quibus maximè fidebat, eò, ſed lentè iter facere. At res ipſa contrarium oſtendit; ij enim conſeſtim peruenere, vt iam vidimus. Sed infrequentiæ cauſa erat, quòd Itali ac Germani, quippe propinquiores, præſtolabantur plerique nuntios, quibus de ſuſcepto a longinquis itinere fierent certiores; poſt eos enim nuntios ſatis adhuc ſupererat temporis, vt eodem cum illis tempore, vel certè poſt paucos dies conuenirent. Gallis verò & Hiſpanis nondum ab illis Regibus iter indictum. Franciſcus Rex [e] a Pontifice ad colloquium ſecum inuitatus, per certum Oratorem, obtentâ neceſſitate bello inſiſtendi, aduentum ſuum excuſauerat; & ne ſuos Præſules mitteret, itinerum pericula cauſabatur, adducto exemplo infortunij quod Fregoſum & Rinconem oppreſſerat. Cæſar viciſſim [f] ſuorum moræ prætenderat timorem ipſis iniectum ex captiuitate Præſulis Valentini, ſiue cauſa vera eſſet, ſiue vt Paulum inflammaret ad illius libertatem à Gallo acriùs repoſcendam. 4

Verumtamen Miniſtros ſuos ad Conuentum Norimbergæ indictum miſſurus, quò noua ſubſidia bello Pannonico decernerentur, cùm ad hoc deſtinaſſet Granuellanum, magnum Cancellarium, eiuſque filium Epiſcopum Atrebatenſem, illos iuſſit Tridentum tamquam ſuos Oratores adire; quibus Collegas adiunxit Ioannem Ferdinandum Manriquium, Marchionem Aguilarum, ſuum apud Pontificem Legatum, & Didacum Mendozam, qui Venetiis eodem munere fungebatur: iiſque poteſtatem tribuit, vt in Concilio ſeu ſimul coniuncti, ſeu per ſe quiſque ſeorſim partes agerent ad 5

ipſum

a Præſertim ad Poggium 3. Nouembris, 14 Februarij, & 13. Martij.

b Epiſt. Farneſij ad Verallum Nuncium in Germania, 26. Maij 1543.

c Habetur in citata Epiſtola ad Poggium 14. Februarij.

d Literæ Farneſij ad Poggium, 3 Nouembris 1542.

e Literæ Farneſij ad Poggium, 27. Februarij 1543.

f Ex Epiſt. Farneſij ad Poggium, 13. Martij 1543.

ipsum spectantes, tam vti Cæsarem, quàm vti Dominum suarum ex hereditate ditionum. Tridenti * adfuerunt duo Granuellani ac Mendoza (Aguilarius quippe à Legatione Romana non abscesserat) 8. Ianuarij anno 1543. statimque Legatos Pontificis inuisêre. Cum Polo, quem primum adiit, conquestus est Granuellanus, quòd res Concilij nimis languidas offendisset. Sed auditâ Poli responsione, quâ nihil à Pontifice prætermissum monstrabat quò Synodus ferueisceret, sed solùm ex languore Principum frigescere, coram duobus aliis Legatis querela obmutuit.

1543.

* Epistola Legatorum Tridenti ad Farnesium, 9. Ianuarij 1543. quæ cum aliis vicissim citandis, à Legatis Romam, & Româ ad Legatos, tradita fuit ab Alexandro Ceruino Sirleto, cum aliis scripturis, vt suprà.

6 Ab iisdem præterea interrogati Præsides de duobus. Primò, An reliquæ Nationes se Concilio interfuturas suscepissent. Secundò, Quænam ipsorum ibi partes essent futuræ. Responsum ad primum, Italicos Episcopos partim iam adesse, partim se daturos in viam: oblatos Concilio à Poloniæ ac Romanorum Regibus Oratores suos; & plerosque Germaniæ Præsules vel iam accessisse, vel accessum meditari: de Gallis Episcopis nihil certi haberi; sed vt ipsi Legatis haud præsciis eò conuenerant, itidem de illis sperandum in horas: in Lusitania officia, vt par erat, à Nuntio minimè præteriri cum Rege, cuius Antistites simul cum Hispanis profecturos putandum: de Hispanis verò ceterisque Catholicarum Cæsaris ditionum, superuacaneum loqui.

Ad alteram interrogationem dixere, Cæsareos Oratores loco Cæsaris interfuturos, cuius munus erat interesse tamquam defensorem ac primarium Ecclesiæ sanctæ aduocatum: Legatis verò curæ futurum, palàm facere in omnibus, quantum Cæsaris eiusque Ministrorum pietati atque integritati confiderent.

7 Enixe dein postulauit a Legatis Granuellanus, sibi liceret in maximo vrbis templo publicè verba facere, vbi Cæsaris absentiam excusaret; eiusque nomine solenniter ibi se sistere, functionemque legitimo testimonio consignare, quò per ea solennia reliqui Principes imitationis ardorem conciperent.

Responsum à Legatis: Cùm ea Synodus tamquam ætatis futuræ magistra celebraretur, nefas esse, à consuetudine præteritarum recedere; in quibus mos fuerat, vti publicæ preces ac ieiunia præmitterentur; posteà verò, vt singulorum facultates ac iura in Cœtibus perpenderentur, quorum vi ad Concilium accederent. Ceterùm, si vellent, publicam fidem, quâ de ipsorum accessu ac procuratoriis literis legitimè constaret, se libenter daturos.

8 Suauis rem gestam perperàm edoctus, dum talia quæ comminiscitur scribit, vera supprimit; sed profectò ex ignoratione, non ex

1543. fraude: si namque resciisset, suam historiam, lectorumque cognitionem haud ijs fraudasset, vt qui certè quouis in dissidio inter Catholicos Principes ac Pontificem, interque ipsorum administros, triumphet. Narrat itaque, petentibus Oratoribus solennem aditum in Ædem maximam negatum à Legatis, ne Synodus per tam modicum Patrum numerum inchoaretur: at Granuellanum contrà reposuisse, licere quidem id fieri, vbi à reformandis moribus inchoaretur. Prorsus aliter se res habuit: etenim neque Legati sibi persuaserant, ex eo Concilium apertum iri, quòd à se ibi solenniter Oratores exciperentur, vt in epistola memorata ad Farnesium scripserant; neque vir tantæ prudentiæ Granuellanus proposuisset, vt perpauci Germaniæ atque Italiæ Præsules in se reciperent perdifficillimum supra cetera humano generi opus, humani generis emendationem. Res igitur hoc pacto contigit.

* In Epistola Legatorum narratur.

9 Granuellanus ad improuisam repulsam, * contractâ fronte, turbatoque animo subiecit; Inde tum suam tum Cæsaris dignitatem læsum iri; indignum videri, non modò se, personam publicè gerentem Caroli V. Romanum Imperium, ac tam amplam prætereà terrarum orbis partem possidentis, sed ceterorum Principum administros, à publicis Pontificis Legatis, cuiusmodi ipsi erant, arceri ne publicè audirentur. Ad minas etiam progressus est, vbi pergerent tam honesta negare, libello ad templi maximi valuas affixo, irritum se Concilium denunciaturum. Legati verò tenaces propositi, perbenignè tamen responderunt; Se numquam habuisse in animo illos publicè non excipere, sed quo deceret modo ac loco audiendos. Post multa inter ipsos conuenit, vt postridie manè in Aula Parisij Cardinalis, inter collegas antiquissimi, publicè mandata suæ legationis exponerent.

10 Ibi Latinè perorauit Atrebatensis Antistes magnâ hominum frequentiâ, quos Oratores adduxerant. Oratio bili amarissimâ redundauit in Galliæ Regem, in quem tunc Cæsaris æmulatio non solùm in iram, sed in acerbum odium degenerauerat. Huius autem bilis aliqua pariter guttula Pontifici aspersa est, cuius in vtrumque Principem æqualitas, commotis Cæsareorum animis inæqualitas, planeque iniquitas videbatur. Summa Concionis hæc fuit; Reuocare in memoriam officia atque itinera suscepta à Cæsare, quibus Concilium à Pontificibus impetraret, tamquam vnicum medicamentum ad Ecclesiæ vulnera curanda, toties à sacro Imperio imploratum: eius fructum quæri potissimùm per exactam morum emendationem, à Pontifice sæpiùs oblatam ac promissam; eâ prætermis-

sâ

sâ non modò cladibus præteritis non consuli, sed neque maiores 1545.
impendentes euitari posse, vti ex Germaniæ experientia Morono in præsentia Legato iudicare licebat. A Cæsare, ne quid omitteret quod in se erat, eò se destinatos, vt ipsius absentiam excusarent, moramque in suis Episcopis eódem mittendis; atque omnia adiumenta ad Concilij celebrationem ac prosperitatem subministrarent.

11 Multis opus non esse ad purgandam absentiam Cæsaris, tunc planè tam atrociter appetiti tot in locis, modisq; tam alienis (ne quid fœdius absque necessitate in eo Conuentu proferretur) ab omni diuino humanoque iure. Credere se, cunctis hominum ordinibus exploratissimum esse, tunc Cæsari bellum illatum, cùm planè Concilium indictum. Quare ab ipsa sui tuendi, hostisque inuadentis repellendi necessitate suam causam luculenter agi, cur ipsemet Concilio non interesset. Etiam tum illum cogi ad communienda sua Regna aduersus armorum conatus, sibi Vere iam proximo minitantium, simul etiam ad cumulandas vires contra communem Christiani nominis hostem. Hanc grauissimam Cæsaris occupationem futuram satis fuisse cuilibet retinendo, ne ipsi molestiam inferret, præter inducias tam solenniter Nicææ firmatas sequestro Pontifice, & præter officia totius Imperij nomine Galliæ Regi adhibita, petentis, vt quando Christianorum populi neruis omnibus conspirabant ad Turcam Pannoniâ deturbandum, vel copias mitteret, aliàs ab illo pro suppetiis oblatas, vel certè in Christianorum locis nihil turbaret; cui petitioni prorsus opposita ab eo præstita.

12 Tum Oratorum cunctationem in ipsas iniurias belli reiicere, ne tabellariis quidem viam tutam permittentes. Quòd si periculosum erat iter terrestre, multò periculosius esse maritimum, etiam à Turcis obsessum. Haud licuisse Legatis indictæ Synodi auctoritati confidere: etenim cùm fuisset vulgatum, eò Granuellanum destinatum, immissas obuiàm à Gallis viginti duas triremes, nouemque biremes Turcicas, vt hominem caperent. Vnde opus fuisse Oratoribus tardiùs iter facere, quò se validiore comitatu tuerentur.

Hinc palàm fieri, quem animum in eam Synodum gererent harum rerum auctores. Reuerà expectata etiam à Cæsare responsa Pontificis de quibusdam rebus, antequam Concilium inciperetur. Sed quamquam nondum fuissent reddita, vti necessarium putabatur, cum tamen noluisse cunctari ampliùs, quò minùs sacrosanctum illud opus per suos Oratores promoueret; qui denuò pollicebantur promissam toties Cæsaris præsentiam, vbi Concilium sic institueretur, vt ab ea posset emolumentum capere ad Ecclesiæ bonum. Paratum

1543. ratum eſſe Cæſarem è ſuis Regnis eò Præſules mittere, quandocumque ipſis itinera tuta eſſent: id non accidiſſe poſt fractas inducias, violatis crudeliter armorum legibus, in ipſos, quos à militari violentia intactos ſeruare ius faſque erat. Denique ab ipſis produci mandata Cæſaris ampliſſima, quibus iubebantur quaſcumque illius partes explere, qua vt Cæſaris, quà vt Regis Catholici, quà ex quouis alio iure ac nomine, vt Diuino afflante Spiritu tot miſeriis afflictæ Chriſtianæ rei leuamentum daretur.

Poſt hæc mandatorum facultatumque libelli deprompti. Reſponſum à Legatis ſummâ tum in Cæſarem reuerentiâ, tum in Oratores humanitate.* Mox vtrique ad differendum in interius conclaue progreſſi. Cæſariani promiſſa confirmarunt; ſeque paratos exhibuerunt, vel ibi perſiſtere, vel in Germaniam pergere ad ſolicitandos Epiſcopos, pro eo ac Legatis ſatius videretur. Retulere pariter, eâ ipſâ nocte per curſorem delata pleniſſima mandata à Ferdinando Rege, ſui loco Tridentinum Cardinalem ibi renuntiante. Inſtiterunt, vt à Pontifice Italorum Præſulum ac Theologorum miſſio maturaretur, Gallique pariter ſtimularentur. Poſtremò querulis precibus efflagitarunt, iterari per Paulum officia pro Archiepiſcopi Valentini libertate: nam neque beneuolentiam, neque dignitatem Cæſari permittere, Patrui captiuitatem diſcrimenque negligere; neque bellandi rationem conſuetâ Principum humanitate potentiam æmulantium tractari, ſed hoſtili odio iniuriarum acerbitate irritato: proinde nec petendæ gratiæ locum dari abſque pudore, neque ſpem ſupereſſe, vt ab æmuli vrbanitate vltrò quidquam concederetur. 13

Suauis, dum de his Oratoribus loquitur, prolabitur, vt iis accidit narratoribus qui Caſum ducem ſequuntur. Dicit, Appetente anni exitu iuſſum à Cæſare Granuellanum adire Norimbergenſem Conuentum, relicto Tridenti Mendoza. Sed reuerà neuter eò peruenerat, niſi poſt annum elapſum. * Refert, Tridentinum Cœtum à Pontifice ſolutum, antequam Cæſar in Italiam deueniſſet; cùm id tamen euenerit poſt eorum Buxeti congreſſum: quod ſatis conſtat ex diplomate retardati Concilij, ſubſignato 6. Iulij, & ex Senatu Buxeti habito, vbi Cæſar interfuit 24. Iunij, quod ex eius actis patet. 14

* 8. Ianuarij, vt habetur in Commentariis citatis.

At noſtræ narrationis ſeriem proſequamur. * Deprehenderant Legati, Granuellanum haud ſincero animo in Concilij progreſſus ferri. Reſciuere pariter, eumdem in hæc verba prolapſum; Vtiliorem ſibi videri peculiarem Germanicæ Nationis Synodum. Quod tamen arbitror ex arte prolatum, ſimulato linguæ lapſu, vt eius ſuſurrus 15

* Literæ Legatorum ad Farneſium 12. Ianuarij.

ſurrus ad Pontificem ſerperet, quò is permotus, acceptioribus Cæſari rationibus eius amicitiam quæreret; cùm ceteroqui peculiaris Nationis Synodus æquè foret periculoſa, & æquè inuiſa vtrique Principi. 1543.

16 Granuellani Norimbergam petiere; Mendoza Tridenti perſtitit. In Conuentu, Germani à Nuntio ad Concilium inuitati: illi gratiis Pontifici actis eum rogarunt, vt inceptis inſiſteret. Vſus quoque Pontifex eſt, ad indicendum ibi & in Polonia Concilium, operâ Cubicularij ſui, ex primaria apud Germanos nobilitate,[a] qui proinde gratiorem faciliorem que eam functionem redderet. Otho Truxeſius is fuit, paulò pòſt ab eo Purpurâ decoratus, cui viciſſim ſplendore virtutum rerumque geſtarum decorem addidit; quod ſuo tempore dicemus.

17 Proteſtantes Concilium ſeorſim poſteà repudiarunt,[b] adductis conſuetis obſtaculis; nimirum, Præſidere ibi Pontificem Romanum, & ex Epiſcopis illi obſequentibus eſſe conflandum, ipſorum ſectæ ſuſpectis, tum quòd eam damnaſſent, tum quòd in iis controuerſiis iunctam cum ſuarum partium vtilitate auctoritatem Iudicum habituri eſſent.

Hæc reſponſio à Rege Romanorum Catholicis communicata, ſic ab iiſdem reiecta: Præter vrbes merè Italicas, fuiſſe ad Concilij celebrationem propoſitas à Pontifice in Spirenſi Conuentu Cameracum, aut Tridentum: hoc poſtremum à cunctis Imperij Ordinibus tunc electum acceptumque; Pontificem eius rei gratiâ illud ibi iam indixiſſe, eoque miſiſſe Legatos, ac Norimbergenſem Cœtum ea de re certiorem feciſſe, à quo & gratias pro rebus geſtis, & preces pro gerendis acceperat. Decreta Concilij non à ſolo Romano Pontifice profectura, ſed ſimul à cuiuſuis Nationis Epiſcopis: quòd ſi omnes hi excludendi eſſent per exceptionem, ne partis ſimul ac Iudicis munus exercerent, nullum futurum huiuſmodi controuerſiæ Iudicem, qui pars etiam aliquo pacto non eſſet. Prætereà Concilio interuenturos omnium Principum Oratores, qui numquam iniuſtis ſanctionibus aſſenſuri erant. Proinde par non eſſe, à veteri Eccleſiæ more recedere, quo factum eſt vt à Romano Pontifice Synodus Oecumenica conuocaretur.

Nihil tamen his omnibus Proteſtantes commoti, quippe rationibus haud intenti vt recta decernerent, ſed solùm vt alios deciperent, vel certè vt decepti potiùs quàm iniqui viderentur.

18 Pontifex quod ſperare ſibi licebat adeptus eſt; videlicet, vt Germanis Catholicis actionum ſuarum ratio probaretur. Haud tamen

[a] Indictio Concilij à Truxeſio habita apud Polonum Cracouiæ 15. Octobris 1541. & in tomo Inſtructionum ad Concilium Tridentin. in Archiu. Vatic.

[b] Literæ Veralli Nuntij in Germania, 4. Martij 1543.

1543. obtinuit, vt res eo tempore conficeretur; sed, quod alibi obseruauimus, quantùm promptus ad celebrandum Concilium animus Pauli sinceritatem ostendebat, tantùm experimento cognita, propter bella inter Christianos, insuperabilis in eo difficultas, decessoris prudentiam commendabat, quòd rem ardente bello distulisset, quæ sine pacis commodo expediri non poterat.

Mendoza, gnarus Hispanos Episcopos haud accessuros, & animaduersâ pariter ceterarum Nationum absentiâ; ne ibi frustrà tempus tereret, aduersus quàm Legatis spoponderat, Tridento confestim relicto, Venetias ad suam legationem regressus est: de quo Pontifex per Nuntium cum Cæsare questus est.* Præsules etiam qui aduenerant, arbitrati se iam satis officio suo fecisse, nec citra emolumentum vniuersalis Ecclesiæ, esse sibi priuata dispendia, suarumque peculiarium sedium detrimenta toleranda, paulatim diffluebant. Quare Pontifex, cùm Bononiam peruenisset, Parisium Legatum, vti dictum est, ad se accersit, ac posteà etiam Polum: cum illis in octo Purpuratorum Cœtu ad id conflato * consilium habuit; Satiúsne foret semen illud Concilij Tridenti iactum, ibidem fouere, an illius vsum commodiori tempestati reseruare. Visum est vniuersè, ad comprobandum Pontificis studium satis superque fuisse quod hucusque factum erat per tot inuitamenta, tot Nuntios peculiares, atque etiam per tres præclarissimos Legatos, septem ipsos menses Tridenti planè otiatos. Diuturniorem exilis illius Cœtus perseuerantiam nihil tandem præstituram, nisi vt per eam apertiùs patefieret turpior Catholicorum contumacia, viliusque ab hæreticis habita auctoritas Pontificia. Minori proinde detrimento esse, Cœtum dimitti promissâ redintegratione, vbi Christiana membra ad coalescendum aptiora visa fuerint. 19

* Epist. Farnesij ad Poggium, 14. Februarij 1543.

* 15. Maij 1543. vt in Actis Consistor.

20 Voluit tamen Pontifex coràm ac ipsemet exponere commemoratas causas Cæsari: qui tametsi cupientissimus vt Germanorum postulationibus satisfieret, obtentâ saltem aliquâ Concilij vmbrâ; perspicuè tamen cognitæ rationum efficacitati nihil habuit quod opponeret.

Regressus itaque Bononiam Pontifex, diploma edidit, in quo seriem recensebat suorum conatuum, curarum, ac laborum, quos ad cogendum Concilium adhibuerat: ea verò singula pariter & vniuersa vni aspectui admota non solùm ad satisfaciendum, sed etiam ad excitandam admirationem cuicumque, quamuis seuero lectori, plurimum valent: perinde ac experiri licebit cui ea lustrare libuerit, modò aciem intendat purgatam eâ maleuolentiâ, quæ instar quo-

quorumdam ſpeculorum pulcherrimas quaſque facies in monſtra deformat. 1543.

Narratur poſteà, Carolum ac Franciſcum affirmare, ſe prohibitos ne Concilio adeſſent neceſſitate ditiones ſuas defendendi: Variarum Prouinciarum Antiſtites in excuſationem adducere, alios bellorum obſtacula, alios ſuſpicionem ac diſcrimen itinerum: quocircà Legatos ſextum ſupra menſem ibi moram inutilem traxiſſe, non ſine quadam Pontificis indignitate. Hinc à ſe rogatos ſententiam non ſolùm binos Legatos Bononiæ accerſitos, ſed etiam per literas Moronum, qui Tridenti remanſerat, atque omnes ferè Præſules qui iam conuenerant; atque ab omnibus cenſeri, Cùm tot in locis bellum inter maximos omnium Principes arderet, immineretque formidabilis Othomanni impetus tam Pannoniæ quàm Infero Italiæ mari, quæ ad ſua tuenda ſingulos vocabant, præſertim verò Pontificem ad Chriſtiani generis Regiam cuſtodiendam, & ad quidquid poſſet virium opponendum, vt apud ſe ſtatuerat, aduerſus tam immanem potentiam, rem ad aptiora tempora differendam. Proinde ex Purpuratorum conſenſu tertium Legatum à ſe reuocari, Epiſcopos abſolui lege, tum qui aderant, ibi permanendi; tum qui aberant, eò veniendi; illumque Cœtum dimitti pro ſuo Sediſque Apoſtolicæ arbitratu: polliceri denique, ſe ſtatim ac per temporis opportunitatem liceret, rem inſtauraturum ac promoturum.

21 Adhuc Paulo apud Inſubres degente, * Turcica claſſis in mare Tyrrenum traiecit, Polino, quem ſuprà nominauimus, Galliæ Regis miniſtro eam deducente; illatiſque maximis cladibus oræ Neapolitanæ, nullà tamen loci poſſeſſione retentà, Terracinam vrbem Pontificiam acceſſit; inde nocte S. Petri celebritatem præeunte ad oſtia Tiberina commeatus causà deſcenſionem fecit, incredibili terrore inflicto, non ſolùm ibi degentibus, ſed etiàm Romanis, qui nullo muniti militari præſidio fugam meditabantur. Verùm Legatus Carpenſis euulgandum curauit, Polinum ad Pontificiam ditionem appulſum miſiſſe literas ad Terracinæ Præſidem, quibus vniuerſæ ditioni Eccleſiaſticæ ſecuritatem ſpondebat, prædicabatque, ſuum Regem, cuius nutu ea claſſis agebatur, non detrimento Sedi Apoſtolicæ, ſed præſidio futurum. Quare Turcæ, comparato ab indigenis per iuſtum pretium commeatu, & loco pretij redditis plurimis captiuis in ora Neapolitana captis, poſt triduum Maſſiliam verſus pacificè vela fecerunt. Ex quo ſuſpicionem Cæſariani præ ſe tulere, quaſi arguentes, eam Turcarum excurſionem haud inuitò

* Adrianus lib 4. Belcarius lib.23.n.43.

1543. Pontifice contigisse. At id quidem poterat suspicionem fucare, speciosam oculis vulgi, non veram in animum inicere Cæsarianorum, qui satis intelligebant, nequaquam posse Pontificem non anxiè perturbari quacumque tandem sibi datâ fide, dum sua cerneret inter immanes dentes voracis molossi, qui cupiditatis impotens, vel suis promissis, vel sociorum voluntati obsequi dedignatur.

Verior suspicionis tinea, quæ studiosos Cæsaris arrodebat, erat nouum illud argumentum necessitudinis inter Pontificem & Gallum; qui, vt abstergeret aliquid ex ea macula contractæ cum Turca societatis, singulare studium ostendebat & Orthodoxæ Religionis tuendæ, & reuerentiæ in Principem exhibendæ. Atque ita planè per id temporis è suis Regnis per Edicta seuerissima Lutheranam hæresim expulit, curauitque solenniter proscribendam à suis Academiis, vt & Suauis enarrare cogitur. Hac ratione studebat Franciscus Rex hominum oculis nocentiorem obtendere Cæsarem, qui solum de profanis ditionibus cum Turca contendebat; sed in Germania vsum hæresis dissimulabat, quò Protestantium vires sibi præstò essent: cùm ipse contrà infenso in illos animo patefacto alienos à se reddere nihil laboraret. Quod si cum Turcis fœdus habebat, id ab eo sine detrimento Catholicæ Religionis agi, sed solùm illorum armis aduersus suos hostes vti: vnde liquet, quamuis nonnumquam potentiæ cupiditas Principum adeò mentem seducat, vt ipsa partes agat consiliarij ipsorum conscientiæ assentantis; tamen hæc ipsa cura sese decipiendi, & quasi ante proborum conspectum se pariter specioso prætextu obtegendi efficit, vt inter ipsa mala etiam ingentia bona intermisceat: sicut è contrario nihil apud mortales nocentius, quàm impudens & effrons nequitia in eo qui Rempublicam moderatur. 22

Cæsar quoque, quod nemo aliquot ante annos credidisset, fœdus iniit cum Henrico Octauo, qui Cæsaris materteram repudiauerat. Seu id contigerit, quia vt homines, ita iniuriæ suam habent iuuentam ac senectutem; adeoque recentiores, tametsi minores, plus habent virium ad ciendam iram, eamque à veteribus subtrahunt, quamuis maioribus: seu potius, quia timor potentior est animi commotio quàm ira; quippe qui ad propriam sui conseruationem rectè tendit, vnde inter pericula timoris frigore ira congelascit, & qui defensioni studet, negligit vltionem. 23

Henricus varias vxores duxerat, ac reiecerat; ex quarum vna, cui Ioannæ Semeræ nomen, filius illi relictus fuerat in cunis, Odoardus dictus. Huic ille Coronam destinarat. Cùm autem diem obiisset 24

Iaco-

1543.

Iacobus Quintus Scotiæ Rex, Romanæ Religionis fideliſſimus propugnator, [a] cui Regni heres ſuperetat Maria, octo anre obitum dies ſuſcepta ex Maria Lotharinga, Claudij Principis Guiſij filia, nuptiis inter hanc & Odoardum Henricus [b] aſpirabat, quibus integra Magnæ Britanniæ dominatio in ſua ſobole ſtatueretur. Verùm obſtabat eius votis tum Regina puellæ parens, tum Beronius, à Paulo III. in Iacobi gratiam Purpurâ cohoneſtatus, tum alij Scotiæ Procetes, addicti Franciſco Regi, qui optabat eam nuptui dari Delphino, ſuos inter liberos primo, vti poſtea euenit; illi quippe infantulæ à fortuna ſeruábatur corona in Gallia, ſecutis in Anglia.

a Belcarius lib. 21. num. 27.

b Vide Bzouium anno 1543. num. 43.

25 Henricus itaque Gallo indignatus, quà ob coniunctionem illius cum Scoto ſibi æmulo, contractam ex breui connubio Magdalenæ Franciſci filiæ, ſicut alibi ſignificauimus; quà ob Gallorum auxilia Scoro collata in bellis finium causâ poſtmodum exortis inter ipſum & Henricum, vehementiùs exarſit, ob ea officia quibus à Gallo Betonius aliique Scotorum Primarij fouebantur, vt obſiſterent ne Regnum illud cum Anglicano coaleſceret. Quapropter adiectâ iræ ſuccenſæ auiditate recuperandi Caroli viribus antiquum in Gallia dominatum, cuius ſolum titulum Reges Britanni retinebant, cum eo fœdus iunxit in Galliæ Regem. Honeſtabatur à Cæſare hæc armorum ſocietas, quaſi ad eam neceſſariò traheretur, quò ſe communiret aduerſus alteram multò perniciosiorem nomini Chriſtiano, ab aduerſario cum Othomanno contractam. Vnde per ſuum Romæ Oratorem periit à Pontifice, vt ſecum contra Gallum arma coniungeret, vtriuſque poteſtatis educto gladio; quandoquidem hic per inſtructam ſuppetiis ſuis Mahumetanorum claſſem dabat operam, vt Nicæa Sabaudo Principi eriperetur, cum ſummo rei Chriſtianæ diſcrimine.

Belcarius lib. 23. n. 32.

26 Quatuor à Paulo reſponſa. Primum: Illud ipſum à Rege contra Cæſarem poſtulatum, quippe cum Britanno confœderatum, quò ſibi Gallia adimeretur: proinde quod iam alteri denegauerat, alteri concedi non poſſe.

Secundum: Si vires ſuas conuertiſſet in Gallos, eas ſubtracturum ſe fuiſſe & ab Italico litore, & à Pannonia, vbi reipsâ Turcicis opponebantur cum Auſtriacorum emolumento.

Tertium: Perinde hoc eſſe, ac Sedem Apoſtolicam in diſcrimen adduci amittendi Galliæ Regem, vti Britannum amiſerat.

Totum extat in Epiſtola Ducis Albani ad Farneſium, Mediolano 20. Auguſti, poſteà referenda; & eſt apud Burgheſios.

Poſtremum: Cùm Pontifex mitem omnem operam Parentis ſine fructu iam impendiſſet, velle Iudicis partes exercere, planeque dignoſcere, cuius vitio pax diſtineretur, quæ tamquam vnica Panacea

1543. cea cunctis Christianorum malis censebatur; & causâ cognitâ in reum censuris animaduertere.

Dux Albanus, Mediolani moderator, compertis hisce responsis, 27
longissimam epistolam ad Farnesiũ Cardinalem conscripsit, vbi post commendatum Pauli III. studium, quo nec auro nec labori pepercerat ad Christi ouile custodiendum, hortabatur, vt tanti Pontificatus gloriam eâ postremâ fœderis appendice obsignaret; & quatuor obiecta Pontificis dissoluere nitebatur. Mei non est argumenti, tenorem integrum hîc recensere. Duo solùm considero. Alterum est, vbi obiecta quarto loco diluens, æquitatem Caroli defendit in deneganda Gallis Insubria, nullum ab eo proferri indicium Pontificis eam Farnesiis affectantis: atqui, si res ita fuisset, haud sanè licuisset Paulo post vnum mensem exprobrare Caroli Oratori, obstinatum Cæsaris animum Mediolani retinendi, esse pabulum incendij, atque ob eam rem sacræ potestatis tela minitari. Alterum est, Albanum, dum vtriusque fœderis discrimen ostendit, affirmasse, Cæsareum fœdus cum Britanno solùm tendere ad oppugnandos Gallos, adeoque Turcas ipsorum socios; non ad propugnandum hæreticum in Apostolicam Sedem: quin denuntiatum ab Henrico bellum Francisco Regi hoc ipso nomine, quòd Gallus cum Mahumetanis fœdus habuisset, aduersum quos ad Regem Ferdinandum quadraginta scutorum millia miserat. Nuper edicto cautum ab eodem, ne suis in Regnis de Pontifice obloqui liceret: ac sanè sperandum, per amicitiam Cæsaris, eiusque religiosa monita, ad eam mentis sanitatem Regem rediturum, ad quam post huiusmodi vesaniam rediit Henricus Secundus Alexandro Tertio sedente. Non tamen protulit defensionem, à Suaui Cæsari adscriptam; videlicet, probari Pontifici, Cæsarem in Pannonia vti suppetiis Protestantium Henrico deteriorum; hic enim obedientiam Ecclesiæ Capiti detrectabat, illi quamplurimis Fidei dogmatibus reluctabantur. Solum hac in re dixit Albanus, Franciscum Regem fœderatum esse cum Turcis, Britanno in Fide deterioribus, ad perniciem Catholicarum regionum. Ceterùm, ea ratio à pari, quâ Pontifex carpitur, quasi comprobaret simul improbaretque parem agendi modum pro diuersa voluntatis vtilitatisque conditione, vna est ex iis rationibus, quas frequenter Suauis affert aduersus Pontificum querelas in fœdera Christianorum cum infidelibus, tamquam adducta ab incusatis: estque homini in more positum, quæ nequiret comminiscitur, in linguas affingere vel spectabilium virorum, vel integri populi, ne fides abrogetur in sua; quemadmodum planè calum-

niatores,

niatores, cùm literas mittunt ab illarum auctore minimè signatas, 1543
totius populi subscriptionem illis affingunt. Sed experto aurifice opus non est ad fucum deprehendendum illius bracteæ, quâ Suauis inaurare studet huiusmodi fœderum turpitudinem. Haud prohibent (ecquis neget?) Pontifices in aliquo graui rei Christianæ periculo Catholicos opem ab hæreticis accipere; sed cum duplici cautione.

28 Prima est; Ne ipsis polliceantur pacificam libertatem exercendæ falsæ religionis, quippe Ecclesiæ perduellibus, cui per Baptismum subiecti fuerant: proinde, vti nefas est, fœdus habere cum alicuius Principis perduellibus, promissâ illis aduersus legitimum dominum defensione; itidem multoque magis nefarium est, fœdus iungere cum Ecclesiæ, ac Christi Principis vicem gerentis, perduellibus. Quapropter si Pontifices consensere Cæsari, auxiliis Protestantium aduersus Turcas vti; semper tamen dissensere, vt ad ea obtinenda securitas illis, ne temporaria quidem, indulgeretur à molestiis, Religionis nomine infligendis, prout toties narrauimus.

29 Altera conditio est; Ne idcircò ipsis opitulentur, vt aliquâ Catholicorum regione potiantur: cùm impietas, ne dum iniustitia sit, Christi Fideles sub illorum tyrannidem adigere, à quibus cogantur aut à vera Fide desciscere, aut saltem à Christi Vicario. Atque ex huius conditionis defectu Paulus III. fœdus inter Carolum & Henricum detestatus est, quòd vires Regi schismatico suppeditaret ad occupandas Galliæ Catholicas vrbes. Verùm accuratiùs consideranti eorum euentuum continuatam seriem, licebit agnoscere, quàm periculosum sit cum anguibus commercium. Rex Galliæ ex ea cum Turca societate nihil aliud sibi lucratus est, præter vituperationem perennem ab ipsis Gallis; & immaturam secundi filij mortem, in quo fortasse, si destinatas ad nuptias peruenisset, antiqua stirps Valesia permansura fuisset, quæ posteà in infelici superstitis filij progenie prorsus exaruit. Etenim, vti deinceps nostræ narrationes explicabunt, ex eo Turcicarum virium accitu, præcipitato Cæsare ad fœdus cum Britanno, non modò hi vnà coniuncti Francisci terras depopulati sunt, sed ipsum ad pacificationem cum Cæsare, aliàs ab eo repudiatam, adegerunt. Dum verò eius fructum se decerpturum spectabat ex condicto coniugio Caroli ipsius filij, Aurelianensis Ducis, cum Caroli seu filia seu nepte, desponso dotis gratiâ vel Belgio vel Mediolano; bellum Anglorum, quod adhuc feruescebat, * induxit in Galliam promiscuam colluuionem externæ militiæ, à quâ maior edita per morbum, quàm per ferrum strages,

* Adrianus lib.5.

conta-

1543. contagiosâ tabe illic diffusâ, quæ non solùm innumerabile vulgus popularium absumpsit, sed neque iuuentæ, neque Aulæ Regiæ parcens, memorato Aurelianensi Duci post vigesimum tertium ætatis annum vitam abripuit, Regi verò tot bellorum emolumenta, & firmiorem stirpis propagandæ spem in duplici posterorum germine.

Ex altera parte, si Carolus satius habuisset Mediolani Principatum Aurelianensi concedere, quàm societatem iungere cum adeò sibi infenso suæ materteræ contemptore; vel ille, vel certè illius successor breui Principis Italici hausisset spiritus, abiecto Galliæ studio ob vicinæ potentiæ suspicionem*, vt accidit Burgundiæ Ducibus: Cæsar verò Pannoniæ possessionem in sua familia retinuisset, perdomitisque Protestantibus solidam Germanici Imperatoris potentiam sibi, suisque posteris asseruisset: ac denique inter se ac Franciscum Regem Britanniam diuisisset. Cùm ex aduerso contigerit, vt rebelles Batavi, adiuti Britannorum potentiâ, sibi sectâ situque coniunctâ, Austriacorum abrupto iugo, inexpugnabilem formidabilemque libertatem stabiliuerint in tot eximiis Prouinciis Inferioris Germaniæ: ac præterea hinc diuturnum minimeque fortunatum bellum ad eas recuperandas, & inde grauissimū ac perarduum, maximeque laboriosum ad Mediolani Principatum tuendum, duæ quasi apertæ venæ fuerint in Austriacæ potentiæ corpore, vnde immensum Indiarum aurum, & Hispaniarum generosior sanguis effluxit. Quòd si fortè nimis est imbecilla hominum ratio ad dignoscenda euenta remota rerum sub conditione futurarum, certè damna reipsâ subsecuta palàm sunt; commoda verò ex opposito proventura verò simillima videntur. Sed ad incepta regrediamur. 30

CAPVT V.

1544. *Farnesius Cardinalis denuò Legatus duos Principes adiit ad componendam pacem. Conuentus Spirensis; eiusque Decreta de Religione.*

EXistimauit Pontifex pacis negotium minimè deserendum, gnarus ei conficiendæ aliquando nihil deesse nisi sequestrum, in cuius gratiam Principes iam bello defessi, simulent gladium sibi è manibus extorqueri. Farnesium itaque ad id peragendum * iterùm delegauit, vt quanto res conficienda & in pretio & in desiderio esset, patefaceret eo misso, qui & sibi erat charissimus, & in Collegio supra ceteros eminebat. 1

* 21. Nouembris 1543. in Actis Consistor.

Vige-

1544.

Vigesimaseptima Nouembris in Senatu Crucem tradidit.* Ibi verò Orator Cęsareus adfuit, protulitque exemplar interceptarum literarum ac mandatorum Francisci Regis ad Aurelianensem Ducem ipsius filium, quibus amicitia cum Lantgrauio Hassiæ petebatur, indicatâ propensione animi ad inducendã Lutheri sectam in Luxemburgensem ditionem. Ac per ea nitebatur Orator animum Pontificis in Gallum succendere. Paulus in alium Senatum dilato super ea re consilio, iussit à Parisio Cardinali ad eumdem consessum referri constitutam à Carolo sanctionem in Hispania, Ecclesiasticæ libertati noxiam; seu quò per eam tacitam exprobrationem Cæsareorum retunderet iactantiam, sui Principis obsequium in Ecclesiam cælo extollentiũ, & tamquam debitam remunerationem exigentium societatem contra Gallum, qui eamdem læserat; seu quò saltem Carolus, intentus ad Pontificem, vti postulabat, alienandum à Gallo, sanctionem Ecclesiæ perniciosam faciliùs expungeret.* De Francisci literis, cùm earum non autographum, sed exemplar produceretur, statutum est, vt Legatus seu Nuntius iuberetur Regem compellere, eiusque defensiones audire. Cæsaris sanctiones per plures Senatus expensæ, decretum est, vt * irritæ declararentur. Sed retulit ad Senatores Pontifex, ad se accessisse Cæsareum Oratorem, professum vt irritas à se huiusmodi constitutiones agnosci; proinde spatium postulari, quo suum Principem admoneret, ac sperari, eas per Cæsarem reuocandas. Quapropter spatium ad id concessum, dummodò res diu non protraheretur. Tandem in Senatu die 2. Aprilis diploma Pontificium aduersus illas decretum est.

* Omnia in Act. Consist.

* 5. Decembris.

* 7. Ianuarij 1544. vt in Actis Consistor.

2 Intereà Legatus in Gallia * elicuerat à Rege, quid tandem pacificationi concederet. Sed in Belgio Cæsarem comperit pacis consilia obstinatè reiicientem: vnde Pontificem commonuit, nullam pacis spem affulgere. Hic verò, recitatis in Senatu literis 8. Februarij, Purpuratis Patribus demandauit, vt de negotio deliberarent, cùm apud se statuisset Iudicis partes assumere, vt indicauimus. Cæsar neruis omnibus bello intentus, fixum habebat in animo, quacumque tandem ratione ad se Germanos vniuersè pertrahere. Eapropter ineunte anno 1544. Comitia Spiræ habuit supra morem frequentia, coëuntibus Septemuiris omnibus, & quamplurimis Principibus ac Delegatis; & quò per minorem contentionem, atque offensionem Pontificiorum, indulgentior esset Lutheranorum factioni, Wormatiæ, priusquam Spiram peruenit, Legatum dimisit. Hic caduceator accessit * Francisci Regis nomine, tutumque accessum petiit eius Oratoribus ab eo destinatis, vt accusationes refellerent

* In Act. Consistor. 8. Octobris.

* Belcarius lib. 23. n. 54.

1544. rent in eo Conuentu, quibus à Cæsare se oneratum iri prænoscebat. Sed adductus à custodibus caduceator ad Cæsarem & Principes, ac Regiâ epistolâ à Granuellano acceptâ, quatriduum ille custoditus; ac posteà cum iisdem custodibus, redditâ priùs ipsi epistolâ sicut anteà obsignatâ, deductus fuit Nanceium, non absque imminenti vitæ discrimine; ibique admonitus, nuntiis Francisci, hostis tunc Imperij (quod Cæsar pro certo ponebat) iure gentium nullum accessum patêre. Sed Regis Oratores curauerunt vt audirentur, eâ vsi linguâ quæ custodias & Edicta non timet, nimirum typis editâ Oratione iam paratâ, quæ tota erat in excusando fœdere cum Othomanno, quod suo Principi adscribebatur.

Inter Comitia Lutherani tantò se arrogantiores in postulando gerebant, quantò cupidiorem ipsorum conciliationis Cæsarem animaduertebant. Quare in decreto Conuentus ad diem 10. Iunij tandem expugnarunt Augustani Edicti suspensionem vsque ad Concilium Oecumenicum, Christianum ac liberum in Germania celebrandum cum interuentu Cæsaris, nullâ Romani Pontificis habitâ mentione, vel certè vsque ad propriam Synodum Germanicæ Nationis. Quod si hæc haberi non possent, vsque ad nouum Conuentum autumno proximo, vel hieme congregandum; in quo viri docti vtriusque partis, de Cæsaris auctoritate decernerent quid obseruandum foret, donec Concilium cogeretur. Interim verò imponebatur vtrique partium æqualis Religionis pax, per quam supersederetur quæstionibus de direptis Ecclesiæ bonis; adiectis etiam multis clausulis, quibus Protestantes reddebantur idonei, vt in iudiciis Cæsareæ Cameræ assiderent, vnde priùs arcebantur; Catholici verò adigebantur soluere vetera vectigalia Ecclesiis, tametsi per hæreticos occupatis. Permissum quoque, vt tam ex Catholicis quàm ex hæreticis eligerentur * ludimagistri, & concionatores, quibus stipendia præberentur vel ex bonis Ecclesiasticis, vel ex piis fidelium subsidiis. 3

* Belcarius lib. 23. n. 57.

Ferdinandum hîc Septemuir Saxoniæ Regem Romanorum agnouit; Cæsar verò pactum dotale inter Saxonem & Cliuiensem Principem confirmauit, appositum connubio Septemuiri cum Sibilla Cliuiensis sorore; quâ pactione statuebatur, soboli virili Septemuiri deuenturam ditionem auunculi, vbi absque maribus filiis hunc obire contingeret. Eleonoram prætereà, Ferdinandi filiam, primo Saxonis filio spopondit. Sed vtrumque confectum à Carolo sub arcana conditione, quam ipse ac Septemuir Protestantes celauerant, vti priùs inter Saxonem & Austriacos de Religione conueniret. 4

ret. Qua de cauſa matrimonium irritum ceſſit; & Eleonora poſtmodum Mantuano Principi nupſit. Obtinuit inſuper Carolus, vti Daniæ Rex ab amicitia Regis Galliæ recederet; vniuerſique Imperij Ordines in Conuentu declararent, ſe contra Gallum ſtare pro Cæſare. 1544.

5 Hoc Spirenſe Decretum ingentem moleſtiam ac timorem probis Catholicis ingeſſit, intuentibus non impunitatem ſolùm æqualitatemque cunctis in rebus impertitam hæreticis; ſed ipſa ſemina ex quibus oriturum noſcebatur monſtrum Religionis in Germania, compacta ex ſolo Germanorum arbitratu, minimeque pendentis à ſenſu communis Eccleſiæ, eiuſque Capitis auctoritate. Supra ceteros verò Pontifex commotus eſt.

Quapropter ratus, nec in Carolo morbum adeò leuem, qui leuioribus remediis curari poſſet, nec ingenij vim adeò labefactatam, quæ acrioribus non poſſet erigi, liberis reprehenſionibus ac ſeueris minis vti conſtituit. Re igitur ad Senatum delatâ, priùs 4. Iunij, ac poſteà 30. Iulij, ſancitum fuit, ne paterna officia omitterentur, in vtroque Principe ad pacem cohortando; cùm compertum eſſet, vtrumque neceſſitatibus belli compulſum ad arripiendum quodcumque nactus eſſet telum, quamuis à Religione interdictum, & Eccleſiæ infeſtum. Itaque duo noui Legati decreti, periti, facundi, atque accepti Principibus quibus deſtinabantur, Moronus ad Cæſarem, & Grimanus ad Galliæ Regem. Præterea perlectum eſt Diploma ad Cæſarem, poſteà ſignatum ac miſſum à Pontifice 24. Auguſti, cuius exemplum libet hîc adſcribere, quippe religioſo Pauli ſtudio & Caroli pietati iuxtà honorificum: ſtudio quidem Pauli, cui tantum animi ſupereſſet vel in extrema ſenectute, erga præcelſum Imperatorem, ac præſertim tantæ in Italia potentiæ, adeoque ſibi magis ac Farneſiorum genti formidandum, quorum fortuna in affinitate cum ſummo illo Principe contracta nitebatur: Caroli verò magnanimæ pietati, reuerenter excipientis, & obſequenter ſeruantis acerba illa monita à Chriſti Vicario ſibi denuntiata. Vnde meritò hæretici, ac præſertim Lutherus & Caluinus in furias acti ob tam inſigne ac memorabile Pontificiæ poteſtatis exemplum, aduerſus eas literas fellis ac ſulfuris eluuionem in ſuis diris euomuere. Diplomatis autem ſententia huiuſmodi fuit.

[Margin: In Actis Conſiſtor.]

[Margin: Vide Sleidanum anno 1544. n. 7. & 8.]

1544.

CAPVT VI.

Diploma Pauli III. ad Carolum V. cum arguentis ob Edictum Spirense.

CHarißime Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex Edicto Maiestatis tuæ acta Conuentus tui Spirensis cognouimus; de quibus cùm nostram sententiam dißimulare paternus noster amor erga te non patitur, tum verò officij & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura Vniuersalis Ecclesiæ, vt apertis verbis te admoneam compellit. Nec verò parum nos ad hoc mouet graue seueritatis Diuinæ in Heli Sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentiùs tractantem, & ad eorum errata conniuentem, extat seuera illa Dei in hæc verba sententia: Quia indigna nouerat agere filios suos, nec corripuit eos, idcircò *(inquit Deus)* non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. *Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primùm, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta, hincq́ posteritatis à Sacerdotio repulsa verbum Domini verum & ratum fecerunt.* 1

2 *Nos verò, Fili, cùm à te indigna quædam decreta in Conuentu Spirensi ex ipsis actis animaduerterimus, indigniora verò designata esse, & talia, quòd si propositum exitum, quod Deus auertat, consequantur, non solùm te in certißimum animæ salutis periculum adductura, sed Ecclesiæ paci atque vnitati, cui super omnia studere debemus, maiorem quàm quâ hactenus laborarit, perturbationem sint allatura; noluimus sanè prætermittere, quin te, à Deo nobis honore & amore Primogeniti commendatum, his nostris literis de tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus. Quamquam quidem te non vt Heli filios admonendum duximus, quos deprauata voluntas, & consuetudo peccandi indociles propè ad rectam disciplinam reddiderant: sed vt eum potiùs, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum; quo maiorem in spem venimus, non frustrà nos admonitione paternâ esse apud te vsuros. Omnia verò, Fili, in eo sunt, si ab vnitate Ecclesiæ te abduci non sinas, à consuetudine Maiorum tuorum, religiosißimorum Principum non recedas; sed eumdem, vt debes, morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta pertinent obserues, quem multos annos summa cum pietate animi tui significatione edidisti. Is verò est eiusmodi, vt quoties de his quæ ad Religionem pertinent disceptatur, ad Sedem Apostolicam iudicium referatur, nihil illâ inconsultâ statuatur. Tu verò nunc, Fili, cùm vel de Concilio Generali, tamquam de remedio omnium opportunißimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius in primis Germaniæ, mentionem facis; vel de Nationali, cuius etiam meministi; vel de futuro ad proximum*

mum Autumnum Imperiali Conuentu, in quo de Religione, ceterisq; rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, vt supprimas eius nomen vbique, cui diuina & humana Iura, approbante tot seculorum consensu, supremam cùm cogendi Concilia, tum statuendi de his, & ordinandi quæ ad Ecclesiæ vnitatem vtilitatemq; spectant, auctoritatem dederunt. 1544.

3 *At verò neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesiæ & Maiorum abs te morem, atque institutiones Diuinas minimè seruatas fuisse; sed alia præterea, & ea quidem non pauca peracti iam Conuentus decreta leguntur, quæ maximè & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam, quòd laicos de rebus spiritualibus iudicare vis posse, neque laicos modo, sed nullo discrimine laicos, & damnatarum hæresum assertores; quòd de bonis Ecclesiasticis, & de eorum futuris controuersiis statuis; quòd eos, qui extra Ecclesiam sunt, & per Edictum tuum pridem damnati, honoribus pristinis in iudiciis ac tribunalibus restituis, atque hoc pro tua & Imperatoria potestate facis, minimè approbantibus ceteris, qui in antiqua & sancta obedientia perseuerant: Quid tandem horum cum Diuinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuò Ecclesia est gubernata, conuenit; Quæ omnem potiùs disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum Cœtus regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt? Hoc verò, quò magis ab omni recta disciplina & consuetudine Maiorum sunt aliena, eò minùs Nobis persuadere possumus, è tuo ipsius sensu illa vmquam emanare potuisse; sed eamdem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctæ Sedi sunt rebelles, putamus. Qui si à te impetrare non potuerunt, vt quæ contra eam facere volebant probares, saltem vt eiusmodi Edictis aliquam abalienati animi tui significationem dares, abs te contendisse, facilè possumus iudicare. Id verò eos impetrasse tantò magis dolemus, quantò id tibi & Ecclesiæ, nisi citò ad te ipsum redeas, maiori damno & detrimento fore, nobis maximè est persuasum.*

4 *Quod non possumus non in dies magis magisq; timere, quò attentiùs consideramus, quibuscum amicitiam inieris. Si enim, vt inquit Apostolus,* corrumpunt bonos mores colloquia mala*; quantò grauiùs, si quis cum malis coniuncta consilia & fœdera habeat, hoc de eo timendum erit? Quamquam quidem non dubitamus, sub spe pietatis, vtilitatis, honoris, ad hæc eos te solicitasse: sed nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliqua eiusmodi nomine, quasi veste pretiosâ se ornet. Tu verò, Fili,* interroga potiùs Patrem tuum, & annuntiabit tibi; Maiores tuos, & dicent tibi: *hi enim omnes vnâ voce te ad vnitatem Ecclesiæ, atque honorem & obedientiam huius sanctæ Sedis hortantur, atque iam pridem factis ipsis sunt hortati. Si verò sanctissimum quemque, & in diuinis Legibus peritissimum*

 consules,

1544. *consules, grauissimas in eo diuinæ iræ vindictas proferent, qui quacumque de causa, quâcumque pietatis specie adducti, summi Sacerdotis munera sibi sumere voluerunt: est verò ea maxima, quam rebelles adducere solent, cùm Principes eius Cathedram ascendant, atque vt ius & auctoritatem cognoscendi causas Religionis & iudicandi sibi assumant, hortantur. Sacerdotum enim negligentiâ pro stimulo ad impellendum eos vtuntur, vt Ecclesiæ curam in componendis Religionis controuersiis, & in ordinandis Ecclesiæ rebus, in se suscipiant. Quis enim hoc factum non dignum summâ laude iudicet? Nemo quidem, si factum tantum respiciatur: sed vt ex domo benè instituta, in qua diuisa officia & munera non licet vnicuique pro suo arbitratu omnia exercere, etiamsi singula in suo genere sint præclara: quod qui tentant, quamuis bono id animo faciant, à patre tamen familias meritò reprehenduntur; quippe qui suo intempestiuo zelo, quod pulcherrimum est in domo, nempe ipsum ordinem, sine quo nulla domus diutiùs stare potest, quantum quidem in ipsis est, tollunt, & prudentiæ eius, qui illum instituit, summam iniuriam faciunt. Sic prorsus in Ecclesia Christi, quæ est Domus Dei, in qua omnia munera sunt dispertita, & singula singulis ita distributa, vt inferiores superiorum officiis non fungantur, eò minùs licet ordinem perturbare, quò maiori prudentiâ est ordinata Ecclesia, quàm de vlla domo cogitari possit: estq; ea semper grauissima in Dei prudentiam ac sapientiam iniuria. At non omnes hæc vident. Sed nec te etiam satis adhuc videre ar-* 5
bitramur, Cæsar, quantum iniuriæ inferas Diuinæ Prouidentiæ in hac Domo Dei, in qua supremum munus Sacerdotibus est commendatum, cùm horum tibi partes & honorem sumis. Nec verò vidit Oza, cùm honoris causâ Arcam Dei curru boum vectam prosequens, illis calcitrantibus manu admotâ, dum ruinam timet, sustentare voluit. Quis verò hominum hoc factum improbare ausus esset? Vel quis non potiùs illud summoperè laudaret, quòd Sacerdotibus absentibus in præsenti periculo ruinæ ipsius Arcæ, quam bos lasciuiens, vt inquit Scriptura, iam inclinauerat, manum vt eam sustineret admouerit? Nemo quidem hoc non vt piè factum laudasset, nisi seueritate vindictæ minimè id sibi gratum fuisse Deus ostendisset; cuius quidem vltio Ozam statim è vita sustulit, nullam aliam ob causam (Scripturâ testante) nisi quia temerè quod ad Sacerdotum & Leuitarum officium pertinebat, supplere ipse ausus esset. Tantum verò peccatum in hoc facto fuisse quis vmquam cogitasset? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne in eumdem Diuinæ iræ laqueum incidamus. De quo nunc, Fili, te admonere voluimus, ne fallacibus illorum persuasionibus adductus, qui in ore semper habent reformationem Ecclesiæ, in tanto non boum, sed Sacerdotum quasi lasciuientium cœtu, quorum illa humeris sustentatur, tu manus temerè admoueas.

Est

6 *Est enim hoc Sacerdotum Dei munus atque officium. In eumdem verò laqueum inciderunt Dathan & Abiron, atque Core, qui ægrè ferentes, in sancto populo vnum præ ceteris dignitate summi Sacerdotis fulgere, se tam Moysi quàm Aaroni opposuere, cum dicerent:* Sufficit vobis quòd omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus: quid eleuamini super populum? *Licet verò hæc verba contra ambos dicta videantur, tamen Moyse interprete didicimus, omnis eorum indignationis causam summum Sacerdotium Aaronis fuisse: non enim vbi omnis multitudo est sancta, virum aliquem eminere dignitate æquum esse censebant. Quàm verò grauiter hæc res displicuerit Deo, insigne in eos Diuini iudicij & seueritatis exemplum ostendit, quos terra dehiscens vnà cum vniuersa supellectili & omnibus bonis viuos absorpsit.* 1544.

Hæc verò vetera nunc recito, quia (vt inquit Apostolus) in figura contingebat illis. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt: vt discant omnes, si in Sacerdotio, quod deseruiebat Tabernaculo & vmbræ, quodq́; vnà cum Tabernaculo abolendum Diuina Prouidentia statuerat, tantam curam Deus ostenderit, vt ne minimam quidem in eo mutationem ab humano ingenio inultam permiserit; quantò maior reuerentia tribuenda sit illis Sacerdotibus, qui non ampliùs seruiunt typo & vmbræ abolendis, sed ipsi vero Tabernaculo, quod numquam transfertur? quantóve minùs de mutatione vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant? quantò denique grauiùs, & magis intolerabili superbiâ putabimus eos in Diuinam Prouidentiam peccare, qui vel hanc confundere, ad se transferre postulant, vel alio modo de illa statuere volunt, quàm longa Ecclesiæ consuetudo, fundata in testimoniis Scripturarum, promittit & declarat?*

7 *Quocumque verò modo, quacumque specie pietatis hæc præposita tententur, radicem quidem mali superbiam, Deo semper odiosam esse non est dubium. Id quod maximè declarat Oziæ Regis exemplum, in quo simul & radicem huius mali, & grauem illius vindictam Scriptura nobis exprimit. Hic autem Rex aliàs laudatissimus, idq́; testimonio Scripturæ, in hoc tantùm superbiæ arguitur, quòd incensum ad Altare Thymiamatis adolere voluerit. Quis verò hanc voluntatem non piam potiùs, quàm superbam iudicasset? Sed Spiritus Dei in Scriptura, cùm ad huius facti narrationem peruenit,* Eleuatum, *inquit,* est cor Oziæ. *In quo verò eleuatum? nempe quòd alieno ministerio fungi voluit, de quo postquam à Sacerdotibus admonitus, nec illis paruisset, statim à Deo leprâ est percussus. Hæc verò nunc, Charissime Fili, recensemus, vt intelligas, si superbum fuit Oziæ factum in adolendo incenso super Altare Thymiamatis, quantò superbius sit, hoc tantum adolere incensum super Altare Corporis Christi, ceteraq́; quæ Religionem ipsam*

1544. ipsam comitantur persequi? Quid autem? an non putas, hoc incensum esse 8
coram Deo, leges de Religione sancire? Est quidem incensum, idq́; omnium
Deo gratissimum (nullum enim odorem tibi persuade Deum gratiùs suscipere) sed non est tuum munus illud, Imperator: est Sacerdotum Domini, est nostrum inprimis, quibus Deus potestatem ligandi & soluendi dedit. Vide verò in quam tu partem templi intres, cùm hodie tibi ministerium sumis; non quidem in atrium, aut in Sancta, vt Ozias: non enim tantùm Sanctum est hoc factum, sed Sanctissimum. Cùm ergo prudentiâ tuâ huc tu penetras, in Domum Domini tu penetras, & in Sancta Sanctorum, atque ipsum Corpus Christi penetras, eius officium tibi arrogans. Nec te excusat, quòd sanctum sit factum, vel quòd non perpetuas, sed ad tempus, hoc est vsque ad futurum Concilium duraturas leges laturum te esse dicas: vt enim id per se pium sit; tamen in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maximè est impium. Sumis enim tibi eam personam, quæ propria est Dei, cui solum de Sacerdotibus iudicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet. Dei enim vox est ad malos Sacerdotes: Ego ipse, inquit, super Pastores requiram gregem meum de manu illorum: quod vt suo tempore penitus facturus est Deus; ita si quis interim quasi de manu eius præripere hoc
tentauerit, is semper pro tali ausu grauissimas pœnas dedit. Veluti contrà 9
nullo vmquam sæculo intermisit certis quibusdam signis testari, illos maioribus gratiis tum interiùs tum exteriùs, & omni genere bonorum dignos esse, qui augendo & ornando Sacerdotum genus, Ecclesiæ suæ vnitatem, & Principem Sedem auxilio & gratiâ fouerunt; vt in Constantino Magno, in Theodosiis, in Carolo Magno accidisse videmus, quibus nulli vmquam Christiani Imperatores vel diuinis gratiis, vel victoriis illustriores fuere. Contrà verò Deus eos, qui Sacerdotibus resistere, non solùm passus est in omne genus turpitudinis labi; sed sæpè & insignibus quibusdam pœnis in testimonium Diuinæ iræ suæ castigauit. Nec verò nunc de illis loquimur, qui Ecclesiam nascentem adhuc extinguere sunt conati, Neronibus, Domitianis, & eiusdem generis reliquis; sed de iis, qui illam persecuti sunt iam adultâ ætate, incipientem in Principes auctoritatem sui muneris exercere, postquam constituta iam & confirmata est Petri Sedes in oculis omnium Principum. Qui verò huius auctoritati resistere, à Deo sic castigatos constat, vt manifestè appareat, quàm grata sit ac semper fuerit Deo huius Sedis obedientia; contrà autem, quàm ingrata & odiosa in eamdem inobedientia.

In primis eum ex Imperatoribus, qui in apertam defectionem & contem- 10
ptum huius sanctæ Sedis erupit, legimus fuisse Anastasium Primum; quem à Gelasio Pontifice Romano admonitum, ne Acacij Episcopi Constantinopolitani, à Sede Apostolica damnati, partes foueret; cùm nec monitis eius paruisset, & Hormisdæ eiusdem successoris Legatos, ad eum ea de causa missos, vt

vt à communione cum hæreticis desisteret, contemptim primùm auditos, contumeliosiùs dimisisset, Diuina tandem ira fulmine è vita sustulit. Sequuntur huius impietatis successores, sed per interualla, multi alij Imperatores, quales fuere Mauritius, Constans Secundus, Iustinianus Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longum esset, qui diuerso quidem genere mortis, sed omnes aut violento, aut ignominioso, spoliati anteà Imperio & omni dignitate, perierunt; vt manifestè appareat in eis vltrix inobedientiæ vindicta diuina. Quæ series vsque ad Henricum illum perduci posset, qui cùm grauissimè Sedem Apostolicam vexasset, tandem eum à suo filio captum Leodij vltio diuina in carcere mori fecit: iustissimam quidem inobedientiæ pœnam ab ipso repetens, vt à filio castigaretur, qui eum, quem patris loco Diuina ei Prouidentia in Ecclesia constituerat, tot modis vexauerat, eiusq́; auctoritatem neglexerat. 1544.

11 *Id quod & de Frederico Secundo dici potest, nisi quòd infeliciori mortis genere est sublatus, qui filio suo, ipso carnificis munere fungente, strangulatus interiit. Tametsi Deus non semper hoc modo rebelles castigare soleat, quandoquidem nonnullos sic desideriis suis frui permittat, vt quod ad externam castigationem attinet, impunè peccare, & in magna rerum omnium affluentia quasi felices viuere videantur: id eà ratione factum à Diuina Prouidentia sancti Patres piè existimarunt, ne si omnes hi impij castigarentur, nullum aliud tribunal Diuinæ Iustitiæ reliquum esse homines iudicarent. Quosdam ergo hìc in aliorum exemplum Deus, vt iustus agnoscatur, apertè castigat: quosdam verò dum hìc castigare dissimulat, ad Tribunal suum futurum seuerius iudicandos reseruat: nullum verò peccatum impunitum dimittit Diuina Iustitia. Ea autem omnium est grauissima castigatio, cùm ij, qui Deum grauissimè offendunt, impunè id se facere existimant: omnes enim tales cæcitate mentis sunt percussi, & in passiones, ignominias, ac in reprobum sensum traditi, quæ ceu propria impiorum flagella Apostolus numerat. Cùm autem hæc omnibus impiis sint communia, tum verò maximè illorum propria, qui suam impietatem in oppugnanda principe Sede, & in Ecclesiæ vnitate scindenda exercuere. Hoc quidem in quibusdam animaduertimus, qui quò pluribus, dum sanctam erga illam obedientiam seruarunt, virtutibus splendere sunt visi, eò magis post impiam ab eo defectionem in prodigiosas animi passiones, auaritiæ, libidinis, & crudelitatis fuerunt traditi: id quod Anastasio, de quo suprà mentionem*

12 *fecimus, euenisse historiæ narrant. Similibus verò exemplis in hac nostra ætate vtinam quidem careremus! Nec verò in singulos tantùm homines hæc vltio Diuina, castigans eorum inobedientiam erga hanc principem Sedem, est peruagata, sed in Nationes etiam & Prouincias, in quibus videmus, cùm grauissimè omnium ij sint castigati, qui Christum Dominum habere recusarunt, proximum miseriæ locum eos sortitos esse, qui Vicarij Christi auctori-*

1544. *tati resistere. Duas verò Nationes à Deo in primis castigatas atque afflictas videmus, quæ olim florentissimæ fuere: quarum vna pertinax in negando Christo permansit; altera aliquamdiu cum Vicario eius præ ceteris omnibus contendit. Illa est Iudæorum, quâ nulla maiori miseriâ oppressa est; hæc verò Græcorum, quæ proximè ad miseriam Iudæorum accessit, quia proximè ad impietatem accesserat. Quare, si Christus ipse in ceteris Imperatoribus, Regibus, Populis & Nationibus numquam inultam tulit Vicarij sui spretam auctoritatem, eâ interim perpetuâ successione conseruatâ; si tam seueris iudiciis eorum inobedientiam castigando, odiosos sibi semper fuisse huiusmodi conatus ostendit: quanto in te, Cæsar, si (quod Deus auertat) hanc oppugnares, cùm apud Deum tum apud homines hoc odiosius iudicaretur, qui ex illis Imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris Sedi Apostolicæ detulerunt, quàm ipsi ab ea receperint? At neque hæc, charissime Fili, scribimus, quasi vllo modo nobis persuadere possimus, huiusmodi te consilia in animo rata & confirmata habere: sed vt amans pater salutis filij & honoris, ac de vtroque solicitus, simul atque Edictum ipsius Spirensis Conuentus vidimus, te admonendum duximus, eò quidem grauius, quò magis exploratum periculum in quo versaris habemus. Denique, si pluribus dissuasimus, ne in disceptatione super his, quæ ad Religionem pertinent componendis,* 13
ius tibi vel auctoritatem sumeres, non ob id scripsimus, quòd disceptationes componi non maximè optaremus, qui (teste nostrâ conscientiâ) vt hoc ritè fieret, vitam & sanguinem libenter effunderemus: sed vt exemplis cùm ex Diuina Scriptura, tum ex Ecclesiasticis historiis citatis te admoneremus, ne quod ad tuum ministerium non pertinet, ipse tibi arrogares, & pro tua & Imperatoria Maiestate iuberes; sed potiùs Constantini Magni, serui Dei, maximi ac felicissimi Imperatoris exemplo te hortaremur: quod tantùm facimus, vt eos suo Iudici, & suis Indicibus iudicandos & corrigendos relinquas. Ille verò, cùm rogatus esset ab ipsis Sacerdotibus, vt in eorum disceptationibus se Iudicem præberet, prorsus recusauit. Cuius verba in hanc sententiam ab historiarum Scriptoribus, qui adfuerunt, citantur: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; & ideò à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium; & vestra iurgia, quæcumq; sint, ad illud Diuinũ reseruentur examen. *Hæc ille Magnus non tam Imperio, quod erat maximum, quàm pietate & ceteris virtutibus, dixit: cui te, Cæsar, in omnibus persimilẽ esse cupimus, & optamus. Quod verò præ te fers studiũ & desiderium, vt componantur controuersiæ in Religione, & vt aliqua disciplina morum in vniuersa Ecclesia renouetur; te in hoc quidem magnoperè laudamus, & abs te petimus, vt in hoc operam tuam præbeas ei cui Deus curam huius ministerij commisit. Vt enim te tam-* 14

quam

quam Caput in rebus huiusmodi tractandis minimè ferendum censemus; ita tamquam brachij accommodatissimi tuam inprimis opem desideramus. Hoc verò nostrum desiderium fecit, vt ad minimam quamque spem cogendi Concilij Oecumenici, non solùm nos semper promptos præbuerimus ad illud indicendum, sed vbi vel minima spei scintilla eluxerit cogi posse, eò statim Legatos miserimus: quemadmodum vltimo loco etiam fecimus, quamquam non cum eo fructu, quem assiduè optamus. Sed maluimus sanè omnia tentare, quàm vel minimæ occasioni deesse, quam à Diuina bonitate semper expectamus. Cùm autem vniuersalis Ecclesiæ vtilitatis causâ Concilium fieri summoperè cupimus, tum verò præcipuè illius inclytæ nationis Germanicæ, quæ iam pridem discordiis in his, quæ ad Religionem pertinent, plurimùm vexata dissidet, cuius saluti (vt tua etiam Maiestas fatetur) commodissi- 1544.
15 *mè per Generale Concilium opitulari Nos posse semper sperauimus. Horum autem consiliis, qui iam ab hac Sede sunt damnati, te vsum esse quòd nunc conquerimur; non ob id quidem conquerimur, quòd semper hos remotos à tua amicitia esse cupiamus, aut id quæramus, quia semel damnati sint, vt semper damnati maneant. Testis enim Nobis est Deus, quòd nihil magis in votis habeamus, quàm vt oues perditas ad Dominicum ouile reducamus; & vt illam nobilem Prouinciam vniuersam in Fide & Religione, cum Capite & reliquo corpore in omni amore atque amicitia coniunctam videamus; idq; ob eas quas diximus causas. Sed tu nunc, dum ij in discordiis cum Capite & reliquo corpore manent (de iis qui tales sunt loquimur) dum extra Ecclesiam sunt per Edictum etiam tuum damnati, eorum amicitiam pluris quàm par est facis, dum indulgentiùs eos tractas; cùm hac tua indulgentia, & præteritorum Edictorum declarationes separatim à te factæ, non solùm hactenus illis non profuerint vt ad saniorem mentem redirent, sed potiùs, quod re ipsâ compertum est, occasionem dederint, vt insolentiores sint facti, & ad occupanda vicinorum bona animosiores, dissidium certè ipsum magis hoc mo-*
16 *do fouere, quàm tollere videris. Sed hos quia ad meliorem formam non iis quidem viis, alienis ab omni more & consuetudine maiorum, atque ab ipso iure Diuino, sed per Generale Concilium optimè perduci potuisse semper in Domino sperauimus, & nunc etiam speramus; ideo nos plus illius Prouinciæ commodis quàm vllius alterius consulentes, ad Germaniæ fores Tridentum vsque Legatos nostros misimus: sed* vocauimus, & non erat qui audiret; venimus, & nõ erat vir. *Verùm nec propterea desistimus, sed adhuc vocamus & clamamus ad te, & ad ceteros Principes. Clamamus verò cum Propheta Dauide:* Venite, ploremus coram Domino. *Nec enim aptius principium Concilij esse poterit. Et cum Daniele:* Oro pro peccatis meis & populi: accuso, confiteor, obsecro: Domine, peccauimus, iniquitatem fecimus, & impiè egimus, & recessimus: nobis confusio faciei, Regibus nostris,

1544. Principibus & patribus nostris, quia peccauimus: tibi autem Domine misericordia est, & propitiatio. *Ad tale ergo Conciliū te vocamus, in quo Angelos ipsos assessores habere speramus: qui si super vno peccatore pœnitentiam agente gaudent; quantò magis super vniuersa Ecclesia, cuius ipsi pars sunt, ad pœnitentiam congregata gaudebunt? Huc accedit, quòd saluti Christiani populi ab imminente potentissimo & perpetuo Christiani nominis hoste,* 17 *Turcarum tyranno, quo pacto, nisi per Christianorum coniuncta in Fide & charitate auxilia consuli posit, non videmus. Quare sterne viam, dilecte Fili, ad tale Concilium: hoc enim tui muneris proprium erit. Sternes autem, si vel pacem reddas, quantum in te est, Christiano populo, tantoperè ab omnibus expetitam; vel saltem arma cohibeas, dum Ecclesia in Concilio congregari posit, vbi æquiùs est quàm per vim vestras disceptationes decidi. Hoc verò tu, & ceteri Christiani Principes, quos etiam atque etiam de eadem hac re admonebimus, præsertim verò eum quocum bellum geris, faciatis. Iam Concilium adest: iampridem enim indictum est; neque verò abruptum est, etsi bellorum causâ in commodius tempus dilatum. Itaque huc, charissime Fili, incumbe, & hanc lætitiam primùm Populo Christiano, qui iampridem intestinis bellis est attritus, redde: deinde verò Nobis, qui te nihil charius in terris nos habere indicamus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes; idq; specimen diuinæ in te virtutis præbe, vt non modò Patrem te piè monentem non auerseris, quod faciunt ij quos Deus in signum abdicationis suis desideriis tradit; sed vt eumdem ad te tamquam Deo iubente tali tempore missum, qui labantem sustineat, & magno animæ salutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, eius vocem libenter audias, monitis obtemperes. Satis verò obtemperabis, si cùm te à semita sancta, vt appellat Propheta, quæ eadem est regia via Maiorum tuorum religiosissimorum Principum, humana consilia vt hominem deflectere potuere, huc statim, de ea qualis sit admonitus, Diuinam indolem proferens redeas, atque ita in animum inducas, nullum vt in iis, quæ ad Religionem pertinent, tibi ius & auctoritatem vindices: Si Diuinam institutionem, & Ecclesiæ consuetudinem sequens, ab ipsis Conuentibus Imperialibus, à quibus absunt qui auctoritatem de eiusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de Sacerdotibus atque de Religione disceptationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal reiicias: Si de bonis Ecclesiasticis, quorum iudicium ab ipso Domino, cui sunt conseruata, Sacerdotibus relinquatur, & commendetur; & ipse nihil statuas; & sepositis armis aut studeas paci, aut si aliter pax conciliari non potest, Concilio Generali iudicandi de iis, quæ tam perniciosa bella in Populo Christiano tamdiu alunt, potestatem facias: Si denique ea quæ per nimiam indulgentiam rebellibus huic sanctæ Sedi, & contumacibus concessisti, ipse rescindas, ac tollas. Hæc enim, charissime Fili, cùm ita sint, quæ tuam* 18

ipsius

ipsius animam in magnum salutis periculum adducant, & Ecclesiæ pacem magis magisq; perturbent, facilè videre potes, nisi per te quamprimum his malis remedium adhibeatur (quod te facturum speramus) in quas angustias sis nos compulsurus: vt aut officio & muneri nobis à Deo per eius Filium dato deesse cogamur, cum maximo detrimento; aut iterùm seuerius agere, quàm vel consuetudo nostra, vel natura, vel voluntas ferant. Quamquam officio quidem deesse in tanto discrimine non debemus prorsus, nec volumus, quantum per eius gratiam, cuius vices licet indigni in terris gerimus, de nobis polliceri possumus. Insidet enim in animo, & ob oculos nobis obuersatur illud idem, de quo principiò diximus, Diuinæ seueritatis in Heli Sacerdotem exemplum: quem non ob id quidem damnatum legimus, quòd in filiis corripiendis prorsus abstinuerit; corripuisse enim eos satis constat ex Scriptura: sed quòd in corripiendo, vt inquit D. Hieronymus, lenitate patris, non auctoritate Pontificis agebat. Nos lenitate patris integris propè adhuc rebus vsi sumus; quibus ex Edicti forma transactis (quod Deus auertat) in Heli exemplo satis vides, in quam nos necessitatem sis adducturus. Quare tecum considera, Cæsar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum & Ecclesiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat: An vt brachium nostræ seueritati in iis, quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinent, præbeas; an potiùs illis faueas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant & optant. Deus pacis, pro immensa misericordia sua tuam Maiestatem ab iniquorum consiliis liberet, ac pacis consilia in tuo corde confirmet, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum Patrem per Iesum Christum; cui cum Sancto Spiritu sit honor per æterna sæcula, Amen. Datum Romæ apud S. Marcum, XXIV. *Augusti* M. D. XLIV. 1544

19 Quamquam Suauis huius Diplomatis summam satis fideliter referat; tamen duo hîc eius errata, quàm plurimis abdita, in aliis argumentis palàm faciunt, ab eo sæpe rerum monumenta vsurpata fuisse oculis aliorum, qui partim imperitiâ, partim incuriâ identidem hominem decepere. Primus lapsus spectat ad subscriptionis diem, quam 23. Augusti positam ait, cùm 24. fuerit. Alter ad narrationem, quâ dicit, conquestum Pontificem fuisse, à Cæsare idiotis permissum Religionis iudicium: quod neque cogitauit Cæsar, neque Pontifex suspicatus est. Questus fuit, vt suprà relatum, ab eo non idiotas, sed laicos admissos.

20 Hoc Diploma non nisi maturo consilio, & accurato examine conscriptum. Legi egomet* mandata à Purpuratorum Cœtu ei tradita, qui Pontifici ab Epistolis erat, post recitatam in Senatu summam Spirensis Decreti; quibus mandatis continentur singula capita

* In Bibliotheca Vaticana, in libro, cui titulus, *Varia.*

1544. pita in Diplomate posteà exposita; imponiturque, de duobus generatim rationem habendam. Alterum, vt charitas simul ac propensio præ se geratur in expetendo Caroli bono; simul etiam efficacitas, & animorum constantia, in offensione Dei Sedisque Apostolicæ minimè toleranda. Alterum, vt ea scribendi forma adhiberetur, quæ Cæsarem in responsione cogeret aperire, quid in animo haberet sibi in futuro Conuentu gerendum. Quin conscriptum comperio alterum literarum exemplar minacius & acerbius, quod posteà prudenti consilio temperatum. Quippe animaduersum, vbi Sacerdotes adacti conscientiâ in summum aliquem Principem acriùs inuehuntur, cautionem esse vel maximè religiosam, si sese intra fines solius necessitatis cohibeant; ita vt is deprehendere neutiquam possit vel in immodico ardore iram laruatam pietate, vel in modica reuerentia affectatam ostentationem potestatis pro obseruantia ineluctabilis obligationis. Secùs enim ea Sacerdotum increpatio haud reuerenter excipitur tamquam religiosa; sed odio habetur tamquam commotio, ac tandem conculcatur tamquam elatio.

CAPVT VII.

Memoratum Diploma breuiter expensum. Pax inter Cæsarem ac Galliæ Regem. Iterumque à Pontifice indictum Concilium.

HOc Diploma perlatum est ad Cæsarem à Dauide Oedatio Brixiensi, qui Paulo à Cubiculis. Eidem etiam à Cæsare responsio reddita per grauem simul ac remissam dicendi formam, negatis generatim accusationibus, sed omissâ molestâ ac lubricâ ipsarum agitatione. Quod non priùs nobis compertum, quàm per hos postremos menses alterius Dauidis eiusdem familiæ operâ, qui & Commentarios etiam communicauit. Responsio itaque Hispanicè scripta huiusmodi fuit: *Cæsarem, habitâ ratione maximi grauissimiq; momenti verborum ac rerum, quæ in memorato Diplomate continebantur, tantæq; iacturæ periculi, cui auctoritas dignitasq; Cæsarea, ac sui nominis existimatio exponebatur, reponere, se ad omnia responsurum in tempore, opportunitate, ac loco, quò tunc declararet, ostenderetq; admodum seriò, se nec fuisse, nec præbuisse occasionem vllam incommodis quæ contigerant Christianæ Reipublicæ; quin impendisse semper omnem operam, tam in se quàm in ceteris, vt illis occurreret, ac mederetur, prout probi Cæsaris munus & auctoritas, ac dignitas Cæsarea postulabat, pariterq; vt Catholicum Principem decebat, eâque ratione quæ sibi conueniret in eo quod spectat ad sanctam Sedem. Quod si vnusquisque idem pro suo gradu, statu, &*

& conditione perfeciſſet, haud euentura fuiſſe illa incommoda, in quibus tunc Reſpublica Chriſtiana verſabatur: idq; à Cæſare adeò comprobatum iri, vt culpa in eos recideret, qui id merebantur, ac veritas errorem omnem, inſimulationem & calumniam eximeret. Ita Pontificiis literis reſponſum. De reliquo, citra perturbationem animi hoc Diploma Cæſar excepit; quippe qui ante Pontificias literas ea quæ iam ipſe Proteſtantibus indulſerat, ex ſe damnauerat. Illis tamen [a] occultandas curauit; & ægrè tulit, eorum exemplaria circumferri. At Pontifex, qui ad auertendam à Chriſtiana Republica indignam exiſtimationem de tam turpi in eius Capite conniuentia, Diplomatis vulgationem permiſerat, reſpondit, id Cæſari potiùs gratum eſſe debere, tamquam excuſationem legitimam reuocandi promiſſa, ſibi ab aliis extorta, dum ea cerneret à Chriſti Vicario damnata. Veruntamen & eius [b] adminiſtri, æquo animo paſſi, conſcriptas fuiſſe literas de Spirenſi decreto, quod ſolâ neceſſitate excuſabant, conqueri haud poſteà deſtitere, eas literas ab Epiſcopo Cauenſi delatas in Germaniam fuiſſe ad cunctos Principes Catholicos, quas hæretici cum probroſis commentariis typis impreſſere; & Cæſar expoſtulabat, præcipuè de illis vocibus, *vocauimus, & non erat qui audiret; venimus, & non erat vir:* ſi ceteri Tridentum non acceſſerant, eò miſſum à ſe fuiſſe Mendozam; neque ſe, neque Ferdinandum Regem præſtolatos vocantem, ſed perpetuis poſtulationibus iam annos plurimos ad hoc opus ſacroſanctum extimulaſſe Pontifices. Ad ea reſponſum, Præcedentibus poſtulatis haud effecta poſtmodum reſpondiſſe: Oratorem vnum ſatis non eſſe celebrando Concilio, ſed opus eſſe Præſulibus, quorum aduentus cùm à Cæſare ac Ferdinando penderet, appoſitas voces ſatis ſuperque veras eſſe. Vltra querimonias Cæſar haud progreſſus, nihil Pontifici reſcripſit; ne vel defenſione reuerentiam offenderet, vel errati confeſſione, emendationiſque promiſſione Proteſtantium animos haud opportunè commoueret. De reliquo nullum edidit argumentum infixi ſuo animo aculei; quippe qui indecorum ſibi non ducebat, reprehendi ſe ab eo, qui tantò ſe minor eſſet ex humanæ potentiæ menſione, vt obſequium vecordiæ verti non poſſet; tantoque ſe maior ad menſuram diuinitus collatæ poteſtatis, vt deſpectus non magnanimitati, ſed impietati planè tribueretur. 1544.

[a] Ex duabus Epiſtolis, altera ab Auguſtano Cardinali Vormatiâ ad Farneſium, 21. Martij 1545. vbi refertur diſſertatio cum Granuellano: altera Farneſij, in reſponſionem ad illum, 5. Aprilis, vnaque infrà citanda.

[b] Epiſt Fabij Mignanelli, Nuntij apud Ferdinandum Vormatiâ 9. Aprilis 1545. ad Farneſium; in Commentariis Ceruinorum.

2 Hæretici ſpe primò exultare, præſagientes, à Carolo, quò potentiore, eò magis quàm ab Henrico in Paſtoris virgam recalcitrandum; adeoque ſibi polliceri ab eo maiora contumaciæ initia contra Paulum, quàm ab hoc ad primas caſtigationes contra Clementem. Deinde

1544. Deinde, vbi cognouere, Cæsarem non modò in Romanæ Sedis reuerentia perstitisse, sed eidem obtemperasse, à profanis decretis Spirensibus recedentem, vti exponemus; illa gestientium exultatio abiit in fremitus: ægerrimè tolerantes erectum illud Pontificiæ auctoritati trophæum, conati sunt ipsum atrocibus execrationibus, ignominiosisque commentariis deturpare. Nec equidem dissimulabo primum, quod Caluinus obiecit, veri specie subdolè fucatum, ac mirificè idoneum ad aperiendum sibi aditum in animos etiam Catholicorum; cùm alia obiecta vel primo aspectu nequitiam vanitatemque palàm faciant, vel facilè Fidei clypeo retundantur. Quînam Paulus, ait ille, conscientiæ suæ se aduersari censebat, si vitiosam indulgentiam Heli erga liberos imitaretur erga Cæsarem, cùm tantâ vteretur indulgentiâ in filios à se verè progenitos? Argumentum enimuerò quàm validum vulgi leuitati, tam inane cordatorum hominum intelligentiæ. Quòd ergo Princeps nimiâ in aliquem propensione se trahi sinat, ex eo perperàm aget, si eâdem non vtatur in quemlibet, nec libram virgamque Iustitiæ abiiciat cum Reipublicæ clade? Quàm pessime cum hominibus ageretur, si quilibet Regum, vt in aliqua causâ, & cum aliquo ex subditis deficit ab officij mensura, ita in omnibus, & cum omnibus ab eo deficeret? Quicumque Theodosius, euaderet Wencislaus; quæcumq; benè constituta Spartia migraret in effrænatam Babiloniam. Numquid eò quòd Dauid adulterium homicidiumque patrauerat, vituperandus esset, nisi cuilibet adulteria homicidiaque permitteret? Præterquam quod quænam collatio esse potest inter hæc duo mala, Nimiùm in suos Farnesios affici; & parum de Religione laborare? eos, vt posteà factum est, duabus vrbibus ditare; & hanc permittere præcipitem agi per vniuersam Germaniam? finis plus æquo blandiri cum aliquo detrimento venerationis in Pontificiam sanctitatem, & conniuere Carolo V. Orbis Catholici potioribus Prouinciis imperitanti, præuisâ in illius Samsonis casu seruitute dilecti Deo populi sub Philisthæis? Quænam, inquam, collatio erat inter hæc mala, vt imbecillitas alteri succumbendi, horrorem expelleret in alterum præcipitandi? Profectò vti Paulus in altero laudem consecutus non est, ita vel hoc ipsum illius virtutem in altero illustriorem reddit; cùm hinc deprehendatur, vehementem in suos amorem ab honesto Reipublicæ ac Religionis studio superatum fuisse. Vnde neque vmquam timuit quemcumque Principum abalienare à se, acriùs resistendo; nec inclinauit animum, eorum vt quempiam in amicitiam traheret, iusto effusius indulgendo, vbi cognouit, eorum gesta seu postulata

ſtulata vel pietati Eccleſiæ noxia, vel Chriſtianæ Reipublicæ indemnitati diſcrepantia. Id verò fateri cogetur, quicumque rerum ab eo geſtarum ſeriem ſincerè diſpiciat. 1544.

3 Si longus ordo priorum Pontificum ſpectetur, nemo fuit illo ſolertior in Apoſtolica Sede tuenda; nemo Aulæ mores adeò reſtaurauit; nemo Senatum Patribus adeò conſpicuis auxit; nemo tot ſumptibus arma promouit in hoſtes Fidei; nemo conſtantiùs ſeſe abſtinuit ab iis bellis ſuſcipiendis, in quibus ſanguis Catholicus profunderetur, niſi quando contumaces ſuæ propriæ ditionis ad obſequium cogere neceſſe habuit: nec tenerrima animi affectio, quâ duos ſibi chariſſimos nepotes complectebatur, effecit in eo, ne, quamuis ſenio confectus, longè à ſe alterum diutiùs variis itineribus obiiceret, alterum belli periculis pro Republica ac Religione deuoueret. Equidem haud affirmauero, expletam idcircò ab eo menſuram perfecti Pontificis: ſed hoc ipſum ſumma laus eſt tam Diuini Principatus, nimirum Principem conſtitui debitorem cuiuſdam adeò præcelſæ virtutis, vt eius æmulis numquam non ſuperſit accuſationi locus, etiam in eos Pontifices, de quibus cogantur confiteri ea omnia egregiè geſta quæ recenſui, & quæ profanis Principibus gloriam perennem conciliare potuiſſent eximiæ probitatis. Sed nos narrationis ſeries reuocat.

4 Conceſſa Dei beneficio Catholicis pax planiorem Concilio viam aperuit. Claſſis Turcica [a] conſumpto Vere, per maiora Confœderati incommoda quàm emolumenta libenter in Orientem regreſſa eſt, Etruſcâ & Neapolitanâ orâ vexatâ. Franciſcus nonnulla in Belgio adeptus erat, & in Italia Ceraſolâ potitus. Inde breuibus induciis initis, tota belli moles citra Alpes perſtiterat. Cæſar ex altera parte non modò Cliuenſi Duci debellato & captiuo Gelriam ademerat, eumque adegerat, vti nuptiis partibuſque Gallicis renuntiaret; ſed etiam ope Regis Henrici Galliam inuaſerat, & aliquot illius arcibus expugnatis, arma ac trepidationem ad vſque Lutetiæ mœnia circumtulerat. [b] Tunc amborum animi ſe viciſſim ad pacem flexerunt, ſatis iam vtrinque oſtentatâ per mutuas aliquas victorias bellicâ virtute ac potentiâ, & ademptâ per experimentum vtrique ſpe plenæ victoriæ.

5 Itaque nullo alio, niſi Eleonorâ ſorore Caroli & Franciſci coniuge interprete, ambo conuenere [c] 17. Septembris Creſpini, [d] Vti Rex magnâ militum vi Cæſari opem ferret in bello Turcico, atque vt concordibus animis in reliquis Religionis negotiis ſeſe gererent: Quæ fuerant occupata, vtrimque reſtituerentur: Vt Aurelianenſi Duci

a Belcarius in fine lib. 23.

b Belcarius in principio lib. 24.

c Non 24. vt dicit Suauis.

d In his recenſendis Capitulis variant & errant Hiſtorici.

1544. Duci desponderet Cæsar vel filiam, Belgio ac Burgundiæ Comitatu dotandam, quæ ad Carolum ex auiæ hereditate deuenerant; vel fratris filiam, traditâ per ius beneficiarium Mediolanensi ditione, sed Mediolani Cremonæque arcibus sibi retentis, vsque ad virilem ex eo coniugio sobolem; quo tempore Galliæ Rex sibi quoque retineret arces eorum locorum, quæ ab ipso per eamdem pacem Duci Sabaudiæ reddendæ erant: & vti paucos intra menses aperiret Cæsar, vtrum ex connubiis mallet. Vtriusque denique partis amici vtrimque in ea pacificatione nominati, ac primo loco Romanus Pontifex.

Has breues narrationes, quamquam ab argumento meo alienas, 6
interdum insero; cùm sic existimem, quemadmodum vt rectè discernantur characteres, rectè quoque discerni ipsam paginam in qua disponuntur oportet; ita non posse luculenter proponi rei sacræ statum in Orbe Christiano, nisi profana pariter exponatur, quasi tabula, in qua pingitur hæc imago. Pontifex acceptis concordiæ nuntiis, * & per omnes Christianas Prouincias publicè Deo grates agendas curauit, & ipse Romæ solennibus supplicationibus eas religiosè persoluit. Tum gratulaturus vtrique Principum, Nuntios misit, ad Cæsarem quidem Ioannem Franciscum Sfondratum, Archiepiscopum Amalphitanum, qui paucos post menses in sacra Purpura eluxit, ac priùs in statu coniugali filium genuerat, qui posteà in Petri Sede Gregorius XIV. est appellatus; vt qui peculiaris Nuntij nomine proximum Conuentum Spirensem adierat, vnde rerum agendarum apprimè peritus, poterat officio vrbanitatis negotium subnectere. Ad Regem verò Galliæ Dandinum misit, qui sibi à secretis erat, & paucis antè annis Nuntij munere functus ad illud ipsum perficiendum, quod tunc gratulaturus legabatur.

* Diarium Mignanelli in præludiis Concilij; quod Diarium est apud Burghesios.

Nouo etiam Diplomate die * 19. Nouembris edito Concilium indixit, inchoandum 15. Martij, quæ dies eo anno in quartam solennis Ieiunij Dominicam, diem lætitiæ nuntiam, incidit. Alterum etiam eâdem die vulgauit, quo declarabatur, quocumque modo Petri Sedes vacasset, nouam Pontificis electionem à Vaticani Senatoribus Romæ habendam, cum aliis quibusdam cautionibus, quas hîc referre nihil attinet.

* Non 24. in quo Suauis aberrat.

Mira quidem sunt quæ noster historicus hîc narrat, & quæ com- 7
miniscitur de hac Synodi conuocatione. Affirmat in primis, duos Principes, cùm apud se statuissent veracem Religionem sustinere, vnà conuenisse de Concilio postulando, *procurandaq; Romanæ Curiæ emendatione; à qua cuncta dissidia dimanant.*

Huius

Huius rei nihil habetur in eorum pactionibus, & apud probos historicos ne verbum quidem. Quin certum est, cùm vterque Principum haberet in animo, suppetias à Pontifice petere, vt reipsâ petierûnt, alter in Britannum adhuc multa Galliæ loca occupantem, alter in Turcas ac Protestantes, non potuisse inter eos conuenire, id quod Pontifici foret iniurium. 1544.

8 Addit, Pontificem haud perterritum ob huiusmodi pactiones efflagitandi Concilij; quippe certum, in Concilio rem eum exitum habituram, vt ipsius auctoritas amplior fieret. Quem sanè terrorem potuisset incutere Pontifici Concilij postulatio? cum ipse illo bis indicto, & vrbe ab omnibus comprobatâ, diu ibi detinuisset Legatos suos, ac posteà Synodum non sponte retardasset, sed quòd Principes suarum ditionum Præsules non misissent; & cùm in euulgatis proximè literis, quibus Cæsarem hortabatur, ne Edictum Spirense Ecclesiæ noxium exequeretur, nihil aliud nisi Concilium illi proposuisset?

Pergit affirmare, Animaduersas à Paulo temporis angustias à se præstituti, quo Episcopi eò conuenturi erant è longinquis locis; sed eidem placuisse Synodum à paucis inchoandam, qui futuri essent Itali, sibi suæque Aulæ addicti, & ab eo solicitati, cùm *initio agendum esset de modo procedendi, à quo reliqua omnia posteà pendebant.* An Indis hic homo scripsit historiam, an nobis, qui probè nouimus, quatuor ex quinque partibus Præsulum Italicorum degere in ditionibus vel Caroli, vel Principum Cæsaris clientum, vt in Cisalpina ditione, in Florentina, in Senensi, in Lucensi, ceterisque huiusmodi; at verò Pontificis clientes esse paucissimos? Huc adde, multos ex Germanis Episcopis viciniores esse Tridento, qui non minùs quàm Itali soliciti visi erant in præterita Synodi conuocatione. Quid verò? Si Pontifex hac agendi arte vti volebat, cur Legatis primâ vice demandauit, ne priùs Concilio darent initium, quàm Episcopi frequentes adessent? Nónne fuisset satius, huiusce rei gratiâ certum sibi reddere *procedendi modum, à quo reliqua omnia pendebant,* & illud inchoare *per eos paucos sibi fideles*, quos tunc, vt Suauis affirmat, eò festinè compulerat? Quonam autem consilio Granuellanus (si fides habeatur Suauianæ de eo narrationi) Legatos tunc vrgebat, vt pauci illi Pontificis studiosi Concilium auspicarentur, agitarentque rem maximè suspectam ac ponderosam; hoc est morum emendationem? Sed certissimum argumentum delibemus, quod experientia depromit. Cur si Pontificis animus eò spectabat, Legatos iussit in sextum adhuc mensem Concilij primordia

 differ-

1544. differre, nimirum vſque ad 13. Decembris, expectatâ Præſulum Tranſmontanorum condecente frequentiâ; adeò vt in prima illa Seſſione, meris cæremoniis deſtinata, multoque magis in ſubſecutis, vbi opus inceptum, numerarentur longè plures Epiſcopi, plureſque Theologi, ſeu familiæ clientelâ, ſeu Diœceſis loco, profanis Principibus quàm Pontifici ſubiecti?

Inſuper ait Suauis, moleſtum accidiſſe Cæſari, ſponte indictum 9
à Paulo Concilium, cùm ipſe cuperet tam ad ſui nominis famam, quàm ad faciliùs excitandos Antiſtites Germaniæ, vti rem capeſſerent, ſe potiſſimum Concilij auctorem agnoſci: ſed Pontificem præuertiſſe, propterea quòd vbi ex alterius poſtulato Synodum conuocaſſet, id coactus agere videri potuerat, cum exiſtimationis ſuæ detrimento.

Habuiſſe * Cæſarem in votis, vt à Germanis ipſe crederetur auctor tam ingentis boni, adeò verum eſt, vt in Conuentu poſteà Wormatienſi eius adminiſtri iactauerint, illius operâ non modò Pontificem, ſed etiam Galliæ Regem ad id adductum: quamquam ab his diſcrepent, quæ per ſuum Oratorem Gallus Pontifici ſignificauerat. At in eo conſilium Cæſaris erat, captare ſibi illius gentis beneuolentiam, non obtinere conſenſum: ſiquidem nec opus erat induſtriâ, vt Germani Catholici Tridenti Synodum amplecterentur, quippe qui iam illi conſenſerant in penultimo Spirenſi Conuentu, ac deinde in Norimbergenſi; nec ſpes aderat, hæreticos conſenſuros Concilio cui Pontifex præſideret.

* Epiſtola Legatorum Tridenti ad Farneſium, 9. Aprilis 1545.

Sed omittamus argumentis eruere falſitatem, animorum arcana 10
calumniantem; atque ea quæ magis ſub ſenſum cadunt in rebus publicè geſtis, manu rangamus. Tantum aberrat à vero Suauis narratio, vt ſatis conſtet, tam Gallos quàm Cæſareos, impatientes moræ, Pontifici pateſeciſſe, vt Concilium cogeretur: quòd ſi hoc Suauem latebat, quando oppoſito pro certo ſumpto ſuas in eo fabulas extruxit, oportebat memorem eſſe documenti, quod Poëtis tradi ſolet ad conciliandam ſibi fidem, præcipientis, ne quæ recèns geſta ſunt, ſibi deſumant ſuis concinnanda mendaciis; hæc enim in huiuſmodi euentis magnum diſcrimen incurrunt, ne aliquo argumento inopinato fabulatoribus refellantur: contrà verò in rebus antiquioribus, modò non repugnetur hiſtoriæ, multa ſuperaddi poſſunt citra periculum ne manifeſtò redarguantur mendacij.

Itaq; cum veritate pugnare Suauis narrationem, patet primò quidem ex Franciſci literis, datis 28. Octobris, ad Oratorem ſuum Romæ degentem, quibus iubebatur Pontificem rogare, & vti ſecum fœ-

dus

1544.

dus sanciret in Regem Britanniæ, & vti sua impenderet hortamenta, quibus Cæsarem in eamdem societatem traheret. Cumque exploratum esset, rem feliciter gestum iri, potissime si à cunctis reliquis Christianis pax iniretur, ad quam plurimum conducturum ambo Principes existimauerant Concilium, ipsis comprobantibus Tridenti celebrandum; idcircò Pontificem à se orari, vt in præsentia suspensione sublatâ ipsum tres intra menses conuocaret. Nec eam Regis petitionem celauit Pontifex, quasi cupidus ostentandi, se illius auctorem minimè rogatum haberi: quin eam legendam protulit Senatui 7. Nouembris, vt est in Senatus Actis; & post 12. dies suspensionem sustulit. Et vsque adeò nullâ vsus est arte præscribendi temporis Transmontanis angusti, ac suis dumtaxat accommodi, vt vnius mensis moram adiecerit spatio quod Gallus expetierat.

Eadem à Cæsarianis voluntas exposita Pontifici. Et Granuellanus Poggio Nuntio dixerat post aduentum Sfondrati, sapienter acturum Pontificem, si nouis postulationibus haud expectatis Concilij suspensionem amoueret. Poggius verò id ad Farnesium scripsit 8. Nouembris; vnde responsum ab eo, post relata in duplicem Senatum vtriusque Principis sensa, [a] decretam fuisse eâ die Concilij conuocationem.

11 Progreditur Suauis: Nihil à Cæsare prætermissum, vnde ipse quidem auctor præcipuus, Pontifex verò adiutor videretur; ac proinde missos ab eodem Oratores, qui cunctos Principes inuitarent, perinde ac si opus illud suum extitisset. Quæ iniquior obtrectatio? Si Carolus se remissiùs gessisset, affirmasset illicò Suauis, eum offensum anticipatione Pontificis, declinasse Concilium: nunc cùm in eo promouendo ardentem videt, id astu factum affirmat, quò se auctorem, Pontificem adiutorem ostenderet. Quemadmodum cibus omnis in ventre serpentis in venenum abit; ita quodcumque opus in maligni hominis animo in vituperationem migrat. Quò quispiam molossorum custodum caueat morsus, satis est furem non esse; sed à rabidorum canum dentibus nulla innocentia tuta. Postremò, si studebat Cæsar (vt proculdubio studuit) se illius operis auctorem ostentare, adeoque sibi fuisse à Pontifice satisfactum per eam promulgationem, quasi à se efflagitatam; quo pacto hîc audet Suauis affirmare, Cæsarem ob illius offensionem tribus Hispanis prohibuisse, ne Purpuram susciperent, quam ipso postulante illis Paulus [b] impertierat? Perinde quasi prohibitionis illius causa latuerit; videlicet ob prætermissum [c] Petrum Pacceco, Giennensem Antistitem, à Cæsare impensissimè commendatum. Verùm permissum

a Literæ Farnesij ad Poggium, 29. Nouembris 1544.

b 20 Decembris 1544. vt in Actis Consistor.

c Adrianus lib. 5. & indicatur ab Epistola Augustani Cardin. ad Farnesiû VVormaciâ, 21. Martij 1545

1545. posteà reliquis, vti insignia Purpuratorum susciperent: [a] nec ita multò pòst collata Paceco Purpura, ac satisfactum Cæsari, prout suo tempore [b] narrabitur. Sicut autem ingentis est audaciæ, calumnianti sua commenta pro veris assumere, ita ingentis est ponderis redarguenti, ea commentitia & veritatis inania demonstrare; cùm Lydius aliquis lapis haud nobis suppetat, qui, vt aurum, perinde verum dictum à falso distinguat, quod quasi conditionis humanæ felicitatem declamatores ac Poëtæ nobis augurantur; sed benefica parens Natura, quæ nobis illud denegauit, & Philosophi naturæ arcanorum conscij, futurum fuisse miseriam arbitrantur.

[a] Apparet ex variis locis Actor. Consistor.
[b] 16. Decembris 1545. vt in Actis Consistor.

CAPVT VIII

Legatorum electio: eorum accessus Tridentum, & Cæsarei Oratores.

1 PAulus senio morbisque confectus, imparem se tolerando frigori Alpini cæli sentiebat: decreuit ergo Legatos eò destinare, non solùm solennia Synodi primordia (vti bis aliàs secum statuerat) auspicaturos; sed ad Fidei decreta, emendationisque leges progressuros: habens etiam in animo eò ipse tunc demum accedere, si vrgenti necessitate cogeretur. Propterea ternos ex triplici Purpuratorum ordine seligendos putauit, nec suspectos Principibus, & probitate prudentiâque spectabiles. Nominauit ex Episcopis Ioannem Mariam Montanum, [b] Antistitem Prænestinum, qui ad Pontificiam Tiaram creditus est ductu virtutis accedere, donec reipsâ non peruenit; Marcellum Ceruinum, cui contigit collegam subsequi in Principatu, sed antecedere in existimatione posterorum; & Reginaldum Polum, qui in iisdem Comitiis, quibus Montanus Pontifex renuntiatus est, proximè fuit in pluribus suffragationibus, vt ipse renuntiaretur. Vnde liquet, delectos à Paulo Concilij Duces quot Legatos, totidem existimatione quidem, sin minùs electione, Pontifices.

[b] 6. Februarij, in Actis Consistor.

2 Neque hîc obliuiscitur Suauis, inter varios laudum flores calumniæ vepres implicare. Ait quippe, Montanum fuisse delectum, quòd exploratum erat, non potiorem conscientiæ rationem, quàm fidelitatis erga Dominos eum habiturum. [c] Perinde, quasi vbi Pontifex huiusmodi temperaturæ homines ad hoc muneris quæsiisset, duos Montano collegas adiunxisset integritatis tam irreprehensæ, vt ne ipsius quidem Suauis mordacitas eam ausit impetere. Nusquam verò legimus, ita Montanum audiisse, vti per insidiosam fideli-

[c] In prima editione Londinensi oppositum dicitur: sed ex contextu apparet, erratũ fuisse ab impressore; vti postea correctum est in cunctis reliquis impressionibus.

catis commendationem comminiſcitur hic egregius laudator. Quin haud reticuero, huius Purpurati amplitudinem acceptam referri eius patruo Antonio Montano, quòd is Domini ſui voluntatem conſcientiæ imperio poſthabuerit, vt per aliam opportunitatem libro primo inſinuauimus; dum vehementiſſimis Iulij II. commendationibus inflexibilis, [a] commendatum litigatorem ſententiâ perculit, ſtatimque primum iracundi Principis impetum veritus, Neapolim aufugit: ſed Iulius animo pacatiore integritatem Iudicis admirâtus, cum Purpurâ remuneratus eſt. Atque ad tam magnanimi beneficij memoriam Antonij ex fratre nepos, de quo ſcribimus, ad Pontificatum euectus, Iulij nomen ſibi adſciuit. 1545.

3 Miſſus quoque Tridentum à Pontifice Cauenſis Antiſtes, Internuntij nomine, vt eodem fungeretur munere, quod in prætcrita conuocatione illi fuerat impoſitum. Duo Legati eò breui acceſſere: Polus [b] aliquantò ſeriùs, ob inſidiarum ſuſpicionem, quas illi per vias Britanni Regis graſſatores inſtruxerant.

4 Suas hîc interſerit commentationes Suauis: Maturaſſe ſcilicet Pontificem Legatos mittere, antequam facultatis Diploma ac mandatorum libellum ipſis traderet. Vtrumque verum eſt: ſed Diploma miſſum [c] ante diem inchoationis indictæ, idque ſatis erat. Quin etiam poſtmodum actum eſt [d] de quibuſdam ex voto Legatorum reconcinnandis; quod tamen factum non eſt. Miſſa pariter ad eos alia Diplomata peculiarium facultatum, vti ſemper accidit. Mandata magna ex parte coràm tradita; & quando ex illis nonnulla dilationem patiebantur, maioremque deliberationem petebant, fuſiùs deinde perſcripta, & paulò pòſt [e] ſuperuenere. Nec huiuſmodi agendi ratio ſubolere arcanam artem poteſt, niſi apud homines ignaros, quot neceſſariis curis occupata, adeoque quot moris ineuitabilibus obnoxia ſit Aula Romana. Tum verò Legatorum acceſſus ſimul cunctis oſtendebat rem ſeriò agi, ſimul Præſules ad feſtinandum vrgebat; cùm in omni conuentu vſu veniat, vt niſi vulgato primorum aduentu reliqui ſtimulentur, omnes ad iter torpeſcant.

5 Dein plurima infarcit mendacia. Affirmat, Pontificem aucupandæ Cæſaris gratiæ cupidum, demandaſſe Nuntio, vt eam caperet opportunis in Turcam ac Proteſtantes pollicitationibus; quod ab illo ex ſententia peractum. Omnia planè è contrario. Granuellanus Cæſaris intimè conſcius, & ab eo in Germaniam miſſus, [f] cum ampliſſima, ſuprà quàm vmquam aliàs Cæſar conceſſerat, poteſtate, conqueſtus eſt cum Othone Truxeſio Auguſtano

[a] Cappellanus in ſuis narrationibus.

[b] Ex Literis duorum Legatorum ad Farneſium: & eò peruenit 4. Maij, vt in Diarijs. Quæ autem ad Ceruinũ ſpectat, & ad Literas vel ad eum, vel ab eo ſcriptas, ſeu ſeorſim, ſeu ſimul cum alijs Legatis, & ad alias ſcripturas per eius manus habitas, exſcripta ſunt ex Archiuio Ceruinorum, eorumque heredum, vbi aſſeruantur.

[c] In Epiſt. Farneſij 12. Martij 1545.

[d] Duæ Literæ Farneſij ad Legatos, 14 Martij 1545.

[e] Miſſa ſunt 14. Martij, vt ex Literis Farneſij.

[f] Literæ Legatorum ad Farneſium, 14. Martij 1545.

1545. no Episcopo, * nuper Purpuratis adiuncto in gratiam Ferdinandi, parciorem fuisse Paulum in communicandis Cæsari suis consiliis de Synodo, de Conuentu, ac de subsidio in Turcas, seque obtulit sequestrum ad abstergendum omni offensione Cæsaris animum; tantumque effecit, vt idem Otho Pontifici addictus, hominem quo ad secreta vtebatur, ad Paulum miserit, qui rem efficaciter transigeret; sicut pariter apud Legatos Tridenti promota est, Oratoris Mendozæ ac Ferdinandi Regis officiis. Paulus verò tam grauiter in eo se gessit, vt proponentibus sibi Legatis ac Tridentino Cardinali, rem omnino confectum iri, si vnà cum Farnesio literas mitteret, quibus Purpuram sponderet Episcopo Atrebatensi illius cupientissimo, & cuius parens Granuellanus consilia Cæsaris moderabatur, planè abnuerit; ratus indecorum Pontifici, eo pretio quamuis ingentia emolumenta coëmere, quod vilescere videretur, si gratiosi apud Cæsarem ministri cupiditatem sacris honoribus exsaturaret.

* In Epistola Augustani Cardinalis ad Farnesium, & in responsione huius, communicata Legatis 12. Aprilis 1545.

Ad hæc, alia Suauis subtexit: Voluisse Pontificem in Germania Legatum habere, qui Cæsari sese opponeret, si quid fortè in eum male affectus ipsi noxium præciperet, seu permitteret in Comitiis; sed veritum, ne quid indignum Legatus Wormatiæ pateretur, satius duxisse ad Cæsarem priùs, quàm ad Comitia eum mittere: Cæsar enim haud interfuturus illi Conuentui censebatur, vt per eam occasionem Wormatiâ Legatus transeundo, Pontificis asseclis quæ agenda essent præscriberet, atque è propinquo rebus, vt vsus foret, probè consuleret: intereà verò missum ad Regem Romanorum Nuntium Fabium Mignanellum, Antistitem Grossetanum. 6

Postremum illi erratum condonemus, dum Mignanello id temporis tribuit Episcopi nomen, quod posteà obtinuit. Ei, qui toties innumeros dehonestat falsò, non videtur exprobrandum, si semel honorem vni falsò deferat. Solidiora expendamus. Infortunium huius hominis est, cùm enarrat quæ comminiscitur, semper ea comminisci, quæ & rebus gestis repugnant, & scriptis redarguuntur.

Nihil minus habebat in animo Pontifex, quàm Farnesium Cardinalem destinare Legatum; cùm decretum fuerit in Senatu 23. Ianuarij, * in quo tres Concilij Legatos constituendos sancitum, vt Legatus ad Cæsarem cum arctissima facultate mitteretur; quæ nepotem Pontificis, & supremum administrum planè dedecebat. Deinde mutatum consilium mittendi cuiusuis conditionis Legati; quippe satis esse Pontifici videbantur, ad absistendum, si quid Wormatiæ nequiter tentaretur, mandata Tridentinis Legatis præscripta. Hæc itaque Legati missio non à Pontifice sponte habita, sed flagrantissimis 7

* In Actis Consistor.

tiſſimis Granuellani precibus conceſſa, cuius nomine ab Auguſtano ad Pontificem datæ ſunt literæ. Quin Paulus initio reſtitit, reſponditque, Sufficere ibi Mignanellum Romanorum Regi Nuntium deſignatum, qui per diſpoſitos equos eò celerabat, ne munus illud Nuntij à Verallo relictum, ad Cæſarem in Belgium profecto, plus æquo vacaret, vti Tridentini Legati ſuggeſſerant. [a] Et ſanè in ſeligendo eo Nuntio conſuetâ prudentiâ vſus eſt Paulus, propterea quod Mignanellus huiuſmodi planè miniſterium, & ad huiuſmodi negotia ſe exercuerat, dum ibi Aleander Cardinalis Legatum ageret; ac tam egregiè cùm in eo, tum in aliis muneribus ſe geſſit, vt meritò à Pauli ſucceſſore Senatoriam dignitatem acceperit. 1545.

8 At poſteà eiuſdem Auguſtani, ſuorumque [b] Legatorum ſuaſu, (quibus mox innotuit, Truxeſium & Granuellanum altiori motione impulſos) Farneſium Legatum ad Cæſarem conſtituit: [c] cùm præſertim ea legatio argumentum ſuſcitare non poſſet antiquis fabellis, quaſi tenderet ad impetrandam Inſubriam: Carolus enim iam euulgauerat, ac Paulo ſignificauit, [d] ſe, ad ſeruandas pacis conditiones, deſtinaſſe Ferdinandi fratris filiam Aurelianenſi Duci in matrimonium collocare, traditâ in dotem Inſubriâ; quod Pontifex ad Senatum retulerat. Hæc tamen legatio liuidas Suauis interpretationes haud euaſit: eam enim paulò pòſt indicat ad duo quaſi tendentem, ſimul ad implicandum Cæſarem per Farneſij adhortationes bello aduerſus Proteſtantes, quò eum à Concilij cura diſtraheret; ſimul ad obtinendum aſſenſum, vt Paulus Parmam ac Placentiam ſuis Farneſiis iure beneficiario traderet. Hæc commenta non eâ ſanè mediocri vituperatione ſatis puniuntur, quæ falſis per emotæ mentis temeritatem prolatis deberetur. Etenim cùm Suauis perluſtraſſet (vt ipſe profitetur atque oſtendit) Montani literas Romam miſſas, haud certè potuit ibi non legere quæ ſuprà memorauimus de legationis huius origine, aduerſantia prorſus duabus illis à ſe allatis cauſis. Præterea neque potuit oculis non vſurpare, non modò non iniunctum Legato, vt Cæſaris animum à progreſſu Concilij remoueret; ſed eum certo conſilio adiiſſe, vti Concilium inchoaretur, atque eius continuatio à mente Cæſaris penderet; quem ſuſpicio erat, ægrè ferentibus Pontificiis, non iam ampliùs eò propendere, vt mox dicemus, & Suauis enarrat, malè cautus mendaciorum textor. Vnde Legatus ad Cæſarem eo acceſſit animo, vt illum redderet certiorem de Synodo inchoanda, tamquam de re iam decreta.

[a] Literæ ad Farneſium 13. Martij.

[b] Literæ Legatorum ad S. Floræ Cardin. 26. Aprilis.

[c] Literę Farneſij ad Legatos, 12 Aprilis 1545. & duæ Literæ Legatorum ad ipſum, 13. & 14. Martij.

[d] In Actis Conſiſtor.

9 Hiſtoriam proſequar. Cùm Legati Tridentum peruenere,

1545. a Literæ Legatorum 13. & 18. Martij. b Literæ Legatorum 12. & 16. Martij.

a præter Cauensem Antistitem, neminem nacti; sed mox accesserunt Thomas Campeggius Feltrensis, & Cornelius Mussus Bituntinus Episcopi. Eò quoque Venetiis regressus est Didacus Mendoza Cæsareus Orator, quicum de ritibus honorariis res facilè composita. b Etenim cùm is priùs expetiisset legationem in templo solenniter exponere, contentus est posteà, vt in Legatorum ædibus publicè audiretur; sicut iam Episcopus Atrebatensis ibidem priùs Legatus fuerat auditus. Verba reuerenter fecit. Nec difficulter conuentum pariter est de loco sedendi in actis publicis; quamquam id posteà in controuersiam reuocatum, quod suo loco narrabimus. Vt enim in elementis, itidem in litibus, ea quæ inanitatis plus habent, difficiliùs in loco firmantur.

CAPVT IX.

Plurima Suauis falsò dicta refelluntur.

SVauis, vbi commemorat Mendozam, accepto à Legatis responso, contestatum illis verbis, *Quatenus id suo Principi nulli sit detrimento*; amicam de more appendiculam subiicit; aitque: Hinc palàm fieri, quânam charitate procederetur ad initia illius sacrosancti Cœtus ponenda. Quàm insulsa accusatio! Quis vel leuiter Aulæ conscius ignoret, à Principum administris affatim vsurpari, ad ostentationem seu prudentis animi, sui studiosi, huiusmodi cautiones, tametsi inter virum & vxorem, inter patrem ac filium res agatur? 1

Operæpretium hîc est, vt Lectorem admoneam, inspectum quidem à Suaui fuisse (vt ipse profitetur, & à me alibi memoratur) literarum volumen Montani, Legatorum Principis, in quo continebantur literæ Romam scriptæ, quæ per eius manus voluebantur; non item illæ, quæ aliquoties ab aliquo è suis Collegis datæ sunt, in eo volumine à Montano minimè insertæ, multoque minùs peculiari nomine ab illis conscriptæ; nec eæ pariter, quod pluris interest, quæ ad Legatos mittebantur vel ab Vrbe, vel à Pontificiis administris apud Principes degentibus. Hinc est, quòd in rebus quæ satis per priores literas innotescunt, sponte solùm peccat, quà iniquis interpretationibus, quà fraudulento de iis rebus silentio; quibus omissis, quod veri superest deformatur: vt planè contingeret, si dum vultus expingitur, nec oculi nec nares apponerentur. Sed de iis rebus, quæ vel in aliis literis habentur, vel quò percipiantur, opus est harum luce ad declarandas priores, sæpissimè per inscitiam labitur;

labitur; quod propriis in locis demonstrabimus. Exponam hîc ali- 1545.
qua, quæ sub initium hîc expendit.

2 Narrat, à Legatis impertitam noxarum Indulgentiam, nondum acceptâ facultate, sed solâ spe Pontificis eam ratam habituri: posteà verò Ceruinum enixè flagitasse, vt illam Pontifex ratam haberet, & huiusmodi potestatem concederet, atque vtrumque impetratum. Mox derisâ illius pietate, tamquam rudis & imperiti hominis, subiicit: *Haud animaduersâ difficultate quæ oritur, an is qui obtinet auctoritatem Indulgentias elargiendi, possit validas & efficaces reddere, quas alter absque potestate concesserit.*

Nihil sane temeritati parsit hîc homo, qui nihil supra mediocre in Scholastica Theologia prætergressus, sibi arrogauit subtilitatem doctrinæ, ignotæ viris præstantissimis, qui tunc & Romæ aderant & Tridenti, vt per ephemeridas liquet, ac de minutissimis quibusque consulebantur. Cuinam hosce nodos obiectat? Quicumque illius disciplinæ expers omnino non est, probè callet celebre discrimen inter actiones iurisdictionis humanæ, & eas, quas ponimus vti Christi procuratores in Sacramentis administrandis; illarum videlicet, non harum actionum vim fructumque posse suspendi; vnde priores efficaces ac fructuosæ redduntur accedente illius comprobatione, qui earum potestatem obtinebat, & cuius nomine illas exercere habebat in animo earumdem administrator. Atque id euenit in relaxatione censurarum, & quâuis aliâ concessione, cuius effectus suspendi possit, & à futura conditione pendere; cuiusmodi est Indulgentiarum effectus, nimirum, deleri nobis debitum pœnæ in Purgatorio luendæ: quæ doctrina nititur vniuersali Iurisperitorum regulæ, pro quolibet actu, quem quispiam nomine alterius exerceat nondum suscepto mandato, sed sub concepta spe rati ab eo postmodum habendi. Iam verò, vt hæc doctrina mere probabilis foret, id satis fuisset, vt Legatis liceret absque fraude illam sequi; quin etiam cum laude charitatis, quandoquidem nemini per eam iacturæ periculum, sed lucri spes afferebatur, ac fideles alliciebantur ad opera alioqui salutaria ac Deo grata.

3 Aperit deinde Suauis occultum subdolæ calliditatis delictum; Legatos à Pontifice petiisse arcanas literarum notas, cumque rogasse, vt binas plerumque epistolas scriberet, alteram quæ rerum notitiam Episcopis communicandam contineret, alteram ea complectentem, quæ solùm ipsis communicanda. Verùm quis hominum, qui Principum negotiis quandoque manus admouit, in acerbum risum non erumpat aduersus insulsam vecordis capitis nequitiam?

1545. Quasi verò magna molimina celare, putidæ fraudis, non cautæ prudentiæ consilium sit. Aliter quippe Natura, ea quæ cogitamus non in cordis penetralibus, sed in frontis vestibulo collocasset. Numquid apud hominum genus tunc primò illius occultæ scriptionis vsus excogitatus? Fierine potest, vt quispiam virtutem, & non potiùs stultitiam putet, res solerti custodiâ dignas committere tabellariorum periculis, absque inexpugnabili munimento impenetrabilis scriptionis? An ad exploranda disturbandaque Pontificis consilia, sagacissima hæreticorum industria insidias oscitanter parabat? Quod autem nonnulla Episcoporum notitiæ subducerentur, quânam Suauis conscientiæ sinceritate redarguit? Nónne compertum supra ceteros ipsi erat, etiam apud eas Respublicas, in quibus magnum Concilium supremus est rerum arbiter, in more positum esse, non ad ipsum arcana referri, sed priùs per peculiares Cœtus, quantum fieri potest, decerni, deinde pleno consessui ea solùm communicari, quæ satis sunt ad agnoscendam supremam illius potestatem, & eò vsque, vt rei vulgatio plus nocere non possit? *Publicum & arcanum* inuicem opponuntur, & quod multis patet, *publicum* dicitur. At sanè quantò magis necesse erat, de quibusdam celare Cœtum illum, conflatum non ex ciuibus inter se coniunctis ob mutuam ex communi bono vtilitatem, ex longa consuetudine inuicem notis, sibique perniciem & infamiam formidantibus ex arcanorum euulgatione; sed ex Episcopis, qui disiunctis in Patriis, ac sæpè discordibus nati, ne de facie quidem se inuicem nouerant; quique, excepto Religionis respectu, validissimis compelli possent illecebris ad ea quæ agitabantur aperienda, ipsorum notitiam cupienti, vt rerum molitiones suo commodo haud conducentes nondum ortas suffocaret? Errata quæ hucusque recensuimus, malignè ratiocinantis sunt.

Sed aliud hîc addit Suauis ex falsa narratione. Asserit, cùm Diplomati legationis conditio esset apposita, vt nimirum Legati ex 4
Patrum consensu rem gererent, sublatam posteà fuisse Legatis petentibus, qui tamquam noxium Pontifici proposuerunt, si à Præsulum arbitrio res ita penderent. Petiere quidem Legati, [a] vt ea conditio deleretur; ac priùs Romæ responsum, esse delendam: sed posterioribus literis [b] oppositum perscriptum; cùm obseruatum fuisset, iis illam conceptam verbis, quibus eorum potestas proponendi dirigendique minimè circumscriberetur, sed solùm proferendi sententiam, ac decernendi; quæ proculdubiò Episcoporum exigebant consensum.

a Literæ Farnesij 19. Martij.
b Eiusdem Literæ 24 Martij.

Verùm

5 Verùm hoc Diploma diuersum ab altero, quo generatim illorum legatio statuebatur, & de quo pariter Suauis disserit, haud equidem comperio fuisse ab ipsis productum, vt planè vsuuenit in huiusmodi facultatibus, quæ ne populi obtrectationibus exponantur, haud produntur in medium, nisi vbi cogit necessitas ad potestatem ostendendam, ne alioquin illius effectus impediatur. 1545.

6 Indicat prætereà, per familiarem sibi vocem *Arcani*, traditum Legatis Diploma cum potestate transferendi aliò Concilij, cùm id in rem conducibile censerent. At hîc nihil amplius arcani subest, quàm oportuisse, vt cùm ibi Pontifex non adesset, penes Legatos foret, si quid improuisò contingeret, rebus prospicere Pontificis vice; atque ita vbi nec opinatum seu bellum, seu contagio, seu quæuis alia decedendi necessitas ingrueret, opus erat, vti Legatis liceret inter huiusmodi angustias aliò Concilium deducere. An verò cùm reipsâ Concilium Bononiam translatum est, efficax ratio eos compulerit, in illud tempus vnà cum Suaui expendendum reiicio.

7 Denique postquam minuta quædam enarrauit, quorum singula fuisse diligenter discussa comperio in memorato literarum volumine; per contemptum conficit, quanti fierent res tam minimi pretij, *& ex quàm minimis riuulis originem traxerit lacus ille, qui Europam inundauit.* At exciderat è memoria nostro censori, cuncta semina esse minima; & summi Magistri documentum esse, haud negligenda paruula, ex quibus grandia proueniunt. Etenim æstimare quæ iam orta sunt, & incrementum accepere, etiam rudibus commune est: prouida sagacitas ea præuertit, curatque priùs quàm prodeant, ab efficaci tenuitate minutarum causarum: minimorum ignoratio & contemptus, occulta Rerumpublicarum caries est. Nulla hominum communitas reperietur adepta felicitatis virtutisque præstantiam, & in ea perseuerans, sine exquisitissima illorum cura, quæ negligeret quicumque exquisitissimam perspicaciam non haberet. Ita Natura mundum seruat, dum non minùs atomum quàm montem curat; siquidem mons quilibet reuerà tandem atomorum congeries est. Quin optimus rerum æstimator Deus hoc ipsum exemplo nos docuit, dum in Lege, quam ipse populo suo scripsit, & in ritibus, quos Sacerdotibus suis præscripsit, adeò tenuia commendauit, vt præ ipsis ea quæ minuta Suauis appellat, colossi videantur. Sed à digressione ad historiam.

1545.

CAPVT X.

Quid Episcopis Regni Neapolitani à Prorege præscriptum: quidque agitatum ad inchoandum Concilium.

Aduenerant quoque Romanorum Regis Oratores, plurimumque ambigebatur de inaugurando Concilio; quod præcipuus rei cardo erat, cuiusque gratiâ mandatorum literæ protrahebantur. 1

Hinc enim [a] indecorum videbatur, eam iniri solennitatem tam modico Episcoporum numero: hinc eius inauguratio censebatur certum apud Christianas Nationes classici non ex ludicro signum; adeoque eos commoturum, quorum lenitudo ab incerto fouebatur. Verumtamen hæc ratio haud putabatur satis esse inchoando tam exilibus auspiciis tam ingenti molimini, cum aliquo existimationis detrimento, quæ ad huiusmodi moles sustentandas basis est. Testabatur Mendoza, Hispaniæ Præsules breuî se daturos in viam: quod etiam confirmabatur literis [b] Nuntij Poggij, significantis, delata iam Regia mandata iis qui essent adituri; [c] Itali verò efficacissimo Pontificis iussu solicitabantur, ne iis quidem exceptis, qui munia Romanæ Curiæ obirent. Non tamen extremus rigor adhibitus, ne fortè seorsim singuli offenderentur, qui coniunctim omnes Ecclesiam erant defensuri, & Christianæ Reipublicæ leges laturi.

[a] Literæ Legatorum ad Farnesium, 30. Martij.

[b] Vallisoleto ad Farnesium, & ab eo missis ad Legatos, 14. Martij.

[c] Literæ Farnesij ad Legatos, 11. Martij.

Vt tandem quid agendum statueretur, lucem aliquam de Comitiorum progressu à Mignanello [d] præstolabantur. Sed aliud non illuxit, quàm Cæsarem meditari [e] promissionem alterius Ordinum Conuentus ad Religionis controuersias agitandas, vbi per Concilium minimè componerentur: vnde videbatur velle Cæsar tam Pontifici quàm ipsi Concilio quasi frænum iniicere. In ea rerum caligine iniunctum Legatis, [f] vt maiorem in Conuentu frequentiam expectarent, nisi tamen certiores fierent, tentari aliquid in Comitiis quod officeret Religionis integritati. Hoc si contingeret, confestim quocumque modo Concilium auspicarentur, ac Wormatiæ denuntiarent, non licere nisi in Synodo iam incepta, de huiusmodi controuersiis decerni. 2

[d] Literæ Legatorum ad Farnesium, 2. Aprilis.

[e] Literæ Legatorum ad Farnesium, 9. Aprilis.

[f] Literæ Farnesij 11. Aprilis.

Verùm res quædam accidit, cuius causâ postrema pars mandatorum retardata, per adiectam iisdem literis appendicem. Etenim Petrus Toletanus, Neapolitanus Prorex, ad illius Regni Præsules scripsit, exoptare quidem se ad emolumentum Ecclesiæ, vt omnes ad Conci- 3

Concilium confluerent: sed animaduerso illarum Dioecesium detrimento, cunctis Regio nomine imponi, vt literas procuratorias darent quatuor Episcopis à se designandis, qui Regni totius vices in Concilio gererent. Idipsum prius multis Episcopis aperuerat per Sacelli Regij Primarium Administrum (Cappellanum Maiorem vulgò appellant) ad quem Toletani iussu conuenerant. At illi vnâ voce repugnarunt, habere se in animo præsentes interesse Concilio; vbi verò id consequi nequirent, velle per se destinare Procuratores, prout sibi conscientia suaderet. Quæ oppositio eò magis elatum Proregis animum commouit ad eos perpellendos vi iussionis Regio nomine ipsis indictæ. 1545.

4 Hæc à Prorege gesta, quàm improuisa Pontifici, tam molesta accidêre. Id enim egregium erat inuentum, quo Principes plurimorum suffragia in paucorum linguas sibi addictas contraherent, atque ita Synodi moderatores imperiosiùs euaderent, ademptâ libertate, adeoque veneratione ac fructu, qui à libertate pendebat. Itaque rei nouitas repentè Pontificem impulit ad imperandam Legatis inchoandæ Synodi moram: posteà verò * per Diploma grauibus adiectis pœnis prohibuit, ne quis Episcoporum per Procuratorem adiret Concilium, sed per seipsum accederet. Quod quamquam videretur ita generatim reipsâ præstari non posse (ac tamen præstitum est) & Pontifex paratum gereret animum, ad eam legem posteà plerisque relaxandam; imperandum tamen putauit, & inuiolatè seruandum, donec Prorex ab incepto desisteret. Adeò vt tametsi Moguntinus Septemuir Purpuratus eò Procuratorem miserit, legitimis excusationibus adductis, quòd sibi necesse foret Comitiis interesse partem Catholicam defensuro, opus fuerit Procuratoris admissionem suspendere, ac eidem significare, potiùs per peculiare Diploma illum acceptum iri. Quod si verum est quod narrat Suauis, nimis seuerum Legatis hoc Diploma visum, adeoque priùs promulgationem ab ipsis retardatam, tamquam Episcoporum conscientiis permolestam; verum etiam est quod ille ignorat, cùm Romana responsa non legerit; inde nimirum eos fuisse admonitos, cum Diploma de *solis negligentibus* loqueretur (quæ voces culpam sonant, & culpam grauem, vbi agitur de pœna graui) haud solicitudinem afferri cuicumque per conscientiam probabilem operanti. Idcircò * à Pontifice promulgatum Diploma, typisque editum, vt dicemus, Legatis illius consilio acquiescentibus.

* Literæ Card. S.Floræ ad Legatos, 21. & 30. Maij.

* Literæ Card. S.Floræ ad Legatos, 16. Maij.

5 Intereà Legatorum epistola (qui Polo adhuc absente duo solùm erant) Pontificem impulit, vt aperiri iuberet Concilium die tertiâ

tiâ

1545. tiâ Maij, Inuentæ Crucis memoriæ sacrâ. Scripserunt, ea quæ Cæsar Conuentui proponebat, ab illo sibi communicata, huiusmodi esse: * *Cum emendationis negotium diuturnam deliberationem deposceret, & bellum Turcicum moram non pateretur, opportunius Cæsarem existimare, vbi Synodus inchoata iam esset, supersedendum in præsentia emendationis negotio: interim enim compertum fore, quo pacto Concilium sese haberet, quidve ab eo de morum emendatione sperandum. Si enim illius nulla spes affulgeret ante incepti Conuentus exitum, alium indictum iri, in quo tum Religionis, tum reformandæ disciplinæ consilium omnino haberetur.* Hoc posito considerabant Legati, posse Cæsarem ab armis Turcicis in dies singulos adigi ad soluenda ex improuiso Comitia, & sancienda illorum decreta, quibus, vbi Concilium nondum esset inceptum, indicerentur futura Comitia de Religionis negotio, per insanabile eiusdem vulnus: nec Germanos ampliùs destituros ad oblatam indicti denuò Concilij spem toties irritam. Quòd si apertâ iam Synodo, Cæsaris officia bello Turcico intenti Pontificem compellerent ad eam retardandam, nullam futuram fuisse iacturam, quin potiùs duplex lucrum: alterum, dum sisteretur periculosa nocentium humorum concursio imminentis conuentus ad sacras controuersias expendendas: alterum, dum omnibus palàm fieret, Pontificem, quod in se esset, velle reipsâ Concilium.

* Peruenêre 4. Maij, vt in Epistola Legatorum eâdem die ad Card. S. Floræ.

6 Addebant prætereà, Sibi suboluisse, Cæsarem in sinu Concilium nihil cupere; idque in Mendozæ fronte dignosci: celari tamen à Cæsare hæc animi sensa, quippe famæ suæ consulente, simulque verito, ne rursus à Pontifice ea sibi Scripturæ verba exprobrarentur, per Diploma publicum suprà recitatum obiecta, *Vocauimus, & non erat qui audiret; venimus, & non erat vir:* quibus acriter commotus fuerat, vti * Mignanello significauerat Granuellanus. Proinde gratum ipsi futurum hoc otium Legatorum, vt in illos culpam regereret eorum omnium, quæ, tametsi Ecclesiæ noxia, coactum se putaret indulgere Germaniæ ac Protestantibus, nondum inchoato Concilio; seque eo nomine pariter excusaret, quòd iam Legatis tempori communicasset, quæ Comitiis fuissent à se proposita.

* Literæ Mignanelli ad Ceruinum, 9. April. 1545.

7 Tertio loco adducebant; Mortales passim nolle sibi persuadere, Pontificem ex animo agere de Concilio celebrando: seu illius voluntatem metientes ex eo, quod sibi conducibile arbitrabantur; seu cùm discernendo non esset, quid casu, quid ex arte contingat, existimantes nihil vspiam euenire, nisi Principum consilio; adeoque Pontificis technis vertentes iniectas præteritis conuocationibus turbas: seu demum per vulgarem credulitatem maleuolentium calumniis

lumniis occupatos. Quapropter fieri quidem poterat, vt Concilium à Pontifice iam inchoatum cernerent; haud ita tamen, vt priùs crederent inchoandum: quod Mignanelli quoque literis confirmabatur. Itaque cùm esset extimescendum, ne Turcarum impetus rerum sacrarum curas ad armorum tractationem violenter conuerteret; si diu Concilij primordia protraherentur, vulgus obtrectaturum; quasi tunc aperiretur, cùm præuideretur necessitas eiusdem confestim claudendi. 1545.

Ponderabant postremò, plerosque præoccupatos eâ persuasione de auerso à Synodo Pontifice, peruersè interpretaturos Legati missionem, quasi tendentem ad impetrandam Concilij procrastinationem à Cæsare, qui studuerat per omnem conantis speciem non modò vt ipse crederetur Synodum promouisse, sed propemodum procreasse. Contrà verò à Pontifice, vt Apostolicæ Sedis honori consuleretur, omnem adhibitam operam, quâ palàm fieret, à se tamquam primo vltroque mouente principio rem illam agi, cui principio non stimulis præcedentibus opus esset, sed auxiliis subsequentibus: ideoque non sibi priùs innotuisse duorum Principum consensum, quàm Synodum à se indictam fuisse, Oratoris Vegæ reditu Romam haud expectato, ne Caput Ecclesiæ à dextera motum, non dextera à Capite videretur. Proinde disputabant Legati: Vel post Farnesij legationem reuerà Synodus cogeretur; & tunc vni Cæsari cunctos eam acceptam relaturos, quasi ille in procurando publico Ecclesiæ bono inuictus obstitisset contrariis precibus eamdem regentis: vel non cogeretur; & tunc præstò futuram Cæsari excusationem, quasi manus dederit illius importunitati, qui harum denique rerum curam gerebat, atque muneris sui vinculis obstringebatur: ac per euentum vtrumque obtrectante famâ diminutam iri reuerentiam atque amorem erga Pontificem; quæ duo maximè necessaria sunt ad fouendam in animis hominum Fidem Catholicam, quippe quæ ab omni & quacumque secta ceterorum Christianorum non aliter discernitur, quàm per coniunctionem cum Pontifice tamquam cum Capite. E conuerso, si Concilio daretur initium antequam Farnesius Germaniam adiret, ipsum, afflante sibi hac aurâ secundâ, illius Nationis animos propitios experturum.

1545.

CAPVT XI.

Mandata Pontificis ad Legatos de Concilio tertiâ Maij inchoando; non tamen ad opus deducta, & quare. Farnesij Legati transitus Tridento.

HÆc Epistola Romam delata Farnesio iam profecto, persuasit * Pontifici, vt Legatos iuberet statim memoratâ die Concilium inchoare: simulque certiores de iis fecit suos Nuntios apud varios Principes; & iam decreuerat solenniter sacris operari cum publicis supplicationibus, ad operis incepti prosperitatem implorandam. Quod certè re perfecisset; haud tamen concorditer cum iis, quæ Tridenti accidebant, nisi Legatorum literæ postridie manè perlatæ prius consilium haud iterantes, nec tamen pariter reuocantes, renuem aliquam suspicionem iniecissent Pontifici * mutatæ illorum sententiæ. Vnde solennem illam celebritatem distulit ad certos vsque nuntios inchoati Concilij. 1

* Literæ Card S. Floræ ad Legatos, 23. Aprilis 1545.

* Literæ Card. S. Floræ ad Legatos eâdem die 23. Aprilis.

2 Eodem tempore Diploma euulgarum (de quo dictum est) vbi cuncti Episcopi adire Concilium iussi, & negligentibus suæ Ecclesiæ regimine sacrisque interdictum; & ne quis per Procuratores adesset omnino cautum, adeoque hi à Synodo exclusi.

Et quamquam ad huius Diplomatis aspectum studeret Neapolitanus Prorex partim explicare * sua mandata, partim sustinere scriptis literis ad Pontificem, significantibus, ea solùm edita, quò consuleretur Episcopis dumtaxat quà egestate quà morbo præpeditis, quibus conducibilius esset Procuratores sufficere certò conuenturos, prudentiâ ac probitate satis idoneos, quàm vel prorsus abesse, vel minùs aptos sui vice delegasse. Quamuis, inquam, ita se purgasset initio, precatus Pontificem, ne interpretationibus suum decretum calumniantium fidem haberet; tamen Diploma postmodum ab Arcello Nuntio * ad Metropolitanos omnes, & per eos ad singulos Episcopos transmissum, indictas procurationes repressit: ac paulò pòst Farnesij Legati suasiones apud Cæsarem effecere, vt eius iussu Prorex ab incepto * remoueretur.

* Literæ Hispaniæ Proregis ad Pontificem, 2. Maij 1545.

* Literæ Arcelli, 9. Maij 1545.

* Literæ Farnesij V Vormatiâ ad Legatos, 22. Maij 1545.

3 Huius igitur Diplomatis antidoto præmuniente, Pontifex inchoationem Concilij Legatis indixit. De qua Suauis, commentariorum inops, & audaciâ diues, dum perquam temerariis coniecturis eos supplet, multa falsa permiscet. Vnum hîc proferam. Ait Pontificium mandatum peruenisse Tridentum, antequam eò Farnesius

nesius Legatus accessisset, & ab eo illac transeunte fuisse confirmatum. Vnde palàm fit, huic scriptori, vti diximus, non solùm epistolas Romæ ad Legatos missas haud innotuisse, sed neque eas omnes, quas Romam Legati scripserant, ex quarum vnâ * mox afferendâ oppositum habetur: hoc totum videlicet Romæ confectum post Farnesij profectionem, & ad Legatos perscriptum à S. Floræ Cardinali, qui Farnesij partes & curas exceperat in Aula Pontificis. 1545.

* Cardin. S. Floræ 28. Aprilis 1545.

4 Intereà Tridentum Farnesius deuenit; * & 20. Aprilis, dum iter adornaret, inchoationis iussa ad Legatos Româ delata. Re in consilium adductâ, censuere communicanda cum decem Episcopis, qui iam aderant. Mandata solùm de inchoanda Synodo, vbi Legatis ita visum esset, & intra perbreue spatium; non verò de præscripta die: quin potiùs illis dicendum, in literis Pontificiis haberi, ne inchoaretur, donec rem Cæsari Farnesius significasset; quod paucos intra dies futurum erat. Huiusmodi interpretationem Pontificiæ voluntatis persuaserat Legatis tum ipsa iussionis causa, hoc est ipsorum consilium Paulo propositum; tum opinio ac votum nepotis; tum etiam rationum aduersantium, quæ superuenerant, pondus.

* Omnia extant in Literis Legatorum ad Card. S. Floræ, 28. Aprilis.

5 Erant hæ: Primò, Cæsarem summoperè gaudere visum legatione Farnesij, versâ quacumque amaritie in dulcorem; qui dulcor contaminandus non erat absinthio cuiusdam quasi aspernantis ostentationis, si eo non admonito tanti momenti solennitas haberetur paucis antè diebus quàm ad ipsum Legatus peruenisset, perinde ac si ex industria id fieret, vt ipsi ac planè reliquis omnibus ostentaretur, Cæsarem in eo opere nec participem, nec in pretio habitum. Potissimè verò, quia Tridentinus ac Mendoza, cui mandatum inchoationis, non item diei fuerat expositum, pro certo posuerant, opus esse, id à Legato priùs cum Cæsare communicari, nisi maluisset in grauissimam illius offensionem incidere. Ad hæc accedebat, euanuisse suspicionem illam, quæ Legatos in eam sententiam traxerat tam celeris festinationis. Iam enim in comperto erat, Cæsarem ante 14. Maij Comitia non aditurum: proinde nihil timendum, ne quid ibi ante inceptam Synodum Religioni noxium statueretur, etiam post aduentum Legati eius initio protracto. At quod maximi erat ponderis; Comitia, quibus Granuellanus præerat ante Cæsaris interuentum, demum ex se ipsa decreuisse Religionis res in Concilio reponendas. Quare potiùs oportere nouos beneuolentiæ nexus texere, ad Cæsarem ac Cæsarianos arctiùs cum Pontifice colligandos, tamquam illi iam addictos; quàm ba-

1545. listas contentionis instruere, ad eos procul arcendos, tamquam oppugnatores.

Præterea Legati animaduertebant, cùm iam euulgata essent mandata proximæ inceptionis, tametsi non affixa diei certo, subtractum esse fundamentum interpretationibus legationis, quasi ad eam interturbandam destinatæ: Farnesium functurum officio non consulentis Cæsarem vt de re dubia, sed eam illi tamquam decretam communicantis; vnde optime cessuram cunctationem: id autem in Cæsarem obsequij vim plurimam habiturum, vt ipse faueret operi, quod sibi ac Nationibus videretur sui consensus auspiciis inchoatum. De his omnibus per certum & expeditum tabellarium Legati certiorem fecere Pontificem. [a] Admonuerunt pariter Moronum Bononiæ Legatum, & Ioannem Casam, apud Venetos Nuntium, ne fortè ex acceptis Româ literis contrarium facto rumorem disseminarent. De Germanis haud laborarunt; quòd in animum induxerant, ob moræ breuitatem non priùs de retardato, quàm de aperto Concilio nuntios eò peruenturos. 6

a Literæ ad S. Floræ Card. 8. Aprilis, hora 22.

At Legati, quibus ingenium Pauli probè perspectum, quàm libenter suorum consilia excipientis, tam imperij sui omnino tenacis, angebantur incredibili solicitudine, ne Pontifex indignaretur, vbi resciuisset, ea quæ disertè mandauerat nondum perfecta. [b] Et quidem Farnesius tam anxio cruciabatur animo, vt sibi vix temperare potuerit, admonente seriò Ferdinando Rege, ne per ditionem Wittembergensem, quâ sibi periculum imminebat, personam mentitus transiret, impatiens longioris itineris, tametsi tutioris. 7

b Literæ Farnesij ex Filengena ad Legatos, 6. Maij.

Verumtamen [c] rem Pontifex comprobauit: neque solùm Diploma cum facultate suspensionis ad Legatos misit, vt ipsi petierant, [d] quò sibi quocumque tempore cautum foret; sed ipsorum prudentiæ commisit inchoationem Concilij absque nouis mandatis, pro eo ac ex Farnesij Legati nuntiis arbitrarentur: egregiè gnarus, præterquam quòd non liceret absenti prænoscere ea omnia, quæ derepentè rem vrgent, in quibus consilium optimum est ipsa celeritas, administros solertiùs curaturos prosperum rei successum, cùm seipsos consiliorum auctores agnoscunt.

c Literæ Card. S. Floræ ad Legatos, 4 Maij.
d Literæ Card. S. Floræ ad Legatos, 21. & 22. Maij.

CAPVT

CAPVT XII.

1545.

Obstacula Cæsaris Farnesio proposita, ne Concilium aperiretur.

1 LEgatus comiter quidem à Cæsare acceptus est: sed in primis congressibus animaduertit, Tridentinorum suspicionem in eorum oculis non ab vmbra coniectam, sed à re solida, & reapse Concilium haudquaquam appeti. Etenim vbi primùm Legatus illud proposuit; Carolus, qui anteacto tempore Concilij auctorem se ostentauerat, dum Germanis acceptum credidit, tunc aliò vocem deflexit, ratus, inde efferatam Protestantium factionem in extremos furores exarsuram. Respondit itaque: Negotium illud à Pontifice tentatum ac inceptum, ad eumdem pariter pertinere; se rerum huiusmodi haud satis peritum, præsertim cum diu nulla Synodus Oecumenica extitisset: proinde nihil sibi superesse quod adderet, nisi in iudicio Pontificis rem committere, eiusque egregium animum commendare. Videri sibi quidem opus esse, vt hæresibus hisce aliquâ ratione consuleretur; cùm ex quantauis breui cunctatione timendum esset, ne parum superfuturum sit in iis Prouinciis & Pontificiæ & Cæsareæ auctoritatis. Ostendit, se non ignorare suos Hispanos Antistites adhuc abesse: sed facilè acquieuit Farnesio respondenti, Prima hæc initia solam cæremoniarum esse celebritatem, quæ tamen aduentum Præsulum solicitaret, quippe tunc nihil ambigentium, se fructuosè aduenturos: inter primordia, primamque Sessionem, multoque magis reliquas posteriores, in quibus grauiora perpendenda, haud modicum intercessurum temporis, & quantum satis illis futurum erat. Tum Legatus, animaduerso Cæsaris animo nondum certo quid vellet, seu quâ loquendi formâ quod volebat exponeret, quò dubia euitaret responsa, guarus ambigua semper ex potentiorum sententia explicari, Cæsarem rogauit, ne grauaretur, re priùs expensâ, sibi postmodum respondere. Assensus est Carolus, suaque sensa per Granuellanum se illi dixit aperturum. Hic die postero vnà cum Episcopo Atrebatensi & Diaquesio, qui Cæsari a secretis erat, Legatum conuenit; eumque percontatus de necessitate Concilij, post eadem quæ pridie Cæsar audierat, à Farnesio hîc repetita, respondit: Ea sanè sibi comprobari: sed Protestantes futuræ damnationis iam certos, ad primam Concilij quasi iam portarum apertionem, ad arma conclamaturos; non modò ne inermes ipsi deprehenderentur, sed quò Catholicos opprimerent, bellumque inferrent in Italiam, Religionis

Duæ Epistolæ Farnesij ad Legatos, 22 Maij, cum exemplari Epistolæ quam ad Pontificem scribebat.

1545. gionis arcem sibi execratam, & quam sperabant præsidio destitutam se inuasuros. Sibi ea omnia liquidò explorata: proinde se nosse percupere, quibus esset viribus Pontifex hosce motus compressurus. Asseruit, nihil à Germaniæ Catholicis sibi pollicendum, quibus nerui animique defecissent: Cæsari, tot thesauris in præterita bella profusis, nihil esse reliqui quod offerret, nisi seipsum; adeoque cuncta bello robora à Pontifice suppeditanda.

Hæc nimiùm morosè dicta Farnesio visa; qui hæc reposuit: Pontificem superioribus cunctis periculis animi sui amplitudinem supra potentiæ suæ angustias præ se tulisse; idemque nunc pro sua virili parte præstiturum; sed suæ ditionis opes rei vniuersæ molimini satis non esse: Arma sacrosanctæ potestatis sibi à Christo concessa; his vsurum intrepidè ad Religionem tuendam: Humanæ potentiæ tela longè validiora Cæsari aliisque Principibus tributa, quò illa contorquerent in eos, qui priorum insensibilem aciem negligebant: Efflagitatam in variis Germaniæ Comitiis Oecumenicam Synodum, à Pontifice semper exhibitam, indictamque in vrbibus, quæ ipsis placuissent: Postremò in Spirensi Conuentu Tridentum ab eisdem selectum; ibi posteà à Pontifice indictam, persolutis sibi gratiis à Norimbergensibus Comitiis. Idcircò nunc omninò par esse, rem illam exequi, non solùm ne videretur illusum Nationibus Christianis; sed etiam, vt clarissimo Diuini Spiritus lumine Catholicæ doctrinæ candor emicaret, hæresisque maculæ detegerentur; atque vt ex communi consilio & consensu corruptelis mederetur, quibus forsitan Ecclesiastica disciplina debilitata languebat. Plura vtrimque dicta, & iterati congressus, differente semper Granuellano quasi ex priuata sententia, non Cæsaris nomine; quicum tamen haud dissimulabat eadem verba fecisse. Sed eò tandem recidebat eius oratio, vt, si Pontifici quidem luberet aperire Concilium ac prosequi, suo animo satisfaceret: simul etiam significabat, Cæsarem ab ea cura se subducturum. Nec his dissimilia excepit Farnesius à Rege Romanorum, præsente Truxesio. 2

Legatus, ad suspicandum naturâ pronus, vt alibi notauimus, veritus est, ne subtiliori artificio Carolus vteretur: velle scilicet, hinc dilato Concilio, exugere à Protestantibus delinitis quàm maxima posset subsidia, ac præcipuè pecuniam anno superiore collatam ad bellum Gallicum, quod posteà dissolutum, ac maiori ex parte in ipsorum manu seruatam; hinc verò à Pontifice, ad hæreticos armorum robore subigendos inflammato, bonam in præsentia pecuniæ vim extrahere, quæ sibi plurimùm conduceret ad id, quod, vt diximus, 3

mus, intendebat; hoc est, ad continendos in obsequio erga se Protestantes, cùm per eam ipsis formidabilior, adhiberet hoc pacto efficacissimum alexipharmacum, quod conflare solita est timoris acrimonia cum indulgentiæ dulcore permixta. At verò vbi Concilium inchoaretur, timere Cæsarem, ne in Comitiis à Protestantibus per indignationem desereretur, quidquid postulasset denegantibus. Eoque altiùs ea suspicio Legati animo infigebatur, quòd ab ipso Cæsare cognouerat, id temporis nullum à Turcis instare metum; quin Regis Galliæ hortatu hominem Constantinopolim missum, qui de induciis comparandis ageret. Quare non apparebat, cur Cæsar, iam penè liber à periculis ac difficultatibus externi belli, ita sese timidum, ita debilem ostentaret, cum solis Lutheranis decertaturus. 1545.

4 Hæc omnia mihi perspecta in literis Farnesij ad Legatos Tridenti, & in exemplo epistolæ ipsis communicatæ de iis, quæ habebat in animo ad Pontificem scribere, egregiæ falsitatis affirmationem Suauianam conuincunt; nimirum, Farnesij missionem eò spectasse, vti Carolum bello in Protestantes implicaret, adeoque à petitionibus Concilij distraheret. Neque in hoc deliquit solùm, affirmando vt verum quod ignorabat, sed quod non esse verum pernoscebat. Etenim etiamsi careret literis Farnesij Legati, Suaui prorsus ignotis, ex responsione à Tridentinis illi reddita, * inclusa in volumine literarum, quas lustrauit Suauis, & quam mox afferemus, oppositum huic calumniæ deprehenditur. * 16. Maij.

5 Igitur intelligentes Legati, Præsules discessum meditari, vbi Synodi primordia longiùs protraherentur, fidésque abrogaretur nuntiis præteritis, * Pontificem rogarunt, ipsos præsentibus mandatis præmuniret, per quæ sibi esset in promptu rem exequi, statim ac sensa Caroli ex Farnesij nuntiis innotuissent. Atque ad eam rem Pontifici proposuere, Responsum vno ex tribus modis à Cæsare concipi posse: Aut inceptionem Synodi sibi probari: aut eam à se Pontifici permitti: aut denique sibi non probari. Proinde ipsos ab eo se petere, quid sibi in quouis ex tribus responsis agendum. Rescripsit Paulus: Si Cæsar approbaret, * illicò Synodum inchoarent: si permitteret Pontifici, idem peragerent, dummodò permissioni non adnecteretur aliqua opposita ratio, maturiùs expendenda; si enim ita contingeret, aut Cæsar rem improbaret, Româ, quid agendum expectarent. * Literæ Legatorum ad Card. S. Floræ, 12. Maij. * Literæ Card. S. Floræ, 21. Maij 1545.

6 Iam verò vbi à Farnesio quæ iam memorauimus accepere, vehementer commoti, in hanc sententiam rescripsere: * Nec nouum, * 16. Maij.

nec

1545. nec præter expectationem esse, Protestantes legitimo Concilio refragaturos; vnde mirari se, ob eam causam pristinæ suæ voluntati Cæsarem haud insistere. Sed cùm hoc euitari non posset, velle se impensè Legatum admonitum, vt in eo negotio tam apertè se gereret, vt cuilibet mortalium perspectum planeque persuasum foret, exoptari Concilium à Pontifice, & quod in eo esset, promoueri, nec rem ab illo prætermitti, nisi inuiso eo, quod Cæsar non assentiret: Ac sanè tam dilucidâ testificatione eò magis opus esse, quòd Cæsar Comitiis publicè fuerat pollicitus (vt enarrauimus) se alia Comitia indicturum super Religionis controuersiis, vbi Concilium ante Comitiorum, quæ tunc agebantur, exitum nondum esset apertum. Quapropter oportere palàm fieri illi Conuentui, vniuersæque Christianæ Reipublicæ, Concilium, quantum spectaret ad Pontificem, iam expandi, adeoque nullam inde ansam Cæsari porrigi seruandi promissi, auctoritati Pontificiæ indecori; atque huiusmodi planè verba epistolæ apposuere, cuius exemplar Romam ad S. Floræ Cardinalem transmissum eodem die: *Quod in nobis esset, Pontifici quidem proponeremus, vt mallet suam Sedem deserere, Clauesq. Diuo Petro restituere, quàm tolerare, vt profana potestas sibi arroget integram auctoritatem in Religionis causis peragendis, eo prætexto colore, quòd Ecclesiastico muneri suo defuisset in Concilio celebrando.*

* Literæ ad Card. S. Floræ, 26. Maij.

Prolixius deinde Pontifici exposuere, * sibi vndique angustias 7
obuersari, cùm intelligerent ex vna parte, haud incepto Concilio communiter homines, qui manum potiùs quàm linguam obseruant, à calumniis in Pontificem minimè destituros, quasi per fraudem omnia præterita iam spopondisset, & mero fuco futuras excusationes oblinire: præterquam quòd in eo rerum statu æquè periculosum ac indecens futurum esset, omnino Synodum claudere, ac ita suspensam habere: & verisimile videri, Principes diuersâ rerum suarum vtilitate ductos neutiquam concordaturos. Ex altera parte, si Principibus inuitis aperiretur, perinde futurum, ac celebrare Concilium, quantum ad rem ipsam, haud Oecumenicum; cùm liqueret, Episcopos in eo adeundo adhærere Principum votis, in quorum ditionibus suas Sedes obtinebant.

* Totū constat ex Epistola Legatorum ad Card. S. Floræ, 12 Maij, cum exemplari arcanarum Literarum, quas ipsis miserat Nuntius Mignanellus, 28. Aprilis.

Hoc postremum eò fortiùs vrgebat, quòd suspicabantur, Gal- 8
lorum Regem eodem erga Concilium languore tepescere. Quare non solùm ad eum vsque diem neminem è suo Regno illuc miserat; sed Grignanus, ipsius Orator apud Cæsarem, dixerat, * A se laudari, si loco Concilij designarentur ex qualibet Natione docti viri ad disceptandum, agitandamque concordiam cum Lutheranis; simulque

musque adiecerat: Quemadmodum hi Tridentum numquam conuenturi erant, ita posse illis fortasse suaderi, vt Metas accederent, quò paratior esset cuiusuis Nationis concursus. Quamquam reuera destinarat Rex ante aliquot hebdomadas suos ad Concilium Oratores: * sed vel id ignorabant Legati, vel suspicabantur vocem esse ac speciem inânem. In ea perplexa mentis fluctuatione, nouæ lucis aliquid à Farnesij Legati reditu expectandum putabant; nec timendum intereà, ne quid in Comitiis aduersi decerneretur, cùm Turcicorum armorum terror iam sopitus, non ampliùs illorum exitum solicitaret. 1545.

* In Fonte Bellæ Aquæ 30 Maij 1545. vt in libro Gallici sermonis, vbi multi exstant Commentarij ad Concilium spectantes; qui sæpiùs citabitur, iuxta factas additiones in Parisiensi impressione ann. 1654. apud Cramoisium.

CAPVT XIII.

Farnesij Cardinalis reditus. De bello Protestantibus inferendo negotium. Varia Tridenti euenta.

1 SVspiciones Farnesij de Cæsaris animo euentus difflauit, quo patuit, quæsitam à sincero Principe motam illam Concilij, quò validius aperiretur, dum ipse meditabatur cum sacri armamentarij telis, suorum quoque militum in Lutheranos arma coniungere. Verùm, vti Cæsariani suprà quàm verum esset vires Pontificias opinione attollebant, adeoque pro ea mensione parcum in subsidiis Pontificem, & languidum in votis existimabant; ita pariter Pontificij apud animum suum potentiam Cæsaris amplificabant, sibique persuadebant, eum nolle quod posse inficiabatur, cùm humani sit ingenij, neminem in aliena domo eas angustias opinari, quas experitur in sua.

2 Neque Concilij retardatio noxia contigit. * Ea siquidem Pontificis testificatio per suos in Germania Nuntios elatâ voce vulgata satis fuit, vt cunctis tandem exploratum redderet, nihil ab eo per simulationem agi; animosque Catholicis addidit, vti Spirensis Decreti confirmationi resisterent. Et ex alia parte rei procrastinatio Lutheranos cohibuit, ne acti rabie præcipites ruerent in Catholicos; quod molestissimas turbas excitasset, antequam armorum induciæ cum Othomanno perficerentur, * vt Tridentinus Cardinalis ad Farnesium scripserat. Intereà quà vt ignobilis otij species vitaretur, quà vti Patres iucundâ solertiâ, & auctoritatis exercitatione detinerentur, ne per tædium, prout militibus lentæ obsidioni defixis accidere solet, dilaberentur; auctor erat Tridentinus, vt per dies singulos daretur opera iis parandis, ac disponendis, quæ Concilio vsui futura erant. Atque ita peractum: nec deerant quotidie tum

* Literæ Nuntij Mignanelli, 30. Maij.

* Literæ Tridentini Cardinalis ad Farnesiũ, 18. Maij.

1545. noua quibus allicerentur, tum ardua quibus exercerentur. Aduenere subinde Præsules ac Theologi magni nominis ex variis Regnis, [a] & inter ceteros quatuor ex Neapolitano, à Prorege designati, qui tamen nec Romæ apud Pontificem, nec Tridenti apud Legatos vllam fecere mentionem sibi demandatæ ab alíis procurationis. Ferebatur, à Rege Galliæ destinatos aliquot Antistites, ac Doctores in primis spectabiles, qui breuî adfuere. Nonnullis inopiâ laborantibus Pontificia [b] liberalitas præstò fuit.

a Variæ Literæ Legatorum, præsertim ad Farnesium, 7. & 8. Iunij.

b Literæ Legatorum ad Farnesium, 10. Iunij, & 4. Iulij.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 7. & 12. Iunij.

d Literæ Legatorum ad Farnesium, 23. & vltimâ Iunij.

Cum Procuratoribus Moguntini per magnam industriam actum: etenim vix audito rumore Diplomatis de Procuratoribus excludendis, vehementissimè commoti sunt. [c] Vnde visum est Legatis eò progredi, vt negarent ad eos excludendos Diploma confectum: eisque per speciem oblectamenti suaserunt Venetias petere tantisper, dum obtinerent à Pontifice potestatem illos admittendi. Nimis dissona Regis Romanorum Oratoribus superuenere mandata: [d] Peterent videlicet à Legatis, vt Pontificem extimularent ad maturanda Concilij primordia, dum Rex ille cum fratre suo Carolo ea retardabant. Et quidem contendebant hi Oratores ea quæ sibi mandabantur solenniter exponere, ad solatium Episcoporum, qui tædio affecti ibi detinebantur à Ferdinando. Eos tamen cohortati sunt Legati, vti præstolarentur priùs reditum Venetiis Oratoris Cæsarei Mendozæ, qui valetudinis gratiâ eò se contulerat; ab illo & clariùs & tutiùs eos deducendos, vt Regis ac Cæsaris voluntati obsequerentur. Tridentinus verò à Legatis admonitus, persuasit Regiis Oratoribus, vt priùs ad Ferdinandum rescriberent, quàm exequerentur mandata, ne Legatos compellerent ad se purgandos vero sed acerbo responso. 3

Hæc dum euoluerem, non potui non identidem prosequi commiseratione Pontifices, quibus deducenda fuit Petri Nauis per sinum scopulis magis quàm aquis oppletum, & inter ventorum flatus inuicem depræliantes, cunctosque illius cursui aduersantes, præter vnam Sancti Spiritus auram. Et sanè volutabam animo, Pontificum conditionem huiusmodi esse, vt si quando nauigium impingeret in scopulum, vituperationem subirent, quasi ignaui imprudentisque gubernatoris; sin prosperè administratum ferretur, quasi callidi, & suis vtilitatibus inhiantis: perinde ac si vel humana solertia Omnipotentis dexteræ vim haberet; vel cupiditas mortalium bonorum non efficaciùs suaderet, vt nauigatione neglectâ ad piscatum incumberent. Certum est, quantumuis Pauli III. laboriosissimum Principatum alia curarum moles haud grauasset, quàm ea quæ paucis 4

à nostra

à nostra Historia insinuatur; huiusmodi tamen onus visurum fuisse decrepitæ illius ætati prorsus intolerabile. Eum tamen tunc magnopere solatus est acceptus à nepote nuntius, velle reuerà Cæsarem in hæresim ensem educere. Vt autem ab arcano impenetrabili spes euentus animabatur, ita ipsis etiam Legatis initio vix per vmbram indicatus in Farnesij epistolis, quibus [a] significabatur, Pontificem ac Cæsarem de Synodi negotio concorditer agere. Eo posteà Romam regresso sub initium Iulij, minùs latenter cum illis actum; [b] simulque significatum, Cæsarem expeditioni Catholici fœderis intentum, cupere ne quid innouaretur de Synodo; proinde Pontificem nolle Caroli voto aduersari, etiamsi moram illam ægrè ferret, quæ tamen breuis futura. 1545.

a Colligitur ex vna Legatorum ad Farnesium, 20. Iunij.
b Cardinalis Farnesij, 13. Iulij.

5 Wormatiæ de bello pressiùs consultum, & à Paulo opem offerente quam posset, & Carolo quam debuerat haud negante, nec quam Pontifex non poterat flagitante. Curauit Cæsar, ne huiusmodi negotium sub Protestantium aspectum prodiret, ne in rabiem præcipitarentur; sed aliqua solùm illius species elaberetur, vt metu coërcerentur. Vnde adeò repugnat veritati, quod Suauis comminiscitur, profectum festinanter Legatum Wormatiâ, quò suspicionem Protestantium de se conceptam dilueret; vt potiùs Orator Mendoza [c] mirificè Pontificem laudauerit apud Legatos, quòd pro Cæsare bellicum apparatum instruxisset, posteà verò supersedisset, vtrumque ex Cæsaris arbitratu: cùm reipsâ studeret Carolus palàm facere Lutheranis, se præualido gladio instructum esse; sed eo nolle vti, nisi ipsorum proteruitas illum è vagina traxisser. Ad eamdem rem Romam legauit Andalottum è sua familia, cui plurimùm fidebat, aliàs ad Margaritam Caroli filiam deducendam eò missum.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 7. Augusti.

6 Itineris species præ se ferebat officium inuisentis Margaritam filiam parentis nomine; sed interior veritas moliebatur Concilij fœderisque negotium apud Pontificem. Neque illi displicebat, vt hæc veritas sublustrem quasi per vmbram interluceret; sed ita, vt Protestantes putarent integrum sibi, moderato quodam obsequio rem impedire.

Festinus Farnesij abitus non ex noua causa, sed ex suo pristino consilio à nobis indicato profectus est: vt nempe ante Comitiorum exitum Romam attingeret, communicaturus cum Pontifice ea quæ cognouerat; adeoque posset tempori, vbi rerum conditio postularet, præuerti per apertam Synodum pericula sanctionis, quæ cum Ecclesiæ detrimento in recessu Comitiorum ederetur. Quapropter Belcarius, Scriptor quò veracior eò cautior quàm Suauis,

 solùm

1545. ſolùm narrat, [a] Farneſium Cardinalem perueniſſe Wormatiam 17. Maij, pridie quàm Cæſar aduenirer, ibique dies paucos commoratum, nullâ causâ ſeu aduentus ſeu diſceſſus patefactâ.

a Lib. 14. & 25.

Enormius mendacium eſt id quod Suauis pronuntiat de hac le- 7
gatione, dum falſitatis quam priùs confutauimus tenax, miſſionem ſcilicet Farneſij eò præcipuè collimaſſe, vt conſenſum Cæſaris obtineret pro deſtinata conceſſione iuris beneficiarij in Parmam ac Placentiam; eum inducit vtentem duplici ratione ad Carolum alliciendum, quæ ambæ pro certo ſumebant continuationem Mediolanenſis ditionis penes eumdem Carolum. Altera ex his erat, Vrbes illas minori futuras Cæſari ſuſpicioni ex propinquitate, minorique obſtaculo recuperationi, vbi eam tentaret, ſi forent in poteſtate peculiaris Principis, quàm Romani Pontificis. Ex quo patet, hunc hominem haud narratoris, ſed fabulatoris agere partes. Eâ ſiquidem tempeſtate tam longè aberat, vt Mediolanum putaretur diu perſtiturum in Cæſaris dominatu, quàm certum eſt, per eos dies Aurelianenſem Ducem perrexiſſe acturum [b] Cæſari gratias de promiſſis ſibi nuptiis cum fratris filia, & Mediolani fiduciaria poſſeſſione. Iuuenis autem mors, [c] quâ rerum ordo immutatus, incidit poſteà in ſubſecutum Septembrem. Et ſanè mandatorum capita Farneſio tradita, [d] quæ à me perlecta ſunt, duo complectebantur: Ferre nimirum pecuniæ ſubſidium contra Turcam; & Cæſarem impellere, vti Synodo faueret, eidemque quodcumque Religionis negotium committeret. Inter hæc primæ magnitudinis errata connumerandum non eſt aliud quod admittit, ſupinum potiùs quàm magnum; videlicet, tributum à Paulo impoſitum nouo Principi, Parmæ ac Placentiæ beneficiario nomine, fuiſſe octona annua ſcutorum millia; tametſi nemini ex Aula Romana compertum non ſit, eſſe nouena ſcutorum millia. Nemo quidem eſt ſapientum, qui quàm plura geſta non ignoret aliis apertiſſima; ſed nemo prudentum, qui ſe irriſionibus exponat, dum geſta commemorat ignota ſibi, & aliis apertiſſima. At relicto Suaui, ad locum regrediamur illi ſummoperè inuiſum, hoc eſt Romam.

b Literæ Legatorum 30. Augusti ad Beccatellum ipſis à ſecretis Romam miſſum.

c Literæ Legatorum ad Farneſium, 20. Septembris.

d Ad Farneſium miſſa poſt ipſius profectionem, 17. Aprilis.

CAPVT

CAPVT XIV. 1545.

Quæ nomine Cæsaris Andalottus Romæ agitauit: & consilia Pontificis cum Legatis de Concilio. Parma & Placentia Petro Aloysio concessa.

1 QVæ Pontifici Andalottus proposuit, huiusmodi fuere: Per reliquos eius anni menses, * bello gerendo opportunos, videri Carolo, arma Protestantibus inferri non posse; sed suam operam in annum proximum offerre: cum tamen in eo ipso se iudicio ac voluntati Pontificis submittere. Hac admissâ morâ, cupere se interim, ne Synodus inchoaretur, aut, vbi ea mora Pontifici non probaretur, duo postulare: Alterum, vt antequam aperiretur, Cæsar commonefieret, quò posset illicò Wormatiâ discedere, & molestiis Lutheranorum querimoniis se subducere: alterum, vt abstineret eo tempore Synodus à dogmatum decisione; quæ dum hæreticos lacesseret, ad vltionem extimularet; sed tum generalibus quibusdam atque nouis disciplinæ legibus edendis se contineret.

* Literæ Farnesij ad Nuntium Verallum, 19. Iulij 1545. communicatæ Legatis.

2 Posse nihilominùs contingere, vt Protestantes, etiamsi ea de illis haberetur ratio ad Concilij initia, furore perciti, in Catholicos debaccharentur: proinde opus esse, præsidium aliquod, si quid accideret, paratum habere. Quò eos lactaret, se à Pontifice poscere, vt per eum sibi fas esset in exitu Comitiorum ipsis colloquium & alium Conuentum indulgere, per hiemem habendum; in quo spondere se Pontifici, haud quidquam noxium permissurum Orthodoxæ Religioni ac Pontificiæ auctoritati. Opem quoque petiit à Pontifice ad percellendum statim Hermannum Archiepiscopum Coloniensem, qui multis ab hinc annis animum contumacem, ac Religionis contemptorem præ se ferebat; & in eo gradu si persisteret, maximum detrimentum allaturus fuisset.

3 Dum hæc refert Suauis, erga hæreticos suauissimus, præterit silentio præcipuum Hermanni delictum, hoc est, patefactam propensionem animi in Lutheranam doctrinam, * & non modò publicam illius permissionem in sua Diœcesi, sed etiam propagationem per varios à se delectos distributosque præcones. Prætereà, perinde ille differit de Cæsaris in Hermannum animaduersione, ac si Carolus rem gessisset nullâ Pontificis & cuiusuis Ecclesiasticæ potestatis habitâ ratione. Postremò subdidit nomine Cæsaris Andalottus, Cùm ineunte Vere arma essent mouenda, oportere conditiones interim stabilire.

* Vide Bel-carium lib. 24 n. 26. & Spondanum an. 1545. n. 7.

1545. Respondit Pontifex: Quantum ad se spectaret, belli apparatum 4
præstò esse: sed vbi Cæsar prolationem necessariam duceret, ipsius se iudicio rem committere, quippe tam incluti prudentisque Imperatoris, quique rei momenta non auditu, sed visu metiebatur: Concilium ampliùs otiari non posse sine dedecore, & Christianorum offensione. Quod si aperiretur, se, prout par erat, curaturum rem ita moderari gerendam, vt inde potiùs adiumentum, quàm obstaculum Religionis commodo, belloque proposito experiretur. Sed de iis * ad Nuntium datæ literæ (quippe res huiusmodi præ Andalotto intelligentem) vti Cæsari aperte demonstraret, haud licere Pontifici à consuetudine præteritarum Synodorum recedere, quæ semper à præcipuo capite initium duxerant, nimirum à declaratione doctrinæ; eamque planè potissimam esse causam, etiam in Diplomate propositam, huius Concilij celebrandi. De reliquo, eâ se vsurum agendi ratione, quæ voto Cæsaris aptissima videretur.

* In Epistola citata.

Ad Catholicos tutandos aduersus Lutheranorum impetum, sibi 5
nullum validius præsidium in mentem venire, quàm Cæsaris in Germania commorationem, in aliqua vrbium, quam ex loci propinquitate opportunam simul futuri belli apparatibus, simul Concilio ac Pontifici arbitraretur. Vbi verò Cæsar existimaret, sibi opus esse in Belgium contendere, Pontifex quod in se foret spopondit, se rerum angustiis pro suis viribus haud defuturum.

De colloquio & Comitiis respondit, Sui muneris nihil esse quod probaret, sed solùm vt Cæsarem cohortaretur ad ea seruanda, quæ religiosissimè promiserat de tuenda illibata veræ Fidei primæque Cathedræ dignitate; quibus integris, ea Cæsar consilia caperet, quæ sibi potissimum expedire censeret.

Apud se quoque statutum ostendit Pontifex, procedere ad expoliandum sacris Infulis Coloniensem, tamquam hæresis manifestum; simulque in animo habere, facultatem intereà Cæsari tribuere, vt ipsi liceret auctoritate Pontificiâ in illum animaduertere.

Ad sanciendas fœderis conditiones paratum se ostendit: vnde ad eas celerius componendas, tabellarius extra ordinem ad Cæsarem missus.

Hæc omnia, vt memorauimus, ad Nuntium Verallum perscripta: 6
ac per eam opportunitatem aliud illi consilium communicauit Paulus; Sibi diu fixum in animo, pariterque in animo clausum, tantisper dum spes non affulgeret illius aperiendi simul ac perficiendi citra litem & cum laude.

Videbatur illi, Concilium coactum in Austriaca ditione, ac Germaniæ

maniæ aditu, nimiùm patere violentiæ seu illius præpotentis dominationis, seu illius tumultuantis Nationis. Illud ibi concesserat, non quidem vti per se bonum, sed vti minus ex duobus malis. Ex altera parte considerabat, ideò prospexisse Deum melioribus Ecclesiæ temporibus, vt ipsius Vicarius ditionem propriam possideret, quò ei largiretur plenam illam agendi libertatem fidentiamque, quâ in alieno frui non liceret. Quapropter, si hæc integra, suique iuris libertas Ecclesiæ Capiti debebatur, non minùs eâdem opus erat vniuerso Ecclesiæ Corpori simul coalito, vbi oporteret, vt in præsentia, doctrinas legesque sancire, aduersus quam Nationes ac Principes propriæ vtilitatis gratiâ reclamarent. In eamdem quoque sententiam accedebant Legati; * quibus videbatur, se degere tàquam specie Præsides, sed reuerà subditi: semper enim si non iure, certè reipsâ alteri subest, quisquis in aliena ditione commoratur. Quin verebantur, ne Præsules & Oratores, quà incommoditate loci compulsi, quà propensione Austriacorum Principum, ac reliquorum Germanorum atque clientum, intima Germaniæ loca concorditer peterent, quò Legatos etiam rapi ab impetu necesse foret, ac postmodum in plagas incidere. 1545.

* Literæ arcanis notis scriptæ à Legatis ad Farnesium, 19. Iulij 1545.

7 Ex altera parte, rerum ac temporis conditiones aliquam illis spem faciebant, posse absque vllius offensione traduci Concilium in vrbes Italicas, seu nulli Regum addictas, vti Ferrariam; seu etiam nulli ex propinquis Principibus, cuiusmodi erant in Ecclesiastica ditione, in quibus eiusdem omnino est sacra Potestas ac profana. Spes hæc rei, nemine reclamante conficiendæ, nitebantur tum iis qui Tridentum conuenerant, tum etiam Principibus. Qui conuenerant, hoc est Episcopi & Oratores, videbantur eam vrbem fastidire, pertæsi angustias domicilij, loci asperitatem, cæli inclementiam, soli sterilitatem. Cùm autem corporis incommoda diuturniora sunt, ægerrimè tolerantur; quippe vitæ conseruationi per se aduersantia, multoque magis ab hominibus togatis, adeoque delicatioribus. Videbantur ij libenter in commodiorem sedem abituri, præsertim nondum inflammati rerum tractatione, mutuisque altercationibus, quæ interdum homines adigunt, alios pietatis studio, alios æmulationis ardore, alios cupiditatis impetu, ad quamcumque corporis molestiam deuorandam.

8 Principes spem abiecerant, hæreticos per hanc Synodum recuperandos. Quod verò spectabat ad Catholicorum ipsis parentium quietem, haud illi diffisuri videbantur vrbibus subiectis Pontifici, dum is cum Cæsare conueniret. Regi Galliæ gratius esse non poterat,

1545. terat, in vrbe Austriaca quàm Pontificia, siue minoris notæ Principi addicta Concilium cernere. Cæsar alienum se à quocumque Concilio id temporis ostendebat, præter vnum, quod imitaretur tormentum bellicum semper grauidum pilis, numquam explosum; adeoque quod terrorem incuteret, non vulnus infligeret. Atque in hæc sensa nuper cum Montano collocutus fuerat Orator Mendoza.[a] Aiebat enim: Quæ pertinent ad doctrinam, affatim esse librorum, ex quibus quid credendum constaret: quæ ad morum emendationem; ea sancienda Romæ à Pontifice cum Cæsaris voluntate coniuncto, non Tridenti ab Episcopis. Insinuabat, vbi Concilium aperiretur, clausum iri Cæsari fontem vberrimum ex Crucesignatorum Priuilegiis, ex dimidiorum fructuum prouentu, aliisque pensionibus, quibus Synodus refragatura esset; vtpote ex Ecclesiasticis conflata, damnum ob ea vectigalia patientibus. Quod si per duos menses adhuc supersederet Pontifex, id maximè conducturum Cæsari, quò plurima eliceret à Protestantibus parti Catholicæ opportuna. Hinc transgressus, aiebat; Se Cæsari variis rationibus ostendisse aduersa omnia, quæ vel Pontifici, vel sibi contigissent, remissæ inter eos amicitiæ imputanda, ex languore mutuæ inter se concordiæ suborta. Quæ sensa mirum quantum dissideant ab iis quæ typis edidit Sandouallius in commemorata dissertatione, ab ipso Mendozæ attributa, in qua Cæsari suadetur, vt acerbè & per contemptum cum Paulo se gerat.

a Literæ Legatorum ad Farnesium, 7. Augusti.

Ceruinus quoque subaudierat, Cæsarem assensurum potiùs Concilio Romam transferendo, quàm tunc inchoando.[b] Et Antistites meditabantur publicam postulationem, vt vel Synodus inciperetur, vel à Pontifice liberarentur. Hæc omnia Paulum permouêre, tum vt Verallum[c] iuberet sagaciter odorari, quonam animo Cæsar translationem sibi propositam acciperet; tum vt vellet, à Legatis distinctiùs explicari suam ipsorum sententiam priùs[d] per literas, deinde per ipsam vocem Ludouici Beccatelli, quem & Pontifex illis à Secretis destinarat, & ipsi ad Pontificem ea de causa Romam legarant. 9

Literarum[e] ac monitorum summa hæc fuit: In Conciliis celebrandis duo esse spectanda: vt populis consuleretur, & Christianis Principibus satisfieret. Hæc toties processisse coniuncta cum operis facilitate, &[f] euentuum felicitate, quoties in eo Principes aliò non spectarant, quàm ad populorum vtilitatem, ac Dei gloriam. Nunc verò in alium statum res delapsas, vnde difficultas ac periculum oriebantur. Munus esse Pontificis, saluti magis populorum, quàm Principum cupiditati prospicere. Proinde par non esse, Orbi Chri- 10

b Hæc omnia extant in citatis Literis Legatorum ad Farnesium.
c In Literis citat. Farnesij Cardinalis.
d Literæ Farnesij ad Legatos, 13. & 30. Iulij, & 7. Aug. 1545.
e Extant in libro Instructionum spectantium ad Conciliũ in Archiu. Vatic. 8. Augusti 1545.
f Data sunt 13. Augusti 1545.

Christiano fucum facere, Concilio dumtaxat ad spectaculum pro- 1545.
posito, in gratiam Potentiorum: è contrario, illis inuitis fructuosam Synodum haberi non posse. In huiusmodi anfractibus Legati duo consilia proponebant.

11 Primum erat: Per nouum Diploma exoptatam morum restitutionem perficere, secundùm postulata Nationum magis rationi consentanea, & reuerà ipsam exequi, ac deinde Concilium dimittere; cùm iam cunctis exploratum esset, nihil illi prosequendo, quod in se erat, defuisse Pontificem. Alterum erat, sub conditione peragendi Concilij; quâ positâ dicebant: Vel haberi pro certo Cæsarem Synodo aliò transferendæ consensurum; & tunc illam Tridenti aperiendam, perfectisque vnicâ Sessione cæremoniis, relicto Tridento alibi continuandam, quò adeuntes Episcopi intelligerent, non ad speciem eò vocari, vt anteactum otium ipsis ominari videbatur: Aut certum erat, Cæsarem dissensurum; & tunc retinendam inchoandamque Tridenti Synodum, pro eo ac Cæsari Germaniæque promissum fuerat; dummodò Germani abstinerent à colloquiis & conuentibus de Religionis negotio in conspectu Concilij, ibidem postulantibus ipsis coacti, opemque conferrent, vt eò citati Lutherani se sisterent: aliter iniquè succensuros Pontifici, si Tridento illud amoueret, ne Synodus adigeretur ad sua dedecora è propinquo spectanda: at nullo per ipsos obice allato continuandam esse Tridenti, & plurimis scientiâ prudentiâque præclaris viris muniendam, qui possent iis obsistere, quos Principes delegassent, potiùs Aduocatorum studio priuata commoda promoturos, quàm Iudicum æquitate communi bono prospecturos.

12 Quod si de voluntate Cæsaris haud liqueret, censere se, ab iis quæ tunc rerum conditio ferebat, translationem cohonestandam: ea esse, Antistitum querelas, penuriam & caritatem annonæ ex modico messis prouentu, & ex negata aliunde ob eam causam tritici exportatione; rigorem imminentem Alpinæ hiemis; conuentus & colloquia, ad res sacras agitandas in Germania proximè destinata, cunctis Patribus execrantibus; hæreticorum pertinaciam in eo Concilio oppugnando, Catholicorum torporem in confirmando; difficultatem sanciendæ emendationis tam procul à conspectu Pontificis; discrimina turbarum, quæ suboriri possent ex huiusmodi conuentu, nec Pontificis nec Cæsaris præsentiam reuerente.

13 Quartam demum fingebant hypothesim: Assensurum Cæsarem, vt in præsentia inchoaretur; sed moram postulare, vti Synodus tantisper saltem supersederet agitandorum dogmatum negotio, dum

1545. Antiſtites ex Hiſpania, ceteriſque longinquis Prouinciis frequentiores confluerent, ac dum ipſe quædam apud ſe ſtatuta in Germania perficeret. Sed hoc ipſum etiam aiebant improbari ſibi: quid enim aliud per hæc effici, quàm deludere tandem ſpecioſâ ſcenâ Patres ac fideles, quibus promiſſa fuerat per indictum Concilium Catholicæ doctrinæ confirmatio? Rebantur tamen, poſſe hoc honeſtè indulgeri per duplicem conditionem: alteram, Ne cunctatio longiùs protraheretur; alteram, Ne Cæſar ægrè ferret Synodum Romam transferri, vbi & Pontificis auctoritas poſſet arbitratu ſuo Seſſionum interualla producere, & interim Patres exercere cum fructu in expendendis Fidei controuerſiis, morumque legibus deliberandis per cœtus peculiares.

Hiſce publicis rei Chriſtianæ curis intermiſcuit Paulus priuatam ſuæ familiæ vtilitatem: quem equidem defendere haud contendam à Suauis incuſationibus, quà ne veritatem lædam, quà ne fidem abrogem ceteris laudibus, quibus clariſſimum alioqui Pontificem extuli: comprobationi ſiquidem hominis qui nihil improbat, nulla fides. Adiecit ille animum ad ſuam ſtirpem augendam dominatione Parmæ ac Placentiæ, nobilium vrbium, à reliqua Eccleſiaſtica ditione ſeiunctarum, quas Iulius II. acquiſierat, & Leo poſteà recuperauerat, vti iam narrauimus. Studuit Pontifex honorificâ ſpecie rem obuoluere, perpenſis in Senatu * & commodis compenſationis, quæ inde ſibi traheret Eccleſia, & oneribus, quibus id quod donabat premebatur: accepturam eſſe illius vice Nepam à Petro Aloyſio, & Camerinum ab Octauio, vrbes in Eccleſiaſticæ ditionis vmbilico ſitas, & amplioris eâ tempeſtate prouentus, quàm qui ex Parma ac Placentia capiebatur. Qua in re neutiquam mendax; vt non ſolùm conſtat ex indubitata fide tabellarum Apoſtolicæ Cameræ, ſed confirmatur ex narratione ſæpiùs à nobis laudata Oratoris Soriani; vbi in ſupputatione Pontificiorum redituum ex Parma & Placentia, deductis conſuetis ſumptibus, prouentus annuus octo millium ſcutorum, & non amplius, diſertè ponitur. Neque id mirabitur, quicumque nouerit, ex quatuor vrbibus florentiſſimæ ditionis Auenionenſis tantum fructuum non decerpi, quantum neceſſarios illi ſumptus excedat; & in præſentia etiamſi non mediocris reditibus facta ſit acceſſio ex Bononienſi ditione, quæ ſupra ducenta capitum millia connumerat, demptis impendiis ſex millia ſcutorum obuenire. Compertum ergo fuit per Pontificiæ Cameræ codices, ex hiſce duabus vrbibus, exæquatâ annuorum fructuum varietate, deueniſſe ſeptem millia aureorum ſcutorum, & trecen-

14

* 12. & 19. Auguſti; vt in Actis Conſiſtor.

trecenta trigintanouem, quæ *Cameralia* nuncupantur: at verò Camerinum ac Nepam decena millia & trecenta octogintatria contuliſſe. Addebatur tributum, pro clientela imponendum à Pontifice, nouem millium annuorum ſcutorum. Prætereà connumerauit pericula, incommoda, ſumptus perpetuos, quæ Apoſtolicæ Sedi afferebat tutela ditionis illius nouæ, litigioſæ, ſeiunctæ, ac ſemper inſidiis petitæ; in quas vrbes ſibi ius arrogabat, quicumque in Inſubriam arrogabat. Adeò vt ſub vnico Pauli Pontificatu, tametſi bellis vacuo, repertum fuerit in ſuſpectam illarum cuſtodiam abſumpta intra decennium ducenta ſcutorum millia. 1545.

15 Hæc omnia Paulus per publicos rationum libros priùs enucleanda curauit apud Cameræ Tribunal; poſteà in Senatum diſtinctè referenda per Camerarium. Vnde cùm ex his, tum ex metu à reuerentia profecto, qui cunctos ferè mortales coërcet, ne ſententiæ, multoque magis voluntati ſupremi Principis aduerſarentur, vbi apud conſcientiæ ſuæ forum aliqua ſpecioſa ratio rem excuſet, maior Senatorum pars aſſenſa eſt; non tamen adeò promptè, vt cùm primùm ea relata, ſpatium ad deliberandum non quæſierit; & cùm iterùm propoſita ſunt, poſt auditas quas diximus rationes, quidam apertè non repugnauerint. Comperio inter illius ætatis monumenta, conſtanter obſtitiſſe Cardinalem de Cupis, Senatorum principem, ac Burgenſem Cardinalem Hiſpanum; Bononienſem Cardinalem Gallum contradixiſſe per ſilentium precibus impetratum; Piſanum, Carpenſem, Sadoletum oblocutos quidem, ſed tandem Pontificis prudentiæ rem permiſiſſe. Triuultium, Caraffam, & Arminiacum à Senatu ea die abfuiſſe, & hoc pacto ſe extra noxam arbitratos.

16 Inficiari planè non poſſumus, in eo Paulum aliquid indulſiſſe ſanguinis illicio, cùm pro ſe quiſque ſatis intelligat, æſtimationem Principatus dimetiendam non eſſe prouentibus, perinde ac agrorum æſtimationem. At verò ex ea Pontificis imbecillitate ingens poſteà Pontificatui commodum elicuit Deus: ea ſiquidem amplitudinis acceſſio in Octauij filium, per eos planè dies exortum, poſteà deuoluta, Alexandrum inquam Farneſium, viam ipſi patefecit ad conſequendam ætate iuuenili ſupremam Catholicorum armorum adminiſtrationem; in quorum felicitate recuperauit confirmauitq; ſacro Pontificis Dominio tantum locorum in Inferiore, quam vocant, Germania, Belgio, & Gallia, vt præ illo penè in nihilum euaneſcat ea profanæ ditionis iactura. Alioqui verò Diuinâ prouidentiâ factum eſt, vt immoderatior illa hominis affectio in Vicario

 ſuo,

1545. suo, mulctata conspiceretur acerbis molestiis, in eo planè genere, in quo infra muneris dignitatem animo suo fuerat obsecutus. Etenim concessa Petro Aloysio vrbium possessio, causa fuit, vt miserabilem illius cædem Paulus spectaret, ac Placentiam ab exterorum armis occupatã; & insuper tam graues inter ipsum & nepotem Octauium offensiones attulit, vt ad illum Parmâ spoliandum adductus fuerit.

At libet hîc demum animaduertere, quàm seuerum exerceat iudicium Orbisterrarum in Pontificium Principatum; & ad qualem integritatis necessitatem adigat illius possessores, præter frænum conscientiæ, frænum honoris. 17

Donauit Paulus duas illas vrbes, cum Ecclesiæ (haud inficiar) iactura, sed factâ illi prouentuum accessione sex penè partibus ampliore, * si connumerentur tam ordinarij & extraordinarij sumptus leuamentum, quàm compensatio minimè contemnenda ex acceptis Cametino ac Nepa. At è diuerso Carolus V. absque vlla compensatione Imperio Mediolanensem Principatum ademit, qui pretio Regnum exæquat, & tam ingenti auri copiâ, tantoque Germanici sanguinis profusione fuerat recuperatus, illumque filiò concessit, cuius potentia multis ipsum partibus liberiorem reddidit à Cæsarea clientela, quàm mediocris dominatio Farnesiorum à Pontificia. Et nihilominùs quæ adducuntur pro Pontifice, reiiciuntur; quæ pro Cæsare, excipiuntur: ita vt in Pauli gesta ferocior oblatrare fama non desinat; in gesta Cæsaris ne vox quidem submurmuret. Sed huc appositè recidit acuta Diui Augustini argumentatio, qui creatarum à Deo naturarum bonitatem demonstrat eâ planè ratione, quâ Manichæi malitiam arguebant, hoc est, ex malis quæ in ipsis deprehenduntur: nam qualitatibus nomen malarum neutiquam tribueretur, nisi res cui insunt, & cui disconueniunt, bona foret; quantoque ea melior est, tantò quicumque næuus, qui ipsam contaminet, turpior & videtur & est.

* Reditus Parmæ ac Placentiæ erant septem millia trecenta triginta nouem scutorum; sumptus pro custodia, erat viginti millia; ex Canone pendebantur nouem milia. Fructus Camerini ac Nepe, decem millia & trecenta octoginta tria: quâ ratione subductâ, conficiunt triginta nouem millia trecenta octoginta tria.

CAPVT. XV.

Decreta VVormatiensis Conuentus. Aurelianensis obitus. Quæ Dandinus Nuntius, & Marchinus inter se egerint. Susceptum de aperienda Synodo consilium.

CÆsar intereà ineunte Augusto Comitiorum decreta vulgauit; quo hæreticorum votis haud quidquam concessum, seu in illis subtrahendis à Tridentini Concilij potestate, seu in indulgenda ipsorum dogmatibus perpetua pace, seu in largienda indem- 1

indemnitate, ob erepta Ecclesiæ bona etiam post recessum Ratisponensem; sed solùm spondebat, colloquium ac conuentum hieme proximâ Ratisponæ iterùm habenda, de rebus Fidei, ac reformandis moribus. Hoc Decreto Patres Tridentini vehementer commoti, quòd amplissimam illam auctoritatem læderet, quâ eorum plerique, rerum humanarum parum experientes, in animum induxerant, se reipsâ pro iuris mensura fruituros, &, vti solet multitudo in vnum coacta, grandiora meditabatur. Eoque magis, quòd ipsos lateret, quid auri sub eo Cæsaris consilio lateret, quamuis deformi scoriâ illius indulgentiæ contectum. Quod consilium fuisset Patribus patefactum, nisi consueuisset Pontifex literas peculiares haud ceteris communicandas perscribere, prout Suauis maluisset. At vel ipsi verspertilionis oculi satis sunt discernendo, an id tanto negotio conduxisset. Legati arcanorum conscij feruentiorum querimonias comprimebant, animorùmque despondentium tristitiam leuabant,[a] generatim adnisi, de rectâ Cæsaris mente securos eos reddere, ac spe felicis exitus animare. 1545.

2 Romæ Orator Vega Decretum editum à Cæsare apud Pontificem excusarat iisdem rationibus, quas Andalottus iam adduxerat, vt edendum excusaret; sed simul petierat, vt clausum adhuc Concilium sileret per integrum Septembrem; posteà verò abstineret à sanctionibus Fidei, solamque disciplinam emendandam curaret. Tum verò opportunitatem Pontifex nactus, consilium translationis proposuit. Cùm autem negaret Vega, se ad id quidquam in mandatis habere, Nuntium, qui ea de re cum Cæsare ageret, mittendum duxit. Itaque Dandinum elegit, Episcopum Casertanum, qui doloris officia ob extinctum Hispaniæ Principem præ se gereret, sed in sinu hoc de Concilio negotium clauderet. At profectionem Dandini aliquantulùm morbi causâ retardaram, præuertit Marchinus, qui Cæsari à Secretis erat, Romam missus ob Cæsaris rem agendam. Verùm Carolus propositum sibi consilium illicò reiecit,[b] veritus Germanorum indignationem; cùm, si consentiret, & promissis suis aduersaretur, & Comitiorum Decretis. Quare hinc & illinc coarctatus vel ad transferendam, vel ad inchoandam Synodum, gnarusque, si secundum eligeret, satisfacturum se vniuersè Catholicis, tametsi ob quædam sua peculiaria consilia res sibi displiceret, noluit inuidiam publicam recusando sustinere: quin per legitimam testificationem à fisci Procuratore scripto editam coram Nuntio[c] assensus est: deditque negotium Oratori suo Mendozæ, vt Venetiis, vbi degebat, Tridentum reuerteretur, quò palàm fieret,

a Literæ Legatorum ad Verallum, 7. Septembris 1545.

b Literæ Veralli & Dandini ad Legatos. 20. & 30. Octobris 1545. in Commentariis Ceruinorum.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 13. & 14. Octobris, & Dandini ad Ceruinum, 10. Octobr.

1545. ret, se per suos administros haud deesse Concilio. Pontifex spe depositâ transferendi, vt habebat in votis, Concilij, sed simul solutus obligatione, quam ægrè ferebat, supersedendi, decreuit ad illius initia adeò à Patribus efflagitata, adeò à fidelibus expetita progredi: neque cum Cæsare dissimulauit, haud sibi licere dogmatum sanctiones protrahere. Quin, vt paulò ante commemorauimus, imposuerat priùs Verallo Nuntio, vt id apertissimè denuntiaret.

At Suauis, cuius notitia de his euentis, literarum Montani memoratum volumen non egreditur, cerebri sui commenta sufficit 3
iis quæ ibi non apponuntur: quod ita confidenter præstat, ac si non tam scripta legerit, quàm gesta viderit. Quare admirabili fiduciâ percenset varia consilia, quæ Paulus III. animo reuoluebat, perinde atque illius genius Socraticus ipse extitisset, qui intus degeret, eumque regeret. Atque in hoc etiam ipsi libet ab Ecclesia discrepare, quæ de latentibus in animo non iudicat. Ego verò historici partes prosequar, non arioli.

Duorum funera per id tempus contigêre, quæ non mediocrem 4
sollicitudinem Pontifici ac Præsulibus incusserunt, ne quid grauius turbaretur. [a] Prius Alberti Cardinalis Moguntini, qui Fidei præcipuum columen in Germania meritò habebatur, tum magnitudine dignitatis, quippe Septemuirûm Princeps, tum Brandeburgicæ familiæ potentiâ, quæ Germanicarum nulli concedit, si demas Austriacam; tum denique sincero Religionis studio, quod ille, tametsi quandoque timidè, semper tamen constanter exercuit. Quin per ætatem postremam, [b] deferuescente sanguine, Religionis æstus in eo referbuerat. Casus hic molestiam æquè attulit ex tanti capitis iactura, ac anxietatem ex incerta successoris electione; de qua non nisi grauiter timendum erat, vt quæ ab incerto effrænatoque vrnæ arbitrio pendebat, & inter Nationem adeò vel in Ecclesiasticis corruptam habenda erat. Quapropter pro mensione ponderis ac periculi impensa opera, vt Canonici eum promouerent, cuius virtus extincti desiderium sedaret.

Grauiores turbas minitabatur alterius obitus, [c] Aurelianensis nimirum Ducis; qui dum iter faceret vnà cum parente, & in hospitium diuerteret, cuius in quibusdam lectis homines peste correpti decubuerant, noluit, quamuis admonitus, sibi cauere, ne illorum puluillos per iuuenilem lusum cum suis domesticis contrectaret: [d] quod non modò mortem illi attulit, sed propè fuit, vt Regem ipsum ac fratrem natu maiorem absumeret, qui sanguinis adducti violentiâ, amantiùs quàm cautiùs cum eo post contractam tabem egêre. 5

a Ex literis Legatorum ad Farnesium, 10. Octobr. 1545.

b Ex Literis Contareni Ratisponæ Legati ad Farnesium.

c Literæ Farnesij ad Legatos, 25. Septembris 1545.

d Literæ Gallici Nuntij ad Farnesium Ambiano, 18. Septembris 1545.

1545.

egêre: Haud immeritò verebantur, ne ille mortis ictus cum vita Principis nexum pacis Christianis populis resecaret. Idcircò Pontifex per celerrimum cursorem, qui Episcopum Casertanum adiret priùs quàm ille Cæsaris Aulam attingeret, impensissimè ipsi mandauit, curaret, vt nexus ille iam relaxatus, nouâ aliquâ inter duos Principes affinitate restringeretur: idemque imposuit Hieronymo à Corregio, ad Regem misso, mœroris sui nuntio. [a] Noluit tamen Synodo moras dare, quin, vti omnibus pateret se ne momentum quidem temporis morari initia Concilij post solutas sibi manus, statuit in Senatu 6. Nouembris, inchoandum Concilium 13. Decembris, quo die recurrebat tertia Dominica anniuersariæ Christi Aduentus memoriæ. Ea potiùs quàm prima selecta, tum quò plus temporis quibusdam Episcopis suppeteret, qui denuntiationi fidem abrogantes, profectionem protrahebant; tum quòd ea Dominica ex prima voce, à qua Missæ sacrificium ducit initium, à gaudio nuncupatur; perinde ac ob similem rationem quarta solennis Ieiunij Dominica Concilij primordiis destinabatur in Diplomate ipsum indicente, quod à lætitia nominaretur. Ea de re peculiare Diploma confectum,[b] quod Legati postulauerant [c] vt in Actis reponeretur, cùm ad rei dignitatem, tum ad testificandum, nec priorem moram ipsis vitio verti posse, nec inchoationem casu tunc fieri. Decretum quoque, vt [d] Episcopis Germaniæ, ne ipsi gregem suum obsidentibus lupis desererent, indulgeretur per Procuratores interesse. At quoniam dispar ratio, quantumuis conspicua, ægrè suadetur iis, qui per eam aliis posthabentur; iniunctum Legatis, vt quantum liceret, priuilegij vulgationem protraherent; cùm prænosceretur, ceteros, qui exemplum huiusmodi adducturi fuissent vt cum ipsis pariter ageretur, faciliùs sibi moderaturos, vbi iam adessent, quàm coactum iri si adhuc abessent: operi siquidem, siue naturæ sit, siue artis, minus virium insumendum est vt conseruetur, quàm vt efficiatur.

a Literę Farnesij ad Legatos, 7. Septembris 1545.

b 4. Decembris 1545. de quo in Literis Farnesij ad Legatos, 7. Decembris citatis, in aliis 16. signatis.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 29 Nouembris, & 2. Decembris 1545.

d Literæ Farnesij ad Legatos, vltim à Nouembris.

CAPVT XVI.

Mandata Legatis trádita ex inchoationis occasione. Difficultas in Gallis retinendis.

1 PErscriptum Legatis, breuì [e] nouum Senatorum delectum à Pontifice habendum, vt effectum est, cùm in Principum gratiam, ac præcipuè Cæsaris, selecto Episcopo Giennensi, Tridenti tunc commorante, de quo priùs posthabito tam acerbè conquestus

e Literę Farnesij, 5. Octobris.

1545. questus Carolus, vt memorauimus; [a] tum ad abolendam populorum persuasionem Pontificiæ auctoritati parum decoram, nimirum, haud licere Pontifici existente Concilio Purpuras impertiri.

[b] Detractum est Episcopis, qui Concilio adessent, Decimarum onus, plenusque Ecclesiarum fructus iisdem concessus.

Mandata præterea [c] Legatis missa ad ea quæ percontabantur [d]. 2

Religionis articulos ante cetera esse agitandos, tametsi alij quicumque oppositum flagitarent.

In illis non auctores, sed sententias damnandas: id autem tum vt breuitati consuleretur, amputatis iudiciorum ritibus factorumque probationibus; tum quò mitiùs in eo ageretur, relictâ singulis adeundi ac se purgandi facultate.

Proscribendas non solùm magis generales, sed peculiares etiam positiones, quæ per ora tunc & per scripta volitabant, & quibus nouæ hæreses nitebantur.

De reformandis moribus nec ante dógmata, neque simul cum ipsis agendum, quippe de minùs præcipua & secundaria illius Synodi causa. Id verò per eam circumspectionem curandum, vt nec illa subterfugi viderentur, nec ad finem detrudi: quin præmonerent Legati, manum ipsis disciplinæ legibus admouendam, vbi Concilium in suo potissimo argumento fuisset progressum.

Audienda libenter, quæ obiectabantur aduersùm Aulam Romanam, & Patrum Nationumque consilia; non quòd illis à Synodo prospiciendum, sed quò distinctiùs iisdem Pontifici innotescentibus, aptiùs quoque consuli ab eo possit, vt apud se statuerat.

Literis, ceterisque commentariis, Concilij nomine conscribendis, præfigendum trium Legatorum tamquam Præsidum nomen, ac Pontificis, quippe cuius ipsi personam gerebant; adeò vt non modò conuocati Concilij auctor appareret, sed coacti Caput ac Rector: cuncta verò scripta trigemino Legatorum sigillo, vel saltem primi firmarentur. Vbi contraria non superuenirent mandata, res Concilij celeriter perficiendas, vt suum esset tempori pretium, & arcerentur obtrectationes, quibus tarditas impeteretur.

Facultatem ipsis tribui Indulgentias aliquas largiendi, dummodò Synodi nomine haud concederentur, vt ad quam huiusmodi concessio minimè pertinebat.

Videbitur fortasse cuipiam, in his mandatis interlucere nimia quædam Pontificis politica cura in seruanda confirmandaque sua supra Concilium prærogatiua. At vulgarium est, ex ambiguitate vocum in peruersam rerum intelligentiam prolabi; vnde pleraque sophi- 3

a Literæ Legatorum ad Bernardinum Maffeum à Secretis Pontifici, 19. Decembris, 1545.

b Literæ Farnesij ad Legatos, vlt. die anni 1545.

c In citatis iam Literis.

d Literæ ad Farnesium, 14. Decembris, postridie aperti Concilij.

ſophiſmatum ortum habent, quod * Philoſophus adnotat. Hinc fit, vt in hac voce *Politicæ*, haud ſatis intelligant, quid interſit inter Politicam ſinceram, ſapientibuſque probatam, quæ moralium virtutum principem locum tenet, cùm ipſa bono publico ſtudeat, bonorum omnium præſtantiſſimo; & Politicam adulterinam, ſic appellatam ſermocinantium abuſu, quæ ſceleſtiſſima eſt inter vitia, vtpote quæ illi bonorum nobiliſſimo aduerſetur: cùm ea populorum regimen ſolâ vtilitate peculiaris vnius capitis metiatur, eoſque miſeriâ premat, quò in ipſum bona redundent; cuiuſmodi eſt Turcicæ dominationis politica. 1545.

* In Elenchorum initio.

4 Huius deteſtandæ Politicæ vitio laborarent Pontifices, vbi iura Pontificatus ſibi à Christo tradita ad ſui gregis vtilitatem, ab ipſis negligerentur, quò vel amplitudinem vel quietem ſuis priuatis familiis compararent. Peccarent pariter, vbi ex ambitione maioris exercendæ poteſtatis, ad ſe conuerterent per auctoritatis abuſum eam iuriſdictionem, quæ peculiaribus Epiſcopis deberetur, & operæpretium eſt vt in ipſis perſiſtat, ne Chriſtiani cogantur Romam adire cuiuſuis rei vel mediocris causâ; cùm præterea quædam ſint, quæ meliùs iudicentur ab homine ea inſpectante oculis, in eadem perpauca ſolùm intentis, quàm ab audiente auribus, in immenſam aliarum curarum varietatem diſtractis. E diuerſo intrepidè vigilanterque tueri ſupremum Pontificiæ poteſtatis faſtigium, eſt enimuerò id quod ſupra cetera commendabile peragi poſſit à Politica præſtantiſſima. Nullius enim populi commune bonum laudabiliùs promouetur, quàm populi Deo maximè dilecti, Deoque fidelis. Nihil verò magis illi conducit, vt etiam cuiuis alij populorum, quàm optima regiminis forma. Cùm itaque optima inter Chriſtianos Eccleſiaſticæ gubernationis forma ſit Monarchia, vt alibi à nobis demonſtratum; * nulla procuratio poſt Diuini cultus propagationem dignior, Religioniſque ſtudioſior in Pontifice habenda eſt, quàm huius Monarchiæ illæſa conſeruatio: quæ tandem maiorem ſibi ſpinarum ſegetem ex labore & contentionibus parit, moleſtioremque hereditatem formidabilis maleuolentiæ ipſius conſanguineis, quàm voluptatis fructum ex aliqua auctoritatis prærogatiua, per anguſtum ſenilis ætatis ſpatium; quo exacto, eadem prærogatiua relinquenda eſt alteri, ſæpè ſui ſuorumque minùs beneuolo. Proculdubiò huic ſacro Principatui non aliunde grauius imminet periculum, quàm ab ambitione corrupti Concilij, tamquam ab aduerſario, in quo armorum tria genera ad ipſius robur coaleſcerent; Potentia virium, ex auctoritate ac multitudine conſpirantium; Spe-

* In Cōcione Aleandri ad VVormatienſem Conuentum, In lib. 1.

1545. ciosus iuris obtentus, ex colote per quorumdam doctorum opinationem inducto; & Popularis fama, ex ambiguæ potestatis vocabulo, quam Concilia verè obtinent supra Pontifices in iis euentis, in quibus quicumque supremus Princeps subdatur oportet iurisdictioni plurimorum; vbi videlicet aut dubitatur cuinam è multis Principatus iure insit; aut ex grauissimi delicti causa (quod in hoc Principe sola hæresis est) de ipsius abdicatione agitatur. Quapropter quemadmodum Pontifices persanctè agent, si legitimorum Conciliorum consilia legesque custodierint, cùm ea Concilia sint supremus illorum Senatus, cuius operâ ex Apostolorum institutis vti debent in difficillimis Ecclesiæ causis; ita haud minùs sanctè curam impendent in munienda Cathedra sibi credita tuendaque ab omni iniuria ac detrimento, quod arrogantia inconciliati Concilij moliri posset.

5 Redeamus in semitam. Dum cuiusuis Nationis Antistites perfundebantur gaudio, [a] quòd non remota ampliùs, nec ambigua per solam spem, sed certa ac ferè præsentia oculis vsurparent primordia Concilij, vbi ceu Ecclesiæ arbitri essent consessuri; quidam ex eo hominum genere, qui intimæ prudentiæ ducunt, semper aliorum dictis argumentisque propositis abrogare fidem, semperque fraudem opinari, constanter putabant, hæc de compacto simulata. Ministri Cæsaris rei veritate compertâ admirationem potiùs quàm lætitiam concipiebant: etenim Cæsar, cui apertio Synodi opportuna non erat, idcircò solùm tam liberaliter consenserat, quòd sperauerat simul publicam inuidiam, simul etiam illud incommodum sibi euitandum; quippe qui inducere suum in animum non poterat, Pontificem præterquam violenter adductum iri ad constituendum Tribunal, à quo dumtaxat æmulationem timere poterat Ecclesiasticæ suæ potestati.

a Duæ Legatorum Epistolæ ad Farnesium, 16. Nouembris, & vltimo die.

6 Sed res accidit, quæ nouam solicitudinem attulit. Antistites Galliæ mandato Regis reuocati, cùm eorum absentia suis ab Ecclesiis infructuosa videretur, nec Synodus propinqua præ se ferret indicia, se ab otio vmbraque prodituram. Obstitere Legati pro viribus horum abscessui, ostendentes, ex conditionum mutatione non solùm ipsis permitti, sed eos compelli ad interpretandam Regis voluntatem in eo pariter commutatam. At nihil valebat apud homines, qui cuncta sibi minùs tuta censebant, [b] quàm obsequenter parère. Hispani pro aduersa vtriusque gentis indole, Legatos vrgebant, alienis stimulis nequaquam indigos, vt secessioni resisterent: & Granuellanus vbi rem nouit, [c] quò eam apud duos Nuntios damnaret,

b Literæ Legatorum ad Farnesium, 26 Nouembris.

c Literæ vtriusque Nuntij Antuerpiâ, 1. Decembris 1545.

naret, tamquam discordem iis, quæ Franciscus Rex in sanctionibus pacis spoponderat, pacificationem ipsam protulit, vbi Cæsarem Rex deuinxerat, vt huiusmodi Concilio consentiret: non animaduertens per eum æstum, id ipsum repugnare Cæsaris assertis in Conuentu, cùm ad id adductum Regem suis officiis professus fuerat. 1545.

Post multa solerter à Legatis peracta, minasque intentatas, se ad legitimum interdictum progressuros ex * diplomate Pontificio, per arctissimum obedientiæ vinculum eos ibi retinente; postremò ex tribus Gallis Episcopis, qui Tridenti aderant, ipsorum antesignanus Rhemensis inde discessit; Aquensis ibidem perstitit; Agdensis verò Tridento exiit, reditu in Galliam simulato, donec per missum ad id tabellarium de Regis mente fieret certior post compertam aperiendi Concilij veritatem. Rex vtriusque consilium haud inde abeundi comprobauit. Hic nuntius, antecedente inchoationis die perlatus, cunctos sinceriori lætitiâ perfudit ad eam celebritatem ineundam, in qua concursus honestissimus nobilis, piæ, ac literatæ Nationis desiderandus non erat. Nimirum videtur quædam naturæ præsumptio, cùm initium rei quasi fons totius existat, ex bona seu praua initij conditione futuram operis integri prosperitatem seu infelicitatem, mortales ominari; æquè ac fontis ingenio, riui ingenium respondet.

* Dato 25. Nouembris 1545.

CAPVT XVII.

Apertio Concilij. Et quàm plurima in hac narratione Suauis errata.

1 IN huius inchoationis historia Suauis eo planè infausto omine, de quo dictum modò, tam sæpè labitur, etiam vbi nullus ipsi ad assequendum propositum ex lapsu fructus, vt in Suaui fateri necesse sit parem notitiæ inopiam, & animositatis affluentiam, ac summam commentariorum egestatem, dum res sibi latentes enarrat. Adeoque Latinus eius interpres aliqua ipsius errata correxit, alia mitigauit, nonnulla præteriit; maluitque minùs esse in interpretatione fidelis, quò auctorem minùs patefaceret in narratione infidelem. Quare cùm vnius contradictionis confutatio sit alterius affirmatio, mihi, vt veram facti narrationem contexam, satis erit, quodammodò recensere ac refellere illius errata.

2 Initium ab eo ducamus quod ordine primum, tametsi pondere minimum. Ait, Mandatum aperiendæ Synodi 13. Decembris, fuisse priùs Vaticanis Patribus communicatum, eorumque sententiis

1545. ſtabilitum, ac poſteà ſcriptum ad Legatos à Farneſio Cardinali Octobris poſtremo die. Mihi verò, qui Vaticani Senatus acta perlegi, & commemoratam ab illo epiſtolam, teſtari licet, primò nullum in ea de hac re verbum; ſolùm ibi affirmari, Pontificem in eo fixum hærere, vt ante feſta Natalitia inchoatio celebraretur: ſecundò, certum illum diem à Purpuratis Patribus decretum ante diem ſextum Nouembris; fuiſſe verò ad Legatos ſcriptum poſtridie illius diei.

Addit: Cùm apertionis Diploma perueniſſet Tridentum 3
11. Decembris, poſterà die indictum populo ieiunium, habendum eâ ipsâ die, quæ deſtinatam ſolennitatem præcedebat. Cuius fuiſſet ignauiæ, ad indicendum ieiunium eumdem diem expectari, quo indictum ieiunium agendum erat; niſi fortè diuinitus innotuiſſet, eo die ante promulgationem ieiunij neminem comeſturum fuiſſe, neque plus quàm ſemel, neque cibos ieiunio diſcrepantes? Præſcripta igitur ieiunio dies 12. promulgata fuit pridie illius diei, hoc eſt vndecimo, quo Diploma delatum: * atque inſuper adiectæ ieiunio publicæ ſupplicationes ac preces, ad implorandam Diuini Spiritus opem.

* Hoc totum quod ſequitur, exſtat in Diario Maſſarelli, qui fuit à Secretis Concilio, & in Actis in Ælia arce aſſeruatis.

Narrat, in generali cœtu habito pridie quàm Concilium pate- 4
fieret, poſtulauiſſe Aſturienſem Antiſtitem, vt eo die legationis Diploma recitaretur: at Legatum Ceruinum, veritum ne ſi vulgaretur facultas, reſtrictionibus ſubiaceret, reſpondiſſe, in Concilio vnum corpus ex omnibus conflari; proinde ſi Legatorum poteſtas erat in medium proferenda, ſingulorum etiam Epiſcoporum proferendam poteſtatem; diploma videlicet, per quod legitimè ſuæ quiſque Eccleſiæ præficitur à Sede Apoſtolica; eamque rem in iis qui aderant, & qui aduenirent, immenſum tempus abſumpturam. Atque ita poſtulato ſatisfactum, legationis dignitate retentâ, quæ in eo ſita erat, quòd nullis limitibus finiretur.

Proh quanta errorum colluuies! Qui hoc propoſuit, non Aſturienſis Antiſtes, ſed Giennenſis erat. Haud ille petiit, vt eo die res fieret, ſed inter inchoationis ſolennia. Poſtulatio haud omnino reiecta; ſed ex parte, vt narrabitur, approbata, deſignato ad ſolenniter recitanda Diplomata tam legationis, quàm indictæ Synodi, Epiſcopo Feltrienſi. Res itaque ſic peracta. Cùm petiiſſet memoratus Antiſtes, vti die poſtero legerentur Diplomata ac literæ Pontificiæ, quò Synodi ac Legatorum auctoritas firmaretur, ab his reſponſum, rem pleriſque comprobantibus, Satis eſſe Diploma ibi recitatum, quo Purpuratis illis Patribus imponebatur tamquam Legatis,

gatis, vt præstituto die Concilium inchoarent: & cùm in eam sententiam cœtus iam propenderet, Legati quò superuacaneas altercationes præciderent, subdidere, Id aduersus postulatum se dixisse, 1545.
propterea quòd legationis literæ ac Diplomata Concilium indicentia numero ac prolixitate plus temporis postulabant, quàm per functiones crastinæ solennitatis liceret commodè perlegi: sed quò aliorum voto fieret satis, legendum videri Diploma postremum conuocationis Tridentum, & literas legationis. Quod & decretum, & posteà peractum.

Quod attinet ad occultandas facultates: profectò tam imperitum quis Suauem existimet, qui ignoraret, opus non esse, huiusmodi thesaurum in vnicam quasi gemmam planeque indiuiduam contrahi, sed consueuisse potiùs in plures partiri nummos, quorum quilibet, vt vsus postulat, expendatur, aliis in arca reconditis.

5 Pergit dicere: Eodem solennitatis die decimatertiâ, postquam Antistes Bituntinus eloquentem orationem habuit, lectam fuisse Legatorum iussu prolixam cohortationem; posteà Pontificis Diplomata, ac mandatum Cæsaris recitata; ac denique cunctis in genua prouolutis, à Montano primo Præside precationem ex Ecclesiæ ritu prolatam. Cuncta è diuerso peracta. Precatio à Legato non sub finem, sed sub initium functionis recitata ex rituum præscripto, & pro more antecedentium Conciliorum Constantiensis ac Basileensis. Prolixa cohortatio, Patribus Legatorum nomine perlecta, ac deinde typis data, de qua Suauis, ad eum diem non spectat, sed ad septimum subsecuti Ianuarij, quo prima Sessio celebrata. Altera admonitio eo die habita, non prolixa, sed breuissima, non ab aliis lecta, sed dicta memoriter à Montano Legato.

Hucusque tamen noster narrator rerum notitiâ destitutus labitur. Aliud iam peccat ratiocinationis vitio, dum narrat, post memoratam cohortationem publicè perlecta Diplomata. Quænam ordinis peruersio fuisset, si Purpurati Patres priùs Episcopos admonuissent pro Legatorum potestate, posteà verò Legatorum potestatem comprobassent?

6 Refert, eo die inchoationis Diploma recitatum. Id eo die minimè peractum, vti statuerant, sed posteriore Sessione. Quod, ni fallor, Legatorum studio effectum, cupientium Romæ in eo Diplomate voces eradi, quibus* videbantur aperire ac prosequi Synodum *ex formula quâ fuerat indictum.* Nam eodem Diplomate Procuratores Antistitum haud exclusi, vt postmodum Pontifex per subsecutas literas imperauerat: proinde videbatur ipsis, per eam particulam

*Literæ Legatorum ad Farnesium, 14. Decembris 1545.

 conten-

1545. contentionibus aditum patefieri, quasi prior prohibitio reuocata per hæc fuerit, & cuncta in pristinum restituta. Idcircò Montanus, qui in consessu ante inceptionem habito Diploma recitauit, eas voces omisit, quæ non ita facilè potuissent præteriri in lectione solenni, per aliorum oculos ac linguas habenda. At Romæ dubitatio tenuis existimata, nec admissa mutatio. Quare accepto responso, Legati in prima Sessione Diploma perlegendum curarunt.

Inde per occasionem narrandi, Oratorem Mendozam Venetiis morbo detentum excusasse absentiam suam, iterumque protulisse mandatum Cæsaris per Alphonsum Sorillam, quo à Secretis vtebatur; Suauis ineptum responsum Legatis imponit: nimirum, Accipere se quidem excusationem absentiæ; sed quod spectaret ad mandatum, se potuisse persistere in redditis, cùm primum exhibitum fuit, à se responsionibus: nihilominùs placere sibi, amplioris reuerentiæ gratiâ, *iterùm illud excipere atque expendere, quò postmodum responsa redderent.* 7

Neque verum id fuit, neque ad rem fuisset. Ac primò quidem, quînam maiori reuerentiæ verti poterat mandatum iterùm expendere, nouamque responsionem dare, quàm inhærere iam redditæ, nisi priùs irreuerenter fuisset responsum? Præterea, si cùm aliàs mandatum productum, vnicus Tridenti Antistes aderat, ideoque Synodus non existebat; quo pacto Synodus, quam alloquebatur Sorilla, & cuius nomine Præsides respondebant, poterat responsionem comprobare, non modò numquam ab ipsa Synodo redditam, sed reddendam scripto, numquam ab eadem viso? Quamquam autem ex epistola Legatorum ad Farnesium, properanter & per compendium scripta postridie, in qua quod animo meditabantur significabant, potuisset Suauis argumentum ducere ad hoc sibi persuadendum; reuerà tamen à Legatis accuratiùs responsum, vt constat ex Actis; *quæ non semper in margine notabo, vt reliqua monumenta: siquidem hîc semel vniuerse profiteor, ibi à me fuisse comperta, quæ de rebus ad ea spectantibus proferam. A Legatis itaque responsum est: Quod ad ipsos spectabat, pristinam à se respon-

*Acta Concilij, ætate Pauli III. Tridenti habiti, de quibus hic loquimur, alia sunt authentica, seruata in Arce S. Angeli priùs citata, è quibus trahuntur quàm plurima huius historiæ: alia priuatim scripta ab eodem Massarello, à Secretis Concilio, in quibus multa extant peculiaria, quæ exarare in Cœtibus operæpretium non fuit, & vt in Actis publicis extarent. Et hæc apud Ludouisios seruantur: vtraque diligenter ab auctore lustrata, & in eorum auctoritate fundauit, ex qi à narrabit de cunctis Actis Synodalibus. Volumen quod est in Arce S. Angeli, continet quæ gesta sunt ordine suo vsque ad octauam Sessionem, translationemque Bononiam. Sed præterea hæc eadem copiosiùs referuntur in duobus aliis voluminibus, etiam authenticis, & in Arce S. Angeli seruatis, in quibus sunt dicta Patrum in Congregationibus. Alterum continet, quæ euenere à tempore quo indictum est Mantuæ, vsque ad integram Sessionem quintam Tridenti: alterum, quidquid posteà Tridenti actum ante translationem.

ſponſionem iterari: quod verò ad Concilium, expenſum iri ex Oratoris poſtulato mandatum, ſecuturumque reſponſum. 1545.

8 Minutè deſcribit Suauis illius celebritatis cæremonias, quò ſe nauiter edoctum venditet: ſed aduerſus quàm affectat, illi contingit, cùm in his ſæpiùs hallucinetur, ſeque perperàm edoctum prodat. Exemplum ſit. In Euangelij narratione ibi à Diacono decantati, ait deſumptam ex S. Matthæo, per ea verba: *Si peccauerit in te frater tuus, corrige inter te & ipſum ſolum.* Sed verè decantatum eſt Euangelium S. Lucæ, vbi ſeptuagintaduo Diſcipuli à Chriſto eliguntur.

Exputet apud ſe Lector, an tanta erratorum congeries in tam modica narratione permittat in Suaui, non inquam auctoritatem, ſed ne nomen quidem Hiſtorici.

Nec ad eam tuendam quidquam prodeſt, ea errata, quippe quæ nihil conferunt cauſæ ſuæ, cenſenda eſſe non ex fraude mala compacta, ſed à falſis rumoribus profecta: nam Hiſtoriæ nomen docent ſapientes deduci à voce Ἵστωρ, quæ apud * Græcos ſignificat hominem ſcientem; ſcientiæ verò e regione opponitur inſcientia & error.

* Gerardus Voſſius in Etymologico Latino.

Reiectis Suauianis mendis per contrariam narrationem, parum ſupereſt exponendum de ritibus huiuſmodi celebritatis. Legati vnà cum Patribus, amicti priùs in Templo Auguſtiſſimæ Triadi ſacro Pontificalibus veſtibus, Hymnoque ibidem decantato ad opem Diuini Spiritus implorandam, agmine compoſito proceſſere. Præibant Regularium Ordines: ſuccedebant Canonici, ac reliqui Eccleſiæ mancipati; poſt illos Epiſcopi, ac demum Legati, quos Regis Romanorum Oratores ſubſequebantur. Hoc ordine ad principem Ædem ſancto Vigilio dicatam perrexere. Ibi Sacris ſolenniter operatus eſt Legatorum Primus, ac deinde Pontificis nomine ſingulis adſtantibus plenam Indulgentiam elargitus, imperatis de more precibus, quibus pacem atque concordiam Eccleſiæ à Deo poſcerent. Tum Latinè perorauit Cornelius Muſſus, Placentinus, è Franciſcana familia, Epiſcopus Bituntinus: poſteà Legatus varias preces perſoluit ex rituum libello, & vniuerſo Concilio ter benè apprecatus eſt: dein Cælitum nomina inuocata, & cetera quæ memorauimus peracta. Poſt hæc Patres conſedere; ac rogati à primo Præſide, An ipſis placeret Concilium legitimè inchoatum pronuntiari. Ac rurſus: An placeret, vt ſpectatis occupationibus ex proximis Natalitiis feriis, prima Seſſio poſtridie Epiphaniæ celebraretur; ſinguli vtrique interrogationi reſpondêre per verbum conſuetum, *Placet.* Tunc Hercules Seuerolus, Concilij promotor,

petiit

1545. petiit vt ea publicè tabulis committerentur. Postremò, Hymnus SS. Augustino & Ambrosio adscriptus, ad agendas Deo grates decantatus. Quibus peractis, ornatu Pontificali deposito, resumptisque vestibus consuetis, Legati suas in ædes regressi sunt, cunctis Patribus comitantibus, & Cruce præcedente. Interfuere hisce solenniis, præter tres Legatos, Cardinalis Tridentinus, quatuor Archiepiscopi, viginti Episcopi, quinque Religiosorum Ordinum summi Præsides, Sebastianus Priglimus, Romanæ Rotæ Duodecimuir, & Ferdinandi Regis Oratores.

CAPVT XVIII.

Expenduntur quæ Suauis obiicit habitæ à Musso Orationi.

BIs paulò antè Suauis de Musso Episcopo Bituntino locutus, 1
affirmat illum quidem Oratorem fuisse suæ ætatis eloquentissimum, & perorasse ad inchoationem Synodi *summâ eloquentiâ:* sed post enarratæ functionis solennia subdit, in Germania curiosiùs expectatum, quid per eam primam celebritatem actum esset; & continuò ex Tridentinis literis ibi simul vulgatas fuisse Legatorum cohortationem, Mussique concionem, quarum ipse summam refert: ac subiicit: *Hæc Christiana, modesta, & digna Cardinalibus habita est; sed de Episcopi concione longè diuersum fuit hominum iudicium.* Dicit, *A cunctis appositam illi notam vanitatis & affectatæ facundiæ: collatasque inter se à viris rerum peritis, alteram vt sententiam piam, alteram vt impiam; duo inter se repugnantia in Legatorum & Episcopi sermone.* Deinde verò singulatim recenset, quæ obiecta fuerint Bituntini concioni: ac tacitè quidem; sed apertè ea complectitur tamquam suæ mentis prolem vel à se progenitam, vel adoptatam, certè non legitimam.

Instituto meo satis esset laus, quam vel inuitus tribuit Legatorum 2
admonitioni, qui Pontificis nomine Concilio præerant. Nec Bituntini vitium in eos etiam traduci posset, à quibus ad perorandum selectus; cùm ille communis famæ suffragio, suæque doctrinæ præstantiâ abundè commendaretur, tametsi tunc haud satis expectationi fecisset. Atqui, cùm à Tullio in libro de Officiis laudetur, qui pronuntiauerat, ex eo quòd homo esset, haud à se alienum putare bonum malúmve cuiusuis hominis; quantò magis mihi, & Christiano & Religioso, & literis addicto, putanda est haud à me aliena bona maláve cuiusuis viri Christiani Religiosi ac literati existimatio?

Itaque

3 Itaque primùm affirmo, mentiri Suauem in huiusmodi hominum opinionibus enarrandis, quas ad primos celebritatis nuntios conceptas comminiscitur. Etenim Legatorum admonitio reipsâ post plures hebdomadas habita (in quo perperàm edoctum Suauem suprà notauimus) non potuit *continuò* post celebritatem, vt ipse narrat, in curiosorum manus deuenire, & ab illis opponi Bituntini homiliæ. Secundò loco animaduertendum, dum Suauis memoratam concionem in summam cogit, quâ summâ reprehensiones adductæ nituntur, eam tam prauè eius arte distortam, vt quæcumque ex magnificis neruosísque orationibus sanctorum Gregorij Nazianzeni, & Ioannis Chrysostomi, per eam formam exposita, incondita prorsus & elumbis videretur. Præterea eam ipsam corrumpit; nec secernit, præ cæcutientis animi liuore, manifesta typorum errata à germanis auctoris verbis; ac demum acriter hominem arguit, vbi non plus inest labis, quàm flaui coloris in eo, quod ab oculis multo felle suffusis, vt Suauiani sunt, aspiciatur. 1545.

4 Id paucis ostendam, omissâ disputatione, an minoris pompæ concio maiorem sibi laudem meruisset; quod equidem maluissem: haud tamen cuipiam æquum est proprio siue oris siue mentis palato arrogare optimi saporis arbitrium. Compertum cunctis est, esse qui Petri sanctissimi Rauennatis Episcopi stylum minis exultantem dicant; hic tamen vir ex aurei sermonis præstantia communis placiti consensu *Chrysologus* est appellatus. Neque quòd S.Ambrosij Opera magna ex parte [a] S. Hieronymo haud satis probantur, ex eo desinit Ecclesia illum reuereri inter quatuor summos tam in doctrina quàm in eloquio Magistros. Atque inter profanos iidem Plautini sales vrbanissimi Ciceroni [b] visi, Horatio [c] inciuiles. Quin eadem argutia à Timeo seu Hægesia (quicumque ille fuerit) prolata in natalem Alexandri diem, quo templum celeberrimum Ephesinæ Dianæ combustum, laudem lepidissimæ à Tullio accepit, [d] & à Plutarcho [e] adeò frigidæ, vt extinguendis illius incendij flammis satis fuisset. His præmissis, ad falsitatem nequitiamque Suauis accedam: sed præcipua quædam percurram; leuiora prætermittam, quò prolixitas ac molestia deuitetur.

a Vide de Script. Eccles. sed in Epist. ad Eustochium laudat libros de Virgin.
b In 1. de Officiis.
c In Poëtica.
d in 2. de Natura Deorum.
e In Vita Alexandri.

5 Refert, Mussum, in ostendenda Concilij necessitate, affirmasse, centum iam annos deuoluros à Florentini celebratione ad id vsque temporis. Non id ille simpliciter dixit; nec dicere potuisset sine graui seu rerum gestarum ignorantia, seu Pontificum iniuria, quasi nullum Concilium eo tempore intercessisset: sed adiecit, *excepto postremo Lateranensi*; eâ loquendi formulâ vsus propterea, quòd ex

1545. vno capite Concilium hoc legitimum fuit & Oecumenicum; ex altero, nec formâ nec numero antecedentibus par. Narrat, eumdem post recensita ingentia emolumenta in Ecclesiam à Conciliis profecta, addidisse, *idcircò Deorum Concilia à Poëtis inducta; & à Moyse proditum scripto, voces Concilium agentium fuisse ipsum decretum hominis creandi, ac gigantum linguas confundendi.* Quid insulsius, quid ineptius posset Oratori tribui, quàm adductum ab eo fuisse tamquam causam Conciliorum, quæ multis antè sæculis Poëtæ commenti sunt, fructum posteà è Sacris Conciliis ab Ecclesia decerptum; atque ab eodem simpliciter pronuntiatum: Verba Dei, vnici atque indiuidui, esse verba Concilij? Non ita disserüit Bituntinus, sed ex commodis per Concilia præterita Ecclesiæ collatis deduxit vtilitatem Conciliorum generatim; quæ perspecta à solerti Poëtarum ingenio, optima quæque mortalium Diis adscribentium, eos compulit, vt vel in Cælo Concilia congregarent. Addidit verò, Moysen in enarranda hominis, qui mundi miraculum est, effectione, tametsi Deus indiuiduæ substantiæ sit (quod ille per prima historiæ suæ verba indicauit) vsurpasse loquendi rationem, *quasi Concilij*; eâdemque vsum, vbi Deum inducit insanos gigantum conatus retundentem. Inter hos ductus, quibus sua sensa Bituntinus delineauit, & illos, quos ei Suauis appingit, quis eam dissimilitudinem non dignoscat, quæ intercedit inter hominis viuentis vultum aptè conformatum, & difformatum cadaueris?

Ad alia progreditur. *Laudauit*, inquit, *tres Legatos, desumptâ ex vniuscuiusque ipsorum nomine ac cognomine commendatione.* Parum id 6
referret; sed quò narratoris temeritas agnoscatur, ait ille, *Ex vniuscuiusque ipsorum nomine*; & ego aio, *Ex nullius ipsorum nomine.* Ille dicit: *Ex vniuscuiusque ipsorum cognomine*; ego verò, *ex vnius dumtaxat ipsorum cognomine*; Montani videlicet Legatorum primi, de quo ita planè loquitur: *Cuius sursum diriguntur & corda & oculi ad illum montem qui Christus.* Ceruinum verò à patriæ Latino nomine Politianum nominans, ita commendat: *Qui iam dudum graues seueri animi sui curas conuertit ad emendationem Christianæ Politicæ, cuius labefactati mores aditum nostris hostibus præbuere.* Polo vetus de Anglis elogium S. Gregorij adscribit, non tam *Anglum*, quàm *Angelum* appellans.

Inducit prætereà Bituntinum ita dicentem: *Cùm iam Concilium conuocatum sit, ad id cunctis, tamquam ad equum Troianum, esse confluendum.* Equi, quos in cælum Poëtæ transtulere, tantum sanè ibi occupant spatij, ex Astronomorum testimonio, vt Christianos omnes 7
possent

possent capere; at non ita quidem equus Troianus, qui paucorum militum delectum excepit. Hoc pacto Bituntinus locutus: *Quisnam recuset in huius Concilij societatem, velut in equum Troianum, cum Principibus Imperij ac Religionis includi?* At narrat Suauis; *Ex eo quòd contulerit Concilium cum equo Troiano, insidiosâ machinâ, subiit imprudentiæ notam, & irreuerentiæ reprehensionem.* Si arguissent isti hanc collationem tamquam non vndique loci sanctimoniæ accommodatam, equidem eorum censuræ non repugnarem: at si eo nomine insimulent, quo Suauis affirmat, respondeo, Multò magis ipsorum censuram inscitiæ redarguendam. Secùs enim in arte dicendi esset increpandus, qui lex dicendi meritò fuit appellatus, hoc est Marcus Tullius, cuius verba sunt: [a] *Ex Isocratis ludo, tamquam ex equo Troiano, innumeri Principes exierunt.* Et alibi [b] suspicatus non est fortè seipsum cum inhonesto militum globo coniungere, dum dixit: *In huius concilij societatem, tamquam in equum Troianum, includi cum Principibus non recuso.* Ex quo facilè deprehenditur, non sententiam modò, sed pene ipsam etiam dictionem à Tullio mutuatum Bituntinum. Nemo certè negauerit, equum Troianum ad insidias exstructum; sed neque inficiabitur, ligneam machinam fuisse: proinde, si hac de causa æquiparandæ illi non sunt nisi machinæ insidiosæ, ex eadem pariter causa conferendæ cum ea non sunt nisi machinæ ligneæ. Quis puer primùm Rhetoricæ lac degustauit, qui non didicerit, *simile* non esse *idem*, probatæque similitudini satis esse, vt vna ex parte conueniat, tametsi ex aliis discrepet? At enim [c] Erasmus ait (nomen affero gratum hæreticis, adeoque pariter Suaui) equum Troianum aptari solitum occultis insidiis. Quis vmquam id negat? Leo etiam à S. Petro propter ferociam ac voracitatem malo dæmoni assimilatur; & tamen in veteri Testamento idem ob robur ac generositatem Victori Christo nomen haud indecorum præbuit. Quàm nobis vsitatum, *Petræ* nomine stolidum hominem significare? Num idcircò corporati Verbi sapientia incusanda, quòd Vicarium suum *Petram* nuncupauerit? Num vituperandus Gentium Doctor, quod *Petræ* nomen ipsi Christo tribuerit? Passim resonant Diuini Magistri hortamina, vt imitemur nunc iniqui villici solertiam, nunc serpentis prudentiam, qui ob suam nequitiam in sacris Literis maligni dæmonis imago est. Quemadmodum ergo in productis exemplis habita ratio est optabilis vnius conditionis, prout ea seorsim à reliquis noxiis consideratur, quâ similitudo virtutis ac laudis iucundiùs exprimatur; ita licuit Marco Tullio, eiusque ductu licuit Bituntino spectare in militibus equo

1545.

[a] In 1. de Oratore.
[b] Philippica 2.
[c] In Adagiis.

1545. Troiano conclusis varias dotes, quales erant, eos robustiores ac generosiores esse, præcipuos bellatores, paratos incommodis ac periculis pro patria subeundis aduersus hostes iniustos, & Superûm lege memorabili supplicio iam deuotos; haud in iisdem spectatâ occultarum insidiatum fœditate: præsertim cùm illius ne suspicio quidem cadere posset in Patres, qui tam solenniter in eam Synodum coierant, & aduersos in hæresim animos palàm profitebantur.

His adnectitur erratum Typographi, quod à Suaui obliquè trahitur ad Oratoris insipientiam, dum ait; *Illum Madrutio sortem suam gratulatum, quòd vagos & palantes Patres in suam vrbem congregasset.* At Mussi verba sic habent: *O dilecte Deo & hominibus Madruti, in cuius ditione nos, olim vagè desertos, & turbulentis erroribus implicitos, incomparabilis ille Paulus III. diuinâ mente & consilio præditus, Ecclesiæ memor, sui oblitus, per Spiritum Sanctum ad viam veritatis reuocauit.* Quosnam significabat Bituntinus eo pronomine *nos?* Non Patres, vt commentatur Suauis, quibus nullâ ratione congruebant ea nomina, *vagè desertos*; sed genus humanum, cuius ipse pars erat, adeoque primæ personæ pronomine vsus est, vt seipsum per modestiam inter imbecillos & calamitosos connumeraret. Haud planè dissimulem, ab aliquo Typographo impressam vocem, *Vos*, pro voce, *Nos*, quæ habetur in * Actis legitimis. Sed quis tam crassæ Mineruæ est, qui mendum non agnoscat? Si per eam periodum Madrutium Orator alloquitur, quî fieri potest, vt apostrophen alteram interserat, quâ se conuertat ad Patres? Quod si voluisset eos alloqui, haud sanè etiam tunc dixisset *vos*, sed potiùs *nos*, vt se quoque Episcopum vnà cum illis coniungeret; nec per vllam vel vrbanitatis vel Rhetoricæ legem licuisset illi seipsum seiungere ab imbecilla conditione, quam ceteris assignabat, & ab obsequio erga Pontificem, qui ad meliorem statum eos reuocabat. 8

* In citato Volumine in Arce S. Angeli.

Eidem posteà Suauis illudit, quòd inuitauerit *siluas ac nemora Tridentina ad personandum, non totâ modò vicinitate, sed per totum terrarum Orbem, vt cuncti huic se Concilio submittant: idq; per verba ex sacris Literis deprompta.* Ludificetur ergo pariter Dauidem Regem, vbi mare percontatur, cur fugerit; Iordanem, cur abierit retrorsum; montes & colles, cur sicut arietes, & sicut agni ouium exultauerint. 9

Subiungit, Oratorem posteà ita dixisse: *Id quod nisi faciant, tum meritò his exprobrandum, Papæ lucem venisse in mundum, homines verò tenebras magis quàm lucem dilexisse.* Hîc enimuerò Suauis triumphat, 10

phat, vociferaturque, blasphemiam existimatam fuisse locutionem, quæ lucem Romani Pontificis lucem Fidei appellabat, quæque illi tribuebat ea verba, quæ à sacris Oraculis Dei Filio iam homini tribuuntur. 1545.

Enimuerò eâ periodo Bituntinus Pontificem ne nominauit quidem; sed vsus est admirantis interiectione, *Papæ*, ita planè locutus in eos qui adire Concilium recusabant. *Quis erat tam iniustus æstimator, qui non dicat: Papæ lux venit in mundum? sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Equidem censuerim, per eam ambigui soni vocem voluisse Oratorem ad Pontificem etiam sententiam deflectere: sed aliud est per amphiboliam aliquid alludere, aliud sententiam disertè affirmare. Quod autem Bituntinus vsurpauerit vocem illam non vt nomen, sed vt interiectionem (quod liquet ex legitimis Actorum codicibus, vbi voci accentus imponitur) præstò erat Suaui coniectura in ipsa typis edita oratione, in qua * post vocem, *Mundum*, visitur interrogantis interpunctio, quæ potiùs admirantis esse debuerat; atqui neutra fuisset ad rem, si ea vox ibi nominis vim haberet. Verumtamen quà ob Typographorum incuriam, nec accentum imponentium, neque comma, quod appellant virgulam, opponentium; quà ob rarum huius interiectionis vsum in Latina scriptione, cuius non admodum peritus erat Suauis, sinistram illius interpretationem excusô.

* In aliquibus Concilij Actis, Antuerpiæ impressis anno 1564. & in Louaniensi collatione, anno 1567.

11 Sed tandem discutiamus quod postremum opponit, & nos primo loco insinuauimus. Testatur Suauis, *à viris rerum peritis collatum fuisse, tamquam pium sanctumq; effatum cum impio, ingenua verissimaq; Legatorum verba, frustrà nimirum Spiritum Sanctum inuocari absque sincera commissorum agnitione, cum Episcopi dictis prorsus oppositis; nempe, absque illa cognitione à S. Spiritu eorum ora pariter apertum iri, prauo adhuc spiritu corda replente.* Si Troianus equus occultas insidias significat, profectò longè aptiùs huiusmodi symbolum congruit Concilio, Suauis paginis, quàm Tridenti mœnibus contento. Hæc simulata de Legatis laus, obtecta infamia est, quasi de præuaricatoribus causæ Catholicæ, & de consentientibus cum hæreticis in eo dogmate, quo à Romana Fide secernuntur; quale est, non esse in terris adspectabile & falli nescium Fidei Orthodoxæ Tribunal. Si enim expectare non licet afflatum luminis à Diuino Spiritu in hominum Concilio, quos intima sanctimonia non oppleuit; cùm hæc sanctitas inaspecta simul & incerta sit, eorum pariter quæcumque auctoritas atque sanctio in incerto nutabit.

 Gnarus

1545. Gnarus itaque Bituntinus, tabificam hanc doctrinam, quippe rudioribus speciosam, ab hæreticis per summum conatum fuisse disseminatam, priùs grauiter cohortatus Patres ad exactam emendationem, ostensâ illius necessitate tam ad propriam consequendam salutem, quàm ad alienam curandam, adiecit memorata verba; quæ certè non sinebant, vt ex iacto doctrinæ suæ sincero semine, ob alterius fraudem vel inscitiam, suspicionis zizania pullularent de Concilio tamquam erroribus obnoxio; atque vulgatis exemplis Balaami & Caiphæ, nec minùs etiam ratione confirmauit; nam, si quo tandem modo fallerentur Patres, falleretur Ecclesia. Quo pacto igitur, insurgit Suauis, admonebant Legati, frustrà implorari à Patribus Diuinum Spiritum, nisi suas illi noxas lugerent, atque detergerent? Profectò animaduertendum par erat Suaui, quænam esset meta, ad quam per illius cohortationis exordium declarabatur Synodum tendere, nimirum, ad hæreses extirpandas, ad restituendam in integrum disciplinam vitamque Ecclesiasticam, ad externam Ecclesiarum omnium pacem. Hæc planè bona, affirmabat illa adhortatio, nequaquam esse speranda ab Episcoporum opera, quotquot tandem eò confluxissent; sed à Christi patrocinio. Et de hac ipsa bonorum impetratione, addebat posteà; Sine antecedente in semetipsos animaduersione, *frustrà Patres inire Concilium*, frustrà Sancti Spiritus opem implorare: hoc est, frustrà eos laborem impendere, frustrà à Deo petere Diuinam lucem, quâ efficaces modos excogitarent ad hæreticos conuertendos, ad Ecclesiam reformandam, ad Christianam Rempublicam pacificandam. 12

Duplex argumentum, ad illudendos vulgi oculos non ineptum, adducitur contra hoc Mussi dictum à Suaui, per eam petulantiam, perinde ac si tela essent adamantina, quæ tamen non potuit ipse pro vitreis pugionibus non agnoscere. 13

Primum est, Alia etiam Concilia, tametsi ex septingentis Episcopis conflata, deerrasse. At ipsum percontor, aliósve ipsius loco, An ea Concilia ab Ecclesiæ Capite directa & comprobata fuerint, an potiùs acephala extiterint.

Alterum est, Ex Pontificiorum doctrina solum Romanum Pontificem errare non posse; id ipsum autem Concilio tribuit ex Pontificia dumtaxat confirmatione. Ita planè: hæc est vera & communis Pontificiorum doctrina; non est tamen eiusmodi, quin ab aliquo Doctore Catholico reuocetur in dubium. * At verò si quis definitionibus Concilij Oecumenici, atque à Pontifice Romano com-

* Vide Bellarm. lib. 2. de Conciliis cap. 5.

comprobati repugnet, nemo est ex Catholicis, qui ab aperta hære- 1545.
si hominem vendicet. Quamobrem non modò verum, ſed etiam certum eſt illius egregij Concionatoris effatum, Si Patres Tridentini, vt qui Oecumenicum Concilium conſtituebant, aberraſſent, futurum quoque fuiſſe per conſecutionem euidentem, vt Eccleſia pariter aberraret.

Hæ ſunt labeculæ, quas inuida Suauis acies in ea Concione deprehendit. At verò quanto illa ſtudio ad mores emendandos feratur; quâ pietate ad reconciliandam Eccleſiam; quàm aptè, quàm concinnè opportuna ſacrarum Literarum teſtimonia interſerat; quàm modeſtâ libertate Patres admoneat officij ſui, & ne ſibi deſint obteſtetur; nihil Suaui placuit delibare. Quæ ornamenta à quocumque cordato viro eam orationem legente, meritò veniam impetrauerint alicuius luxus, qui difficulter inter lautitiam vti conuiuiorum, ita Concionum euitatur. Solis nimirum prærogatiua eſt, eius maculas aliud non eſſe, niſi coagmentatam lucem.



HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.



ONCILII munera delegata. Gallorum postulatio, vt sui expectarentur. Disputatio, an Religiosorum Ordinum Præsides, ac Monachorum Abbates ad ius suffragij admittendi. Certamen sæpiùs iteratum de Concilij titulo. Suauis pronuntiata de vnico Ecclesiæ veteris Episcopatu, varijsque Conciliorum ritibus. Secunda Sessio. Acerrima quæstio Tridenti ac Romæ, à doctrináne, an à reformandis moribus initium ducendum. Peculiares Cœtus præter generales, & cur inducti. Sessio tertia. Euenta Religionis in Germania. Lutheri mors. Agitata pro comprobatione Canonicorum librorum. Obseruationes de Florentino Concilio. Noui Oratoris Cæsarei aduentus, & quæ in Sessionibus eis data sedes. Vergerij Apostasis. Consilia Legatorum ad Pontificem, de morum emendatione. Disceptationes de conficiendo decreto ad sacros Codices ac Traditiones comprobanda, & abusus in his tollendos. Sessio quarta. Expenduntur quæ Suauis obiicit Editioni Vulgatæ ac Traditionibus, Legique, ne sacræ Literæ aduersus communem Patrum sententiam explicentur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM. 1545.

Concilij munera commissa. Gallorum postulata, ac responsa ipsis reddita: & alia in Cœtibus agitata ante primam Sessionem.



1 NECESSE fuit, vt solennis inchoatio Synodi quasi classici signum præcederet, ad excitandos & Episcoporum plerosque ad iter capessendum, & Principes ad animum intendendum, &, quod admirationi est, aliqua etiam ex parte ipsum Pontificem, ad expedienda mandata; quæ si priùs peruenissent, plus efficacitatis minusque contentionis habuissent. At quando res futuræ ex sua natura incertæ sunt, ægrè homines præsentem illarum gratiâ laborem tum corporis tum mentis subire solent: quam quidem segnitiem apud se quisque & apud alios studet cohonestare prudentiæ obtentu, quasi nouus quicumque dies nouus adueniat consiliarius ad meliùs deliberandum.

Necessaria itaque mandata, quâ se ratione Legati gererent in Concilio, non nisi post apertum Concilium [a] accepere. Quod planè ostendit, nullum mortalium opus, quamuis diuturnâ priùs meditatione digestum, esse opus artis ductibus integrè designatum. Iteratis ergo postulationibus per easdem literas, quibus de aperta Synodo Paulum monebant, mandata efflagitarunt, multis etiam interrogationibus adiectis. Ad quædam rescriptum est, prout proximo libro à nobis [b] expositum. Reliqua [c] adhuc pendentia, donec responsa redderentur, ipsorum prudentiæ permissa, vbi res tempus negaret explorandæ per literas Pontificiæ voluntatis.

a Per Literas Farnesij, vltimo Decembris.

b Cap. 16.

c Literæ Farnesij ad Legatos, postremâ Decembris 1545.

2 Inter alia postulabant Legati, vti Romæ designarentur, qui Concilij munera obirent. Siquidem intelligebant, eos à Synodo seligi non posse; quippe iis Patribus conflata, quorum plerique nec nomina nec ora cognoscerent, nedum mores & ingenia eorum, qui huic vel illi ministerio essent idonei: ac proinde par esse, vt à Pontifice destinarentur selecti ex Aula Romana, huiusmodi mercibus prædiuite emporio. Atque vt ignobiliores omittam, minusque dignos qui posteritati commendentur, petiere Legati Concilij Aduocatum, cuius partes essent, iura sustinere tum aduersus Lutheranæ sectæ molimina, quantum ad Comitiorum decreta spectaret; tum aduersus ea, quæ sibi profana potestas arrogaret, quantum spectaret ad Principes: hic autem Aduocatus ex Duodecimuiris eli-

1545. gendus erat, qui Romæ honore ac auctoritate præcellunt, & *Aduocati Consistoriales* nuncupantur. Designabatur ad id muneris Antonius Gabriellus, Romanus, cuius nomen memoriæ viuit in suis libris ab eo editis *Variarum opinionum*. At quoniam sæpè contingit, mentes doctrinæ validiores coniungi corporibus habitudine imbecillioribus, & ætate ac labore magis attritis, ausus hic non est inclementiæ Tridentini cæli sese exponere. Suffectus illi, ex familia Cardinalis S. Floræ, Achilles Grassius, Bononiensis, in Duodecimuiratum posteà Romanæ Rotæ coaptatus, & in suis Decisionibus adhuc superstes.

Oportebat adesse pariter Concilio vnum ex *Abbreuiatoribus Cancellariæ*, vti vocant, quibus curæ est quoddam Apostolicarum Sanctionum genus conscribere. Ad id nominatus à Pontifice Vgo Boncompagnus, pariter Bononiensis, tametsi in huiusmodi muneris exercitatione nondum veteranus; cùm tamen alioquin agnosceretur Iuris Canonici apprimè gnarus, adeoque idoneus Concilio in negotiis ad eam facultatem spectantibus. Legatis hæc electio pergrata fuit, * ob eas animi dotes etiam tum in Vgone efflorescentes, quæ posteà maturiores insignem inter supremos Ecclesiæ Præsides reddiderunt. 3

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 5. Ianuarij 1546.

Oportebat quoque aliquem constitui Concilio à Secretis, augusti illius cœtus amplitudini parem, qui eius Decreta exararet, literasque communi nomine mittendas perscriberet. Qua in re labitur Suauis, dum narrat, à Pontifice significatum Legatis, huiusmodi literas minimè adhibendas, sed eas satis esse, quæ scriberentur vel à se speciatim, vel à Legatis proprio ipsorum nomine. Quin Pontifex rationes ipsis perscripsit, quâ sibi placebat eas literas inscribendas atque signandas, vt alibi memorauimus. 4

Pontifex itaque Concilio proposuit, ad obeundum hoc munus, Marcum Antonium Flaminium, inter Latinos illius ætatis scriptorem illustrem, vt eius carmina testantur. Sed ille onus detrectauit; fortasse quòd iam tum animo foueret earum doctrinarum studium, quibus damnandis sibi necesse fuisset ibi stylum exercere: quamquam * idem ad extremos vitæ annos, ex Poli Cardinalis consuetudine, Viterbij resipuerit, & Catholicè scripserit atque decesserit. 5

* In Vita Poli Cardin. à Boccatello scripta.

Nec ea Flaminij detrectatio citra commodum fuit. Etenim, vti communitatis est, anxiè sua iura tueri, semperque suspicari, ne potentioris postulatio sit tacita quædam violentia, quâ illis spolietur; conquesti sunt Patres in cœtu, in quo Legati horum qui fuerant 6

ad

ad munia destinati, proposuerant; à Pontifice potestatem adimi 1545.
Concilio suos sibi administros eligendi. Ad hæc respondit primus Legatus: Proponere, idem non esse ac imperare; lucem eâ ratione proferri ad eligendum, eligendi libertatem non auferri. Et quidem constitit, responsionem haud fuisse speciosam vocem ad mitigandas querelas, sub qua, veluti sub reuerentia in consilium, lateret obtecta necessitas parendi mandato; quemadmodum videri poterat in aliis à Pontifice nominatis, quos Episcopi reiicere non tentarunt: nam cùm electio ad illius munus, recusante Flaminio, integra esset delata, Legati suasere Pontifici, vt eam Patribus permitteret; & impetrarunt. [a] Cumque priùs ad id fuisset designatus in supplementum Angelus Massarellus, ex Ceruini Cardinalis familia, quem suprà nominauimus, & mox Priulus fuisset electus, qui munus recusauit; [b] Massarellus, posteà luculento experientiæ testimonio commendatus, & præcellente exercitationis magisterio edoctus, id muneris constanter obiuit.

[a] Literæ Farnesij ad Legatos, 31. Ianuar. 1546.

[b] Literæ Legatorum ad Farnesium, 8. Febr. 1546.

7 Sed alij difficiliores nexus nondum explicati supererant: de quorum nonnullis denuò Legati Pontificem interrogauerant. [c] Hi erant: Quinam ordo seruandus in excipiendis Oratoribus: An suffragia ex Capitum, an ex Nationum numero recensenda; ita vt, exempli gratiâ, idem valerent centum Italorum suffragia, quod decem Hispanorum.

[c] In Literis ad Farnesium, 14. & 19. Decembris, 1545.

Atque in hoc postremo par est vt detegam Suauis mendacium, qui refert, Legatos, cùm certò crederent, priorem interrogationis partem, quippe consuetam magis, eligendam, petiisse à Pontifice, vt eò mitteret quamplures Italicos Episcopos, *sibi fideles atque obtemperantes*, qui Transmontanis obsisterent: significans per huiusmodi nomina id, quod potissimùm eius opus intendit, Romam videlicet optauisse, Tridenti Senatum non ex liberis, sed ex mancipiis coactum, & illius generis Senatoribus, quos Latini *pedarios* appellarunt. Et tamen literæ, quas ille à se perlectas profitetur, [d] haud ita loquuntur; sed Episcopos petunt *æstimatione præditos, animiq; affectionibus haud seruientes*. Quæ dotes nulli sinistræ interpretationi sunt obnoxiæ, & è regione oppositæ Concilio seruili & adulatorio constituendo.

[d] Literæ citatæ 14. Decembris.

8 Legati ad ea concoquenda, quæ prima Sessio decreturа erat, peculiares Antistitum conuentus habuere. In eorum primo, 18. Decembris, varia sunt proposita rerum capita, quæ priuatim expenderentur, sequentibus posteà cœtibus stabilienda. Nos grauiora referemus: nec operæpretium videtur, dies singulos horum consessuum

1545. ſuum adnotare; accuratior enim huiuſmodi rerum narratio magis decet exactam ephemeridis diligentiam, quàm grauem hiſtoriæ dignitatem.

Diſſertum primo loco ad Decretum de iis, quæ ſpectant ad morum integritatem pietatemque, tam in Patribus, quàm in ipſorum domeſticis. Actum fuit de ſtatuendo ærario, & annona curanda: quod negotium, quippe moleſtius, in Pontifice, eiuſque Miniſtris à Patribus repoſitum. Deliberatum eſt de Iudice conſtituendo, eorum lites diremptururo, qui Synodo intererant: & proponentibus quibuſdam, demandandum id Tridentinæ vrbis Præſidi, oppoſuere Legati, Agnoſcere ſe quidem in eo viro integritatem ac doctrinam; ſed exerceri ab homine laico iuriſdictionem in Eccleſiaſticos, fas non eſſe. Vnde Pighinus, Romanæ Rotæ Duodecimuir, electus, cui ſimul iniuncta cura excipiendi ſuffragia.

Statuendus prætereà ſupererat de more Concilij Cuſtos, quod 9
munus alicui Principum Synodo adſtantium committi conſueuerat: ſed cùm id temporis nullus Principum adeſſet, electio Cardinali Tridentino conceſſa, qui poſteà Sigiſmundo Comiti ab Arco mandauit id munus.

Haud ita facilè alia quædam propoſita fas erat expedire: nimirum, An tunc de dogmatibus dumtaxat agendum eſſet, an ſimul etiam de diſciplina: de quo Legati nondum Romà reſponſum acceperant; neque poterat ante diem Seſſionis non decerni. An Religioſorum Ordinum ſummi Præſides & Abbates, Iudicis auctoritatem ibi, an ſolùm conſultorum munus obtenturi eſſent. An ſuffragia pro Capitum, an pro Nationum numero vim eſſent habitura. Propoſitum pariter fuerat, vti res examinarentur per cœtus priuatos, quò poſteà in publicas Seſſiones extra litem deferrentur; atque vt huius examinis forma præſcriberetur.

Vt ſeligerentur rerum capita in prima Seſſione ſancienda.

Vt in ea ac reliquis deinceps concio haberetur: adeoque ſe labori offerrent, qui concionandi facultate præcellebant.

In hoc primo cœtu duo contigerunt haud reticenda. Alterum, 10
ab Epiſcopis Gallis vniuerſo conuentui propoſitum * id quod priùs à Legatis, ceteriſque priuatim petierant: Cùm ipſorum Rex iamiam ſuos Oratores eò miſſurus eſſet, & Antiſtites Galliæ conuenturi, vſque ad eorum aduentum rerum deliberatio prorogaretur; moram ſiquidem haud illis vitio tribuendam, quando toties indictum Concilium, ſed irrito euentu, eos non temerè in ſuſpicionem adduxerat, poſtremam eiuſdem promulgationem eódem euaſuram. Atque

* Literæ Legatorum ad Farneſium, 19. Decembris 1545.

que interrogati, quantum ſpatij petitæ moræ ſtatuerent, reſpondebant, Statui non poſſe ob incerta obſtacula, quibus quandoque longa itinera, eaque hominum ex variis locis confluentium, retardantur. 1545.

Huic poſtulato anteà humanius quàm certius reſponſum datum, tempuſque ad deliberandum quæſitum. In altero deinde cœtu, poſtquam aliquantum ſententiæ variarunt, Legati reſponderant: Patres tam in eo quàm in reliquis, Chriſtianiſſimi Regis rationem habituros, quam maximam Dei ac Synodi honor, rectique ratio ipſis permitteret: ſe tamen hortari ac rogare Regem, vt Oratorum miſſionem, & aduentum Præſulum maturaret, gnarus, quantum è Republica foret, nihil protrahi celebrationem illius conuentus, tantâ fidelium alacritate inchoati.

11 Mirum ſanè viſum, quo pacto Galli, qui tam ardenter id efflagitauerant, ac poſtulato inſtiterant, vt in anguſtias redegerint Legatos, quippe & agnoſcentes incommoda ſi conſentirent, & pertimeſcentes diſſidia ſi repugnarent, ſtatim in conſeſſu publico acquieuerint tam exiguæ inaniſque ſignificationis reſponſo. Hoc tamen ex eo ortum, quòd cùm hinc ſatis magnificè propoſuiſſent, quanta eſſet habenda ratio Regis ac Nationis, ex aperta repulſa ignominiam formidabant: hinc verò animaduerterant, Concilium Patrum quà ne petendi ſimilia ceteris Nationibus pateret exemplum, quà ne Præſules tanto labore collecti, nouæque cunctationis impatientes, dilaberentur, ad eam interminatam ceſſationem adduci non poſſe: præſertim quòd interrogati, An Regia ad id mandata ſcripto detuliſſent, muſſitabant haud allata, ſubiicientes tamen, de Regis voluntate ſibi fidem habendam. Quare æqui bonique conſuluêre eam reſponſionem, per honorifica quamquam inefficacia verba redditam, quâ ab incepto perſequendo non indecorè liberabantur; non tamen remiſsâ precum contentione, quò reipsâ dilationem impetrarent.

12 Alterum fuit, acceſſus Hieronymi ab Oleaſtro, ob egregios in exponendo Pentateucho labores illuſtris, eò miſſi à Ioanne Luſitaniæ Rege. Religioſiſſimus hic Princeps Oratores ſuos Concilio deſtinarat: ſed cùm illis morâ opus eſſet, quò pecuniam ac ſupellectilem compararent, ad ſuſtinendam in eo Orbis Chriſtiani theatro Regis Nationiſque dignitatem; Rex vt paratum promouendo Concilio animum præmonſtraret, tres è Dominicana familia cum ſuis literis eò præmiſit, è quibus cùm duo variis per vias difficultatibus adhuc diſtinerentur, ſolus tunc Oleaſter peruenit, delatiſque Regis literis, petiit Oratoris locum. Patres, actis reuerenter gratiis

 Regiæ

1545. Regiæ pietati, discussoque literarum tenore, demandatam Oleastro personam ac potestatem Oratoris, ex verbis Regiis neutiquam elicuêre, adeoque nec illius postulato consensêre. Nihilominùs æquum ipsis visum est, vt quando vnicus ex Lusitanis adesset à Rege tam pio missus, & tot virtutis suæ dotibus ornatus, præcipuus aliquis honor illi tribueretur; vti factum est, & infrà constabit.

CAPVT II.

Variæ controuersiæ, de concedenda aliis præter Episcopos iudicandi facultate; ac præsertim Germanorum Antistitum Procuratoribus. De Concilij titulo: De Legatorum auctoritate: Ac de Episcopis, aliisque Concilio operam dantibus, Decimarum oneri subtrahendis.

INter ea quæ difficiliùs decerni poterant, simulque acriùs vrgebant vt cōfestim decernerentur, illud erat, sicuti iam notauimus: Quibusnam tribuenda esset ferendi suffragij auctoritas. Quæ dubitatio primo loco in Religiosorum Ordinum Præsides recidebat. Et quidem Legati, ne Synodus, dum portu solueret, vado hæreret, in illud consilium venerant, à cœtu pariter laudatum, vt ad rem adeò grauem statuendam maiorem Patrum frequentiam opperirentur, nullâ tamen à Religiosis per quamcumque functionem factâ sui iuris accessione vel iacturâ: arbitrati, eos intereà fruituros possessione quâ diu potiebantur; ipsumque specimen probatæ doctrinæ, quâ Synodum iuuarent, conciliaturos illis Patrum animos, vt, aliis leuiùs ferentibus, possessionem continuarent. Quod exoptari à se, Legati Pontifici significarunt: præsertim quia reipsâ Theologica doctrina, quâ dogmata definienda erant, in Regularibus residebat; proinde decorum & opportunum videri, vt pluribus inter iudices iudicandarum rerum inesset exquisita cognitio. 1

At paulò pòst interpretati sunt multi ex Episcopis id, quod statutum fuerat, quasi interim ius suffragij nulli præter se competeret; conquesti sunt de Legatis, quòd contraria meditarentur. Eâ commotus admurmuratione Montanus, & vt aperti erat animi, dixit, Tantum sibi probari Patrum libertatem, quantum à se optari, vt Patribus pariter eadem in Legatis probaretur. Quapropter eos admonitos se velle, non esse illud Constantiense, nec Basileense Concilium, vbi cùm Romanus Pontifex nullâ ratione præesset, Antistites 2

ſtites in alienam iuriſdictionem progredi non ſunt veriti. Eſſe eam 1545.
Synodum à Pontifice conuocatam, & cui Pontifex præerat per ſuos Legatos, ac ſi præſens adeſſet: Legatorum proinde ſummam rationem habendam; quæ ſi haberetur, cuncta feliciter proceſſura. Quodnam iniquius poſtulatum, quàm pendente adhuc controuerſià, Religioſos viros, eò miſſos ab Apoſtolica Sede, ſpoliari poſſeſſione veteri, quæ per Iuriſconſultos vel in latronibus, nedum in aliis conſeruanda? Huic concertationi ſe interpoſuit Giennenſis Cardinalis, affirmans, quantum ipſe coniicere poterat, haud poſtulari ab Epiſcopis, omnes omnino ex Ordinibus Religioſis, etiam eorum ſummos Præſides à iure ſuffragij excludi; ſed ſolùm Abbates, quorum numerus adeò excreuerat. Quod diſcrimen, tametſi Patrum ſententiæ non conſonabat, cuncti tamen libenter amplexati; tum ne Regularium omnium in ſe inuidiam prouocarent, tum quòd animaduerſâ poſtulationis iniquitate, ac deſperatâ victoriâ, maluerint nec videri litem à ſe immeritò intentatam, nec meritò aduerſariis adiudicatam.

3 Sed paulò pòſt referbuit diſſenſio. Cùm enim Montanus podagrâ figeretur, ipſius vice propoſuit Ceruinus, vt tres Caſſinenſes Abbates, eò à Pontifice deſtinati, admitterentur. In quo valdè certatum eſt; ac demum decretum, eos admittendos hoc ſolùm nomine, quòd viri eſſent egregij, habereturque Pontificis ratio, cuius iuſſu aduenerant, dummodò nihil ipſis iuris accederet, aut demeretur. At verò cùm ageretur poſtea de præſcribenda cuique ſede ac ratione, quâ Concilio intereſſet, Iacobus Naclantus, ex Ordine Dominicano Epiſcopus Clodienſis, quæſiuit, quânam formâ interfuturi eſſent Synodo nuper nominati Abbates. Reſpondit Ceruinus, Conſeſſuros eos quidem infulatos, ſuamque ſententiam dicturos; ſed ipſorum ſententiæ eam rationem habendam quæ Patribus videretur. Sed Clodienſis oppoſuit, Hoc pacto infringi, quod ſuperiori conſeſſu ſancitum fuerat, ne illis auctoritas vlla concederetur, niſi quam ſtatuiſſet Synodus, vbi Patres frequentiores adeſſent. Cùm autem repoſuiſſet contrà Ceruinus, Apoſtolico priuilegio mitræ pedique honore ipſos potiri, nec eo reipsâ priuandos; in querelas alter prorupit, Huiuſmodi priuilegiis Epiſcopos prægrauari, qui prærogatiuas ſuas iam penè omnes Abbatibus communicatas cernerent; Concilium verò celebrari ad reſtringendas, non ad ampliandas huiuſmodi conceſſiones. Subiecit tunc aliquantò commotior Ceruinus: Pontifex in ſuo Diplomate Abbates aduocat, nos verò excludemus? Hinc exorta controuerſia, de quibus Abbatibus.

1546. batibus loqueretur Diploma; acriter ea de re altercantibus inter se Thomâ Campeggio Episcopo Feltriensi, ac Didaco Abala Episcopo Asturiensi. Montanus morbo iam liber, gnarus in æstu partium tam esse arduum alteram acquiescere, vbi lis integra alteri adiudicatur; quàm facilè, vtramque trahi ad media consilia, quibus vitatur à singulis rubor alterius alteri succumbentis; proposuit, obtinuitque, vt à plerisque Patrum comprobaretur, trium Cassinensium Abbatum concordem sententiam pro vno dumtaxat habendam suffragio, quippe vnius integri Ordinis personam gerentium: eâ planè ratione, quâ singuli Religiosorum Ordines per suum quisque Generalem Præfectum vnius suffragij iure fruebantur. Pontifex collaudauit Præsides, * quòd eam iudicandi potestatem in Religiosis sustinuissent; simul etiam cohortatus est ad eorum causam propugnandam, quippe non modò rerum conditionibus opportunam, sed rationi consentaneam.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 11. Ianuar. 1546.

Quamquam enim ea potestas solis Episcopis ordinario iure debeatur; constat tamen, ex priuilegio per veterrimum etiam vsum Præsulibus vel minoris notæ fuisse concessum. Vnde non in tribus postremis solùm Conciliis, Constantiensi, Florentinô, ac Lateranensi, Generales Ordinum Religiosorum Præfecti atque Abbates eâ vsi; sed in Viennensi in Gallia, in duobus Lugdunensibus, & in aliis quatuor Lateranensibus iuxtà ac Episcopi habiti sunt. Cuius etiam moris vestigium satis apparet in septima Orientali Synodo, vbi in secunda Actione Monachi pariter aduocantur ad suam sententiam proferendam: & in Actione quarta Archimandritæ, & Hegumeni, hoc est, *Ductores*, vnius vel plurium Monasteriorum præfecturam gerentes, vnà cum Episcopis sua nomina decretis Fidei subscribunt. Huc accedit, Abbates, cùm inaugurantur, obstringere se iureiurando itidem ac Episcopi solent, vt Concilio intersint, vbi à Pontifice aduocentur. In Romanæ pariter Ecclesiæ Ritualibus connumerantur Abbates inter eos, qui ius suffragij obtinent in Conciliis; additurque, id posteà meritò ad Religiosorum summos Præsides inductum. Ex quibus liquet id quod dicebamus, huiusmodi auctoritatem, vt ad Episcopos ex ordinarij iuris potestate ea pertinet, perinde Abbatibus ex priuilegio veteris consuetudinis tribuendam. 4

Post hæc à Legatis composita, propè iam erat, vt eadem iudicandi facultas impertiretur Dominico Soto Dominicano. Is magnum Theologiæ lumen eâ tempestate habebatur inter eos, qui primi post Franciscum Victoriam, Soti Magistrum, gloriam hereditatem- 5

dicatemque illius scientiæ in Hispanicis Academiis altè fundarunt. 1546.
Accessit ille tamquam suffectus ab Ordinis sui Generali Vicario, domesticis comitiis alibi detento. Sed Ceruinus admonuit, Diploma Pontificis obstare, quo cauebatur, ne ad suffragium admitteretur quicumque ab alio subrogatus fuisset. Vnde Sotus Consiliarij solùm munere functus est. [a] Nec verum fuit, quod à Burgensi Cardinali vulgatum dicebatur, iudicandi potestatem à Pontifice illi concessam.

a Literæ Legatorum ad Farnesium, 14. Ianu. & Farnesij ad Legatos, 21. Ianuar. 1546.

6 Quin, tametsi Legati Diploma Pontificium penes se haberent, [b] quo indulgebatur Episcopis Germaniæ vsus suffragij per Procuratorem; eo tamen haud promulgato, satius visum est, vt illius generalis indulgentiæ loco, quæ poterat multos aliarum regionum Antistites ad æmulationem excitare, ipsorum arbitratui committeret Pontifex, vt illud concederent cui peculiares ob causas concedendum putarent. Sed responsum à Pontifice, [c] Haud sibi opportunum videri, eas in salebras ipsos coniicere; seu quòd rem inuidiæ obnoxiam existimaret, vti sunt cuncta inæqualitatis argumenta, adeoque minimè consentaneam huiusmodi administris, quibus communis beneuolentia ac fiducia comparanda erat; seu quòd arbitraretur, ærario gratiarum solum Principem idoneum esse custodem, cui plus inest animi ad id præcludendum aduersus impetum cuiuscumque potentiæ.

b Literæ Legatorum ad Farnesium, 14. Decembris 1545.
c Literæ Farnesij ad Legatos, vltimo Decembris 1545.

7 Itaque Præsides, [d] haud operæpretium rati eam vniuersalem concessionem palàm facere, noluerunt suffragij ius impertiri, ne ipsis quidem Augustani Cardinalis Procuratoribus; quorum alter eiusdem Ecclesiæ erat Canonicus, alter, Claudius Iaius, ex decem primis Societatis Iesu Patribus. In eiusdem quoque communis legis obseruantiam, quamquam ægrè, Tridentinum adduxere, qui eodem planè spiritu quo Augustanus animabatur, adeoque illius vice poterat assentiri. Pontifex factum comprobauit, & petentibus Legatis, per Farnesium Cardinalem ad eos scribendas curauit literas, [e] Tridentino communicandas, per quas ipsis iniungebatur, vt Augustano Cardinali significarent, Pontificem ipsius studio ac beneuolentiâ fretum, putare gratum illi futurum, si eius exemplo aditus occluderetur reliquis minoribus Episcopis ad huiusmodi postulata.

d Literæ Legatorum ad Farnesium, 9. Decembris 1545.
e Farnesij Literæ ad Legatos, 31. Decembris 1545.

8 Secuta est alia contentio; quæ, tametsi ex nomine orta, diu Synodum turbauit, nec vmquam sedata, sed solùm identidem consopita, rursusque suscitata, importunas procellas penè vsque ad extrema Concilij tempora conflauit: cùm sæpè contingat, voces non

1546. tamquam mera signa æstimari, sed quandoque tamquam etiam rerum causas. Ad epigraphen decreti sanciendi de vitæ integritate in iis qui aderant, proposuit Baccius Marcellus, Episcopus Fesulanus, vt adderentur ad maiorem Concilij dignitatem hæc verba, *Vniuersalem Ecclesiam repræsentans*; qui titulus, aiebat ille, à Synodis Constantiensi ac Basileensi desumptus, prætermittendus non erat in Tridentina, etsi minoris frequentiæ, non tamen minoris æstimationis atque auctoritatis. In eam sententiam multorum aura conspirauit, ex more communitatis, præsertim recèns coalescentis, quæ speciosis nominibus oblectatur. At contra disserüit Augustinus Bonuccius Aretinus, Ordinis Seruorum Generalis Præfectus; Illum titulum esse recens inductum, nec antiquis Conciliis vsitatum. Addiditque Pighinus, Esse pariter superuacaneum, cùm ex tenore Diplomatis Pontificij, & ex Decreto inchoandi Concilij declararetur ea Synodus Vniuersalis & Oecumenica: quæ nomina paris erant significationis, sed maioris auctoritatis, & propter consuetudinem, minoris inuidiæ. Primus Præsidum vtrâque sententiâ humaniter laudatâ, ad posteriorem se dixit accedere; illum titulum, telum quippe validissimum ad hæresim Lutheranam configendam, non esse tam citò promendum, ne illorum auribus vulnus infligeret, adeoque in furorem ageret, quos ad resipiscendum alliciebant. Exemplum peti non posse à Synodo Basileensi, quæ in schismaticam degenerauit, & in quam ea fastuosa inscriptio Eugenij Quarti odium irritauit. A Synodo Constantiensi eam sibi appellationem ascitam ex peculiari ratione: cùm enim diuturno schismate discinderetur Ecclesia, declarandum erat, eam integram à Concilio repræsentari, adeoque vim habere, quâ per sua Decreta rursus ad vnitatem ipsam reduceret. Summum potius Pontificem imitarentur, qui cùm sibi liceret per titulorum sublimitatem cælum petere, mauult tamen in humili manere, & se abiectiori titulo insignire, *Serui Seruorum Dei*. Primi Legati sententiam collegæ laudibus excepêre, & cum iis, quod magni apud Episcopos momenti fuit, Cardinalis Tridentinus, eâ epigraphe reiectâ, quippe aptâ inflammandis Lutheranorum odiis, adeoque illi tempori neutiquam opportuna.

Quieuêre tunc quidem Episcopi; sed breui, * auctâ frequentiâ, 9 vehementiùs exarserunt: vt proinde Legati ægrè impetum sustinere potuerint. Atque illud planè tunc accidebat, quod consiliorum discordias quandoque obdurat; nimirum rationem, quam ore Præsides adducebant, eam non esse quæ ipsorum animos validiùs commouebat: vnde illos argumentis oppugnare, perinde erat ac vmbram

* Variæ Legatorum Literæ ad Farnesium, 9. & 14. Ianuar. 1546.

1546.

vmbram concutere, non solidum corpus. Scripserunt ergo ad Pontificem Legati, [a] Se auersatos eam inscriptionem, ob memoriam verborum, quæ Constantiæ ac Basileæ fuerant illi adiecta, hoc est, *Quæ Synodus à Christo immediatè potestatem habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur.* Peculiari causâ id Constantiensi tribuendum fuisse, vbi agebatur de ferenda sententia inter plures, de quorum legitimo in Ecclesia Principatu ambigebatur; at Basileensem, quòd hunc titulum extra eam Ecclesiæ ambiguitatem sibi arrogauit, in schisma corruisse. Legatorum sententiæ assensus etiam Pontifex est: [b] illisque percontantibus, An vbi Episcopi in re feruidè postulanda persisterent, ipsis indulgendum; negauit Pontifex: [c] nam superioribus rationibus accedebat, ne longiùs protraheretur opus, & ne minueretur statutis sanctionibus auctoritas, si facilè reuocarentur ob importunitatem aduersantium. Quin subdidit, omitti potuisse appellationem *Vniuersalis & Oecumenicæ*; non quòd vera non esset, sed quòd minimè oporteret citra necessitatem fouere nonnullorum animos, elatiores ex magnificis huiusmodi vocabulis. Verumtamen animaduertit posteà Paulus, præter vsitatum ab aliis Conciliis loquendi modum, etiam ex eo quòd ipse per suum Diploma huiusmodi nomine cohonestauerat Tridentinum, integrum non fuisse Legatis, ab eodem Patres Tridentinos depellere citra speciem conculcantium.

a Literę Farnesij, 5. Ianuar. 1546.

b Literæ Farnesij ad Legatos, 14. Ianuar. 1546.

c Literæ Farnesij, 22. Ianuar. 1546.

10 At si Pontifex præcellentis in Episcopos dignitatis suæ satagebat; longè acrior Episcopos inuaserat sophistica quædam anxietas, suæ potestatis erga Legatos tuendæ. Eò Patres deuenerunt, vt conquererentur, recèns admissum ab Legatis absque ipsorum consensu delegatum ab Oratore Mendoza, apertasque eius literas solenni inchoationis die. De quo grauiter expostulauit primus Legatus in generali cœtu, vehementer admiratus, in controuersiam vocari, an Præsidibus liceret literas legationésve cuiusuis excipere, in Concilio referendas, ac de responsis ex Patrum sententiis deliberare. Cùm pariter experimento compertum esset, in ferendis ac posteà in enumerandis suffragiis confusiùs agi: ac propterea cùm Legati tribus antiquissimis Episcoporum vnà cum Pighino Romanæ Rotæ Duodecimuiro negotium dedissent, vt suffragia colligerent; ne tam tenuis quidem functionis administratio præteriit absque tam acri Patrum querimonia, vt satius Legati duxerint eam reuocandam.

Leuitati proxima visa est paucorum quorumdam arrogantia; [d] qui audito Pontificis Diplomate, Decimas condonante Episcopis in Synodo coactis, mussitabant obmurmurantes, satius futurum fuisse,

d Literæ Legatorum ad Farnesium, 5. Ianuar. 1546.

1546. fuiſſe, ſi per ſeipſam Synodus eo ſe onere releuaſſet. Pleriſque verò illud beneficium adeò faſtidio non fuit, vt actis Pontifici gratiis, petierint inſuper Epiſcopi quidem, vt eadem oneris ceſſatio ſuis etiam domeſticis indulgeretur, quippe qui laboris participes, paris quoque leuaminis indigebant: ſummi vero Religioſorum Ordinum Prætides, vt idem concederetur ipſorum familiis, quò ſumptui conſuleretur & ſibi neceſſariò ibi degentibus, & plurimis ipſorum Theologis, qui eò conuenerant, & iuſſu Pontificis adhuc acceſſebantur. Idem denique petiere quotquot Concilio aderant: quin etiam Legati, ſuper prouentibus diſpertiri ſolitis inter Purpuratos qui Romæ adſunt, nemini verò abſenti, vel in Apoſtolica legatione detento, conceſſis. Quam legem, aiebant, intelligendam de iis legationibus, quibus ea iactura releuatur per alia pecuniaria emolumenta; non de ipſorum legatione, qui tot ſudoribus ad communem Eccleſiæ vtilitatem profuſis, nihil aliud tandem, niſi ſpinarum ſegetem demetebant. Verùm Pontifex, * gnarus, in omni rectâ adminiſtratione, legum relaxationes anguſtè coarctari oportere, ne ipſarum copia legem omnino perfringat, Epiſcoporum poſtulatis aſſenſus non eſt. De Religioſis, quorum petitio æquior videbatur, reſpondit, Indecorum fore leuamentum commune tum laborem ac ſumptum impendentibus, tum hæc onera minimè ſubeuntibus; at verò de releuandis laborantibus, habiturum ſe rationem: de ipſis Legatis nihil interim decretum. Nulla quippe validior cuſtodia legem tuetur, quàm ipſius aggreſſorum multitudo, hoc eſt, plurium relaxationis petitorum: Princeps ſiquidem præuidet maiorem ſibi beneuolentiæ iacturam impendere ex paucis, quàm è cunctis repulſis, ob humanæ corruptionem naturæ, quæ non tantùm appetit boni acceſſionem ſibi, quantùm ſe in acceſſione boni ab aliis non ſuperari.

* Literæ Legatorum Farneſij ad Legatos, 21. Ianuar. 1546.

CAPVT III.

Expenduntur quæ Suauis pro certo ſumit, de vnico veteris Eccleſiæ Epiſcopatu; in quo vniuerſo, quilibet Epiſcoporum iuriſdictionem obtinuerit.

DE rebus variis atque grauiſſimis æquè falsò ac confidenter plura præmittit Suauis, gnarus, multis probationis loco frontem eſſe. 1

Orditur ab eo, quòd primæuæ Eccleſiæ fuerit maximæ vtilitatis Synodo-

Synodorum vſus, à Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio inductus. *Cuius*, inquit, *exemplo Epiſcopi ſubſecuti, exiſtimantes cunctas Chriſtianorum Eccleſias vnam eſſe, Epiſcopos verò ita pariter in vnum coaleſcere, vt ex eo quilibet vnam partem obtineret, non veluti propriam, ſed vt omnes totum regerent, ſingulis tamen magis in ea regenda occupatis peculiariter ſuæ curæ demandata, ſicuti ſanctus Cyprianus in aureo libello de Vnitate Eccleſiæ demonſtrat.* Hic homo ſi verba faceret apud Sinas, noſtrarum rerum ignaros, poſſet facilè ſibi fidem inuenire; & fortaſſe inueniret apud nonnullum, qui alicuius politicæ calliditatis peritus, ſimulque expers conditionis Eccleſiaſticæ, legerit Suauis hiſtoriam, impulſus rerum politicarum auiditate; ſed ex Eccleſiaſticis eas, tamquam indubitatas recipiat, quas ibi cernet enarratas ceu manifeſtas. Quamquam veriùs quicumque rerum ciuilium prudens æſtimator numquam putabit, poſſe reipsâ conſtitui huiuſmodi Rempublicam ex Platonicis formis, vt ſic loquar, expictam; & hanc non in vnica tantùm ciuitate, vti Plato conſtituit ipſius indiuiduum dominatum, ſed in totius Eccleſiæ amplitudine. De cetero, volebat etiam ille Philoſophus, vti peculiares curæ inter varios adminiſtratores, poſſeſſores ac magiſtratus partirentur, vt fuſiùs explicat in decem ſuis de Republica libris. Et tamen huiuſmodi Reſpublica perſpicuis planè rationibus refellitur ab Ariſtotele, qui alioquin in politicis diſciplinis magiſtrum ſæpè laudat, ac ſequitur. Multò magis eadem ab experientia refellitur, cùm exploratum ſit, in tanta gubernationum varietate, ſiue rectè, ſiue perperàm inſtituta fuerit, numquam videri vſurpatum id quod à tam inſigni Philoſopho non modò commendatum legitur, ſed planè delineatum. Ad rem accedamus. Quid, quæſo, agebatur, cùm alicui peculiari Diœceſi deerat Epiſcopalis muneris adminiſtrator? Num opus erat extemplò reliquos Epiſcopos conuocare ex cunctis terrarum Orbis Prouinciis, qui ſucceſſorem ſufficerent? At hoc perinde fuiſſet, ac ad itinera perpetua Præſules cogere, deſertis ſibi commiſſis Eccleſiis. An id muneris in priùs occupantem deueniebat, ſiue idoneum ſiue ineptum? At quæ forma regiminis magis deformis magiſque fortuita? 1546

2 Perge porrò: Si tota iuriſdictio in vnoquoque ſita erat, vnicuique igitur licebat, quocumque mallet pergere, & ouilis alieni Paſtorem agere, doctrinas tradere, controuerſias diiudicare, & moderari ſubditorum animos pro arbitratu. Animaduertit ex ſe quiſque, deſignatum in his pauculis verbis turbarum chaos, ad quas euitandas vnaquæque Reſpublica varias cauſarum rationes diſtribuit

1546. variis Magiſtratibus, varias oppidorum claſſes variis moderatoribus, varias militum legiones variis Ducibus, numquam admiſſâ eâ poteſtate ſingulorum in totum, vt proinde vbi diſcordia inter illos contingeret, ignorarent ſubditi, cuinam iure obtemperandum.

Charitatis feruorem in Eccleſia primæua Suauis obtrudet, cuncta diſſidia longè remouentem. Benè eſt. Hinc igitur idem concedat, cùm Deus noluerit ad poſteriora tempora diuinitus deducere hanc excellentiam charitatis conſenſioniſque, ſupra modum conditionis humanæ, noluiſſe pariter eam formam Epiſcopatus indiſtincti protrahere: adeoque per conſecutionem fateatur, Epiſcopatuum diſtinctionem eſſe de iure Diuino: cùm certè Chriſtus haud præſcripſerit Eccleſiæ ſuæ regimen pro eo ſolùm breui ſtatu, naturæ vim ſuperante; ſed pro alio naturæ conſentaneo, longè, ſi numerentur ſæcula, diuturniore; ſi cultores, ampliore. Hæc ad confutationem ſatis; ſed non ſatis ad veritatem. Eam indiuiduam concordiam, & exquiſitam ſanctimoniam priorum fidelium liceret quidem Suaui aniculis perſuadere, non item Latinæ linguæ tantum ſcienti, quantum ſacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficit. S. Pauli Epiſtolæ clarâ voce inuehuntur in enormiſſima ſcelera, & inter reliqua, in ſchiſmata, ſeditioneſque, per ea Reipublicæ Chriſtianæ primordia. Cuius rei certa teſtimonia voluit Deus in Scripturis à ſe dictatis nobis relinquere, ne cenſores ſui temporis, ac veteris laudatores, opinionem inſinuent, quâ credatur vera IESV CHRISTI Sponſa non eſſe Eccleſia membris tam deformatis compacta, quàm ea, quæ in Catholico corpore deprehendimus. Quòd ſi hæc naſcenti Eccleſiæ euenêre, quid iam dicendum de ſubſecutis temporibus vſque ad ætatem S. Cypriani, qui de Suauis ſententia nos edocet, tamquam etiam tum perſeuerantem eam indiuiduam Epiſcoporum iuriſdictionem? Numquid ille non deflet in eodem aureo libello lamentaria eorum diſſidia, qui Eccleſiam adminiſtrabant? Nónne ſcatent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ diſſenſionibus nocentis exempli, vel inter Chriſti Athletas, qui in dies ſingulos carnificinam ſui corporis in vinculis præſtolabantur? 3

Hæ rationes conuincenti argumentatione conficiunt, huiuſmodi regimen Eccleſiaſticum, cuiuſmodi nobis obiectat tamquam pro certo ponendum Suauis, & nititur fusè perſuadere Salmaſius, illi & arrogantiâ & ignorantiâ par, monſtrum eſſe ex partibus inſociabilibus confictum: ſed cùm commune ſit adagium, Ad euincendam litem plus valere drachmam vnam facti, quam multas libras iuris, 4

operæ-

operæpretium est, probatis etiam testibus ostendere, quod hi affirmant, vanum esse commentum. Hîc non vacat pro eo ac fit in iudiciorum quæstionibus, plures producere; vnus satis mihi sit antiquissimus inter Patres, qui aliquem ex Apostolorum discipulis nouit, sanctus, inquam, Irenæus. * Hic eos redarguens, qui docebant aduersus quàm habetur ex traditione Apostolica, in Ecclesiis, quibus Episcopos primò constituerunt Apostoli, & alij posteà illis suffecti, serie haud interruptâ, sic scribit: *Sed quoniam valdè longum est in hoc volumine omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes.* Mox refert, à duobus Apostolis fuisse traditam Romanæ Ecclesiæ administrationem Lino & Anacleto, vel Cleto vt alij legunt, quos ambos dubium pariter est, an intelligat Irenæus fuisse à Petro & Paulo electos, vt futuros Romani Pontificis successores, vbi Sedes vacasset; an vti functionum curatores, dum ipsi abessent. Posteà enumerat Clementem, ac deinceps alium ex alio, ad suam vsque ætatem; atque huiusmodi monumenta dicit seruari in aliarum Ecclesiarum tabulariis, nominatim verò in Smirnensi, vbi Polycarpus sibi notus fuit impositus, à S. Ioanne.

1546.

* Lib.3. cap.3.

Idem affirmat Tertullianus, non admodum Irenæo posterior in libro * *de Præscriptionibus.* Idem pro certo posuit S. Augustinus Epistolâ 165. & cap. 40. in Epistolam, *Fundamenti.* Idem cuncti reliqui Patres, quos aduersus Salmasium erudite congessit Dionysius Petauius lib. 1. * de Hierarchia Ecclesiastica.

* Cap 32.

* Cap.2.

5 Profert contrà Suauis testimonium S. Cypriani in laudato libello, quem ipse meritò *aureum* appellat, *de Vnitate Ecclesiæ.* Equidem miror Suauis confidentiam, audentis ante oculos ponere aurum illud, cui collatum, statim spurium deprehenditur quidquid conflat ipsius fornacula. Libellus ille quantus quantus est, totus est in comprobanda vnitate Fidei apud Ecclesiam, arguendisque sceleratis ac perditis eorum animis, qui ab hac vnitate secedunt. *Hinc*, ait, *hæreses & facta sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans vnitatem non tenet.* Et paulò pôst: *Vnitatem simul ac dilectionem magisterio sui docet, Prophetas omnes, & Legem præceptis duobus inclusit. Quam verò veritatem seruat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, Fidem destruit, pacem turbat?*

Pàne-

1546. Panegyrímne, an potiùs diras hæc verba conficiunt in Lutherum, qui planè heros est Suauianæ epopeiæ, hoc est fictæ narrationis?

Sed his omissis, accedamus ad id, de quo nunc agitur. Quidnam 6 affirmat ibi S. Cyprianus? Ecclesiam vnum existere Episcopatum, & singulis Episcopis esse *in solidum* partem in toto. Quis hoc inficiatur? Inficiantur hæretici, quippe Sacræ Monarchiæ oppugnatores; non verò Pontifex, qui idcircò consueuit se nuncupare *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ*; adeoque vniuersam Ecclesiam tamquam vnum Episcopatum agnoscit. Quid hinc Suauis contendit deducere? in hoc vniuersali Episcopatu non inesse plures peculiares Episcopatus? Ridicula planè deductio. Quis vmquam, eò quòd exercitus vnus sit, & vnus omnium Imperator, quodque pro se quisque ex ducibus in solidum partem obtinet in communis boni omniumque victoriæ procuratione, argumentatus est, equitum magistro in pedites esse potestatem, vel in equites peditum præfecto? eodem pacto de eo qui tormentis præest, vel cataphractos ducit? Vnum etiam Episcopatum esse in Ecclesia vniuersa alio modo significamus; ratione videlicet Ordinis, quo Episcopus redditur idoneus ad illius gradus ministeria in quascumque Orbis partes, & in quemcumque exercenda, si legitimè illis admoueatur. Ita facultas legum Ciuilium interpretandarum vnica pariter est, & cuicumque illâ instructo licet earum magistrum ac interpretem agere in quacumque exedra & Academia; non tamen ita, vt iure sui possit in quauis exedra, vel in quauis Academia docere. Similiter inter Cassinenses Monachos vnica est Abbatis dignitas, per quam is aptus euadit, vt in quocumque Monasterio præsit; & ex illius vi huic modò, modò alij præest: hinc tamen haud fit, ne vnius Monasterij Abbas distinctam obtineat iurisdictionem ab ea, quam alterius Monasterij Abbas obtinet, eique liceat sese immittere in cuiuscumque Monasterij administrationem, nisi ab ipso Ordine illi peculiariter demandatam.

Hîc insuper dicit Cyprianus, Cunctos Apostolos accepisse à Christo æqualem potestatem promulgandi Euangelij, postquam rediuiuus eorum missionem habuit. Sed hoc pariter haud negatur: quin affirmatur communiter à Catholicis scriptoribus, atque ab iisdem censetur vti necessaria conditio Apostolorum muneri, prout illud reliquis inferioribus eminet. Verùm in hoc duo declaranda: Primum est, eam vniuersalem potestatem in solo Petro fuisse ordinariam, eiusque muneri affixam; in reliquis Apostolis nec ordinariam, nec per manus ad successores traducendam, sed delegatam, atque ipsis peculiari nomine attributam. Etenim Apostoli, diuinæ gratiæ 7

præsi-

præsidio in amicitia cum Deo confirmati, & copiosis supra naturam viribus communiti, nulli discordiæ periculo subdebantur: cui cùm posteriores Antistites ex humana imbecillitate obnoxij futuri essent, nequaquam expediebat, vt indistincta illa iurisdictio esset in Apostolis ordinaria, adeoque successoribus hereditaria. Exemplo res pateat. Aliud est, in aliqua Republica, ex peculiaribus conditionibus, præstantique virtute vnius administri, à Principe potestatem amplissimam extra ordinem illi concedi; aliud est, in eadem Republica stabile munus constitui, in quo ea potestatis amplitudo sit vt ordinaria continuanda. Quare quòd Episcopi Apostolis in ordinaria iurisdictione successerint, non ex eo conficitur, illis etiam successisse in hac indifferenti vniuersalique delegatione; itidem ac nec illis suffecti sunt in auctoritate scribendi libros Canonicos, aliisque prærogatiuis. Secunda illius S. Cypriani dicti declaratio est, cunctos Apostolos nihilominùs fuisse S. Petro subiectos, cui ex ordinario suo Magistratu, & in Successores abituro, cæli Claues concessæ sunt, iurisdictionisque Ecclesiasticæ plenitudo; quamquam cunctorum Apostolorum virtus ac sapientia ea esset, vt nullus penè fuerit Petro locus huiusmodi iurisdictionis exercendæ in viros sanctimoniâ ac prudentiâ perfectissimos. In reliquum necesse fuit, vt vnius potestas ceteris præpolleret, nisi fuisset instituendum in Ecclesia Polyarchiæ regimen, eiusdem Ecclesiæ commodis planè aduersum, vt alibi ostensum est. 1546.

8 Nec quidem iuuat respondere: Cùm concordia inter Apostolos ex afflatu diuino perturbari non posset, in pluribus etiam monarchiam perstituram, quamquam inter se mutuò liberis ac supremis; vt quidam de duobus Apostolis Petro & Paulo recèns excogitauit: nam securitas perpetuæ concordiæ inter omnes collegas, tametsi sufficeret ad euitanda incommoda, quæ suâpte naturâ inferret Ecclesiæ Polyarchicum regimen; non tamen satis esset Monarchico statuendo, cuiusmodi nouimus ex Scripturis ac Patribus constitutum à Christo fuisse, vt hic auctor fatebatur. Fingamus Venetum Senatorem, cui diuinitus & datum & significatum fuerit, in sententiam suam semper iturum Senatum vniuersum: fingamus insuper, datam illi à Senatu potestatem peragendi, ex auctoritate communi, quidquid ipsi libuerit, nullo priùs habito collegarum consensu: non tamen idcircò is euadet Monarcha, nisi obtineat ius regendi absolutum à quocumque consensu dissensúve collegarum; quemadmodum nec euaderet Monarcha, supremusque mundi Dominus, quod spectat ad dominium, siue iurisdictionis illud sit, siue

1546. proprietatis, is cui à Deo fuisset promissum, quidquid ipse nomine legitimè gubernantium, seu iure possidentium vmquam fecerit, semper illis ratum fore. Huiusque rei ratio est, quia vtrumque dominium, tam iurisdictionis quàm proprietatis, secum affert auctoritatem ipsam hominibus imperandi, & res ipsas pertractandi iure suo, aliis etiam dissentientibus.

Iam verò videamus, an huic doctrinæ perspicuæ, quam hactenus 9
exposuimus, dissonent an concinant S. Cypriani verba, quæ sunt huiusmodi: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam; & tibi dabo claues regni cælorum; & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterùm eidem post suam Resurrectionem dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, & vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstratur. Et Pastores sunt omnes, sed vnus grex ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascantur.* Et infrà: *Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se Fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

Num fortè per hæc verba relinquitur dubitatio, an ex Cypriani sententia S. Petrus eiusque Sedes summum in Ecclesia Dei Principatum obtineant? An seiunctio ab iis, qui in ea sedent, queat coniungi cum huius communione? Quod si cui fortassis in mentem veniret, Cypriani sententiam esse, supremum Petri Principatum, imperiique vnitatem in ea tantummodò prærogatiua fuisse sita, quòd Petrum Christus ante alios nominauerit, quodque ab vnico ex rectoribus fuerit incepta numeratio, constitutâ nihilominùs posteà integrâ æqualitate atque regendi libertate inter ipsos eorumque successores; insipientem profectò differendi rationem ex sapientissimo illius egregij Doctoris ore depromeret: perinde quasi satis sit, vt vnitas Principatus constituatur, multorumque gubernatio tollatur, si supremi Rectores atque Collegæ post alium alius deinceps, & non omnes vnicâ locutione nominentur.

Postre-

10 Postremò, vbi visus est Suaui sanctus Cyprianus affirmare quod ipsemet affirmat, ibi apertè Suaui contradicit. Etenim si à Cypriano docemur, vnum esse Episcopatum, cuius partem suam quicumque Episcopus obtinet *in solidum*, dum multos Episcopos æquiparat multis radiis, qui tandem vnum Solis lumen conficiunt, multisque ramis, qui eumdem omnes vigorem trahunt ab eodem trunco, hæc planè exempla Suauis doctrinam oppugnant. Vnus è Solis radiis num fortè ad illuminandum transgreditur locum ab alio illuminatum? Vnus ramus alterius frondes ac folia enutrit? Quid plura? Nónne disertis verbis mentem suam explicat Cyprianus? *Vnum*, inquit, *est Caput, vna origo, & vna mater.* Hæc est vnitas, quam ille affirmat in Ecclesia, vnitas Ordinis in singulis æqualis, & quâ singuli redduntur idonei ad exercenda vbique locorum Episcopi ministeria: vnitas Capitis, hoc est Petri, eiusque Successorum, in qua Christus fundauit Ecclesiam, & cui perstant innixæ omnes huius Regiæ columnæ, non verò Diœceseon confusio. Videamus porrò, an Suauis, dum alia pro certis assumit, veracior sit ex lege Poëtarum permiscendi veri cum falso, quasi nummos sinceros cum adulterinis, vt æquè omnes accipiantur. 1546.

CAPVT IV.

An verè Suauis affirmet, Primis Oecumenicis Conciliis præfuisse Cæsares, eorumque administros; vsumque habendi alios congressus, præter solennes Sessiones, inductum ex eo, quòd illi amplius non præsiderent: vbi etiam de suffragiis, per capita an per nationes numerandis.

1 Postquam descripsit Suauis ex ingenij sui figmento peculiares Synodos, habitas à fidelibus cùm insectationibus vexabantur, in quo lectores à me detineri operæ non est, Oecumenicas delineat, inchoatas post susceptam ab Imperatoribus Romanis Fidem, & post Ecclesiæ pacem. Has dicit ab Imperatoribus eorúmve Præfectis conuocatas: *Gubernabatur*, inquit, *actio ab illis Principibus, seu Magistratibus, qui Patres congregauerant: ipsi actionibus intererant, eas proponentes ac moderantes, obortasq́; in modo agendi controuersias interlocutoriis sententiis decernentes, relictâ consessus iudicio definitione capitis præcipui, cuius gratiâ Conuentus coaluerat.* Pronuntiat id constare de iis Conciliis, quorum extant Acta, vt de Ephesino, coram Candidiano Comite, & clariùs de Chalcedonensi, coram Marciano; ac de

1546. iis, quorum Acta non extant, vt de Nicæno primo, idem ex Historicorum testimonio comprobari.

A priscis Imperatoribus compulsos ad Concilia ex variis Imperij Prouinciis Antistites, sic ab illis Romano Pontifice postulante, verum est; idemque pariter Imperatores recentes aliique Principes in Tridentino præstitere. Verum itidem est, ea de causa priscos illos, interdum *Conuocatores*, per laxiorem quamdam significationem appellatos. Verum præterea est, ab ipsis suarum virium operam Conciliis impensam, eosdemque aut præsentes illis adfuisse, aut per summos administros, quò turbas repellerent, insolentiamque compescerent: & ad hanc rem Clemens & Paulus tam enixè petierunt à Carolo V. vt ipsemet adesset Concilio, quod toties narratum est. At vel ex propria auctoritate, & absque iussu Pontificio Concilia ab illis coacta, vel posteà illis præfuisse, falsum est. Quînam id ipsis facere licuisset, qui nullâ; nisi profanâ iurisdictione fruebantur, quique Cæsari ac Tiberio successerant, non Petro, quem sibi Vicarium Christus constituit? Præterquam, quod si de conuocatione loquamur, cùm integrâ totius Christiani Orbis dominatione minimè potirentur, quânam auctoritatis vi cunctos Episcopos accersere potuissent? Quod potissimè locum habet post adeò multiplicatam paulatim Regnorum diuisionem in Christiana Republica: vt proinde dici oporteat, à Christi prouidentia demandatum fuisse id muneris alteri cuidam potestati, quæ reliquis Christianis in rebus Religionis præesset. Ea verò sola S. Petri Cathedra est, ob quam Roma, vti obseruauit [a] S. Leo, adeoque illi assonans cecinit [b] S. Prosper, illâ etiam ætate *latiùs præsidebat Religione Diuinâ, quàm dominatione terrenâ.* 2

a In Sermone de SS. Apostolis Petro & Paulo.
b De ingratis.
c Epist.95. cap.17.

Hisce verò rationibus effecta respondisse, antiquitatis monumenta testantur. Idem S. Leo in Epistola ad Turbium [c] scribit: *Mittimus literas ad Fratres & Coëpiscopos, Tarraconis, Carthaginis, Lusitaniæ, & Galliæ, & intimamus ipsis Concilium Synodi Generalis.* Et ante ipsum Sixtus Tertius, in Epistola ad Orientales: *Valentinianus Augustus nostrâ auctoritate ordinauit, vt Synodus congregaretur.* Adrianus Secundus in Epistola ad Basilium Imperatorem, quæ fuit recitata in prima Actione octauæ Synodi, sic loquitur: *Volumus industriâ pietatis vestræ numerosum ibi Concilium celebrari.* In quibus verbis deprehenditur, quo pacto Concilia à Romano Pontifice, & quo à Cæsare conuocarentur: ab illo tamquam à causa potissima, & per voluntatem imperantem; ab hoc tamquam ab instrumento, & per industriam exequentem. Hæc autem loquendi ratio, de Romani Ponti- 3

Pontificis auctoritate, apparet pariter vsurpata ab Episcopis illius ætatis. Refert [a] Theodoretus, Patres in primo Concilio Constantinopolitano congregatos scripsisse ad Damasum Romanum Pontificem his verbis: *Conueneramus Constantinopoli ad literas vestræ R. missas à Theodosio piissimo Imperatore post Concilium Aquileiense.* Et inter Epistolas, quæ spectant ad Synodum Chalcedonensem, vna extat quorumdam Episcoporum ad Leonem Imperatorem, quæ ita habet: *In ciuitate Chalcedonensi multi sancti Episcopi conuenerunt mandato Leonis Pontificis, qui verè est Caput Episcoporum.* Nobis Historias, non de Religione controuersias scribentibus, satis sit, Suauis confidentiam breuî confutatione retudisse, non temerè minùs quàm asseueranter contrariam affirmantis. Iam verò cupienti falsitatem pernoscere copiosiore dissertatione conuictam, licebit ea lustrare, quæ scripserunt de industria complures auctores sapientissimi, ac præsertim duo præclari Purpurati, [b] Turrecremata, & [c] Bellarminus.

1546.
a In lib. 5. Historiarum cap 9.

4 Nec sibi deest hominis temeritas in altera parte audacter affirmanda, dum ait, veteres Imperatores præfuisse Conciliis. Fuit hoc Brentij [d] hæretici mendacium, quod ne ipse quidem [e] Caluinus affirmare ausus; qui planè intentus ad excludendos à Præsidum munere in Nicæno S. Siluestri Legatos, nec alium nactus quem posset congruè præficere, satius habuit comminisci, Athanasium ibi præfuisse, tametsi id temporis adhuc Diaconum, eoque adductum ab Episcopo suo Alexandro. Per quod inuentum studuit opinionem doctrinæ cum iurisdictionis auctoritate confundere; eâ planè ratione, quâ quis diceret, Rhemensi Concilio præfuisse Bernardum.

b Lib. 3. Summæ Ecclesię cap. 6.
c Lib. 1. de Concil. cap. 12. & 13.
d In Prolegomeno in Petrum Sotum
e In lib. 4. Institutionum c. 7. sub initium.

Enimuerò Brentij ac Suauis dictum adeò redarguitur mendacij veterum monumentis, vt Basilius Imperator sub finem octauæ Synodi fateatur, à Constantino post omnium Episcoporum nomina suum subscripsisse Nicænæ; cùm tamen Legatorum S. Siluestri subscriptio primo loco posita legatur. Compertum etiam satis est, ab eodem Constantino infra cunctos Episcopos sibi sedem delectam, vti [f] Theodoretus & [g] Eusebius narrant. Id ipsum confirmatur per ea quæ [h] Ruffinus commemorat, illum videlicet Imperatorem professum se minorem Episcopis, atque decere, vt inter illos non tamquam iudex, sed tamquam iudicandus degeret. Adeóne igitur Suauem audere citra vllum examen, citra vllam probationem pronuntiare, scriptores illius temporis tribuisse Constantino hoc præsidendi munus in Nicæno Concilio, perindè atque narraret, eidem contra Maxentium victoriam tribuisse?

f Lib. 1. de Histor. cap. 7.
g Lib. 3. Vitæ Constantini.
h Lib. 10. cap. 1.

At ad ea Concilia descendamus, quorum Acta extant, & in ipsis

1546. facti euidentia, ſicut Suauis ait. De duobus prioribus ſolùm loquar, ne huius auctoris fabula ad longius epiſodium me diſtrahat. Libétne cognoſcere, an & quæ in Epheſino fuerit præſidendi ratio Candidiani Comitis, à Suaui commendata? De Candidiano Theodoſius & Valentinianus, dum eum ad Concilium mittunt, ita ſcribunt: *Candidianum præclariſſimum &c. ad ſacram veſtram Synodum ire iuſſimus; ſed eâ lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat; nefas eſt enim, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere: verùm vt Monachos, & ſæculares, & ceteros denique omnes, qui huius ſpectandi cauſâ vel eò nunc confluxerunt, vel in poſterum fortè confluent, ab eadem illa ciuitate modis omnibus ſubmoueat.* At verò ibi præfuiſſe Cæleſtinum Pontificem per ſuum Legatum, concordi voce confirmant omnes Hiſtorici, quos Bellarminus latè recenſet in * lib. 1. de Conciliis.

* Cap. 19.

Iam ad Chalcedonenſe gradum faciamus, in quo maiorem rei 5
claritatem Suauis iactitat. Numquid aliud ibi comperit, quàm ſupra omnes Epiſcopos Marcianum conſediſſe? Idem pariter contigiſſet in Tridentino, ſi Carolus Quintus adfuiſſet. Ceterùm, ſi certò ſcire cupimus, quis ibi fuerit Præſes, ac Iudex Eccleſiaſticarum omnium cauſarum, id nos edocebit tum qui præfuit, tum ipſa Synodus, tum Pulcheria Auguſta. S. Leo Magnus, Epiſtolâ 40. ad idem Concilium, de ſuis Legatis hæc habet: *In his, qui à Sede Apoſtolica directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere.* Ipſi verò Legati, qui, vt apparet, omnium primi ſemper & loquuntur & ſubſcribunt, Actione tertiâ in hanc ſententiam verba faciunt: *Sanctiſſimus ac beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo, per nos, & per præſentem ſanctam Synodum, vnà cum ter beatiſſimo & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra & crepido Eccleſiæ Catholicæ, & ille, qui eſt rectæ Fidei fundamentum, nudauit Dioſcorum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni Sacerdotali alienauit miniſterio.* Ita illius Concilij Acta pronuntiant, ſcripſiſſe ac dixiſſe abſque vlla cuiuſpiam contradictione Pontificem, eiuſque Legatos. Poſteà Synodus ipſa, in Epiſtola quam ad Leonem ſcripſit, his vtitur verbis: *Tu quidem, ſicut membris caput, præeras in iis qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens; Imperatores verò, ad ornandum decentiſſimè præſidebant.* Alia igitur præſidendi ratio habebatur Romano Pontifici, alia Imperatori: illa interior, & tamquam capitis, membra moderantis; hæc exterior, & tamquam coronæ, frontem exornantis. Sed tandem rem totam reponamus in iis, quæ de

hoc

hoc ſcribit Pulcheria Auguſta, cui omnis auctoritas, totumque regimen innitebatur. Habetur ipſius Epiſtola ad ſanctum Leonem, quæ de mittendis Epiſcopis hoc pacto loquitur: *Et illic facto Concilio & de Catholica confeſsione, & de his Epiſcopis, qui ſeſe ante hoc ſegregauère, ſicut Fides & Chriſtiana pietas exigit, te auctore decernant.* Non ergo ſolùm caput præcipuum, cuius cauſâ coaluerat Conuentus, definitioni Concilij committebatur, prout Suauis affirmat; ſed contumacium Epiſcoporum damnatio: atque hoc totum à Concilio peragendum erat ex Romani Pontificis auctoritate. Nolo fuſiùs hac de re agere, ad aliud librorum ſcriptionis genus ſpectante: neceſſe tamen mihi fuit, commonere minùs peritos lectores, quàm tutum ſit ipſorum fidei, illius narratoris inniti ſtructuræ, cuius fundamenta non cæmentitia, ſed commentitia ſunt. 1546.

6 Pergit porrò dicere; Nullum fuiſſe antiquis Synodis diſcrimen priuatorum cœtuum, ac Seſſionum publicarum; nullam actionem cæremoniis impenſam; omnia per deſignatos ſcribas adnotari; omnia eſſe Concilij Acta, quæ in lucem edebantur, & non ſola decreta, vt in Tridentino ſancitum eſt. Cur etiam non dixit, Priſcis temporibus in more non fuiſſe Principibus tot diuerſa miniſtrorum munera, ſeu qui eſſent ab epiſtolis ſcribendis, ſeu qui conſiliis ac cœtibus intereſſent; tot cæremonias, tantam titulorum varietatem, eum numerum Oratorum, qui vt ordinarius modò, modò extra ordinem deſtinantur, quà negotij quà officij causâ? At neque tunc per ſtatos tabellarios ex vna in aliam Prouinciam literæ deferebantur. Cùm igitur hominum ſenſa ac ciuile commercium vel magis expolita ſint, vel certè mutata, neceſſe eſt, vt pro illorum varietate variauerint pariter rationes Eccleſiaſticarum rerum agendarum, quæ tractantur per homines, & propter homines, qui nunc viuunt, & cum animorum propenſionibus, moribuſque qui nunc in illis vigent, non qui per antiquiores ætates viguerunt. Quapropter deridenda meditatio eſſet, & planè inepta, quæ in opus deduceretur, ſi quis vellet in præſentia morem ſeruare veteris ſimplicitatis in Eccleſiaſticis conuentibus, in quibus & ſuas partes ſummi Principes agunt, & agitur de rebus ſummi momenti, ad felicem Reipublicæ ſtatum. Perinde ac pariter foret, ſi noſtri æui templa architecturæ legibus extruerentur, quadringentis abhinc annis vſurpatæ, ſimiliter illius temporis picturam ſacræ Imagines in Altaribus retinerent, & illius temporis harmoniam ſacræ pſalmodiæ concentus.

7 Addit Suauis: *Contingebat abſque dubio aliquid interdum temerarium*

ex

1546. *ex alicuius imbecillitate; sed charitas, quæ fratris noxas excusat, illud obtegebat.* Ita enimuerò: sed hac ætate, quâ homines gignuntur contrariam animorum affectionem gerentes, cuiusmodi Suauis est, qui non modò retegunt Antistitum maculas, sed è sepulchris eruunt, sed amplificant, sed procreant; opus est, vt aliis cautionibus vtamur, imitantes in hoc eam formam, in peragendis negotiis diuersam à veterum more, quæ prudenter in ciuilibus negotiis adhibetur. Nec mihi quispiam opponat, magis decere sinceritatem Ecclesiasticam, absque his inuolucris rem agere, à profano artificio petitis: falsissima enimuerò positio, quæ sub specie sinceritatis imprudentiam inducit. Nulla consuetudo tantum prodest, quantum ea, quâ pudor ac verecundia custoditur, ne palàm peccetur. In Christiana Republica huius ruboris vt emeretur vnciola, præstaret sanè cunctas diuendere Phœniciæ purpuras. Sileat seu inscitia, seu nequitia: non propterea Christianum genus fictione deterius, sed modestiâ melius euasit, si studiosiùs quàm anteà honestatis ac decori in functionibus publicis rationem habet: cùm certè argumentum sit haud indomitæ animi impotentiæ, posse illi, cùm libuerit, frænum iniicere.

Hæc itaque huiusce mutationis causa est in habendis priuatis cœtibus; non ea quam Suauis adducit, hoc est, arrogata sibi à Romano Pontifice auctoritas præsidendi, profanis Principibus inde prorsus eiectis, quorum timor Episcopos in publicis Sessionibus intra fines officij continebat. Ac primò quidem satis liquet ex dictis, hanc auctoritatem haud recenter à Romano Pontifice quæsitam. 8

Secundò, longè maior fuit, & absolutiùs ea exercita in anteactis Conciliis, præsertim habitis in Occidente, cùm in Occidente nulla validior potentia de supremo regimine rerum Ecclesiasticarum cum Pontifice contendebat; neque Principum intererat, quid in Conciliis definiretur: quamquam fuerit postmodum in Tridentino vsurpata, cùm prǽualida hæreticæ factionis contentio, variique ad res politicas respectus profanæ potestatis, adigebant Petri Cymbam, vt per fretum angustissimum, ventisque contrariis agitatum nauigaret. Postremò, si recentes Synodi, ob excussum Principum metum, effrænatiùs se gesserant, ergo quidquid ipsæ auctoritatis ac prærogatiuæ in Romano Pontifice agnouere, haud certè ab illis per metus violentiam extortum, sed per Concilium sponte delatum. Cùm autem hæc necessitas, & hæc consuetudo secretorum consessuum, ne in contentiones indecoras prorumperetur in publicis Sessionibus, Suaui teste, in summum excreuerit in Tridentino; ergo Concilium

cilium hoc seruile non fuit, quale toto suo volumine suadere idem conatur, sed omnium, quæ celebrata vmquam fuerint, maximè liberum. 1546.

9 Præter mendacia iam dicta, spargit etiam Suauis aliquid veri, sed valdè fucatum. Vnum adducamus. Scribit, Legatos * per literas, ad mandata, quæ memorauimus, deposcenda missas, petiisse inter cetera, an essent suffragia numeranda pro Nationum, an pro capitum ea ferentium numero. Quod planè verum. Sed addit, eosdem præmonuisse, priorem modum reiiciendum, ne cuiusque peculiaris Nationis Episcopi vnà inter se coalescerent, adeoque irritus cederet maior Italicorum numerus, in Sedem Apostolicam præ ceteris fidelium. Quod totum fimbriæ sunt, in officina Suauiana contextæ: Legatorum siquidem literæ nihil habent præter hæc: *Nescimus, an tentaturi sint computare suffragia per Nationes.* Deinde pariter affingit redditum Romæ responsum, consonans Legatorum sententiæ, hac etiam ratione à Pontifice confirmatæ, quòd hanc computandi suffragij consuetudinem per Nationes, Synodi Constantiensis ac Basileensis induxerant, haud certè imitandæ. Illud tamen verum est, in responsionibus * Romà delatis cùm reliquis capitibus satisfieret, ne vnum quidem verbum legi de hac re, quippe huiuscemodi, de qua Legati scripserint fieri posse vt ea proponeretur, non verò fuisse propositam, imò ne animo quidem destinatam; adeoque tam festinâ deliberatione minimè indigentem. Quòd si Pontifex responsum super eo reddidisset, haud certè scripsisset, Constantiense Concilium imitandum non esse, relictis potiùs huiusmodi sensis Luthero, qui in illud rabidis execrationibus debacchabatur. Neque in eo Concilio sancitum est, per Nationes suffragia computanda esse tamquam ex ordinario ritu, cùm id neque per sacros Canones fuerit comprobatum, neque in more positum in Ecclesia; sed tamquam extra ordinem vsurpatum, ob peculiares rerum conditiones.

* Ad Farnesium, 14. Decembris 1545.

* Vltimâ Decembris 1545. & 21. Ianuar. 1546.

10 Ex manuscripto fidei haud contemnendæ didici, Venetiis in Bibliotheca S. Marci seruari volumen Bessarionis Cardinalis, in quo Constantiensis illius Concilij Acta continentur; ibique narrari, cùm ageretur de componendo dissidio, quisnam legitimus esset Pontifex, dubitationem subortam, ne Antistites Italici, ingenti aucti numero ab intruso Ioanne XXIII. ab eoque tum iureiurando, tum minis, tum etiam donis secum obstricti, quorum plerique inopes & pecuniæ & animi, reliquarum omnium Nationum suffragia multitudine obruerent, Synodumque Ioannis voluntati mancipatent. Eapropter Nationes quatuor, quæ tunc aderant, nimirum Italica,

1546. lica, Germanica, Gallica, Britannica, cùm abesset Hispanica, seorsim reipsâ simul coactæ; ac postremæ tres conuenere, vt ex Nationibus calculi æstimarentur: nec illis posteà Italici obstitere. In Basileensi, peculiaris habita agendi ratio. Etenim quatuor Patrum cœtus destinari, quos *Deputationes* nominarunt, vnam de Fide, de Pace alteram, tertiam de Reformandis moribus, quartam de Bono communi; adeò vt negotia in suo quolibet cœtu priùs digesta, posteà in reliquis omnibus expenderentur. Sed consultum fuit, vt singulis cœtibus par ex singulis Nationibus numerus interesset; cautumque, ne quid ad generalem conuentum referretur extra grauem necessitatem, nisi priùs in proprio cœtu, mox in ceteris omnibus, vel certè in ipsorum tribus comprobatum fuisset. Sed alibi fortasse * recurret opportunitas ad hæc ipsa tractanda. Interim pro se quisque reputet, iudicandi munus hominúmne sit, an regionum; & vtrùm pauci homines in rebus ritè intelligendis discernendisque antehabendi sint pluribus, eò quòd regio vnde proficiscantur, situ sit amplior.

* Præsertim in enarranda legatione Moroni Card. ad Ferdinandum Cæsarem, Oenipontem anno 1562.

CAPVT V.

Quid in secunda Sessione actum.

PRæstituto die 17. Ianuarij secunda Sessio habita. Solenniter 1
in ea Sacris operatus est Ioannes Fonseca Stabiensis Antistes: ac Latinè concionatus de corruptis moribus, læsaque Religione, Coriolanus Martiranus, S. Marci Episcopus. Inde persolutis ex more precibus, Angelus Massarellus, qui Ceruino Cardinali ab Epistolis erat, & ante biduum à cœtu delectus, vti Synodo à Secretis tantisper esset, dum id muneris alicui firmiter demandaretur, Legatorum nomine illam admonitionem recitauit, quam Suauis primo inchoationis die habitam falsò dicit. Eam à Polo Cardinali confectam comperio in * monumentis Seripandi, qui tunc ibi aderat vt supremus Eremitanorum Præses, & quem aliâ tempestate proponet hæc Historia Purpurâ spectabilem, & inter Concilij Præsides considentem. Admonitionis summa in eo sita erat, vt ad deflendas ex animo noxas Patres compelleret, moresque ad optimi exempli formam restituendos; quæ cùm in quibusdam iam tum conspicerentur, sperandum esse dicebat, in eorum animos Spiritum Sanctum illapsum: nec leue pignus Diuinæ miserationis esse illam ipsam

* Complectuntur initia Concilij vsque ad 5. Februar. ann. 1546. & seruantur apud Barberinos. Autographum cuiuscumque scripti citandi, est Neapoli apud Augustinianos, in Conuentu S. Ioannis in Carbonario: hoc verò Auctor, Alexandri VII. auctoritate Romam portandum curauit, & inspexit.

ipsam inchoationem coacti Concilij ad reparandam Ecclesiam. 1546.
Repeterent memoriâ, quæ peregerint Hebræorum ductores, recensita in libris Esdræ, Nehemiæ, ac Danielis, vt à Deo deposcerent, ac deinde opere perficerent instaurationem Vrbis Ædisque Hierosolymitanæ: ea proinde imitarentur, si cuperent Dei Ecclesiam feliciter restaurare. Prænuntiabatur, haud defuturos qui ipsis acerrimè obluctarentur: inculcabatur necessitas animi purgandi à prauis appetitionibus, quæ mentis vim aciemque peruertunt. Admonebantur qui Principum causas sustinebant, ne vsque adeò illis essent addicti, vt ab omni eos culpa excusarent: delicta Principum ac subditorum, laicorum ac Sacerdotum, sibi mutuò respondere: Principum vtilitatem eâ moderatione defenderent, vt primo loco Dei causam spectarent, nec se Præsules esse obliuiscerentur: sensa ad pacem lenitatemque prona conciperent, cùm ea potissimùm Synodus celebraretur ad extinguendas discordias, quæ Ecclesiam dilacerabant.

2 Post hæc Episcopus Stabiensis perlegit è suggestu Pontificis Constitutiones, tum de apertionis die, tum de suffragio, Antistitum Procuratoribus interdicto.

Mox à Synodo decretum editum, quod multa pietatis opera, corporisque afflictationes Patribus aliisque præscribebat; atque omnes adhortabatur, præsertim verò literatos, vt rationes quàm possent efficacissimas excogitarent ad hæresim profligandam, moresque corrigendos.

Declaratum est, ex qualicumque sedendi, seu ferendi suffragij forma, nihil cuique iuris accessurum, aut detractum iri.

3 Rogati de more Patres, an decretum placeret, fuit communiter comprobatum; sed cum duplici exceptione, quarum alteram Suauis præterit, alteram falsò recenset. Prior fuit, quâ Guillelmus à Prato Claramontanus Episcopus petiit, vt in decreto, quo preces pro Cæsare, ceterisque Principibus generaliter iniungebantur, Rex Galliæ nominatim apponeretur. Fuerat id in antecedente consessu à Gallis propositum; cumque responsum fuisset, Per id excitatum iri æmulationem reliquis Principibus, nisi pariter nominarentur; si verò singuli nominandi, rem in lites molestissimas de nominationis ordine delapsuram; institere tamen Galli, asserentes, Quemadmodum Rex Galliæ dumtaxat præter Cæsarem in Pontificiis literis de Synodo nominabatur, ita ipsum pariter tantummodò in decreto nominandum. Plerisque tamen supersedendum visum est, habitâ potissimùm Regis Romanorum ratione. Plurimum autem

1546. valuit ad Gallos ab incepto dimouendos * communis Ecclesiæ consuetudo, quæ sacrosancto Parasceues die nullius profani Principis præter Cæsarem in publicis precationibus mentionem facit. Vnusquisque enim facile consuetudini acquiescit, seu quòd ipsa altera natura sit, vnde quidquid ab ea prouenit, quasi naturale quiddam ferimus; seu quòd nimis apud ceteros inuidiosa illius causa sit, qui dum à consueto secedit, tamquam communitatis perturbator odio habetur.

* Literæ Ceruini ad Farnesium, 9. Ianuar. 1546.

Secundo loco complures Patrum responderunt, Haud sibi placere, prætermissum in decreto titulum Synodi, *Ecclesiam vniuersalem repræsentantis.* Hæc oppositio Gallis generatim ac dumtaxat adscribitur à Suaui: & tamen in ea conuenêre plures ex Hispanis & Italis, quàm ex Gallis. Ex his vnus, Antonius Filiolus, Archiepiscopus Aquensis, consensit; at ex Hispanis Franciscus Nauarra Episcopus Pacensis, Ioannes Salazarius Episcopus Lancianensis, Ioannes Fonseca Stabiensis, & Didacus Alaba Asturiensis; & ex Italis Petrus Tagliauia Archiepiscopus Panormitanus, Baccius Martellus Episcopus Fesulanus, Henricus Loffredus Caputaquensis, Iacobus Iacobellus Bellocastrensis, præter Angelum Pasqualinum Motulanum Antistitem, qui dixit, simplicem inscriptionem, qualis in præsentia apponebatur, sibi pro ea vice tantùm probari; & in eadem sententia fuisse memoratum Asturiensem quidam ferunt. Posteà rogati iterùm Patres: Placerétne alia Pontificis Diplomata, quæ penes Stabiensem erant, ad euitandam inutilem prolixitatem, pro iam lectis haberi: An vellent eos singulos singula ad munia designari: (& hîc eorum nomina recensita, qui in anteacto cœtu fuerunt comprobati:) Denique, Vtrùm ipsis videretur futuræ Sessioni destinandus dies quartus Februarij. His omnibus vnanimes assensere. 4

Labitur adhuc, sed minùs grauiter, Suauis. Ait, Decem nobiles honorario consessu functioni adfuisse, cùm fuerint septemdecim; Theologos verò viginti circiter astitisse, cùm fuerint trigintaquinque: Oleastro siquidem, & alteri ex suis collegis, qui iam aduenerat, sedendi honor concessus. Sed minutulis mendis omissis, duo, quæ liuidè perpendit, prætereunda non sunt. Alterum est, quadraginta tribus capitibus Oecumenicum Concilium esse conflatum, nimirum quatuor Cardinalibus, quatuor Archiepiscopis, vigintiocto Episcopis, quatuor Religiosorum Ordinum supremis Præfectis, & tribus Abbatibus. At non aduertebat, consultò per eos primos consessus moram duci cæremoniarum functionibus, rerumque apparatu, vt ad deliberandum de grauioribus alios præstolarentur, 5

qui

qui posteà confluxere; nec illos ad iter commotos, donec aperta 1546.
Synodus instar magnetis eorum pedes quasi ferreos attraheret. Hi verò quadraginta tres, virtute doctrinâque conspicui, erant selecti ex variis terrarum Orbis regionibus; vnaque cum iis aderat Theologorum præstantium comitatus cuiusuis Nationis; inter quos viuunt adhuc illustres in impressis Operibus Sotus, Oleaster, Catharinus, Castrius, Vega, ea certè nomina, quæ integro sæculo cohonestando, nedum conuentui, satis forent: præter varios excellentes Canonici iuris Consultos. Num insuper ignorabat Suauis, gigantes etiam nasci puellulos, & ex Philosophi documento principium mole quidem quantumuis modicum, vi & efficaciâ plus quàm dimidium esse?

6 Alterum ab eo nequiter expensum, Pontificem petit. Dicit, eò fuisse missos à Paulo, quò suffragia suis addicta Legatis multiplicarentur, binos titulo tenus Episcopos, quorum neuter Ecclesiam suam aspexerat, Olaum Magnum, Archiepiscopum Vpsalensem in Suecia, & Robertum Venantium (sic ille affirmat) Scotum, Archiepiscopum Armachanum in Hibernia, quos plures annos de suo Pontifex Romæ sustentarat. Eneruem enimuerò calumniam! quasi Paulo deesset par alterum Episcoporum, longè impensiùs à se dependentium, vel ex Aula sua, vel è sua ditione, quos eò destinaret. Atqui duos illos selegit, vt adessent Concilio omnium Gentium Præsules, tum ad dignitatem, tum ad vtilitatem, quippe idoneos ad docendos Patres cuiusque Nationis statum atque indigentiam, præter egregias dotes illis peculiares, ob Fidei constantiam, exilium ac paupertatem tolerantibus; præcipuè verò Olaum Magnum: cui enim illius sæculi notitia adeò ieiuna insit, cui eius viri præstantia in literis ac laboribus Apostolicis explorata non sit? De altero, quem deridet Suauis, satis erit dicere, tam exactè fuisse ab ipso cognitum, vt hominis neque cognomen quidem didicerit, Venantiâ illi familiâ attributâ; cùm tamen, vti * Spondanus obseruat, *Venantius* fuerit alterum ipsius nomen; cognomen verò ac familia *Vaucopia*. At reipsâ luculentum de illo præconium Suauis profert; si namque, ex * Fauorini sententiâ, tepidus laudator vehementer vituperat, dum in affluentia laudandi, cupiditate argumenti laudabilis, penuriam præ se fert; frigidus pariter obtrectator, ex pari quadam ratione perhonorificè commendare censendus est. Et sanè quæ frigidior obtrectatio exquiri poterat, quàm illum traducere, quòd hebeti esset oculorum acie, & cursor expeditus in equitando? At verò conuenientius illius Antistitis meritis elogium texuit * Spondanus, commemo-

* An.1546. num.3.

* Fauorinus apud Aulum Gellium.

* Loco citato.

1546. memorans eximias illius legationes, Ecclesiæ causâ susceptas apud Cæsarem & Galliæ Regem, & obseruans, Suauis dicteria ex fœculento Sleidani fonte hausta fuisse. At vulgaris minusque operosæ virtutis esset indicium, in se impiorum rabiem morsusque non incitare.

CAPVT VI.

Cœtus habitus post secundam Sessionem: nouumque in eo certamen de Concilij titulo.

NOuus post Sessionem congressus, ad decimumtertium Ianuarij diem dilatus, quò illi Giennensis interesset, nuper inter Vaticanos Senatores adscriptus, qui post collatæ Purpuræ nuntium se à publicis functionibus abstinuerat, donec dignitatis insignia suscepisset. 1

Suauis sui planè impos in proferendis quas ignorabat rerum causis, scribit, hoc accidisse, quòd nondum Româ peruenerat qui Purpureum capitis insigne deferret. Res aliter se habuit. Pileus Paceco [a] multos ante dies missus fuerat; ipse verò se habere in animo significauerat, illum sacrô Epiphaniæ die ritè suscipere, obtentâ illi moræ specie, comparandæ sibi priùs Venetiis supellectilis opportunæ. Sed vera huius & adhuc longioris cunctationis causa fuit, [b] quòd maluerit priùs Giennensis præstolari consensum Cæsaris; qui indignatione ob non impetratam anteà illi Purpuram, prohibuerat, ne reliqui in suam gratiam eâ donati ipsam induerent. Nec Patribus decora visa est tanta profani Principis ratio à Paceco habita in sacris ornamentis suscipiendis, ac præsertim à Gallis damnata, ex more vtriusque Nationis, in huiusmodi rebus sese inuicem & criminantis & imitantis.

a Literæ Legatorum ad Farnesium, vltimo Decembris 1545.

b Literæ Ceruini ad Farnesium, 9. Ianuar. 1546.

Perlato itaque Caroli consensu, ornatoque Purpurâ Paceco, Generalis congressus repetitus: vbi primus Legatorum questus est, cùm in Cœtu diei quintæ statutum fuisset, magnificam illam inscriptionem omittere, *Synodi Vniuersalem Ecclesiam repræsentantis*; quosdam tamen parum decorè in solenni Sessione, illius causâ formæ Decreti propositi contradixisse: ibique denuò rationes plurimæ perpensæ, huiusmodi titulum improbantes. Hæ fuerunt, Ritus veterum Conciliorum: ne in Constantiensi quidem, nisi in quibusdam maioris momenti tractationibus vsurpatum; vt cùm actio intentata in occupantem haud legitimè primam Sedem, vel cùm auctores nouæ hæresis proscripti: tam magnificam appellationem minimè 2

con-

congruere conuentui Patribus infrequenti, & ab Oratoribus inopi, ne Lutheranorum obtrectationibus exponeretur, vetus prouerbium exprobraturis, Pusillorum esse, sese in pedes erigere. Et ipse Asturiensis Antistes eam sententiam longâ oratione confirmauit. Sed nihil adeò aduersantium animos sedauit, quàm Hieronymi Seripandi, Augustinianæ familiæ summi Præsidis, animaduersio. 1546.

3 Cùm ille intelligeret, difficultatem in componendo opinionum certamine esse ipsam hominis repugnantiam in concedenda aduersario ingenij victoria, disseruit: Haud tunc agi, an esset perpetuò excludenda illa inscriptio, sed an seponenda ad commodiora tempora, ad florentiorem Concilij statum, & ad sanctiones adeò præcelsas, vt earum frontem illius epigraphes maiestas deceret. Ita obtectâ dilationis vocabulo cessionis veritate, illi Episcopi à certamine se honestè subduxere. Voluerunt tamen, vt antecedenti Decreto voces alibi narratæ adderentur, *Synodi Oecumenicæ & Vniuersalis*, quippe illi tributæ à Pontifice in conuocationis Diplomate. Atque ex hac vocum accessione facta Decreto iam edito contigit, vt impressa ipsius exemplaria alia iis epithetis clarescant, alia careant. Vnus Fesulanus adeò illius fulgore tituli illectus erat, vt in altero generali cœtu, cùm de Symbolo Fidei Decretum conformandum esset, contestatus sit, se religione teneri, ne vmquam Decretum approbaret eo debito ornamento denudatum; negaueritque rem, vti Polus postulabat, remittere sententiæ, in quam plerique Patrum iterùm irent. De quo à primo Præside obiurgatus: sed grauissima obiurgatio ipsi fuit suamet pertinacia, ab omnibus destituta, hominis contentione defessis, planeque indignantibus, vnius collegæ dissensu contemni commune iudicium eorum, qui vt legitimi Iudices vniuersi Christiani generis considebant.

CAPVT VII.

Disputatio in Congressu decimaoctauâ & vigesimasecundâ Ianuarij, An à dogmatum, an ab emendationis tractatione inchoandum. Quid ibi statutum; & super ea re Pontificis sensa.

1 HÆc de qua dictum est, habita in consessu Idibus Ianuarij, quasi velitatio fuit præ grauiori conflictu in * subsecutis congressibus. Vnus ex nodis difficillimis in elaborata diu Concilij textura semper fuit, vt sæpius obseruatum est, An inchoandum, imò an persistendum dogmatibus decidendis; an emen-

* 18. & 22. Ianu. 1546.

1546 emendationis leges priùs sanciendæ. Hoc postremum expetebatur à Cæsare, quippe identidem à Germania, & ab ipsis hæreticis postulatum: at si à Decretis Fidei inciperetur, eos damnationibus exulcerari, non cupitis sanctionibus mitigari putabat. Verùm Pontificij, quod iam sæpiùs insinuauimus, contraria semper & senserant & prædicauerant.

Haud ipsis deerant validissimæ duplicis generis rationes. Aliæ ad populi captum; cuius præuisum iudicium plurimi faciendum in deliberationibus Romani Pontificis, qui reuerentiam Patris communis sustinere, & vicem Redemptoris gerere debet: Populus verò, vtpote crassioris intelligentiæ, faciliùs capitur argumentis non tam ex imo solidoque, quàm ex extimo spectabilique petitis. Aliæ rationes minùs quidem erant ad speciem apertæ, sed quasi tenuia æris fila, & tenaces & idoneæ ad subtiliora ingenia constringenda. Primi generis erant: Hanc prioribus Conciliis obseruatam consuetudinem: Primum locum argumentis dignioribus deberi, qualis est Fides collata cum moralibus Virtutibus, ad quas spectat morum emendatio: Fidem salutis fundamentum esse, & à fundamento, non à tecto ædificium inchoandum. Secundæ classis erant: Dum ab hostibus vrbs obsideretur, hostes priùs profligandos, quàm ciues corripiendos, ne eadem ipsa brachia verberarentur, quorum neruis est dimicandum: Prætereà, valdè stultum videri, qui partes actoris agit, se reum spontè constituere, ac relictis interim perduellibus, eorum tamquam Iudicum censuræ se submittere: Quodnam publicæ incolumitatis studium suadere, vt morbis leuioribus curandis intenti, sinant grassari pestem cum immedicabili populorum pernicie? 2

Accedebat, hanc adeò efflagitatam emendationem tendere potissimùm in Ritus ac Romanæ Curiæ Tribunalia: nec prudentis esse consilij, à Principe Regiam suam subdi correctioni subditorum. Cunctorum quidem sententiam explorandam; paucorum consilium petendum: ceterùm illius esse, familiæ suæ leges ferre, ne gens sibi subiecta illius gesta accusare consuescat, quem venerari debet; ac longè minùs eum dirigere, à quo est regenda. Esse homines plerumque acerbos chirurgos in alienis membris; parum ab his intelligi, minusque ipsis dolere vulneris acerbitatem. Episcopos, alios rerum imperitiâ, alios imprudenti Religionis studio, alios etiam priuatæ rei commodo, desiderio gratificandi Principi, in cuius ditione nati sunt, irâ atque inuidiâ in supremum Principem, meditari seuerissimas Aulæ Romanæ leges, quæ non tam corruptelas purga-

purgarent, quàm imminuerent eiusdem potentiam, maiestatem, ad 1546.
eum confluentium frequentiam, & quidquid habet præstantissimi succi, quo quasi vitis mystica in Christianarum Ecclesiarum palmitibus vim & vnitatem sustentat ac fouet. Quid porrò agendum Pontifici, vbi ea Tridenti statuerentur? Num ignauè cedendum, ac plus detrimenti inferendum Petri Solio, per Concilium à se aduersus hæresim coactum, quàm ipsamet hæresis intulisset? An repugnandum, abrogandaque fides illi conuentui, cuius in hæresim arma, non nisi publica veneratio futura erant? Númne Duci cum suo exercitu decertandum, vbi cum hoste congrediendum erat? turbæque Basileenses iterùm excitandæ, eò certe in præsentia periculosiores, quò materia promptior erat ad incendium concipiendum huiusmodi fauillarum iniectu?

3 Neque hîc discrimen hæsurum. Etenim, quemadmodum Clemens prudenter animaduerterat, veritos forsitan Episcopos, ne Decreta de Romana Curia in irritum caderent, tentaturos priùs iudiciariam potestatem sibi stabilire, Basileensem planè cœtum imitantes, conaturosque statuere Concilij supra Pontificem excellentiam: quibus haud liceret Pontifici consentire, dignitate & conscientiâ reluctantibus; quippe doctrinis perquàm perniciosis, quæ non modò Pontificalem Sedem deiicerent, sed vniuersum Hierarchiæ ordinem peruerterent, ac sub specioso libertatis colore, pacifici Regis Ecclesiam in perennis discordiæ campum conuerterent; dum Antistites, quibus nec à Capite plenè satisfieret, & in ipsum iurisdictio arrogaretur, vbi loco simul coirent, ita pariter in dies singulos animis inter se coalescerent, vt Capiti vellent superesse potestate, sed ab eodem seiuncti voluntate, & à suis Diœcesibus loco & curâ: nec ab ineundis hisce frequentibus noxiisque congressibus arcerentur, vt vsuuenit subditis profani Principis, seu metu seu robore dominantis. Adeoque perpetuum futurum dissidium inter Christi Vicarium & Episcopos: quin etiam inter sese; vti fert ingenium magnorum cœtuum, inter homines indole, natione, & vtilitate discrepantes, nec à supremo Principe coërcitos: ac per eum æstum Comitiorum, quem Latini in prouerbij metaphoram transtulere, exprimendæ congregatæ multitudinis gratiâ, irrequieti Ecclesiam agitarent, molientes in ea perpetuam legum nouitatem, quæ à cunctis antiquitatem ac venerationem, hoc est, geminos cardines conuelleret. Ad tam grauia arcenda pericula, par esse, vt primo loco Synodus in doctrinis examinandis distineretur; interim verò ab ipso Pontifice pro dignitate ac prudentia leges esse sanciendas

1546. Aulæ Romanæ opportunas; quæ dum ſeueriores à Concilio ſibi pertimeſceret, facilè inclinaretur ad excipiendas à Pontifice, non per obſequium modò, ſed per grati animi ſenſum, mitiores: quæ pariter ſalubriores euaderent, cùm verum ſit Ariſtotelis effatum, Quaſdam Reſpublicas inſtar quorumdam corporum, ſi noxiis cunctis humoribus expurgentur, non ſanari, ſed confici.

Hæ rationes Pontificem impulerant ad mandata, quæ memo- 4
rauimus, vt opus à Fidei articulis exordium ſumeret. Legati verò ſentiebant, Patrum ſententiam ac voluntatem ab eo vel maximè abhorrere: aliorum quidem, quòd exiſtimarent, librum, qui præ ceteris hęreticos conuinceret, illum eſſe, in quo Chriſti lex legeretur, operum characteribus ſcripta in ipſis Catholicæ religionis cuſtodibus: aliorum verò, quòd adhærerent Germanorum Religioni, ſtudentium votis, quibus Eccleſiæ bonum promouendum putabant, cùm in curationibus potiſſima habenda ſit ratio partis ægrotantis: ac ferè omnium, quòd optarent ſuis Infulis aliquod poteſtatis incrementum, quam à Romanis Tribunalibus ac priuilegiis abraſam corroſamque querebantur. Id in cauſa erat, cur Legati ſperare ampliùs non auderent, abſque diſſidio Patres adduci poſſe, vt vtrumque ſimul argumentum tractaretur. Quare conſultus Pighinus, an ipſis iure liceret Patribus aduerſari, vbi hi vtriuſque argumenti coniunctionem expoſcerent, negauit; quæ omnia * Farneſio ab ipſis communicata ſunt. Sed cùm dies aliquot fuiſſet dilata reſponſio, ſtultiſſimam huius motæ cauſam Suauis profert; nimirum, Pontificem bello in Proteſtantes intentum, *parum de Concilio laboraſſe:* perinde quaſi ab vltimo Decembris die, quo ampliſſima Legatis mandata miſerat, ab ipſo Suaui memorata, vſque ad Idus Ianuarias, quo die oportuit huiuſce reſponſionis literas fuiſſe obſignatas (quippe quæ ad Legatos peruenère ante conſeſſum vigeſimæſecundæ eiuſdem menſis) ingens aliquid contigiſſet, quo rerum conditionibus perturbatis, Pontificis animus verti potuerit: quaſi idem, tametſi parum in Concilio ſpei fundaſſet, fuiſſet paſſurus, vt ex prætermiſſione horum mandatorum, illius initia aliquid detrimenti caperent: quaſi earum dubitationum plena ſolutio paulò pòſt non perueniſſet, die 22. Ianuarij ſignata: ac denique, quaſi opus ſit, altiores cauſas perueſtigare, cur epiſtolæ de rebus plurimis, iiſque arduis Tridenti conſcriptæ, quæ Romæ in peculiari Purpuratorum conſeſſu erant expendendæ, non niſi poſt tres hebdomadas reſponſum fuerit. Qui ita ſcribens etiam ita ſentiret, ne prima quidem Aulæ Principum elementa delibaſſet. Præterquam quod minùs

*6. Ianuar. ann. 1546.

nùs

nùs ea de re solicitus Pontifex erat: cùm enim paulò antè certa super his iussa præscripsisset Legatis, numquam in suspicionem venit, vti posteà patuit, eos aduersùs quàm iubebantur consensuros, non expectatâ reuocatione mandati. At plerumque contingit consilia turbari, quia euenit quod minimè verisimile credebatur. Atque ita planè tunc necesse fuit Legatis, in primo generali congressu eam quæstionem publicæ trutinæ subducere, quippe in Sessione proxima decernendam, & reipsâ postmodum exercendam. 1546.

5 Cardinalis Tridentinus, qui Germaniæ suæ vtilitati prospiciebat, fusè disserüit, à disciplinæ restitutione inchoandum. Contrà verò Giennensis verba fecit (ex quo liquet hallucinari Suauem, dum primam sententiam generatim Cæsarianis tribuit) & Aquensis Archiepiscopus; quippe ambo studiosi, ne in patrias ipsorum terras hæresum labes irreperet, adeoque soliciti, vt hæ communi Ecclesiæ decreto confestim profligarentur: sed in morum legibus sanciendis procrastinationem amabant, quò interim frequentia suorum augeretur, qui decreta promouerent, ipsorum nationibus accommodas. Cum iis pariter Bituntinus consensit. Sed Thomas Campeggius, Feltriensis Episcopus, vir ibi magnæ in Concilio auctoritatis,[a] & quem ob experientiam, prudentiam ac doctrinam plerique secuti, Fidei morumque negotium simul agitandum putauit.

Alia quoque, sed minùs digna memoratu proposita sunt; ac diutiùs protractâ disputatione, alius deliberationi statutus conuentus, interim de rerum statu [b] Farnesio per Legatos admonito.

[a] Vide aliqua Seripandi monumenta.

[b] Literæ Legatorum ad Farnesium, 19. Ianuar. 1546.

6 In postera congregatione, intra quatriduum habita, exposuit [c] Montanus: Videri sibi, in superiori congressu perpendisse Patres ad coniungendam dogmatum emendationisque tractationem; proinde eos rogare, an illi sententiæ adhærerent, quò ipsius decretum in prima Sessione conficeretur. Tridentinus, quà vt prolatam à se sententiam tueretur, quà inflammatus ad eam propugnandam validissimis laudum follibus Caputaquensis & Clodiensis Antistitum, disputationem singulari à se studio elaboratam legit, quà omni conatu confirmare nitebatur hoc argumentum: Reconciliandis nimirum hæreticis, Ecclesiasticorum emendationem esse vnicè opportunam. Suauis, qui Acta non legit, sed solùm aliquot Legatorum literas ad Farnesium scriptas, ignorat, quisnam is esset, qui memoratam dissertationem protulerit; in iis enim literis omisso nomine, solùm nuncupatur *Magnus & opulentus Antistes.*

[c] Totum habetur in aliis Literis 21. Ianuar. Congregationis die Legatorum ad Farnesium Cardin.

7 Scriptionis eloquentia, & differentis auctoritas, quæ supra quodcumque rationis pondus ad permouendam multitudinem vires ha-

 bent,

1546. bent, partem maiorem Patrum ad se pertraxerant. Quare primus

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 21. Ianuar. 1546.

* Legatus (non verò Ceruinus, sicut narrat Suauis) inspectis animi sensis in singulorum fronte, priusquam eadem audiret ex ore, exquisitæ prudentiæ consilium improuisò cepit, non minùs opportunum causæ, quàm sibi decorum: aitque, Se Deo gratias agere, qui afflaret Tridentino eam mentem, viro Ecclesiastico dignam, vt Christianæ gentis emendationem à semetipsis inchoandam putaret: se paratum offerre, vti qui gradu præibat, exemplo præiret; se Ticinensi Tiaræ abdicaturum, splendorem supellectilis depositurum, aulæ frequentiam diminuturum: eadem posse à reliquis præstari; ita paucos intra dies morum emendationem elucentem in Patribus vniuersis, Christianorum Nationibus incitamento futuram: at non idcircò declarationem Fidei differendam, nec permittendum, vt plurimi tenebris obuoluti absque luce Concilij, cuius erat eorum mentes illustrare, exitio proximi periclitarentur: Christiani generis emendationem negotium esse magni moliminis, ac temporis diuturni: non indigere morum correctione solam Aulam Romanam, aduersus quam altiùs exclamabatur; non quòd pluribus scateret vitiis, sed quòd acriùs obseruatis: abusus per omnes hominum ordines serpere: vestem omnem egere scopulà, omnem campum rastro: par non esse, vsque ad exitum operis tam prolixi, fideles incertos protrahi de vera diuini Magistri doctrina; multosque deseri inter Cocyti glareas, sicut Scripturæ loquùntur, mersos, qui se per Iordanis aquas intrare censebant.

Hæc Legati dicta, quasi per incantamentum, omnium vultus 8
animosque mutarunt. Inualuerat ad eam vsque diem persuasio, ab hominibus Romanæ Aulæ addictis nihil æquè formidari, ac leges quibus ipsi reformarentur: *Fidem & Dogmata*, speciosa quædam esse vocabula, & fucum simulati studij religionis tuendæ. Sed vbi Patres experti sunt in Legatis tam promptos animos ad emendationem reipsà complectendam, stupore simul ac plausu rem excepêre: solum Tridentinum pudor incessit, cùm se cerneret ex omnium ductore, ac penè iam ante pugnam triumphante, qualis ingressus fuerat, repentè destitutum, ac peditem, & ex omnium accurato censore ad censuram obliquè vocatum, tamquam emendationis indigum, ob Ecclesiasticorum prouentuum opulentiam, ac domestici cultus magnificentiam. Animo itaque conturbato subdidit: Sua dicta sinistram in partem esse detorta: suæ non fuisse mentis quemquam perstringere: se satis nosse, binos quandoque Episcopatus ab vno meliùs administrari, quàm solum vnum ab alio: se verò

rò Brixiensis abdicationem offerre, vbi Concilio ita viderentur. 1546.

9 Ceruinus collegæ sensis inhærens, adiecit, Rem agi à Patribus in conspectu Iudicis, cui nequit imponi: si suâ quisque vtilitate posthabitâ, quæ Dei sunt quæreret, id sanè totius humani generis reuerentiam ipsis comparaturum: ad eam mercem coëmendam, verba esse stipulam, aurum facta. Ostendit deinde necessitatem haud omittendi definitiones Fidei, exemplo antecedentium Synodorum, eâ pariter tempestate, quâ mundus corruptelis minimè mundus. Ad eamdem sententiam accedebant Polus & Pacecus Cardinales, qui adiecit, morum reparationem haud coarctandam ad certam hominum classem, sed omnibus vniuersè præscribendam. Quod etiam Generalis Seruorum Præfectus confirmauit, prolatis hæreticorum testimoniis, adscribentium corruptos Ecclesiasticorum mores Religionis falsitati; cùm vitium necesse sit impietatis esse pedissequum: vnde nisi priùs Religionis veritas statueretur, qualiscumque accessisset disciplinæ restitutio, numquam illos tamquam honestam comprobaturos eorum vitam, quorum Fidem vti sacrilegam damnarent. Adeò igitur inualuit sententia, inuestigationem Fidei, disciplinæ sanctionibus non esse posthabendam, vt quidam dixerint; Vbi alterutra retardanda esset, quò locus alteri tractandæ daretur, satius esse, à sola Fide exordium sumere.

10 Verùm potissima ratio, quæ quasi necessarium persuasit vtramque coniunctim prosequi, illa fuit, quòd in Decreto superioris Conuentus Wormatiensis dicebatur: Vbi scilicet coactis Comitiis, quæ in proximum Ratisponæ indicta fuerant, spes non affulgeret opportuni remedij in Concilio, pro vtriusque rei indigentia, vt per Conuentum Cæsareum illi consuleretur. Quare neutrum prætermitti licebat citra periculum, ne profani homines id negotij in se susciperent cum Ecclesiæ ignominia & clade, atque hæreticorum triumpho. Alia leuioris momenti in eo Cœtu decreta sunt: sed antequam ea referam, euentum huius controuersiæ absoluendum puto; cùm historiæ sit, rerum potiùs seriem, quàm temporum prosequi.

11 Præsides, dum rem gestam Farnesio per literas exponunt, hanc modò conflictus diem appellarunt, modò Sedi Apostolicæ gloriosissimam. Significarunt etiam, fuisse priùs adhibita præferuida officia, quibus augeretur numerus fauentium emendationi priori loco agitandæ. Quare si verum fuit, à Legatis è contrario partem alteram promotam, id iustæ defensionis causâ factum est; prætterquam quòd meliori causæ patrocinabantur. Oppositam sententiam se-

1546. cutos non modò ingens mœror incessit; sed, vti assolet in communi iactura, ingens inter se dissensio, contra singulos singulis exprobrantibus infelicem rei exitum; Tridentinus verò angebatur, quòd ab aliis imprudenter animatus, ab aliis inconstanter desertus esset. Sed non minor victores quàm victos animi ægritudo peruasit, dum commendationis loco, obiurgationem à Pontifice reportarunt.

* Literæ Farnesij Cardin. & Maffei ad Legatos, & ad Ceruinum, 21. 26. & 27. Ianuar. 1546.

Maturè planè delatum Româ * responsum iis quæ Legati significarant, priusquam ad exitum peruentum esset; ac per illud, nullo habito rationum appositarum respectu, iubebantur à prioribus mandatis nihil recedere: fieri non posse, vti duo tam grauia argumenta simul procederent: & vbi aditus fuerit angustior, digniori præeundum, cui ad dexteram locus debetur, cuiusmodi Fides est præ virtutibus quæ mores regunt: talem deprehendi in superioribus Conciliis consuetudinem. Atque vt ad nouitatem proni erant hæretici, non minùs proinde religiosam antiquitatis obseruantiam conuenire Catholicis: eò certe id esse decentius in eo negotio, quò maior instabat metus ex turbidis quorumdam ingeniis, quorum obseruanda sensa, & detegenda consilia per vnam & alteram Sessionem, quæ in agitandis dogmatibus tutò & commodè impenderentur. Quamobrem Præsides perperàm vrnæ arbitrio commisisse, quod ex iussione Pontificis exequi debuissent. Aucta deinde reprehensio, vbi de re tota Pontifex certior factus. Vnde per æstum iracundiæ magis intentus administris castigandis, quàm rerum conditionibus considerandis, iniunxit Legatis, vt ad sua priora mandata perficienda regrederentur, tametsi Patrum decretum obstaret. Verùm deinde acie minùs obumbratâ animaduertens, id neque fieri posse, neque, si posset, expedire, iisdem significauit, cùm ipsis non esset ampliùs integrum sequi absolute optimum, quod optimum reliquum erat rerum statui solerter curarent. 12

Ad priora Pontificis mandata Præsides vehementer conturbati: non solùm quòd intelligerent, se tamquam reos haberi ob ea gesta, ex quibus benè gestæ Reipublicæ laudem sperabant; sed quòd iuberentur dicta retractare, facta peruertere, existimationis iacturam facere, & quod fieri non poterat, planè conari. Accedebat inuidia ac vituperatio, in quas resciuerant incidisse se apud Aulam Romanam; quæ, vt omnium mos est, suum Principem vbique omnipotentem facilè rata, æquè immoderatè timet, audetque; ipsorum imprudentiæ & imbecillitati ducebat, huic flumini eiusmodi cursum atque impetum ab illis fuisse permissum, qui pro sperata in Ecclesiæ campis irrigatione salutari, inundationem minaretur, 13

poten-

perennemque solicitudinem incuteret ad aggeres extruendos quibus contineretur. Pontifex verò posteà de * reliquo Legatis indulsit, visusque est probari sibi rationes allatas, plurimum scilicet tribuendum huiusmodi virorum auctoritati, operi insistentium; & in quocumque euentu offensionem perturbationemque vitandam, ex retardatione orituram: sed iisdem seuerè interdixit, ne sinerent Synodum, in iis quæ ad reformandam Romanam Curiam pertinerent, quidquam agitare; cùm eam per seipsum breuî compositurum affirmaret. Quamquam pedetentim posteà Pontifices, diminutâ ipsorum diffidentiâ, auctâque intelligentiâ, quantum id Ecclesiæ bono conferret, Concilio permiserunt, vt eas etiam quas sibi reseruarant leges statueret, quæ proinde maiori Orbis Christiani reuerentiâ ac voluntate susceptæ sunt, partim eiusdem Pauli ætate, partim illius Successorum, qui Concilium instaurarunt, & absoluerunt.

1546 * Literæ Farnesij ad Legatos, 14. Februar.

14 Nec Legati primâ Pontificis obiurgatione perculsi destitêre causam suam strenuè tueri. Causati sunt, si Patribus solenniter edixissent firmam Pontificis voluntatem, vt solius Fidei negotium ageretur, expositturos se fuisse Pontificiam auctoritatem dedecori contumaciæ: etenim ab iis, quibus per priuata colloquia rem ipsi significauerant, fuisse mentem suam patefactam, nolle se in ea re deludi, quemadmodum in Concilio Pisano ab Alexandro V. & in Constantiensi à Martino Quinto Patres delusi; Qui Pontifices, aiebant illi, Fidei dogmatibus confectis Synodum occluserunt, morum emendatione neglectâ. Buccinari cum suis asseclis à Bucero, In Concilio ipsorum doctrinas proscriptum, non item proscribentium, & Christianæ gentis vitia correptum iri. Esse insculptam hominum mentibus, atque etiam Antistitum, opinionem, moras omnes Concilij celebrationi interiectas, fuisse machinas constructas à Pontificibus, correctionis terrore agitatis. Cùm igitur neque procrastinari liceret illius articuli propositionem, per quem aditus dabatur ad reliquos, neque sperari melioris conditionis decretum; quantò conuenientiùs fuisse Pontificiorum Legatorum dignitati, eosdem apparere auctores potiùs quàm oppugnatores decreti, quod ineuitabile prænoscebatur? Quàm decorum, quàm conducibile futurum, palàm omnibus se fecisse, non quæri à Pontifice Fidei munimentum, quasi ad arcendos Patres ne disciplinam pertingerent; sed ab eodem curari, vt res Christiana in vtraque parte collapsa restitueretur? Sibi positum ob oculos à Pighino, cùm indicta fuisset Synodus per Pontificium diploma, vt ipsa vtramque rem ageret,

1546. ageret, ac tam incerta videretur diuturna Chriſtianorum quies, nullum ſuppetere prætextum, quem liceret opponi efflagitantibus breuitatis gratiâ vtriuſque argumenti tractationem: tum verò fidente futuros animo Legatos ad reſiſtendum Cæſari, vbi tentaret emendationem ſacri Ordinis Cæſareis Comitiis committere, ſublato iam negligentiæ titulo ex parte legitimi Legiſlatoris; vel vbi deciſioni dogmatum obſtare vellet, ademptâ illi anſâ cauſandi, eam impedimento eſſe, ne maiori indigentiæ conſuleretur.

Ex eo prætereà, quòd illi tam alacriter in eam ſententiam deueniſſent, è multorum animis diſiectas vmbras, qui non rectè de Pontifice ſentientes, conſtanter contendebant, omnem initio impendendam eſſe operam ſolis morum legibus ſanciendis, vt quod periculoſius in tuto foret: adeoque Legatos, ſi omnino repugnaſſent, non vtique eas leges excluſuros, ſed ipſis fauturos; nec ſe adigi ob ſuſceptum conſilium, ad ea in præſentia tractanda, quæ Pontifici ſuſpecta erant futura. Aliud eſſe, argumentum emendationis vniuersè non retardare; aliud, de his potiùs quàm de illis agere; & ab hiſce potiùs quàm ab aliis exordiri: poſſe initium duci à potioris partis refectione, quæ Domus Dei eſt; nimirum Templa, ſi eorum cultui conſulatur: inde gradum fieri ad Antiſtitum domos, ac Regularium, ac denique vniuerſi Ordinis Eccleſiaſtici: poſſe quoque in qualibet Seſſione eas diſciplinæ leges Fideique dogmata coniungi, quæ ſibi mutuò reſponderent. Atque hoc poſito, cùm deſtinaretur inter prima dogmata diſcutiendum, quod ſpectat ad originale peccatum, ac Iuſtificationem; emendationis capita, quæ cum articulis hiſce conſonant, nihil ad Aulam Pontificiam, ac Romana Tribunalia pertinere; commodumque Pontifici ſpatium dari, ad eas priùs leges, quæ ſibi viſæ fuiſſent, ſuæ Curiæ præſcribendas: in iis verò, quæ ad ipſum Pontificem, eiuſque actiones ſpectarent, Legatos minimè permiſſuros, vti Synodus vltrà procederet, quàm ad monita atque conſilia: tribuendum aliquid eorum iudicio, qui non ab auribus, ſed ab oculis reguntur: tres ſimul Legatos in eamdem ſententiam conſpiraſſe: conueniſſe pariter Pighinum; certumque ſibi eſſe, Farneſium ipſum, ſi adfuiſſet, vnà ſecum conſenſurum. 15

* Literæ Legatorum ad Farneſium, 1. Februar. 1546.

Verumtamen * quò Pontificis voluntati ſubmiſſiùs obſequerentur, apud ſe ſtatuiſſe, decretum copulandæ geminæ tractationis in alteram Seſſionem differre, vel eamdem Seſſionem protrahere; cauſantes apud Patres, velle ſe priùs reſponſum Pontificis præſtolari. Et quamuis poſteà per nouas Farneſij Cardinalis literas 16

1546.

ras[a] recreati cognouissent, non esse mentem Pontificis vt sententiam cum existimationis iactura reuocarent, perstitêre tamen in curanda decreti prolatione, quò interim comprobatio formæ sibi à Pontifice præscriberetur; polliciti Patribus, nihil de re immutatum iri, & perinde ac si vulgatum fuisset, decretum vim habiturum. Quo non nisi sex repugnantibus obtento, Romam scripserunt, iam inde constare, quantum auctoritatis ac fidei fuissent generatim adepti, postquam se à reformanda disciplina minimè abhorrentes professi fuerant. Inter sex aduersatos, vehementiores visi[b] Asturiensis atque Pacensis Antistites: hic eò impotentiæ actus, vt exclamarit, Patres à Legatis decipi. Quod quantò mitiùs à Montano correctum, tantò fortiùs Tridentinum ac Pacecum impulit, vt iniuriam Præsulum grauiore castigatione increparent. Huiusce denique rei euentus ostendit, non esse optimum administrum, qui magis quod dominus velit, sed qui magis quod domino prosit, exequitur.

a 20. Ianu. & accepta 2. Febr. de quibus mentionem faciunt in responsis 4. Febr.

b Narratur in Literis Legatorum ad Farnesium, 4 Februar. & fusiùs in Actis Massarelli.

17 Statim ac innotuit Cæsari Tridentinum Decretum, ad Pacecum scripsit, ac[c] Dandino Nuntio coràm affirmauit, Satius esse lentè procedere, nec per anathemata in furorem agere Protestantes. Adeoque Cæsar, ex accusatore, qualis diutiùs fuerat, adactus est ad agendum precatorem alienæ cunctationis. At contrà, si ab initio de sola Fide agi decretum fuisset, altiori obstrepuisset voce, & acriora protulisset animi sensa, indecora Pontifici, præpedita per suos clientes operis effectione, eo nomine, quòd nationis Christianæ vulnera primo loco indigerent medicinâ morum in Ordine Ecclesiastico. Quo exemplo docemur, cùm vis omnipotens nulli hominum, quantumuis præcellentium, insit, summi esse detrimenti consilium, summum emolumentum peruicaciter velle.

c Literæ Dandini ad Legatos Traiecti, 4. Februar. 1546.

CAPVT VIII.

Literæ in eodem Cœtu Pontifici ac Principibus destinatæ; sed posteà prætermissæ, & cur. Trium peculiarium consessuum statuta diuisio. Consensio de recitando Fidei Symbolo in prima Sessione.

1 IN eadem congregatione decretum, vti Concilium Pontifici gratias ageret, ob collatam ad ipsum promouendum operam, eumdemque rogaret, vt sibi patrocinari pergeret, præsertim confirmatâ inter Christianos concordiâ, priùs titubante.

1546. Vti pariter ad alios Principes darentur literæ, adhibitis precibus, vt per suos Oratores Synodum cohonestarent, vrgerentque suarum Prouinciarum Episcopos ad eò maturandum. Sed in posteriori * congressu, expensis epistolarum formulis, quibus conficiendis admotus tunc fuerat Coriolanus Martiranus, S. Marci Episcopus, nondum firmiter electo qui Concilio à secretis esset, sententiæ variarunt. Non defuit, qui cum aliquorum risu proponeret, inuitandum pariter Æthiopiæ Principem, vulgò *Preteiannem* nominant, Arabes, & Armenos. Ioannes Michaël Saracenus, Archiepiscopus Materanus, qui à Legatorum primo, posteà Pontifice Maximo, ad Purpuratorum ordinem euectus est, admonuit, comprobante consessu, in epistola ad Pontificem non esse ab eo tam arctè petendum, quod in Martirani formula habebatur, vt Italicos Episcopos ad Concilium solicitaret, sed cuiuscumque regionis Antistites; pro eo quòd ad cunctos auctoritas Pontificia protenditur, de qua nimis angustè sentire videbatur illa tam coarctata petitio.

* 19. Ianuarij.

Non ita consensum est Episcopo Stabiensi, qui volebat, huiusmodi literas vel à singulis, vel ab aliquo Episcoporum obsignatas mitti; sed contrà reposuit Montanus, Temperaret sibi ab inuidenda Legatis debita ipsorum muneri prærogatiua. Qua in re fortasse tum ad Ephesinæ Synodi exempla respexit, in cuius literis sola Præsidum nomina subscripta visuntur; tum Constantiensis, in qua plerumque non nisi eorum subscriptio legitur, qui præerant Nationibus, in quas, vt enarrauimus, ea Synodus partita fuerat. Haud equidem dissimulauerim, obseruatum à me, in quibusdam Seripandi narrationibus affirmari, illum Antistitem acerbiùs in eo increpitum à Legato; sed eius acerbitatem haud fuisse collaudatam, cùm ea petitio non tam arrogans censeretur, vt non repudianda solùm esset, sed insuper castiganda. 2

Verùm potissima discordiæ materies in eo fuit, quòd vnusquisque postulabat, vt in literis ad suæ Nationis Principem aliquid peculiaris honorificentiæ apponeretur. Quin exorta contentio, Num in decreto, Galliæ prius, an Romanorum Regem nominari oporteret: tum in Sessione priúsne recitari literas ad hunc, an ad illum conscriptas. Nos verò euoluentes monumenta, quæ apud Fachinettos seruantur, è quorum familia Innocentius Nonus, dum esset Neocastrensis Antistes, interfuit posteà Concilio, & plurima ex anteactis in eo legitimè signata collegit; comperimus, in eo Cœtu diutiùs ea de re disputatum, Gallis causantibus, ipsorum Regem posse perfectè & absolutè Regem esse, primumque locum possidere præ ceteris, 3

ceteris, præter Imperatorem: at verò *Romanorum Regem* nihil amplius sonare *quàm Regem in spe*, non item in re præsenti. Ex aduerso Germani disputabant, Regem Romanorum pari cum Imperatore auctoritate pollere; Iura beneficiaria & Clientelas largiri; Imperij Principes regalia, vt ipsi vocant, ab eo iuxtà ac ab Imperatore suscipere; hoc absente in Imperatorio Solio ipsum considere; Edicta & iussiones edere, Comitia conuocare, promulgare leges; excipi atque coli ab vniuerso Imperio æquè planè ac Imperatorem. Id ex eo confirmabant, quòd Orator Maximiliani, tunc Romanorum Regis, dum adhuc viueret eius parens Federicus Tertius Imperator, in Sacello Pontificio supra Ludouici Galliæ Regis Oratorem astitisset. Hisce dissensionibus effectum est, vt hæreret negotium, dareturque Legatis opportunitas remouendi leniter huiusmodi inuitationes, vbi compertum habuêre, haud probari Pontifici, à Synodo sibi munus adsciscì, quod ad se tamquam caput & auctorem spectabat. 1546.

4 Primos hosce passus, è quibus vel recta vel obliqua progressio illius togatorum exercitus pendebat, solicitè Paulus obseruarat, summamque curam adhibebat, ne Concilium, more multitudinis recèns congregatæ, priùs in fastum abiret, mox in audaciam, ac denique in contumaciam; quam ille suspicabatur haud fortasse à Principibus, quantum oporteret reprimendam, & à Protestantibus omni ope fouendam. Equidem haud abstinendum mihi putauerim ab huiusmodi rerum narratione, tametsi satis intelligam, quibusdam imbecillæ mentis hominibus videri, à me per eam arma porrigi Suaui, qui gaudet hæc Pontificis consilia exaggerare, ac deinde damnare, quasi ambitiosæ calliditatis plena, immoderatum imperium affectantis. Atqui existimo, cuicumque hominum, cui liuoris tabes rationis aciem non infecerit, satis esse, si repetat animo, quod priùs identidem obseruatum à nobis est, ambitionis artem non esse, sedulò tueri supremam potestatem in Romano Pontifice diuinitus constitutam, & Ecclesiæ incolumitati necessariam. Quòd si liceat huiusmodi solertiam vituperare, quoniam ea est dominanti iucunda; vituperandus etiam erit, quicumque cibo vitam sustentat, quia cibaria gustatui voluptatem afferunt. Atque ob eamdem rationem non nisi hebetioris mentis homines à Suaui se decipi patientur, ad vertendum Præsidibus vitio id quod ceu virtus commendari solet in cuiusuis legitimi Principis administris; eos nimirum Domini sui iura ac dignitatis excellentiam sarta tecta custodisse. In quo sanè quantò exquisitiore laborarunt industriâ, tantò ampliorem laudem commeriti sunt; cùm prudentia virtutum moralium Regina, &

1546. laudum omnium fons, nihil aliud ſit, quàm ars obtinendi ea quæ decent, per ea quæ licent. Qui verò prudentem à vafro non diſcernit; neque pariter militem fortem, qui decertat pro patria, ſecernet ab audente graſſatore, qui pro rapina decertat.

Inter has artes etiam illa connumeranda eſt, quâ Patres in ternos cœtus peculiares, in ædibus trium Legatorum habendos, aptè ſegregati fuere; quorum cœtuum duobus, Pacecus & Madrutius per delegatos à ſe viros intereſſent. Cauſa prætenta, cur id fuerit à Legatis propoſitum, & à Patribus in generali congreſſu [a] ſtatutum, ea fuit, [b] quò tribus in locis celeriùs & vberiùs de rebus deliberaretur; liceretque ſingulis diſputare citra confuſionem, quam ſemper ingens deliberantium numerus parit, & cum ea libertate, quæ extra theatrum exercetur, loquentibus ſingulis ſuo arbitratu ſeu Latino ſeu patrio ac familiari ſermone. Sed Legatorum mens tria prætereà in eo ſpectabat commoda. Primum erat, Ratio longè facilior moderandæ multitudinis, in tres quaſi riuulos attenuatæ, quàm in ingentem fluuium intumeſcentis. Alterum erat, Per eam partitionem perfringi factiones & fœdera, quibus Patres irretiri poſſent cuiuſpiam vel auctoritate vel arte. Poſtremum, Quò vitaretur, ne quis ingenio turbulento, ſed ſimul dicendi vehementiâ & eloquentiâ præditus, vniuerſum Conuentum ad aliquid pernicioſum derepentè impelleret. 5

a 22. Ianu. 1546.

b Literæ Legatorum ad Farneſium, 11. Februar. 1546.

Hi peculiares congreſſus ſecundo Februarij haberi cœpti ſunt. In iis ſingulis relatum, à quibuſdam Patribus peti, vt Fidei morumque ſanctiones protraherentur, cauſantibus, multos Antiſtites Principeſque Germaniæ propediem aduenturos; Epiſcopum Patauienſem, Ferdinandi Regis Legatum, ſe iam in viam dediſſe; ex Gallia exſpectari Oratorem breuì acceſſurum, vnà cum duodecim Epiſcopis, & compluribus Theologis; octo ex Hiſpania Præſules eo accerſitos à Cæſare, qui Mendozæ vice, lentâ quartanâ laborantis, Franciſcum Toletanum eò deſtinabat Oratorem; adfuturos in dies plures Italos, & præcipuè ab Aula Romana, vbi Pontifex eos ſeuerè & generali iuſſu ſtimulauerat. Proinde ſatis rationi conſentaneum videri, magnarum rerum deliberationem cum ea tam egregia ac tam propinqua virorum frequentia communicandam. 6

Quid à ſingulis Epiſcopis diſertè reſponſum, compertum mihi non eſt, niſi de cœtu habito apud Ceruinum; cuius cœtus Acta Maſſarelli diligentiâ, qui Ceruino à ſecretis erat, in commentarium relata. Ibi Aquenſis Archiepiſcopus, qui priùs tam impensè petierat huiuſmodi moram, vbi ſibi ſenſit oblatam, à ſententia receſſit, 7

oppo-

oppoſuitque, Indecorum videri, ſi Seſſio omnis decreti vacua celebraretur. Et cum Gallo Hiſpanus conſenſit, qui fuit Fonſeca, Stabienſis Antiſtes. Alij ſatius exiſtimabant præſtolari abſentes. Petrus Bertanus ex Prædicatorum Ordine Phanenſis Epiſcopus, cuius doctrinæ ac virtutis præmium Purpura fuit, poſtquam Legatorum Princeps Coronam accepit, admonuit, ex anteactarum Synodorum more, in Seſſione proxima publicè recitandum eſſe, ac recipiendum Fidei Symbolum, ab Eccleſia in ſacrificio legi ſolitum. Seripandus * ſtupore perfuſus, quòd vellet Ceruinus ſuperſedere nunc illâ ſanctione, quam paucis antè diebus tam ſolicitè quæſierat, & tam alacriter obtinuerat, ignarus latentis cauſæ, ſed gnarus, ab huiuſmodi viro eam mutationem haud temerè factam, ſententiæ Phanenſis adhæſit, adducto ad eam confirmandam Toletanarum Synodorum exemplo, apud quas ritus fuit, vt memorati Symboli acceptio reliquas actiones antecederet. Improbabant id ipſum alij, ea potiſſimum de cauſâ, quòd in Articulis Symboli, Catholici à Lutheranis haud diſcreparent. Alij contrà eadem de cauſâ id comprobabant, proptereà quòd in quacumq; doctrina tradẽda, à principiis ordiendum certiſſimis, maximeque receptis. Atque in hanc ſententiam conuenêre reliqui duo priuati congreſſus: quare id in generali Conuentu * poſtridie habito propoſitum, poſtquam Legati molliora accepere mandata à Pontifice de ſtatuta coniunctione Fidei ac diſciplinæ.

1546.

* Monumenta Seripandi ſuprà citata.

* 3. Februarij.

8 Fuit res efficaciter promota, priùs ſtudiis priuatim adhibitis erga ſingulos, dein in conſeſſu, auctoritate ac rationibus Tridentini ac Giennenſis, qui plurimùm apud Cæſarianos valebant. Vna ſiquidem inter artes à Legatis adhibitas ea fuit, vt initio duobus hiſce Cardinalibus pleniſſimam facultatem darent ſui animi ſenſa effundendi, quacumque vellent libertate dicendi; poſtea verò, vbi iam potuiſſent experimento doceri, ſe per eam agendi rationem cum promiſcua turba miſceri, & frequenter ſubire diſcrimen abeundi è congreſſibus exitu ſibi parum honorifico; illis inſinuarunt Legati, magis è gradus dignitate futurum, ſi priùs ipſi ſecum conſilia communicarent, eaque mutuò inter ſe compoſita, Conuentibus poſteà communi ſtudio exponerent, ſucceſſus proſperi penè ſecuri. Id conſilium à duobus illis Purpuratis (quippe ipſorum honori conſentaneum) libenter ſuſceptum, in Legatorum pariter commodum ceſſit; tum quòd Madrutius & Pacecus longè faciliùs in Præſidum ſententiam trahebantur rationibus, quas animo ſedato remotis arbitris placidè audiebant, & nondum contrario animi ſenſu Patribus, ſeu per priuata colloquia, ſeu publicis in congreſſibus patefacto;

1546. tefacto; tum quòd iam propensiores in eam partem, à qua sibi honor deferebatur, magis etiam afficiebantur ad eamdem sententiã & operã prosequendam: quemadmodum videre licet, in causis dubiis quemcumque patronum proniùs credere pro suo cliente ius stare. Hinc factum est, vt paucis reclamantibus conuenerit de celebranda die postero Sessione; de recitando complectendoque ibi Fidei Symbolo; de indicenda futura ad quintam Feriam post quartam Quadragesimæ Dominicam diem, hoc est, octauã Aprilis, dato absentibus opportuno spatio; de non promulgando decreto, quo mores cum doctrina copularentur; sed de illo posteà obseruando in præstituta Sessione, perinde ac si solenniter promulgatum fuisset. Tanti est ad plurimorum intellectuum concordiam, si concordia præcedat in ea animi facultate, quæ secundùm naturam à mente regitur: sed frequenter ex hominum more intellectum regit.

CAPVT IX.

Tertia Sessio: & quæ sub idem tempus in Germania circa Religionem acciderint.

Sixtus Senensis eius discipulus lib. 4. Bibliothecæ sanctæ, in voce, Ambrosius Catharinus.

VT ea perficerentur die quarto Februarij, rem diuinam ritu solenni celebrauit Petrus Tagliauia, Archiepiscopus Panormitanus: Latinè verba fecit Ambrosius Politus, Senensis, è Dominicana familia, qui antequam religiosam vitam susciperet, Ius Ciuile professus, primum Legatum discipulum habuerat; posteà verò Minoritanus Episcopus, ac deinde Archiepiscopus Compsanus constitutus est: hic ex pietate erga cælestissimam virginem ciuem suam, suumque Religiosum Ordinem, *Catharini* cognomen sibi adoptauit; idemque inter Scholasticos insignis plures ingenij laudatores habet, quàm doctrinæ sectatores. 1

Posteà duo Decreta sunt recitata. Dicebatur in altero: Cùm agnoscerent Patres rerum ad quas accedebant ingens molimen, ad extirpandas hæreses, moresque reformandos, cumque futura ipsis non esset colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituum nequitiam in cælestibus; omnes in primis cohortari, vt in Domino, & in potentia virtutis eius corroborati assumerent scutum Fidei, galeam sibi salutis imponerent, & arriperent gladium Spiritus, quod est Verbum Dei. Statuebant deinde, Confessionem Fidei ante omnia præmittendam, veterum Patrum exemplo, qui sacratiora Concilia ab illa inchoare consuerant, eoque interdum 2

vnico

vnico adiumento ethnicos ad Fidem traxerant, hæreticos conuicerant, fideles confirmarant: atque eâ gratiâ Symbolum, quo Romana Ecclesia vtitur, recitandum esse. 1546.

Altero Decreto præscribebatur futuræ Sessioni dies octauus Aprilis, longiùs quidem distans, sed datâ operâ selectus, quò per eam cunctationem accederet auctoritas dignitasque sanctionibus, quæ parabantur; cùm esset compertum, multos iam iter iniisse, vt Concilio interessent, & alios ad ineundum esse paratos. Interim non esse cessandum ab iis argumentis expendendis, quæ digna Synodi Constitutionibus viderentur.

3 Patribus de priori Decreto rogatis respondit primus Præsidum, ac posteà reliqui omnes, *Placet, & ita credimus*. Tres tantùm Episcopi, vt aliquid adderetur petierunt oblatâ schedulâ, ne vocibus reclamantes offensionem parerent. Fuit vnus ex his Fesulanus, qui in eo scripto affirmabat, sibi comprobari non posse vel illud vel aliud Decretum, absque debita Concilio inscriptione, *repræsentantis Ecclesiam Vniuersalem*. Duo reliqui fuerunt Episcopi, Caputaquensis & Pacensis, qui contestabantur, assentiri se quidem vt in præsenti Decreto ea inscriptio omitteretur; ita tamen, vt integrum esset Concilio eam addere, quocumque tempore visum foret. Iidem duo de altero Decreto rogati, nouas schedulas protulere, in quibus affirmabant, haud sibi videri silentio prætereundum, quod iam inter Patres conuenenerat, de copulanda dogmatum morumque tractatione. Fesulanus verò respondit: Quod etiam ad secundum Decretum spectaret, se persistere in porrectæ iam schedulæ sententia, hoc est, in magnifici tituli postulato. Vsque adeò nonnulli abhorrent à deserenda sententia sibi semel probata, quasi à publica errati confessione, vt malint videri semper in hoc ipso non solùm aberrantes, sed indociles.

4 Dum hæc Tridenti agebantur, negotium religionis in Germania inquies erat. * Sub illius anni primordia Protestantes Francofurti coacti, conspirauerant ad extorquendam omnino licentiam conscientiæ, liberam cooptationem in Cæsaream Cameram Spirensem, & impunitatem Ecclesias diripiendi: eapropter statuerunt Tridentinæ Synodi euersionem moliri, fœdus Smalcaldicum in Cæsarem, ac defensionem Archiepiscopi Coloniensis Apostatæ aduersus eumdem simul & Pontificem. Eodem tempore Palatinus Septemuir, qui diu anceps nutauerat, præceps corruit, abiectâ Catholicâ Religione, ac suis è terris expulsâ.

* Belcarius lib. 24. n. 19.

Caro-

1546. * Belcar. loc. cit. & Spondan. anno 1546. Relatio Billici ab eo citata, & Cochlæus de Actis Lutheri, an. 1546.

Catolus, tametsi * animaduerso, Protestantes non mentis caligine sed animi prauitate peccare, adeoque non ad illuminandum, sed ad concremandum facibus opus esse; tamen & vt promissa seruaret, & impotens exuendi spem illius pacificæ reconciliationis, ad quam & religionis & vtilitatis studio votis omnibus ferebatur, colloquium ptius indictum haberi iussit Ratisponæ ad exitum Ianuarij: & Præsides illi destinauit Mauritium Huttenum Episcopum Eistettensem, & Federicum Furstetbergium; addiditque his postmodum Iulium Flugium tunc Nauburgensem Antistitem, Protestantibus suspectum, quippe à sua Ecclesia illorum operâ depulsum. Disputatores ex Catholicis fuere Petrus Maluenda ex Dominicana familia, Euerardus Billicus Carmelita, Ioannes Hoffmeisterus Augustinianus, & Ioannes Cochlæus; ex acatholicis Martinus Bucerus, Ioannes Brentius, Georgius Maior, Erardus Schneppius. Hoc colloquium diu Lutheranorum causâ dilatum est, eorumque cauillationibus lentè productum fuit; ab iisdem post mensem tertium præcisum potiùs quàm solutum, Ratisponâ inuito Cæsare, & nondum expectato eius responso profectis. 5

Nihilominùs adhuc Suauis infectam rem vitio vertit (cùm certè Pontifici non possit, non modò illius nihil participi, sed ei pro viribus aduersato) Catholicorum technis, & simulationibus subdolis ipsius Cæsaris. Ex quo liquet, hunc hominem non Pontifici solùm fuisse inimicum, sed cuicumque hæreticis non amico. Quò nunc defluxit studium illud obedientiæ erga profanos Principes, quod ille tam magnificè præsefert, ad aucupandam suæ Patriæ gratiam; quando per volumina publicè impressa, Germanorum Cæsaris perduellium patrocinium suscipit; præter laudes cohortationesque per suas priuatas literas, quas Operis initio protulimus, Vgonottis Galliæ Regis perduellibus impensas? Spondanus scriptoresque ab eo adducti adeantur, & in comperto erit, quàm mendax, quàm iniquus extiterit Suauis in huiusce rei narratione. At meo iudicio nequit in eum produci testis luculentior ipso Suaui, à me toties in huiusmodi vitiis deprehenso, adeò vt concors eius narratio parum absit, vt fidem abrogare possit probatioris fidei scriptoribus. 6

CAPVT

CAPVT X. 1546.

Martini Lutheri mors, & de eo iudicium.

1 NObilitauit hoc idem tempus Martini Lutheri mors, quæ Islebij * accidit in Comitum Mansfeldiorum oppido, vbi natales habuerat. Varij ex Catholicis Scriptoribus varia recensent diuinæ vltionis signa, seu certè cognita, seu per famam vulgata, quæ instar Poëtæ narrat quandoque quod conuenit potiùs quàm quod euenit. Defecit anno climacterico. Quispiam, cui liberet argutiis ludere, diceret, cælestes orbes videri per hoc voluisse, se quoque aliquid benemereri in extinguendo monstro tam noxiè pestilenti.

* 18. Febr. 1546. Vide Spondan. eodem anno à num. 12. ad 15.

Fecundo ingenio præditus fuit, sed huiusmodi, vt plurimum acerbi, nihil vmquam maturi protulerit: quippe ne vnam quidem illius meditationem reperias, quæ legentis animum expleat, & quæ non magis imitetur gigantem abortiuum, quàm fœtum perfectum. Mens quidem illi robusta, sed vastatori aptior quàm ædificatori: atque ita spectamus Catholicam Religionem ab eo pluribus in Regnis euersam, sed eiusdem doctrinam angusta in regione fundatam. Copiosam rerum eruditionem obtinuit, sed quasi plurimæ supellectilis congeriem, siue nummis æneis locuples ærarium, non quasi vestiarium nobilium aulæorum, siue vnionum gemmarumque thesaurum. Et hac ipsâ eruditionis affluentiâ vsus fuerat veluti quâdam imbris æstiui procellâ, quæ tellurem vsquequaque obruit, nusquam ad fœcunditatem imbuit: nullum enim argumentum, variarum historiarum notitiâ, vel multorum auctorum lectione indigum, ab illo vmquam illustratum. Fuit eloquens linguâ & calamo; sed instar turbinis puluerem attollentis ad oculos occæcandos, non placidi fontis pellucidam aquam effundentis ad recreandos; cùm in tot eius Operibus ne vnam quidem periodum inuenire liceat, quæ incultum & agreste quiddam non præ se ferat. Audacem se præbuit, non fortem, suetus rixas initio per impetum aggredi, posteà per timorem prosequi, veritus ne despicatui haberetur, néve sibi venia denegaretur. Nemo petulantior in conculcandis ipsis regnantium Sceptris, dúmodò à se remotis, lutulento pede, per suas nimirum contumelias veriùs quàm satyras: nemo illo formidolosior, cùm propè instabant pericula. Sæpè dolorem prætulit, quòd vsque eò progressus fuisset aduersus Pontificem; sed pertinaciter adhuc pugnauit, quòd iam præcisum à tergo pontem sibi crederet:

1546. deret: atque eâ ſpuriâ fortitudine vſus eſt, quam Ariſto teles belluis tribuit, quæ acriter pugnant, cùm ad ſua ſpelæa paludeſque receptum non habent. Sæpiùs obtulit ſilentium, ſi pariter aduerſarij tacuiſſent: in quo palàm fecit, ſe ab honoris humani zelotypia, non à Diuini ſtudio moueri. Rem Chriſtianam peruertit, ſed magis aliorum iacturâ quàm ſuo lucro. Eum Principes ſunt ſecuti; ſed vt ipſi diteſcerent, non vt illum ditarent: vnde ſemper in egeſtate iacuit, eò miſeriore, quò ipſius ſuperbiæ magis inuiſa magiſque eiuſdem intemperantiæ intolerabilis. Multis principatibus priuauit Eccleſiam: ſed viſum eſt id ipſum ex Diuino conſilio valuiſſe ad hanc myſticam vitem potiùs putandam, quàm obtruncandam; cùm eadem ex cauſa & in Fide Catholica vegetiores, & in omni virtutum genere fecundiores euaſerint palmites illi, qui viti coniuncti perſtitere: atque ex hoc ipſo viſum eſt non tam diminui, quàm perpurgari aurum, vt eius probitas emicaret, collata cum ſordibus ſegregatis; cùm patuerit in atroci illa Chriſtiani generis ſeditione, quænam eſſet pars fidelis, quæ ſincera Reſpublica, & non rebellantium turba; hoc eſt, pars maior, nobilior, doctior, moratior, ſanctior. Perennis permanſit in poſterorum memoria; ſed perennitate infamiæ veriùs quàm gloriæ: cùm & numero frequentiores ſint, & auctoritate præſtantiores ij qui hominem vt hæreſiarcham deteſtantur, quàm qui vt Prophetam venerantur.

A Suaui narratur, Tridentum ac Romam maiori affecta fuiſſe gaudio ex abrupto Germanico Colloquio, obituque Lutheri, quàm mœrore ex Palatini & Palatinatus hæreſi: *Sed ea, quæ ad noſtram vſque ætatem euenêre, palàm feciſſe, Martinum tantummodò adminiſtrum fuiſſe, cauſas verò alias potentiores atque abſtruſiores.* Hoc poſtremum ſatis ſuperque refellitur per ea quibus conſimile ſophiſma diluimus in cæde Zuinglij à Suaui conflatum. Ceterà dubitandum non eſt, Concilio ac Pontifici placuiſſe Colloquij ceſſationem. Meritò quidem illi formidabant, ne qua ibi concordia cuderetur, ſinceritati Fidei, & Eccleſiæ auctoritati pernicioſa, per ſummum dedecus Concilij, cuius erat huiuſmodi rebus legitimè proſpicere, quodque ad eas componendas tanto Eccleſiaſticorum incommodo coaluerat, ipsâ Germaniâ efflagitante: adeoque lætabantur, ſpectantes Eccleſiam ab eo ſubtractam periculo, eâque ratione ſubtractam, vt inuidia recideret in hæreticos, qui Colloquium præciderant, nihil in eo Pontificiis molientibus, vnde ſimplici Germanorum multitudini turbatores concordiæ viderentur. At fuiſſe Pontificios in ſpem magnam erectos morte Lutheri, neque verum conficitur 2

ex

ex monumentis, quæ videre eſt, neque ſimile vero ex rerum conditionibus, quas obſeruare licet: niſi fortè Suauis de imperitæ turbæ ſpe loqueretur; cuius ſenſa proferre quaſi vnius Reipublicæ, vniuſque Principatus ſenſa, pudendum certè Suaui, ſatis gnaro, nullas eſſe poſſe Athenas adeò doctas, vbi turba ignara non ſit; & ne Platonem quidem exiſtimaſſe, illam in ſua commentitia ciuitate futuram fuiſſe prudentem. Enimuerò homines facti conſcij, & rerum ciuilium intelligentes, nullam ſuper Lutheri cineribus ſpei molem extruere potuerunt. 1546.

3 Scripſerat multos ante annos ad Pontificem Contarenus, vt ſuo loco narratur: Si non Lutherus modò, ſed cuncti Doctores hæretici non, inquit, extincti, ſed ad Fidem reuocati fuiſſent, nihil id fuiſſe permoturum Principes ac populos ad hæreſim deſerendam; cui non ex opinionis errore, ſed ex ingluuie rapinarum, ac licentiæ cupiditate inhærebant defixi. Id ipſum comprobarunt exempla in morte tot veterum hæreſiarcharum, nuper in funere Ioannis Huſſi, ac poſtremò Vlrici Zuinglij. Et tamen his extinctis, ipſorum hæreſes non tam altas radices egerant quàm eo tempore Lutherana. Lætabantur itaque eo funere cordati Catholici, itidem ac lætatur obſeſſa ciuitas ruinâ collabentis hoſtium machinæ; non quaſi conuulſa iam mœnia illius caſu reſurgant, ſed quòd ciues metu liberentur ſtragis nouæ, quam infeſta moles minitabatur. Nos verò calamum ad Concilium conuertamus.

CAPVT XI.

Quæ poſt tertiam Seſſionem agitata. Quæ propoſita ad ſacrarum Literarum libros comprobandos. Vbi etiam expenditur, quouſque Florentina Synodus perdurauerit.

1 MOleſta Legatis accidit ea quæcumque fuerit trium Epiſcoporum contradictio in Seſſione præterita. Videbatur ipſis probi Senatoris officium eſſe, in priuatis conſultationibus ſententiam liberè dicere; at vbi oppoſitum maiori ſententiarum numero ſtatutum fuiſſet, hoc ipſum poſteà tamquam propriam ſententiam tueri in Conuentibus publicis, auctâ per eam concordiæ profeſſionem & auctoritate Decretis, & reuerentiâ Senatui. Quapropter in proximo congreſſu * ſingulos Montanus orauit, vt acquieſcerent titulo ſatis amplo ac decoro, quo Synodus appellabatur, prout reuerà erat, *Oecumenica & Generalis:* quæ huic addenda

* 8. Februarij 1546.

1546. quidam putabant, ab antiquioribus Conciliis minimè fuisse vsurpata: à Constantiensi verò inducta, quòd tunc certus Pontifex non extaret, qui vniuersæ præsideret Ecclesiæ; adeoque nec ab eo Concilio dici, per quamcumque Synodum, vniuersalem Ecclesiam repræsentari, sed nominatim per illam. Compertum esse in duobus legitimis Conciliis, Florentino ac Lateranensi, post Constantiense habitis, eam inscriptionem prætermissam. Quæ rationes à contraria sententia * aliquos retraxere.

* Ex Fachenettorum monumentis.

Legatus idem ad aliud argumentum, quod posteriorem oppositionem exciuerat, sermonem conuertit, ad omittendum videlicet Decretum de coniunctione dogmatum ac disciplinæ: Nihil detrimenti passam sibi videri Synodum, si verbo tacuisset quod re perfecisset: Decretum illud sub ea forma, sub qua vulgandum fuisset, exile ac ieiunum à se semper existimatum, nec honorificum primæ tanti Concilij sanctioni solenni: Quidnam aliud in eo dici, nisi quidquid summatim indictum fuerat per Pontificium Diploma, quo celebrandæ Synodi causæ exponuntur? Sibi fuisse consilium illius ampliandi, adiectâ denuntiatione Episcopis absentibus, vt eò se conferrent, suamque causam dicerent, aliisque rebus vsui futuris; sed ab eo consilio se dimotum summorum virorum auctoritate aliter sentientium. 2

Porrò Didacus Alaba, Asturiensis Episcopus, acer ingenio, ac libertatis amans, subiecit: Non decertandi, sed addiscendi studio Legatum à se rogari; exponeret, quâ illâ auctoritate habuisset in animo, vt iam dixerat, Decretum consensu Patrum confirmatum immutare? Se quidem interfuisse cum potestate iudicandi variis Hispaniæ tribunalibus, quibus Cæsaris Consiliarij præerant; nec vmquam nouisse, ab vllo Præsidum sibi auctoritatem arrogatam immutandæ vniuersi consessus sanctionis. Tunc Montanus temperatâ loquendi ratione vsus, quæ ictum quouis impetu grauiorem incutit in huiusmodi præliis, ait: Cùm tam humaniter id ab Episcopo quæreretur, se libenter illi facturum satis: Sibi videlicet fuisse in animo id agere, quod non solùm Legato, sed cuilibet etiam Episcoporum liceret; id autem esse, antequam Decretum promulgaretur, illius mutationem proponere, rei arbitrio Patrum suffragiis relicto. Quod autem spectabat ad auctoritatem, quam ibi Legati obtinebant; haud sibi rationem suppetere, per quam illi tam cursim satisfaceret, cùm ea tam latè pateret, vt nequiret in pauca redigi. Hoc à se generatim dici posse; Effatum esse apud Canonum consultos, Legatis à Latere licere quidquid seu à voce communi, seu à pe- 3

à peculiaribus Pontificis iussionibus eisdem non denegatur. His respõsis quantò mitioribus, tantò efficacioribus ad reuerentiam respondenti conciliandam, & inconsiderantiam in percontante demonstrandam, tacuit Antistes coronâ plaudente. 1546.

4 Deinde quò res per futuram Sessionem statuendæ discuterentur, idem Legatus exposuit: Optimum sibi factu videri, vt primo loco recenserentur ac reciperentur libri Canonici sacrarum Literarum, quò certò constaret, quibus armis esset in hæreticos dimicandum, & in qua basi fundanda esset Fides Catholicorum; quorum aliqui super ea re miserè angebantur, cùm cernerent in eodem libro à plurimis S. Spiritus digitum adorari, alios contrà digitum impostoris execrari. Hoc statuto tria in peculiaribus Cœtibus proposita sunt. Primum, An omnia vtriusque Testamenti volumina essent comprobanda: Alterum, An ea comprobatio per nouum examen peragenda: Tertium à Bertano ac Seripando propositum, An expediret sacros libros in duas classes partiri: alteram eorum quæ ad promouendam populi pietatem pertinent, & illius ergò solùm ab Ecclesia recepti tamquam boni, cuiusmodi videbantur esse Prouerbiorum & Sapientiæ libri, nondum ab Ecclesia probati tamquam Canonici, tametsi frequens eorum mentio haberetur apud sanctum Hieronymum & Augustinum, aliosque veteres auctores: alteram eorum, quibus etiam Fidei dogmata innituntur. Sed ea diuisio, tametsi ab aliquo auctore [a] priùs facta, & tunc à Seripando promota per libellum eruditissimum [b] eâ gratiâ conscriptum, quò cuncti libri Canonici ritè expenderentur, vti reuerà firmam rationem non præferebat, ita nec suâ specie Patres allexit, vix nacta laudatorem: quare nihil vltrà de illa disputabimus.

5 Ex tribus propositis quæstionibus, in prima fuêre citra discordiam, partem affirmantem secuti; pro qua Ceruinus Cardinalis in peculiari priùs, deinde in generali [c] cœtu disseruit. Aliquot, aiebat ille, sacrarum Literarum libros non ab hæreticis solùm, sed ab aliquo Catholicorum in dubium vocari: incompertum quidem esse, vndenam ea dubitatio exorta fuerit; sed verisimile videri, illam exhaustam ex hæreseos cloacis, sedulò studentis tamquam falsa calumniari legitima testimonia, quibus falsitatem suam redargui sentit. Ad disertè comprobanda ea volumina quæ Canonica censerent, inuitari Patres exemplo & Canone postremo Apostolorum, ac Trullano Concilio, in quo illorum pleraque recensentur, & Laodiceno, eadem planè connumerante, ac tertio Carthaginensi, quod libros Iudithæ, Tobiæ & Apocalypsis inter Diuinos agnoscit.

Dic 22. Februarij.

a Vide Canum lib. 2. de locis Theol. argumento 6. cap. 10. & in eius Solutione cap. 11. vbi acriter arguit Caietanum, quòd in fine sui Commentarij de Libris historicis veteris Testamenti, afferat & comprobet eam diuisionem inter sacra volumina.

b Extat inter scripturas Seripandi.

c 22. Febr.

1546. Consimilem etiam syllabum fuisse confectum à SS. Athanasio & Gregorio Nazianzeno, à quarta Synodo Toletana, ab Innocentio ac Gelasio Romanis Pontificibus, ac denique à Concilio Florentino.

In altera quæstione diffidebant inter se Præsides, & vniuersum 6
Conuentum in duas partes ex æquo ferè diuiserant. Montanus, cui Pacecus adhærebat, eiusque consilij verè auctor visus fuerat, cùm de superiori capite disputauit, quodcumque nouum examen recusabat. Contrà verò Ceruinus ac Polus, consentiente Tridentino, qui pariter in primi articuli disputatione suam hanc sententiam indicauerat, satius ducebant, nouam impendi operam discutiendis ac diluendis aduersariorum obiectis. Asserebant primi, Hanc esse consuetudinem ac firmitatem Ecclesiæ, veteres Conciliorum ac Patrum Sanctiones in litem minimè reuocare. Redigebant in memoriam sapientissimum Gelasij ac Leonis summorum Pontificum documentum: Res semel decisas haud retractandas: hinc à Marciano religiosissimo Imperatore per sua edicta cautum fuisse, ne ampliùs in disceptationem adducerentur: satis esse habitas in eo à prioribus Conciliis disputationes: hæreticorum cauillos abundè refelli à Fischerio Cardinali, à Cochlæo, à Pighio, ab Eckio, & ab aliis præstantissimis viris. Cuinam vsui hoc nouum examen? Num vt anceps appareret Concilium de auctoritate legitima earum scripturarum, quæ fundant intentionem Ecclesiæ in hæreticos, & nostræ Fidei prima principia conflant? An vt Lutheranis liceret gloriari, suis argumentationibus suspectas falsitatis reddidisse Catholicis superiorum Conciliorum definitiones? Disputationem ad id solùm institui, vt veritas indagetur: quicumque finis alicuius gratiâ quidquam adhibet, eumdem profiteri se adhuc fine carere.

Arguebant ex altera parte, adhibendum examen, non solùm quò 7
veritas comperiatur, sed quò etiam confirmetur. Debere Patres non seipsos tantummodò alere cælestis sapientiæ pabulo; sed esse Pastores, quin & Pastorum Pastores: proinde sui esse muneris, illos idoneos reddere, *exhortari in doctrina sana, eosq́, qui contradicunt arguere.* Iniunctum Catholicis à postremo Lateranensi Concilio, vt argumenta cuncta dissoluant obiecta Fidei nostræ mysteriis; cùm planè necesse sit, omnem huiusmodi argumentationem, quippe veritati oppositam, quoddam esse sophisma, adeoque dissolubile. Docuisse S. Thomam; Quemadmodum Theologi non est Christianæ Fidei principia comprobare; ita ipsius esse partes, eadem aduersus omnes oppugnationes tueri. Id à summo illo Doctore perfectum in aurea

aurea Summa contra Gentes, eique veterum Patrum exempla præfulsisse. Extare disceptationes S. Athanasij cum Ario, S. Hieronymi cum quodam Luciferiano de rebus iam per Concilia confirmatis: disceptationes quidem non verè habitas, sed confictas; at eiusmodi, quæ ostendant, haud disconueniens nec inutile visum sapientissimis illis Patribus susceptum à se patrocinium causæ Catholicæ, etiam post denuntiatum ab Ecclesia iudicium. Testificari Concilium Africanum, Donatistas ad disputandum super doctrinis longè priùs à Nicæno damnatis, fuisse à Catholicis inuitatos; & S. Augustinum cum iis disceptationem iniisse. Cum Macario Antiocheno Patriarcha, iam à sexta Synodo proscripto, decertasse Bonifacium iussu Benedicti Romani Pontificis; & S. Dominicum cum Albigensibus hæreticis manifestariis. Post Decreta Nicæna quoties vocem ὁμούσιον in controuersiam reuocatam? Ne ab ipso quidem S. Leone, qui prohibuit in disputationem deduci, quæ Nicææ & Chalcedone à S. Spiritu stabilita fuerant; ingenij sui operam denegatam iis, qui hausto iam simplici definitionum lacte, solidiorem rationum cibum mandere cupiebant. Vel sanctissimos Apostolos Christianæ Fidei fundatores, & à Diuino Spiritu planè veritatem edoctos, vbi de Veteris Legis obligatione decernendum fuit, rem examini subdidisse. Existimationis plurimum Concilij Decretis accessurum, vbi vniuersæ Nationes audierint, hæreticorum rationes ab ea expensas & confutatas. Alioquin eam, quam Patres appellarent venerationem antiquitatis, ab aliis vocitatum iri laboris fastidium, aut responsionis inscitiam. 1546.

8 Præpotuit hæc posterior pars, in priuato consessu coram Ceruino eam promouente. In primo [a] Generali nihil perfectum: in altero [b] tanta fuit in sententiis diuersitas, tanta in sermonibus confusio, vt opus fuerit iubere Promotorem, suam quemque ordinatim rogare sententiam, ac numerare.

[a] 12. Februarij.
[b] 15. Februarij.

Re ad eam suffragationis formam redactâ, de cunctis sacræ Scripturæ libris recipiendis concorditer conuenêre. In eo discordabant, an affigendum anathema cuicumque eos recusanti, quò audacia comprimeretur quorumdam etiam Catholicorum aduersantium, inter quos Caietanus quoque connumeratus. Id contendebat Pacecus, quem Legati ac supra viginti ex Patribus sequebantur. Repudiabat Madruccius, quatuordecim ei fauentibus.

E sacris Literis ad Apostolicas Traditiones progressi sunt; ad ea videlicet documenta, ac mandata Christi Domini, & Apostolorum, quæ non quidem in libris Canonicis scripta continentur, sed

ab

1546. ab illis voce communicata, suis alumnis in persuasione, rituque communi fidelium perstitêre, atque in Patrum voluminibus, & Ecclesiæ historiis recensita comperiuntur. Statutum fuit in * cœtibus peculiaribus, vt primò ageretur de his recipiendis; deinde de corruptelis tum sacrarum Literarum, tum etiam Traditionum, tam in prioribus interpretandis, quàm in vtrisque populos edocendis. Fuit qui vellet, vt Ecclesiæ Institutiones adiicerentur; alij, Concilia & Decreta Romanorum Pontificum. Et sanè tot sententias, quot linguas tunc fuisse comperio. In hisce priuatis congregationibus * bini Patres in singulas ex tribus designati, alter Theologus, alter sacrorum Canonum peritus, qui Decreta perscriberent de Canonicorum voluminum, ac Traditionum comprobatione. Hi fuêre Saluator Alepius, Archiepiscopus Turritanus, & suprà memorati Archiepiscopi, Materanus & Armachanus; qui iam patet, an ad grauiora censeretur idoneus quàm ad equis cursoribus iter habendum, qualem illum Suauis expingit: & præter hos, Episcopi Pacensis, Bellocastrensis, & Feltriensis.

* 18. Februar.

* 13. Februar.

Perlectæ sunt insuper Scripturæ, ac sacrorum Doctorum testimonia Traditionibus fauentia. Admonuit opportunè * Claudius Iaius è Societate IESV, Procurator, vt diximus, Augustani Cardinalis, duo esse genera Traditionum; alterum ad Fidem spectantium, alterum ad mores ac ritus: priores absque exceptione recipiendas videri; ex posterioribus eas dumtaxat, quæ in Ecclesiæ consuetudine hodie vigent. Quod Ceruinus S. Basilij auctoritate confirmauit, docentis non nisi eas Traditiones amplectendas, quæ ab Apostolis traditæ ad nostra vsque tempora propagatæ fuissent.

* In peculiari cœtu coram Ceruino 13. Febr. ex monumentis Masarelli.

Ea omnia in generalem * conuentum relata; vbi haud modicè 9
dissensum est. Volebant siquidem alij, vt nominatim distinguerentur Traditiones recipiendæ: alij, inter quos Turritanus, è diuerso volebant, vt generatim acciperentur, sed omissâ voce, *Apostolicarum*; ne reiici viderentur omnes reliquæ de ritibus, ab Apostolis non profectæ. Has postremas neutiquam recipiendas censebat Clodiensis Antistes, quippe numero infinitas, ac nimiùm graues. At Fesulanus & Asturiensis, in discordia à reliquis semper concordes, conquesti sunt, cùm iam conuenissent de coniungenda Fidei ac disciplinæ tractatione, nunc solùm alteri operam dari, non fine inconstantiæ nota, & cum temporis in nihil agendo iactura. Quo Thomas Caselius, ex Ordine Dominicano Britonoriensis Episcopus, commotus infit, Mirum sibi videri, vnum aut alterum hominem arrogasse sibi, vt Synodo vniuersæ perpetuò aduersarentur; num fortè,

* 16. Februar.

fortè, ait, consensu plenissimo decretum non est, agendum post 1546.
libros Canonicos de Traditionibus, ac deinde de abusibus vtrimque ortis? Vtri igitur æquius conqueri possent, Patrum Vniuersitas de binis dissentientibus, an par dissentientium de communi omnium sententia?

10 Neque Polus Cardinalis, tametsi modestiæ singularis tenax, ac taciturnus, sibi temperare potuit, ne conuerso ad duos illos inquietos obtutu seuero exclamaret: *Quicumque hoc in Patribus vel inconstantiam consilij, vel iacturam laboris appellat, næ iste tenuem rerum intelligentiam præ se fert. Lutheri turbo, quo Ecclesiam conuoluit, quonam è specu prorupit, nisi ab audacia oppugnandi tum legitimam auctoritatem, tum versionem sacrorum Voluminum, in quibus doctrinas suas fundat Ecclesia? Et quod attinet ad corruptelas, an non pleraque & grauissimæ Ordinis Ecclesiastici ad hæc duo capita rediguntur? Nimirum ad rationem concionandi ac docendi, quæ refertur ad sacras Literas; ad Confessionem, ad Dei cultum, ad obseruantiam Rituum, Legumq́, Ecclesiasticarum, quæ ad Traditiones spectant? His ritè confectis, sui profectò curriculi plusquam dimidium Synodus feliciter confecerit.* Horum verborum pondus auctum grauitate dicentis, amborum confidentiam compressit, atque in pudorem conuertit.

11 Ac mihi quidem libet has humanas labes in eo sacrosancto Cœtu deprehensas sincerè proferre, cùm viderim ab ipso Deo multò fœdiores suo calamo exaratas, vel de iis quos elegerat populi sui Duces, suæque Ecclesiæ fundatores: vna veritas alterius occultatione tuenda non est, cùm ipsæ altera alteri numquam aduersentur. Historia instar est pictæ imaginis, quæ tunc præstantior, cùm expingitur non quod pulchrius, sed quod exemplari similius. Saltem ex his immoderatis æstibus alicuius Antistitum facilè quisque deprehendet, quàm nequiter mentiatur Suauis, dum ab eo Concilio libertatem omnem excludit, quò sibi suisque sociis eam arroget ad doctrinas ibi definitas reiiciendas, legesque ibi sancitas perfringendas.

Inter has minoris pretij altercationes, nouum argumentum proposuit Clodiensis, quod validissimum videbatur: *Iuuátne*, inquit, *cæco nos impetu Traditiones comprobare, perinde ac sacras Literas recepimus, innixi Decreto quasi à Florentina Synodo confecto, quod nihil ad eam Synodum spectat, cùm illi finem imposuerit postrema ipsius Sessio anno* 1439. *Decretum verò obsignatum comperiatur* 4. *Februarij anni* 1441.?

12 Sed obseruarunt Legati, & eorum primus, siue suâ sponte, siue admo- In prima parte Actorum sub

Paulo III. seruata in Arce S. Angeli: Literæ Ceruini ad Farnesium, 27. Febr. 1546. & Diarium Massarelli in Cœtu peculiari apud Ceruinum, 13. Martij 1546.

1546. admonitu Ceruini respondit: Falli eos, qui Florentinæ Synodi exitum anno 1439. tribuebant: ibi quidem desinere Latinam versionem Bartholomæi Abrahami Cretensis, quòd solùm ad id vsque temporis, hoc est, vsque ad septimam Sessionem ibi Græci fuerint commorati, & Acta perscripserint, ex quibus modò laudatus interpres desumpsit eam partem, quæ Conciliorum volumini fuit inserta. Reuerà tres insuper annos perstitisse Synodum illam Florentiæ, ac inde Romam commigrasse; vti liquet ex constitutionibus, quæ visuntur non modò in Actis Synodi positæ, sed etiam ab Augustino Patritio Canonico Senensi, in Epitomen Basileensis Concilij à se conscriptam relatæ. Ibi extare duo Florentinæ Synodi Decreta, alterum anno 1440. habitum, quo electio Pseudo-Pontificis Felicis Quinti irrita declaratur; alterum 26. Aprilis anno 1442. de transferendo Florentiâ Romam Concilio. Neque dari dubitationi locum, an Decretum, de quo agebatur, reuerà esset Florentini Concilij; nam Ceruinus suismet oculis vsurpauerat eius autographum in tabulario Arcis Æliæ inter Acta illius Concilij, chirographo Romani Pontificis & Cardinalium signatum, plumbeâque bullâ munitum. Addebat ille: Cùm videret Eugenius, Græcis abeuntibus adhuc persistere Conciliabulum Basileæ, Florentinum Concilium, velut oppositum illi propugnaculum, ab eo detentum. Ibi ex Patrum sententia ab eodem in Ecclesiæ sinu susceptos hæreticos, * Armenos nuncupatos, à quodam Iacobo Syro iam seductos, aliosque hæreticos Ægyptios, qui eumdem auctorem agnoscentes, *Iacobitæ* speciatim nuncupantur. In quorum reconciliatione, ac Fidei doctrina ipsis tradita continetur memoratus sacrorum Voluminum catalogus. Fuisse pariter ibi agitatum de præstolandis etiam Oratoribus Æthiopiæ, qui dicebantur illius Concilij famâ permoti ad ipsum adeundum iter aggressi: sed à Pontifice, Romanorum precibus fatigato, Romam fuisse traductum Concilium, constitutâ in Laterano Sessioni die decimaquintâ post reditum. Neque officere veritati omissa in exordio constitutionis verba solennia consueta, *sacro approbante Concilio:* illius enim constitutionis procemium meram esse ex accidente prolusionem; sed vbi doctrina traditur, consultò verba priùs omissa disertè apponi.

* Vide Baronium anno 535.

His consonat quod ætate nostrâ contigit: nam operâ Horatij 13
Iustiniani, Sacerdotis e Romana Oratorij Congregatione, & Vaticanæ Bibliothecæ Custodis, eiusdemque posteà supremi Præfecti, cùm dignè fulsit in Purpura, quædam Florentinæ Synodi Acta in lucem prodiere, in quibus hæc omnia perleguntur, Synodique Consti-

Conſtitutiones vſque ad annum 1445. continentur, vnà cum acceſſu ad Concilium Æthiopum Legatorum, regreſſuque Syrorum, Chaldæorum ac Maronitarum ad Romanæ Sedis obedientiam. Sed hæc geſtorum notitia, quò per ea tempora, de quibus loquimur, obſcurior erat, eò certè illuſtriorem reddit eruditionem Legati. De his omnibus, itidemque de plurimis aliis rebus geſtis, quas paulò antè narrauimus, quæque in Actis viſuntur, Suauis nihil mutit: ſi quoniam ea ignorauerit, nimis temerè hiſtoriam Concilij aggreſſus eſt; quemadmodum, vt ſuperiori vtamur ſimilitudine, pictor, qui vellet certum hominem expingere, cuius vultum ignoraret: ſi quoniam de induſtria illa omiſerit, ad occultandam Legatorum eruditionem, & exquiſitam Synodi ſolertiam in rebus expendendis; nimis fraudulenter ſe geſſit cum ſuis lectoribus, & in vtrouis indignus fide conuincitur. 1546.

14 Hoc tamen ſilentio probroſior eſt mendax eiuſdem narratio, ſolicitos fuiſſe Patres de libro Baruch, qui inter Scripturas ſacras nec à Laodiceno Concilio, nec à Carthaginenſi, nec à Romanis Pontificibus connumeratur, cuiuſque deſideratur initium: vnde *omiſſus fuiſſet; ſed obſtabat*, inquit ille, *quòd in Eccleſia ex eo Lectiones recitentur; quæ ratio adeò valida viſa eſt, vt Congregationem adduxerit ad aſſerendum, à veteribus fuiſſe habitum Ieremiæ partem, eiq; apponendum.* Nihil ex vero. Ceruinus, cùm aduertiſſet librum illum ab aliquo etiam Catholicorum in dubium reuocari, [a] admonuit, nihil obſtare ſyllabo ſacrorum Voluminum à Synodo Florentina confecto, inter ea ibi connumeratum eſſe Baruch, tametſi à pleriſque antiquorum de ipſo mentio non ſit habita; illorum ſiquidem mentem fuiſſe, non hunc librum excludere, ſed comprehendere in libro [b] Ieremiæ, cuius amanuenſis fuerat Baruch; vti conſtat ex multis Patribus, agnoſcentibus Opus Baruch inter libros Canonicos, & adducentibus tamquam idem ac Ieremiæ Opus: atque huiuſmodi ſunt [c] Clemens Alexandrinus, Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & cum illis Sixtus Primus, Felix Quartus, ac Pelagius Primus Romani Pontifices; cùm tamen aſſeueret Suauis, hunc librum à Romanis Pontificibus haud fuiſſe receptum. Ad hæc addi poterat, à SS. Cypriano & Cyrillo [d] eumdem citatum ſub nomine ipſius Baruch; præter eos Patres, qui nullo appoſito Auctoris nomine Opus ipſum nominant atque interpretantur vti diuinam Scripturam. Non igitur ſola auctoritas, quæ prouenit illi libro ex Eccleſiæ vſu, recitantis deſumptas ab eo Lectiones in ſacrificio ſanctioris Sabbati, ac Pentecoſtes, permouit ſapientiſſimos viros, vt eum tamquam.

a Ioannes Driedo lib. 1. de Scripturis & Dogmatis Eccleſiaſticis, in vltimo argumento capitis poſtremi.

b Ieremias cap. 36.

c Vide in Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei, cap. 8.

d Lib. 2. in Iudæos, cap. 5.

1546. quam Canonicum per Fidei dogma pronuntiarent; sed auctoritas etiam antecedentis Concilij Oecumenici, & antiquissimorum simul ac sanctissimorum Doctorum, tam ex Græcis, quàm ex Latinis, Romanorumque Pontificum. Ex his mendaciis, quotum hic apertè conuincitur, meritò mihi licet coniicere, æquè planè commentitia esse, quæ ille de multorum sententiis colorat, præsertim verò Lunelli Franciscanorum Præsidis, ac Marinari Carmelitarum: quarum rerum & in Actis & in literis Legatorum ad Farnesium Cardinalem, & in aliis copiosis monumentis, quæ apud me sunt, ne vestigium quidem comperio, prout absque dubio comperissem.

* Literæ ad Farnesium, 27. Febr. 1546.

Dedit * postmodum Ceruinus operam, vt sibi à Farnesio mitteretur ex Arcis Æliæ tabulatio legitimum exemplar memoratæ 15 Constitutionis à Concilio Florentino habitæ: narratque, à beato Ioanne de Capistrano, cùm is diem obiit, fuisse relicta aliquot Pontificia Diplomata in quodam Minorum Obseruantium Cœnobio apud Samnites, & ab Archiepiscopo Surrentino, quo tempore Aprutinam regebat Ecclesiam, missa Romam iussu Pontificis, atque ab ipso Ceruino illud Diploma inter cetera traditum Custodi, vt in Arcis tabulatio collocaretur. Farnesius verò confestim postulationi * satisfecit. Ita contingit difficillima quædam, primâque specie insuperabilia, antiquis legitimisque Traditionibus aduersantia, laruas esse ex vmbris tenebrosæ antiquitatis conflatas. Non tamen, quòd nobis claritas desit ad eas dissipandas, deesse debet firmitas ad repudiandas: cùm vel ignauiæ vel superbiæ sit, veri amplitudinem inter angustias scientiæ nostræ circumscribere, & ex eo putare solui non posse vim argumenti, contendentis à veteri ac pacifica possessione depellere communem aliquam persuasionem, quòd nobis illius diluendi ratio non occurrat.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 25. Martij 1546.

CAPVT XII.

Quid actum de sacrorum Librorum corruptelis.

INtereà inter sex Patres delectos breuî conuenit forma Decreti, 1 de libris Canonicis ac Traditionibus recipiendis. Sed illa Patrum iudicio proposita statim impegit in oppositionem molestam, cunctisque Decretis communem, de Inscriptione, obiectam à Fesulano: qui hinc postulabat eas voces, *repræsentans Vniuersalem Ecclesiam*, tametsi antiquitus non vsurpatas; hinc improbabat illas voces, *præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis*, eo nomine, quòd apud veteres non essent in vsu. Sed Ceruinus ore simul ac sermone pacato

cato ostendit denuò, priores voces nec à Constantiensi Synodo plerumque adhibitas, imò ne semel quidem eo tempore, quo certus Pontifex sedit; sed tantummodò, cùm ex certi Pontificis defectu, & ex Hispanorum absentia dubitari poterat, an ea Synodus Vniuersam Ecclesiam repræsentaret. Quod spectabat ad posteriores voces, Aquensis Archiepiscopus incipiebat Fesulanum reiicere, cùm Ceruinus ab eo petiit, vt huiusmodi labori parceret; probauitque vetustiorum Synodorum generalium exemplo, quorum Acta perdurant, eam epigraphen fuisse appositam, non quidem cuilibet Decreto, sed ferè semper Sessionum initio. Excepta est ea contentio consessu Patrum æquè admirantium tolerantiam Legati, & importunitatem Episcopi; qui nec propterea quieuit, sed centies eamdem litem intentauit, semper gliscente vituperatione peruicaciæ damnatus. 1546.

2 Cetera quæ sigillatim fuere apposita formæ Decreti, mox afferemus, postquam ea quæ priùs disputata sunt de corruptelis, narrauerimus. Constitutus fuerat * priuatorum Theologorum cœtus, qui coram Legatis expenderet quæ ad ipsorum doctrinam spectarent, eaque posteà satis digesta referrentur ad Patrum congressus tam peculiares quàm generales. Et quidem inter Patres aderant complures eâ scientiâ præditi; at eorum præstantiores (prout accidit in omnibus disciplinis) erant priuati homines, quippe per publicas curas minimè distracti ab assidua meditatione, sine qua sæpè quidem excellens prudentia, sed raro excellens doctrina comparatur. In primo horum congressu * sancitum est id quò anteà Patres inclinauerant; vt nimirum tam sacri Libri quàm Traditiones reciperentur, præmisso non quidem publico examine Actis inserendo, sed priuato; quò non in dubium adducerentur, sed ratio redderetur. Deinde vti Decreto insisterent adiungendæ negotio Fidei morum emendationis, habitus fuit peculiaris Patrum & Consultorum delectus ad obseruandas circa diuina Volumina corruptelas, iisque opportunè consulendum. Hi fuere Filholius Archiepiscopus Aquensis, Marcus Vergerius Sinogalliensis Episcopus, & Antistites suprà nominati, Cauensis, Stabiensis, Phanensis, Bituntinus, Asturiensis, Generalis Augustinianorum Præfectus Seripandus, Alfonsus à Castro, & Riccardus Cenomanus Franciscani, atque Ambrosius Catharinus Dominicanus. Præscriptum insuper est, vt bis saltem in menses singulos priuatim conuenirent Theologi ac Doctores, inuitatis etiam eò Patribus vt frequentes adessent, prout effectum est, fructum inde sibi decerpturi, & animum illis addituri; eâ tamen

* 20. Febr. 1546.

* 20. Febr.

1546. lege, vt silerent, quò Theologis fieret coronæ accretio, non temporis libertatisque diminutio.

Hi ad cœtum postremum retulere corruptelas ab ipsis adnotatas, * & excogitata remedia; quæ priùs ab Aquensi Archiepiscopo, ceu à digniore, breuiter exposita, posteà copiosiùs à Bituntino, quippe facundiore. Quatuor circa sacras Literas abusus præcipuè obseruati. 3

* 17. Martij.

Primus erat, Tanta versionum varietas, quâ Diuini Verbi veritas reddebatur incerta. Huic malo visum erat occurri posse vnicâ ex cunctis versionibus tamquam legitimâ constitutâ; eâ videlicet quæ maximam obtinebat auctoritatem ex Ecclesiæ vsu communi, adeoque Vulgata nuncupabatur.

Alter fuit, Mendorum copia, quæ Biblia tam Latina quàm Græca & Hebraica contaminauerant. His non aliter dicebatur prospici posse, quàm si Pontifex ea denuò diligenter correcta typis edenda curaret, eorumq; exemplar singulis Episcoporum Sedibus traderet.

Tertiò loco obseruarunt, Suo quemque arbitratu diuinas Literas detorquere. Ad hanc licentiam coërcendam variæ leges propositæ, quibus cauebatur, ne Scriptura declararetur nisi ex antiqua Ecclesiæ ac Patrum sententia, & ne huiusmodi Opera vulgarentur absque Ecclesiasticorum Censorum permissu.

Postremus erat, Typographorum vitium, qui sacra Volumina imprimebant, desumpta ex corruptis exemplaribus, simulque prauas interpretationes adiiciebant. Huic vitio prospectum putarunt, si illis graui mulctâ pecuniariâ, aliisque ex arbitrio pœnis interdiceretur huiusmodi librorum impressio, nisi obtentâ ab Ordinariis facultate, auctorumque nomine libris apposito.

Huiusce generis mulctam improbarunt Episcopus Asturiensis, &* Archiepiscopus Panormitanus, causati, Ecclesiæ non licere laicis pecuniæ mulctam irrogare; proinde infligendas pœnas animis solùm puniendis accomodatas, vt anathemata. Contrà Bituntinus differuit; Plerosque ex delectis Censoribus alia sentire, agnoscentes in Ecclesia vniuersam illam potestatem, quâ Orbi Christiano rectè administrando opus est; & assetentes, ab experientia cunctos doceri, longè efficaciores esse, ad externa delicta prohibenda, pœnas bona corporis adimentes, quàm solum animum afficientes; propterea quòd pœna inducta est tamquam frænum improborum: at verò ad probos coërcendos, satis esse ipsam operis prauitatem, legi contrariam, quamuis impunitam; & malos ideò malos, quòd corporis bona animi bonis anteferant. 4

* Acta Massarelli, eiusque Diarium Cœtus peculiaris coram Ceruino, 13. Martij.

Admo-

1546.

* Ex Actis & Literis Ceruini ad Farnesium, 17 Martij.

Admonuit Pacecus, * considerandum inter noxia sacris Literis, morem eas vertendi in vulgaria Nationum idiomata, & ita versas ignaræ plebi communicandi. Cui vrbanè quidem, sed ardenter Madruccius restitit, asserens Germaniam offensum iri, vbi accepisset, velle Patres populum sacris Oraculis priuare, quæ ex Apostoli monito numquam debent à fidelium ore recedere. Cumque Pacecus obiiceret, id fuisse in Hispania interdictum, etiam Paulo Secundo comprobante; respondit Madruccius: Paulum II. & alium quemcumq; Pontificum in iudicanda lege conducibili vel non conducibili, falli potuisse, non verò Paulum Apostolum in adducto iam documento. *Ego*, inquit, *memoriâ retineo Dominicam precationem, Fideiq́; Symbolum Germanicè tradita, & communiter addiscuntur cum pari pietatis sensu & emolumento à Germaniæ populis. Vtinam numquam huc aduenissent literarum Græcarum Hebraicarumq́; Professores! nimirum his nunc ærumnis non diuexaretur Ecclesia.* Nullâ decretâ re dimissus Conuentus est. Verùm Madruccij ratio haud planè satisfecit. Considerabant aliqui, plerisque temporibus & apud Christianos, & etiam apud Hebræos, sacras Literas haud fuisse idiomate populari vulgatas: & positis huiusmodi rerum conditionibus id futurum haud mediocriter perniciosum. Expelli quidem non licere à vulgari sermone Religionis argumenta; id enim perinde fore, ac damnare viros prudentes, ac sanctimoniâ claros, qui ea vsitato communique idiomate perscripsere. Quinetiam, dum hæretici sua falsa dogmata sermone patrio euulgabant, oportere antidotum affundere iis fluentis, quibus fuerat diffusum venenum; non tamen idcircò permittendum eâ tempestate, vt per linguas populares in plebem effluant saltem omnes Bibliorum partes: in earum quibusdam reperiri loca quàm specie plana, tam re profunda, quæ primâ facie hæreticis fauere viderentur; adeoque posse in hoc nouarum hæresum strepitu imperitorum mentes ab illis perturbari: id autem in aliis libris de Religione differentibus minimè contingere, qui ob doctrinæ subtilitatem vulgi manibus haud terebantur, & vbi, si quis fortè nodus offenderetur, solutio præstò erat; quinetiam implicati subdolè iisdem linguis, ab hæreticis nodi ad rudiores capiendos afferebantur, sed solutionibus adiectis. Ceterùm cibos, quamuis de se optimos, non esse cunctis corporibus salutares, validiores imbecillioribus præbitos sæpissimè cruditatem, sæpè mortem afferre.

CAPVT

1546.

CAPVT XIII.

Aduentus Francisci Toletani, Oratoris Cæsarei. Actio in Vergerium. Illatæ Musso molestiæ à pensionum creditoribus. Legatorum consilium de reformanda disciplina Pontifici datum.

1 INtereà & splendor Concilio, & hinc animus Patribus addebatur. Accesserat Tridentum * paucis antè diebus Franciscus Toletanus Orator Cæsaris, eique primo ab vrbe lapide obuiàm processerant Purpuratorum familiæ, ac plures Antistites. Habebat ille in mandatis, vti vel solus ipse loco Mendozæ, vel vnà cum collega, si confirmatâ valetudine is Concilio interesset, Oratoris munere fungeretur. Quatriduum ibi commoratus, * Patauium ad Mendozam inuisendum se contulit, quem audierat animo commotum ob suffectum sibi Oratorem, à se quidem postulatum, sed cum voto ac spe repulsæ. At cùm opus esset Toletano arcanâ Cæsareæ mentis rerumque agitandarum notitiâ, Mendozæ concreditâ, ad eam obsequij demissionem se flexit, impulsus Tridentini consilio, tametsi ad id & suâ sponte difficilis, & dehortante Paceco, qui negabat, præclaræ Toletanorum familiæ inclinationem huiusmodi conuenire; seu quòd ita sentiret, seu quòd (sicut quidem affirmabant) inter ipsum & Mendozam parum intercederet amicitiæ, seu tandem quòd cuperet, vt à se, tamquam ab vnico fonte, opus esset Toletano rerum cognitionem haurire.

* 15. Martij.

* Literæ Ceruini ad Farnesium, 20. Martij 1546. & Literæ varia nuntiantes, missæ Tridento Romam, inter monumenta Ludouisiorum.

2 Cùm Toletanus Legatos priuatim inuisit, professus est, coniunctionem cum Pontifice appeti summoperè à Cæsare: cuius rationibus eam conducibilem existimabat, cuiusque mandatis consentaneam testificabatur; adeoque non alio se nomine aiebat eò destinatum à Carolo, quàm quòd ipse veteri obsequio Pontifici deuinctus esset. Exposuit deinde, Cæsarem denuntiasse Protestantibus, coactum esse & continuari ex sua voluntate Concilium.

3 Per id temporis duo contigere, quæ per Suauis narrationem distorta, dirigi postulant calamo veridici narratoris. Spectat alterum ad Petrum Paulum Vergetium Iustinopolitanum Antistitem, à nobis abundè commemoratum. Quem refert Suauis, cùm Romæ à Quæsitore Fidei, apud eius Ecclesiam degente, fuisset hæresis accusatus, fugeretque suorum populorum indignationem, imputantium ceu pœnam ad eius impietatem puniendam, sterilitatem quæ agros ipsorum inuaserat, se Tridentum contulisse, cùm alius ipsi locus

non

non occurreret, vbi cum dignitate moraretur, seque opportuniùs purgaret. Verùm cùm ibi Legati à Synodi functionibus illum excluderent, & hortarentur, vti Romam ad suam causam dicendam adiret, profectum inde fuisse, suam Sedem repetiturum: sed obsistente illi Nuntio, cui demandatum fuerat vt in hominem inquireret; siuè indignatione, siue metu correptum, siue alia ex causa, post paucos menses Italiâ decessisse. Adeò accuratè suas habet narrationes Suauis. Iam alibi scripsimus, hæresim in sinu Vergerij coalescentem acutis Aleandri obtutibus traluxisse, qui Pontificem de ea certiorem fecerat anno 1539. posteà anno 1540. eumdem Vergerium interfuisse, tamquam à Francisco Rege missum, Wormatiensibus Comitiis, & colloquio: quod cùm Cæsareis, magisque Pontifici displiceret, cuius se occultum administrum palàm venditabat; hic Cæsari significauit, gratissimum sibi fore, si hominem à Germania remoueret: à se quidem nihil diligentiæ prætermissum, quò suam ad Sedem illum blandè reduceret, oblato etiam pensionis leuamento: ab inferenda vi se abstinere, ne Vergerium præcipitem ageret in apostatis insaniam, cum dedecore Pontificalis Characteris quem ferebat, ac dignitatis Nuntij Pontificij quam gesserat. Ex his redarguitur Sleidani fabula, de destinata à Pontifice Purpura illi à Wormatiensibus Comitiis redeunti; sed quòd posteà in suspicionem venerit corruptæ in eo religionis, mutasse consilium. Subsecutis annis occulta Vergerij perfidia magis in dies est patefacta: vnde de hæresi postulatus fuit, & in ius Romam vocatus. Tunc ille ad Concilium tamquam ad asylum perrexit; sperauitque, fretus Tridentini Cardinalis patrocinio, se dicturum in Synodo sententiam de ea religione, cuius reus agebatur. Inde exclusus, obtinuit tamen à Legatis commendatitias literas adeò efficaces, vt veniam impetrauerit se Romæ non sistendi, commissâ eius causâ Nuntio ac Patriarchæ Veneto, prout ipse postulauerat. Denique cùm animaduerteret Vergerius, delicto suo nullam excusationem obtendi posse, in Rhætiam inter hæreticos se recepit; vnde in Religionem, in Concilium, & in Pontificem libros edidit, non insulsos minùs quàm audaces, eorum dumtaxat placituros palato adeò deprauato, vt in eo fel, sicut olim manna, cuiusuis delicatissimi saporis vicem obtineat. Ac de hoc homine eiusque rebus gestis abundè fuerat legere, præter alia, Vergerianas & Catholicas literas Mutij, eiusdem conciuis. 1546.

4 Alterum quod suis phaleris Suauis concinnat, est, Episcopum Bituntinum Romam accitum fuisse, ad persoluendas impositas Ecclesiæ suæ pensiones; eumque ea de re conquestum, cùm affirmaret,

1546. maret, detractis pensionibus haud sibi quidquam reliquum fieri, præter quadringenta annua scuta; & tamen opus esse vt minimùm sexcentis, quibus se in Concilio sustentaret. Dein subiicit, super ea re graues exortas querimonias in congregatione 5. Martij; damnantibus Episcopis, præsertim pauperibus, Romam acciri ad rem soluendam, intentatâ censuræ pœnâ, Præsulem in Synodo degentem; & affirmantibus, Apostolicæ Cameræ Auditorem mereri ex eo, vt Tridentum ipse citaretur: eosdem deinde ad detestandam pensionum consuetudinem progressos. Vnde Legatos, vt tumultuantes sedarent, pollicitos fuisse, se strenuè acturos apud Pontificem, vt Bituntino subueniretur. Ita rem Suauis enarrat: verùm & in Actis illius congregationis, & in literis Legatorum, harum turbarum ne murmur quidem subauditur. Quod sanè iniuriâ obstrepuisset: perinde quasi vel qui Synodo intererat, liber esset ab æris alieni solutione, & non deberent potiùs Christianæ disciplinæ restitutores prælucere virtutum omnium exemplo, inter quas vel maximè necessaria iustitia est; vel ipsa Synodus irritas redderet præteritas obligationes, quibus Antistites iureiurando se iam obstrinxerant; adeoque haud ampliùs liceret eos in ius vocari, ex tenore pactionis iurisque iurandi, ad Tribunal Generalis Pontificij Auditoris, qui Purpuratorum etiam Iudex est. Verum quidem est,[a] Mussum Romam in ius vocatũ, exposuisse per summam moderationem Legatis suæ rei familiaris angustias, eorumque patrocinium implorasse; ipsos verò hominis merita testificatos apud Pontificem. Qui cùm de suo vellet, non de alieno liberalitatem exercere, [b] negauit quidem debiti solutionem ei relaxare, sed centum aureos vrgentis incommodi subsidium est elargitus.

Sub idem tempus Legati, [c] post annum Tridenti exactum missionem inde petierunt: Ceruinus quidem ac Polus modestiâ ducti; at Montanus morbo vexatus, ob Alpini cæli rigorem, podagræ chiragræque doloribus nexibusque conflictatus; quibus per eos planè dies ne Cœtibus assisteret fuerat præpeditus. Sed plenam humanitatis repulsam à Pontifice retulêre, cum adiecta ipsorum operæ egregiè nauatæ commendatione. Quippe intelligebat Pontifex, in arduis nodosisque negotiis pertractandis oportere eorumdem ministrorum operâ semper vti, nisi vbi vel non ascendendi tædium, in ipsis administris rerum fastidium, ac tandem negligentiam pareret; vel in iis, quibuscum res illis est, rerum agendarum ratio, animorum alienationem ingeneret, vnde opus sit nouos instituere, non vti artifices habiliores, sed vt materiam sibi paratiorem habi-

a Literæ Legatorum ad Farnesium, 6. Martij 1546.

b Literæ Farnesij ad Legatos, 23. Martij 1546.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 17. Martij 1546.

habituros. Et quoniam Paulus cupiebat emendationem Romanæ Curiæ stabilire, ac palàm facere, eam priùs à se fuisse perfectam, quàm à Concilio designatam; ad Legatos exemplar Diplomatis misit, multos ante annos ea de re confecti, vt suam ipsi sententiam fidenter super eo promerent. 1546.

6 Legati eodem tempore Pontificem disertè iam monuerant, Episcopos * inhærere defixos vni rei, quam enixè pariter ac iustè cupiebant; vt videlicet integra sibi esset suarum Ecclesiarum administratio. Ad eam rem oportere in ipsorum potestate relinquere collationem sacerdotiorum, præsertim quibus adnectitur animarum cura, & causarum in primo iudicio cognitionem, ac ius in commissum sibi gregem, tot immunitatibus abrogatis. Si hoc fieret, videri sibi nihil pertimescendum, ne Synodus in seditiosam controuersiam prolaberetur, de prærogatiua inter se ac Romanum Pontificem; cùm Antistites & obsequium erga ipsum præ se ferrent, & satis intelligerent, ad hæreticos deprimendos haud sanum esse consilium, se abscisso capite ceu truncum reddere: eos ipsos qui petierant importunè Inscriptionem, quâ Synodus Vniuersalem Ecclesiam repræsentare diceretur, id planè non nisi de Synodo intellexisse, Pontificem vti supremum Principem complectente. Ceterùm ipsis memorati Diplomatis tenor haud plenè rei sufficere visus est, vt fusiùs mox dicemus. Legatorum monita Paulus probauit; * eisque rescripsit, ea omnia meliorem in formam redigenda: Episcopos verò liberam Ecclesiarum administrationem consecuturos, modò nomine *libera* solutam à gubernatione Sedis Apostolicæ minime intelligerent; & modò eam iurisdictionem postularent, quâ illis opus esset ad exercendum minoris, non supremi Præsidis munus, vnde in monstrum mille capitibus varium Ecclesia degeneraret.

* Literæ Legatorum, 7.Martij 1546.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 23.Martij 1546.

CAPVT XIV.

Disputatio & consensio de formando Decreto pro recipiendis sacris Libris ac Traditionibus.

1 HÆc de reformandis moribus agebantur. At de dogmatibus, huiusmodi à Legatis Decreti forma proposita est: * Recipiendas simul esse cum sacris Voluminibus eas Traditiones, quas Apostoli acceperant vel ab exteriori Christi voce, vel ab interiori Sancti Spiritus afflatu, & quæ ad eam vsque ætatem fuerant propagatæ. Fuit qui opposuit, eam ita restrictam acceptionem obnoxiam fore ludibriis hæreticorum, qui iactarent, eas nobis solùm

* Cœtus Generalis de hac re habiti, 27.Martij & 1.3.5.& 7.Aprilis.

1546. Traditiones probari quæ placuissent, ceteris per voluntariam desuetudinem deletis: id quoque in Maiorum exprobrationem casurum, qui aliquas excidere passi essent, quamquam à cælesti Legislatore sibi relictas. E contrario Seripandus existimabat, eam receptionem iusto ampliorem: quippe quæ Apostolicos etiam Canones complecteretur, in quorum postremo liber Ecclesiastici, qui vt canonicus ab illo Decreto agnoscebatur, connumeratus fuerat inter eos, qui à iunioribus ad alendam pietatem legi possent; atque ita obliquè admittebatur vt conducibilis, non vt canonicus.

Hæc tamen obiecta maiorem Patrum partem à sententia minimè dimouerunt. Cõsiderabant siquidem contra primum obiectum, Traditiones in eo Decreto connecti cum sacris Literis, eò quòd vtræque pariter fundamenta Fidei essent, adeoque diuinitùs inspiratæ. Inter eas contineri quasdam spectantes ad mores, & à Deo non ceu leges immutabiles Apostolis traditas, sed vt illis temporibus congruentes. Quod ipsum pariter innotuerat ex Ecclesiæ Traditione, falli nesciæ ob Dei eam regentis tutelam, & ex humana etiam verisimilitudine, impotentis confingere, posito innumerabili testium numero quibus conflatur. Non igitur ex incuria, sed omnino cum ratione potuisse posteros omittere huiusmodi leges; proinde nec eas in præsentia cunctas ab Ecclesia restituendas. Seripandi dubitationi responsum: Postremum Apostolorum Canonem inter eos apertè recenseri, quos Gelasius apocryphos appellat, propterea quòd in eo inter diuinas Scripturas reponantur Constitutiones Clementis, qui liber post ætatem Apostolorum conscriptus est. Idcircò Canonem illum, neglectâ comprobatione improbati Concilij Trullani, exemplo Carthaginensis ac Florentini, à Tridentino repudiandum. 2

Habebatur in Decreto, Scripturas sacras ac Traditiones *æquali pietatis ac reuerentiæ affectu* recipiendas. Hæc æquatio quibusdam, ac præsertim Bertano haud probabatur. Quamquam enim à Deo ambæ procederent, tamen cuicumque veritati commune est à primo vero proficisci; sed non ideò cuncta quæ vera sint, perinde atque sacræ Literæ, veneranda esse: noluisse Deum tantam impertiri Traditionibus firmitatem, cùm aliquæ desierint, adeoque nec tantam pariter venerationem. At Bituntinus, quem pars maior Patrum secuti sunt, respondit, Quamcumque sanè veritatem à prima dimanare; non tamen quodcumque verum, Diuinæ veritatis verbum esse; proinde neque singulis veris parem cultum habendum: at sanè tam Traditiones, quàm sacras Literas esse Dei verba, ac 3

prima

prima Fidei principia; sed solùm secundariâ quâdam conditione 1546.
inter se distincta, quòd illæ in codicibus scriptæ permanserint, hæ verò solùm in cordibus: Haud illis inesse discrimen quod assumebatur; vtramque veritatem esse immutabilem: sed è conuerso leges esse æquè mutabiles in vtrisque, perinde vt apparet in Circumcisione, & in aliis ritibus Veteris Testamenti. Mirum tamen illud fuit, eumdem Bituntinum, cùm pro se staret causæ probitas, vis rationis, & assectarum frequentia, discessisse in posteriori consessu à sententia feliciter à se propugnata, ac proposuisse, vt pro *æquali*, apponeretur *simili*; quod neutiquam comprobatum.

4 Acerbiùs in huiusmodi æqualitatem inuectus est Clodiensis. Etenim consideratis ab eo Traditionibus, non tamquam Diuinitus inspiratis, sed tamquam legibus; cùm earum pondus intolerabile sibi iudicaret, prout suprà enarratum, cùm ad eas vniuersè recipiendas deuentum est, exclamauit, Eam inter sacras Literas ac Traditiones æqualitatem impiam sibi videri. Id per horrorem admirationemque Patrum auditum; sed sedatè, donec ab omnibus prolata sententia: posteà dictum detestati sunt Antistites, Pacensis ac Britinoriensis, atque vt puniretur, efflagitatum. Persistebat in sententia Clodiensis: vnde primus Legatorum dixit, Videri sibi aduocandos Theologos, qui audito prius Decreto, ac posteà Episcopi rationibus, iudicium ferrent, an emendandum Decretum, an hunc puniendum iudicarent. Is ad huiusmodi classicum cœpit quidem pedem retrahere, sed non terga vertere. *Aduocentur*, inquit, *Theologi: ego impietatis accusaui non integrum Decretum, sed aliquas dumtaxat ipsius voces; & impij nomine haud hæreticum intellexi, sed inhumanum, quatenus nimis ponderosum onus nobis imponat.* Denique cùm se rationibus pressum animaduerteret, omniumque vocibus obiurgatum, vt qui inter postremos in dicenda sententia, arrogaret sibi cunctos tamquam impios arguere; id præstare potis fuit, * quod multi non præstant ex animi imbecillitate, quam falsò firmitatem existimant. Et antequàm indignatio in Patrum animos altiùs subiret, professus est angi se, ac pœnitere offensionis, per imprudentiam illatæ Patribus; obtulitque se reuerenter consensurum Decreto, quod tanti Cœtus auctoritas comprobasset. Vnde communi plausu venia illi data. Haud hîc reticuerim, aliquo pòst tempore suspiciones graues in rebus Religionis de hoc * Episcopo superuenisse; datumque Romæ negotium Angelo Massarello à secretis Concilij, tunc Bononiam translati, vt in ditione Veneta de Clodiensis causa inquireret. Sed fas est credere, insontem fuisse compertum; propterea quòd

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 5. Aprilis 1546.

* Vide Diarium Massarelli in Septembri anno 1548. & in Ianuar. 1549.

 post

1546. post aliquot annos Synodo sub Pio Quarto restitutâ non modò ille interfuit, sed à Legatis fructuosè [a] admotus arduis grauibusque negotiis; quibus admouendi non erant, nisi qui magno in pretio haberentur, non solùm ob pietatem studiumque Religionis, sed ob consilium atque prudentiam.

In excipiendis Diuinis libris, vt omittamus minoris momenti animaduersiones, optabant aliqui, [b] ne Psalmi generatim *Psalmi Dauidis* appellarentur, cùm ex multorum sententia ille non omnium auctor fuerit. Episcopus Feltriensis, qui Decretum per ea verba conceperat, respondebat, Illa ex Florentino Concilio à se excepta: addebatque Bituntinus, Totius appellationem desumi à maioris partis ratione. Plerique tamen censuere, [c] *Psalterium Dauidicum* potiùs nuncupandum. Sancitum prætereà, ne Acta Apostolorum post S. Pauli Epistolas, vt cogitatum erat, sed ante collocarentur. 5

Maior altercatio fuit de puniendis anathemate sacrorum Librorum, Apostolicarumque Traditionum violatoribus, vt habebatur in Decreto. Obstabat Seripandus, [d] illud anathema nec in Laodicææ, nec in Cathaginis, Florentiæque Conciliis, nec in Decretis Innocentij ac Gelasij reperiri; at summùm ex sententia Iudicis infligendum anathema, & non ex patrato statim crimine contrahendum: intentari quidem anathema in Decreto septimo Synodi à Gratiano relatæ; tamen ab eo [e] Canone haud pronuntiari violatores peculiarium librorum, sed omnium Traditionum generatim, seu scripto seu non scripto haberentur. Et quamquam censerent aliqui, verba conflati Decreti non significare anathema contrahendum nisi post Iudicis sententiam; obiectum tamen est, contrariam opinionem in eo sacri Iuris Pontificis Consultorum super eodem Canone septimo Synodi, esse communem, aduersus Alexandrinum Cardinalem, quem vulgò Præpositum nominant. Quare visum est, nihil ea in re Decretum immutandum; cùm articuli firmitudo, quo Fides vniuersa sustinetur, omnem verborum grauitatem postulet. 6

Magis placuit postrema Seripandi obseruatio; nomen scilicet violatorum nimis latè patere ac vagari, perinde ac si incurreret in idem anathema, quicumque præceptum quodlibet ex Apostolica Traditione ad nos delatum violasset. Et cùm subiiceret Materanus, eam vocem contineri pariter in septima Synodo, responsum est à Seripando, Recentiorum munus esse, quæ à veteribus ambiguè dicta sunt, reddere explicatiora: consuetudines quandoque cum laude mutari, quantò laudabiliùs verba? Vnde statutum denique, vt 7

viola-

[a] Vide lib. 17. cap. 8.

[b] In peculiari Cœtu 23. Martij, coram Ceruino, vt in monumentis Massarelli; & quæ deliberanda erant post hunc Cœtum, delata ad Generalem sunt, in libro monumentorum Seripandi.

[c] In Congregatione 1. Aprilis.

[d] In Congregatione citata 23. Martij, vt in Diario Massarelli.

[e] Can. *Si quis omnem.* primâ quæst. 7.

violatorum loco reponeretur, *in eos qui sacros Libros non acciperent, Traditionesq́ scienter contemnerent.* Quemadmodum ex elementorum certamine naturâ artifice pulchriora proueniunt, ita è conflictu mentium virtute artifice præstantiora Decreta proficiscuntur. 1546.

CAPVT XV.

Consultum abusibus sacrarum Literarum; variaque de ipsarum versionibus consilia.

1 DVm expendebatur Decretum de Scripturis ac Traditionibus diuinis recipiendis, consilia de remouendis abusibus neutiquam omittebantur. Communis erat sententia, Vulgatam editionem cunctis reliquis esse anteferendam. Sed in hoc postulabat Paceccus, * ceteras repudiandas, præsertim eas quæ ab hæreticis essent confectæ; quod etiam posteà ad Septuaginta Interpretum versionem ampliauit. Contrà Bertanus disputabat: Versionum varietatem semper apud fideles sanctis Patribus comprobantibus vsitatam. Quisnam ausurus prohibere Septuaginta Interpretum translationem, quâ vtimur in Psalmis quos decantat Ecclesia? Antiquitus, cùm fraus ac suspicio non adeò inualuerant, ne illas quidem quas hæretici ediderant, vti Theodocion, Symmachus, & Aquila, fuisse reiectas. Proinde haud fas esse, eas nunc proscribere; præsertim cùm illarum auctores tamquam hæretici solenniter promulgati non sint, adeoque nec ipsorum nomina hæreticorum pœnis subiaceant. Versionem vnicam vti legitimam agnoscendam quidem esse, reliquas neque comprobandas, neque improbandas. Satis hoc esse ad obstruenda hæreticorum ora, blaterantium, doctrinam Catholicorum legitimam esse non posse, cùm libri, quibus ceu fundamentis innitebantur, adulterinis versionibus conflarentur.

* In Congregatione 1. & 3. Aprilis.

2 Per eam occasionem dubitatum est,* An certum exemplar sacrarum Literarum, non modò Latinum, sed Hebraicum & Græcum constituendum, prout quibusdam placebat; quod Madruccius ad reliqua pariter idiomata deducendum putabat. Potior tamen pars censuit, satis esse id peragi in Latina versione, cuius sermo in regionibus vbi Christiana Religio efflorescit, & quibus per eas sanctiones consulebatur, à cunctis percipitur non idiotis, & ad sacras Literas interpretandas non ineptis; adeoque posse tamquam certam regulam adhiberi, ad discernenda in ceteris linguis sincera exemplaria à deprauatis.

* In Congregatione 3. Aprilis.

Supererat prospiciendum, quo pacto Vulgata editio mendis, quæ scripto-

1546. ſcriptorum vitio irrepſerant in pleroſque codices, purgaretur. Sed habita ratio eſt, * ne anſa præberetur hæreticis cauillandi, perinde quaſi dum reciperetur ſimul Vulgata, ſimul etiam declararentur ipſius exemplaria tamquam corrupta, liber idem comprobaretur eâdem operâ, ſimulque improbaretur. Quare Decretum ita conformandum putarunt: *Curandum eſſe, vt in poſterum Vulgata editio quàm emendatiſſimè imprimeretur.*

* Monente Belloca-ſtrenſi, in Cœtu peculiari coram Ceruino 23. Martij, in monumentis Maſſarelli.

3 Quò cautum eſſet ne prauæ ſacrarum Literarum explanationes prodirent, grauiſſimæ irrogatæ ſunt pœnæ cuicumque eas explicanti aliter quàm Eccleſia Patreſque ſentirent. Sed prudenter Clodienſis admonuit, id non de quacumque diuerſitate intelligendum, ſed de ea quæ illis repugnaret; cùm alioqui liceat è quouis Scripturæ loco nouam ſententiam elicere, vbi locus ille nec ab Eccleſiæ auctoritate, nec à Patrum concordi conſenſione certam iam interpretationem obtinuit. Quò huiuſmodi incommodo proſpiceretur, * auctor erat Giennenſis, interdicendam omnibus, qui magiſterium & laureæ teſſeram non obtinuerint, ſacrarum Literarum interpretationem: in qua ſententia promouenda ardenter conſtanterque ſe geſſit; ſed non minus ardoris & conſtantiæ offendit in Tridentino ſibi aduerſante, haud certè opportunum rato, fructuoſum explicandi verbi Diuini laborem ad hominum conditiones coarctandum, ad quas pietas ac doctrina minimè coarctatur. Videri ſibi, nihil typis in eo genere edendum ſine ſacrorum Cenſorum approbatione: cum hoc admitti poſſe dignas homine Chriſtiano contemplationes; perinde, vt cuicumque homini Chriſtiano ſcribitur cæleſte Verbum eiuſdemque meditatio, ſtudium eſt cuicumque Chriſtiano animo conſentaneum. Aderant vtriuſque ſententiæ ſtudioſi: ſed poſterior vicit, quippe & æquior, & acceptior Legatis, ægreferentibus, à Paceco quæſtiones proponi, quod ſuum ipſi munus exiſtimabant; vt in præterito Cœtu eum * admonuerant.

* In Congregatione 3. Aprilis.

* 1. Aprilis.

4 Euentu feliciori propoſuit Madruccius, nullam Scripturæ interpretationem accipiendam, cuius auctor ignoretur. Obiiciebant aliqui, Modò probaretur fructus, parum referre, à quanam arbore prodiiſſet agnóſcere. Sed ex oppoſito perpenſum eſt, auctorem non occuli, niſi metu pœnæ, vel infamiæ ex opere noxio ſubeundæ. Multis dapibus ineſſe venenum ad certam diem, quod non niſi inflictâ lue pateſit: qui ſuſpicatur inſidias, oblatis ab incerto cibis haudquaquam veſci. Dum auctor ſuum nomen apponit, ipſummet quodammodò prælibare quod propinat; adeoque caput ſuum obiectare vituperationi ac ſupplicio, vbi peſtilens deprehendatur.

De

5 De Typographis decretum proximæ Synodi Lateranensis confirmatum est, & pœna ibi statuta, si quando absque Ordinarij facultate libros imprimerent. Non tamen defuerunt Patres, * qui curam hanc Ordinarijs haud vniuersè demandandam putabant; quorum multis doctrina deesset ad iudicandum, multis animus ad resistendum. Ex altera parte nimis graue visum est, Scriptores adigere ad suos libros Romam mittendos, quò à viris à Pontifice designatis prælegerentur. Vnde ab eo vsque tempore de hoc munere Fidei Quæsitoribus communicando agitatum est. Nullius herbæ feracior est terrestris Orbis, quàm corruptelæ; nulliusque herbæ copiosior messis fit, quàm corruptelæ, ab eo cuius est eam colligere; ob voluptatem, quâ sibi quisque blanditur, dum aliena obseruat menda, agitque suæ communitatis censorem. Quapropter immensus corruptelarum catalogus à designatis Patribus * proferebatur; ac pro se quisque cupiebat, vt ab se obseruata prima Sessio emendaret. Sed cùm totum perfici nequeat, sæpè contingit fieri nihil. Tanta rerum congeries tam angusto tempore digeri haudquaquam poterat; ac proinde integra in aliud tempus * seposita est: iam enim indictus Sessioni dies fores pulsabat; nec par erat eam prorogare, auctâ præsertim Synodo & Oratore Cæsareo, & accessu multorum Antistitum ex Hispania, Græcia, & Italia. Solum itaque additum est, quînam vitanda esset praua consuetudo sacræ Scripturæ minùs reuerenter interpretandæ. Singuli abusus auferri quidem possunt; omnes, plurimique non possunt: & dum mortales rigido vnius interdicto coarctantur, corrupto mortalium ingenio permittendum, vt in alterius exercitatione laxetur. Hominum turba, quæ modò hunc, modò illum diuisim considerat, adeoque singulos ceu medelæ capaces animaduertit, labitur in sophismata, ex ambiguitate sententiæ colligentis ac distribuentis: adeoque vniuersos abusus gubernantium socordiæ assignat.

1546.

* In Congregatione, 5. Aprilis.

* In Congregatione 5. Aprilis.

* In Congregatione, 5. Aprilis.

CAPVT XVI.

Congressus vltimus Generalis. Toletanus excipitur. Sessio quarta: eius exitus.

1 PRidie Sessionis indictæ iterùm conuocatus est generalis Conuentus, quò postrema imponeretur manus Decretis die postero sanciendis. Prætereà iussus est Synodi Promotor absentium contumaciam accusare; cùm indignum videretur, quosdam adeò propinquos, vt pænè à Tridentinis fenestris prospectarentur, segni-

1546. ter oscitanterque se gerere ad Pontificis indicentis imperium. Obstitit vehementer Tridentinus, affirmans, Germanos saltem excipiendos, quos meritò excusabant Comitia Ratisponensia, quibus tunc aderant, Religionis causam & ipsius Concilij sustentantes. Aduersus hæc responsum est, Tunc sanè non agi de ferenda in quemquam sententia, imò nec de vllo nominando: tantummodò Promotorem suo functurum munere generaliter in absentes; neque Concilium posteà, nisi per summam æquitatem, maturamque deliberationem ad damnationis sententiam progressurum. Asturiensis excepit, non posse absentes legitimè accusari tamquam contumaces, nisi denuò accerserentur: etenim, cùm Synodus constituto à Diplomate die aperta non fuerit, eos indictæ celebrationis lege non obstringi. Sed ab Auditore Pighino, & Aduocato Grassio responsum: Indictæ Synodi Diplomate nō obstringi solùm ad illius initia celebranda, sed ad eiusdem actiones prosequendas: adeoque qui Synodi apertioni non adfuit, eumdem adhuc nouâ obligatione teneri ad illam postmodum adeundam; & quò ampliùs cunctabantur, eò grauiorem noxam contrahere: nihil igitur præteritam inceptionis moram obstare imposito per primum Diploma mandato interueniendi Synodo, donec aperta persisteret.

In hoc cœtu decretus est tenor responsionis reddendæ Toletano 2
Cæsaris Oratori, qui iam aderat. Is aliquot antè diebus Patauio regressus, Præsides iterùm inuiserat, eisque * grates egerat pro designato ab ipsis sibi loco in Sessionibus; qui erat peculiare subsellium supra cunctos Patres, quasi ex aduerso Legatorum, cui adiectum erat scabellum, duorum hominum capax, in quo videlicet ipse cum futuro collega genua flectere, & inniti posset; de quo prius * cum Tridentino conuentum fuerat. Nec destitit, dum eos inuiseret, oblatam sui Principis, ac suo nomine amplissimam operam iterùm polliceri. Deinde adiecit, Se permolestè audiisse, Præsules aliquos ex Cæsaris ditione non exactâ interdum vsos modestiâ in congressibus: subdiditque: Si Legatis probaretur, velle se cœtibus interesse, quò illos in officio præsens contineret, cunctisq; patefieret, esse Cæsaris voluntatem, vt qui suæ ditionis aut clientelæ essent, exemplo reuerentiæ erga Pontificem Sedemque Apostolicam ceteris prælucerent. Legati gratias humaniter agentes responderunt, Reuerà Patres, Cæsari subiectos, potuisse nonnumquam se consideratiùs gerere; tamen non nisi laude dignos generatim existimandos esse, propter obedientiam quâ Legatis Pontificiis obsequebantur: nihilominùs si collibitum ipsi foret generalibus cœtibus adesse, sibi gratum futurum.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 4. Aprilis 1546.

* Monumenta Massarelli.

Placuit

3 Placuit itaque Toletano, die 5. Aprilis publicè primùm interuenire consessui. Præstolabatur in conclauibus Legatorum, donec aduocaretur à cœtu. Postquam illi retulerunt ad Patres Oratoris postulatum, à tribus Episcopis eò deductus est. Ibi recitatis Cæsareo mandato, & iis quæ ipse proposuerat, perhonorificè responsum est; sed additum, Ne displiceret, si quemadmodum ipse meditatè & scripto suam Orationem exhibuerat, ita Patres idem agerent respondendo. Fuit in peculiaribus cœtibus die sexta decreta responsio. * Vnde in Conuentum diei septimæ iterùm deductus Orator; fuitque coram eo ac Patribus perlecta responsio, & comprobata, quæ in Sessione crastina solenniter redderetur. Statutum quoque ibi fuit, vt futura postmodum Sessio 17. Iunij celebraretur, hoc est, quinta feria post solennia Pentecostes. 1546.

* Monumenta Massarelli.

4 Postridie petiit à Legatis Orator, vt Decretum de accusanda absentium contumacia omitteretur, ne fortè Cæsar id sibi offensioni verteret. Hanc petitionem ipsi arbitrati sunt à Tridentini consiliis profectam, dubitantis, ne quid ob eam accusationem sui Germani turbarentur. Verumtamen cupientes Præsides omnem abalienandi Oratoris causam, etsi iustam, leuem etiam amouere; re priùs quàm Templum adirent, cum ipso Tridentino & Paceco, ac deinde cum pluribus Episcoporum ipsos comitantium communicatâ, ex plurimorum sententia, & Gallorum præcipuè, Massarello imperarunt, vt in legendis Decretis illud præteriret. Vbi in sacram Ædem conuenêre, solenne Sacrificium habuit Archiepiscopus * Turritanus; Generalis Seruorum Præses Latinè perorauit. Tum confecta Decreta paucis reclamantibus comprobata: nam cuncti absolutè consenserunt, pauculis exceptis, quos hîc subiicimus. Episcopus Caputaquensis dixit, Placere sibi Decretorum sententiam; obliquè significans, titulum non placere: Fesulanus consuetam de Inscriptione schedulam protulit: Pacensis, & Petrus Augustinus Oscensis, qui nuper accesserat, responderunt, Ea sibi probari, modò liberum esset Concilio epigraphen addere, *repræsentantis vniuersalem Ecclesiam*, vbi ipsi videretur. Clodiensis non vsus est voce consuetâ *Placet*, sed, *obediam*, indicans quæ paucis antè diebus dixerat in congressu, cùm improbabat æqualem pietatem sacris Literis ac Traditionibus exhibendam: aduersus quam æquabilitatem aliquid etiam significauit Victor Superantius, Bergomensis Episcopi adiutor.

* Suauis dicit Italicè, *di Torre*; deberet dicere, *di Sassari*; cui Latinum nomen datum à veteri vrbe Turri, iam diruta.

5 Plus murmuris excitauit * silentium Decreti, de absentium contumacia accusanda, multis improuisum. Etenim inter Patres querulus susurrus increbuit, quasi Legati arbitratu suo semel in con-

* In Actis.

Ffff 2 grega-

1546. gregationibus statuta mutarent: quare à Promotore de re admoniti. Nec sanè ipsis displicebat, per eam opportunitatem quasi compelli ad promulgandum Decretum, bonâ Cæsarianorum pace; & rem illis renuntiari iusserunt: sed Orator cum Paceco ac Madruccio institêre, ne legeretur Decretum. Proinde Patribus publicè exposuerunt Præsides, viros summæ sapientiæ & auctoritatis, & præcipuè Toletanum Cæsaris nomine, consilio ac precibus sibi suasisse post congressum, vt Decretum illud omitterent, se verò ex Purpuratorum Madruccij ac Paceci, multorumque Patrum sententia consensisse. His auditis, tumultus simul cum suspicione deferbuit; & à Patribus laudata est Decreti prætermissio, exceptis paucis, cupientibus vt saltem Italicorum contumacia accusaretur: sed à plerisque animaduersum, in communi causa Nationis discrimen habendum non esse. Postremò recitata sunt mandatum Cæsareum legationis, Oratoris postulatio, & Concilij responsio. Ea verò aperta commotio ex vmbra tam tenui, quæ velut argumentum haud perfectæ concordiæ tunc quidem displicuit, pergrata postmodum euasit, vt perfecta libertatis comprobatio: quemadmodum paulò antè contigerat in nigro calculo, apertè collato aduersus electionem magni cuiusdam ciuis in suæ Reipublicæ Principem.

CAPVT XVII.

Suauis labes, in his recensendis. Responsio ad eius obiecta aduersus editionis Vulgatæ Decretum. Quid inter Legatos, ac Romæ ad hanc rem delectos agitatum.

EX tot casibus negotiisque memoriâ dignis, quæ per legitima testimonia recensuimus, vix sextam partem apud Suauem reperies, eamque mendis plurimis deprauatam. Exemplum proferam. Iussio Pontificis, quâ Legatos vetabat disputationem de Pontificia potestate permittere, & eorum ad hoc responsio à nobis iam adducta, à Suaui profecta dicuntur ex eo, quòd Pontifex memorata Sessionis Decreta perlegerit; tametsi reuerà multis antè diebus & iussio Tridentum peruenerit, & responsio Tridento remissa fuerit. Pro sua deinde libidine variorum sententias Theologorum recenset, nullo prorsus adducto ad id testimonio: at mihi affirmare licet, magna ex parte ne vmbram quidem illarum sententiarum à me deprehensam in tanta Commentariorum copia, quæ legi. Sed fabulatorum narrationes hoc planè decet, parum historiæ, pluri- 1

plurimum figmenti. Aliquam fidem mereretur de iis quæ per Germaniam Lutherani dixere, cùm verisimile sit, suæ cuique factionis res exploratas esse: sed aliàs per me ostensum est, ingenij alieni gloriæ liberaliter à Suaui donari id quod suo marte procreauerat. Vtut res habeat, expendamus ea quæ ipse narrat obiecta vel Tridenti à Catholicis, in sententiis dicendis, vel in Germania ab hæreticis, in probris aduersus memorata Decreta iaciendis. 1546.

2 Oppugnant eorum præcipua Vulgatam interpretationem. Dicit, ab Aloysio Cataneo, ex Prædicatorum Ordine, adductam fuisse sententiam Caietani, cui videtur hîc Suauis, homo nempe religiosus, velle eam laudem restituere, quâ ipsum fraudauerat, vbi ceu imbecillum aduersarium contra Lutherum induxit. Ea erat; Hebraicam locutionem in Veteri Testamento, & Græcam in Nouo intelligere, idem esse, ac Dei verba falli nescia intelligere; at intelligere locutionem Latinam, idem esse ac verba interpretis intelligere, haud falsitatis immunia.

Quod attinet ad Caietanum, qui eum ex editis in sacras Literas Commentariis æstimat, perinde sese habet, ac qui non ex pennis, sed ex pedibus pauonis pulchritudinem æstimat: nempe accidit, vt hominis præcelsa mens, in aliis quidem operibus admirabilis, in his ducem secuta, Hebraicæ magis Grammaticæ quàm diuinæ Sapientiæ gnarum, iacuerit ingloria. Quin in eos Caietani Commentarios commotus Gabriel Prateolus Episcopus Claromontanus, ipsum inter hæreticos connumerauit; & quamuis iusto seuerior fuerit ea censura in virum adeò pium atque illustrem, certè illius interpretationibus nullus datus est nec ab hæreticis nec à Catholicis plausus. Suauianam argumentationem per seipsam expendamus, quæ gigantis quidem speciem præfert, sed ex eo gigantum genere, qui nubium concursu conflati, viuidâ Solis luce difflantur. Suauem percontabor.

3 Voluitne Deus, vt Diuinæ Literæ norma sint certissimæ veritatis paucissimis hominibus, imò nemini, an Ecclesiæ vniuersitati? Præ ceteris quidem Suaui, suisque Lutheranis necesse est, eas vniuersitatis normam affirmare, quippe quamcumque regulam externam præter sacras Literas recusantibus. Iam verò si res ita est, coarctari non potuit Scriptura legitima ad duo idiomata, quorum coniuncta cognitio, in ea præstantia, quæ ferendæ ritè sententiæ satis esset, à nostræ salutis exordio ad hanc vsque diem constiterit in paucissimis, vel potiùs in nullo mortalium. Dixi, *vel potiùs in nullo:* etenim in veteri apud Hebræos ratione scribendi, prout communior

1546. fert sententia, puncta non aderant, quæ nostris vocalibus literis citra ambiguitatem definitè respondent; sed solæ literæ, quarum aliæ per certam minimeque ambiguam significationem solùm consonantes sunt; aliæ per disiunctionem variis respondent vocalibus, simulque etiam alicui consonantium. * Habent prætereà quædam Hebraicæ consonantes tantam inter se figuræ similitudinem, vt euitari non potuerit, quin scribarum imperitia & incuria per aliam atque aliam ætatem ediderit exemplaria multis mendis corrupta, sententiam vitiantibus. Quapropter tam clara tamque certa est Hebraici exemplaris interpretatio homini illius linguæ perito, quàm foret Latini codicis, absque certis definitisque notis, sed ambiguis dumtaxat, ac per disiunctionem vocales varias, & quasdam etiam consonantes significantibus, & prætereà multis erratis deprauati, linguam Latinam callenti. Quin eò planè minùs, quò reuerà maior est intelligentia Latini sermonis in quocumque mediocri Grammaticæ doctore, quàm Hebraici in quouis illius penitiùs intelligente. Et si quid amplius quisquam venditat, ideò fidenter venditat, quòd iudices idoneos haud formidet, qui suam venditationem damnerit. Quod verò spectat ad Nouum Testamentum,* quod maxima saltem ex parte Græcè conscriptum fuit, Græca exemplaria, quæ nostrâ ætate supersunt, mendorum non leuium multis in locis reuincuntur ex iis quæ afferunt sancti Patres, desumpta iam ab illis libris, dum magis incorrupti extabant adhuc in exemplaribus minùs remotis, minusque discrepantibus à legitimis autographis. Quare nunc illa Græca exemplaria haud idonei testes sunt ad redarguendam versionem tam diuturno tempore ab Ecclesia receptam. Denique quis est in præsentia, qui sibi arroget & exquisitiorem illarum literarum intelligentiam, & acrius iudicium, & emendatiores codices iis, quæ S. Hieronymus obtinebat, qui, si non auctor, certè restitutor fuit nostræ Vulgatæ? Itaque si Vulgatam intelligere, idem est ac intelligere non Dei verbum, sed hominis ab errore non immunis; multò magis id eueniet in ea interpretatione, quâ pro suo quisque ingenio, quantumuis in Hebraica lingua versatus, Hebraicum codicem explicabit. Prætereà si huiusmodi rationi pondus inesset, oporteret credere primo tantummodò autographo sacrarum Literarum, quod à primis auctoribus exaratum fuit, hoc est, à Prophetis, ab Euangelij Scriptoribus, ab Apostolis. Nam qui legeret ab aliis exscripta, non legeret verbum Dei, sed hominis qui exscripsit, ac falli potest & fallere. Quamobrem satis liquet, in hoc vniuerso genere ad Diuinam prouidentiam confugiendum esse; quæ

* Vide post alios Serrarium in prolegomenis Bibliorum, in quæstiuncula cap. 3.

* Vide Serrarium citatum, in quæst. vnica cap. 13.

quæ cùm & sapientissima sit & potentissima, vbi finem sibi præ- 1546.
scripsit, quidquid ad eum obtinendum necesse erat pariter præstitit. Ita videmus, cùm à Deo tamquam rerum naturalium gubernatore curandum esset, vt homines certam obtinerent notitiam eorum quæ ad ciuilia commercia opus forent, opportuna ad id adiumenta ab ipso esse constituta; atque hinc effectum, vt suus cuique proprius character inesset, & qui difficulter ab alio exactè simulari posset: vt publicorum monumentorum custodes, tametsi non rarò pauperes & abiecti, rarò ad fraudem agendam inducantur: vt bini testes rarò conueniant ad mentiendum: quoniam totum id & necesse simul & satis erat illi generi vitæ ac regiminis, quod Deus in hac Republica destinauerat.

4 Cùm igitur ipse voluisset in Fide quamdam firmitudinem non solùm moralem, vt vocant, sed absolutissimam, nulliusque falsi capacem; oportuit, vt suâ prouidentiâ, naturæ ordinem superante, quodcumque erroris periculum amouerit ab iis rebus, quæ huic Fidei fundandæ opus erant, arceretque ab illa quodcumque prudentis dubitationis initium. Et quoniam Fidei cardo verbum Diuinum est, quod per ipsam Dei linguam in omnium aures absque interprete immittendum non erat; par fuit, vt suos ipse Nuntios constitueret, qui in eo exercendo munere falli non possent. Sed quando nec his pariter licebat in aures omnium vocem fundere, nec exemplar conscribere omnium oculis exhibendum; opus fuit Diuinæ prouidentiæ, eâ se quasi cautione obstringere, ne in huiusmodi Scripturarum diffusione menda permitteret, quæ per accuratam collationem humanamque solertiam tolli non possent, in iis saltem mysteriis, quæ Deus voluerat vt innotescerent Ecclesiæ suæ, & ab ea per firmissimam Fidem crederentur. Quò autem id aptè curaret, euitaretque omnem sententiarum ambiguitatem, & quamcumque aliam dubitationem, designandus fuit in terris manifestus Interpres, qui deberet quidem in hoc eam impendere diligentiam, quam patitur humana conditio, ne Deus ad prodigiosas inspirationes compelleretur; sed simul ita regeretur interius, vt in hoc ipso præstando illis erroribus haud esset obnoxius, quibus in aliis negotiis, adhibitâ quacumque studiosissimâ industriâ, subiaceret. Is autem interpres ipsa est Ecclesia, & ipsius Caput.

5 Necessarium quoque fuit, vt cùm idiomata mortalium variarent, ac de remotioribus ab vsu tenuis superfit notitia, cuiusmodi ea sunt quibus sacrosancta Volumina vt plurimum conscripta fuerant, perpetuò certa quædam versio maneret in sermone plurimis cognito,

1546. cognito, cunctis mendis purgata, deprauantibus id, quod Deus cultoribus suis certo Fidei assensu credendum præciperet. Non est tamen necesse, hanc versionem omni liberam labe, Diuina verba peruertente, vnicam prorsus esse: hinc noluit Concilium cunctas reliquas à Vulgata distinctas improbare; idque prudenti consilio. Etenim antequam Vulgata perficeretur, cùm adhuc apud perpaucos esset peritia vtriusque linguæ autographa complectentis, oportuit eam expositionem, quâ tunc vtebatur Ecclesia, intaminatam pariter esse, puramque corruptionibus memoratis, tametsi de reliquo minùs correctam. Quare si etiam nunc ea perstaret, mereretur pariter nomen legitimæ versionis, quamuis alioqui minùs perfecta quàm Vulgata. His positis, diiudicare, cuinam vel quibus inter varias interpretationes insit ea corruptionum vacuitas Diuina Oracula deprauantium, adeoque nomen legitimæ debeatur, munus pariter est illius Interpretis, Diuinorum verborum erroribus immunis à Deo inter homines constituti. Iam verò Ecclesia primò quidem per vsum diuturnum, seu docendo, seu concionando, adhibitâ translatione Vulgatâ, cœpit eam tacitè comprobare; posteà, quoniam opus erat, vt in sententia ferenda de tot rerum capitibus aduersus pertinaces hæreticos & cauillatores, omnis abstergeretur dubitatio de fundamentis futurarum decisionum, vt rectè loquitur Tridentinum Decretum, de quo nunc agimus, voluit freta ope diuinitus promissâ Sancti Spiritus sibi adfuturi, legitimam & certam declarare Latinam aliquam sacrarum Literarum versionem; cùm Latina locutio sola esset vniuersè cognita cunctis hominibus Theologiæ peritis, adeoque idoneis ferendo de dogmatis Fidei iudicio: cumque id per humanam solertiam peragendum esset, existimauit Concilium, per eam sibi non licere tunc aliam ex interpretationibus comprobare, quàm Vulgatam; quippe quæ ceteris auctoritate præstabat: & cùm eadem à S. Gregorij ætate ad hæc vsque tempora ab Ecclesia generatim fuisset vsurpata, & vnanimi consensu adhibita à præclarissimis eiusdem luminibus Isidoro, Beda, Remigio Alcuino, Fortunato, Rabbano, Anselmo, Bernardo, Haymone, Riccardo, Hugone Victorino, Petro Cluniacensi, Ruperto Abbate, aliisque innumeris Doctoribus; ad supremam Dei prouidentiam pertinebat, illam immunem erroribus in rebus Fidei morumque præstare, quò pariter immunem seruaret Ecclesiam, illius vsuram auctoritate. Animaduertit etiam Synodus, vbi huiusmodi ratio non sufficeret, frustrà futuram omnem operam quæ de nouo collocaretur, ad eiusdem dubitationis incommodum euitandum: positâ præsertim apud homi-

homines tam tenui atque incertâ notitiâ ſermonis Hebraici, tum punctorum defectu, qui creditur in originariis exemplaribus fuiſſe, adeoque penuriâ notarum, per quas vitaretur crebra ambiguitas ac dubitatio, vtrum hæc an illa vocalis eſſet apponenda; quæ vocales baſes dictionum ſunt, adeoque ſententiarum: poſitâ item characterum Hebraicorum ſimilitudine, quæ pariter origo eſt ſignificationis ancipitis, deprauationiſque in longiſſima exemplarium ſerie, aliorum ex aliis exſcriptorum, vti iàm ponderauimus. 1546.

6 Quod ſi Canon, ***Vt veterum***, diſtinctione nonâ præſcribit, vt Hebraicus codex ad Vetus, Græcuſque ad Nouum Teſtamentum intelligendum adhibeatur, cui Canoni, tametſi non deſumpto à S. Auguſtino, vt affirmat Gratianus, ſed à S. Hieronymo in Epiſtola vigeſimaoctaua ad Lucilium Beticum; conſentit tamen S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 14. & 15. & lib. 11. contra Fauſtum cap. 2. idemque Hieronymus confirmat in Epiſtola ad Iuniam, & Fretelam; quid tandem hoc refert? Præterea, nondum eo tempore ab Hieronymo Latinam ſuam Expoſitionem fuiſſe digeſtam: adeoque poſtmodum in ſecundo Bibliorum prologo eumdem haud ita locutum: quod aptè notat Gloſſa in laudato Canone, ***Vt veterum***. Sed certum eſt, confugiendum Hieronymo fuiſſe in elaboranda Latina verſione, ad duos illos primæuos codices: nunc verò in eam ætatem deuenimus, quâ interpretatio, ſi ab Hieronymo non confecta, certè ab eo reſtituta, per multa ſæcula ab Eccleſia recepta eſt, ac proinde ſibi auctoritatem obtinuit à comprobatione Diuina. Sed vt etiam SS. illi Patres idem hodie ſcriberent, quid inde aduerſus Tridentini definitionem conficeretur? Num fortè inficiamur, in editione Vulgata multa eſſe ambigua, obſcura multa, quibus lux affundatur à Bibliis primorum idiomatum? Nónne illorum ope Catholici interpretes paſſim vtuntur? Non id etiam proximè poſt Concilij Decretum egerunt, quin & adhuc perdurante Concilio? quod palàm facit, id non opponi ſententiæ Patrum Tridentinorum. Aliud eſt, affirmare, verſionem aliquam eſſe legitimam, hoc eſt, neque datâ operâ corruptam in quacumque parte, quantumuis minima, & ad præcipuam rei ſententiam non ſpectante, neque vmquam planè ex inconſiderantia ab archetypo difformem in iis quæ rem conſtituunt: aliud verò, affirmare, eidem ineſſe omnem claritatem, omnem vim, omnes alludendi concinnitates, quæ inſunt archetypo. Primum de Vulgata Tridenti definitum eſt: alterum præſtari per nullam tranſlationem poteſt; cùm ſingula idiomata ſuis propriis dicendi rationibus & excellant inuicem & deficiant:

1546. vnde in multarum dilucida explicatione rerum, alterum alteri respondere non valet.

7 Hinc diuinæ prudentiæ consilium fuit, quò simul verbo suo perennem vitam in Paginis seruaret, simulque diuinitus non impediret mutationem linguarum, quæ suapte naturâ, sicuti reliqua terrestria, variationi subiacent, non quidquid sacræ Literæ complectuntur, constituere tamquam dogma necessarium, vt innotescat Ecclesiæ suæ; cùm ibi multa loca supersint vel maximè dubia, & alia non minùs obscura, quæ probabile est, ita per omnem mortalium ætatem permansura. Articuli quoque necessarij non certis indiuiduisque vocibus à Deo restringuntur; sed huiusmodi conditionis sunt, vt vim & pretium habeant, non tam ex numero quam ex pondere, vt ita dicam, pecuniæ: quod numquam variat ex quacumque permutatione; & secundùm quod solùm ab interprete fidelis expositio requiritur: quod Marcus Tullius in vertendis Latinè duabus Orationibus contrariis Demosthenis & Æschinis, à se præstitum gloriatur. Idipsum effecerunt Septuaginta Interpretes in sacris Literis Græcè reddendis; * quod patet, si hæ cum Hebraicis conferantur, quod & ab explanatoribus obseruatur. Quid plura? Quò nos doceremur, Diuinum consilium in sua Fide sacris Oraculis statuenda, aliud quàm hoc idem non fuisse, ipsi auctores Diuinorum librorum, quos sancto Spiritu dictante scripserunt, non semper eadem facta dictaque commemorant cum iisdem prorsus conditionibus, certisque omnino verbis, quibuscum euenēre; sed interdum satis habuerunt cum præcipua rei summa concordare. Quod in causa est, vt viderentur nonnumquam Euangelij scriptores inter se discrepare in eiusdem rei gestæ narrationibus; quod SS. Patres ac recentes interpretes sæpè annotarunt.

* Vide Pagninum in Isagoge cap. 9. 10. & 11. & Hieronymum ibi citatum.

Vide de hac re optimè scribentem Sixtum Senensem, in sua Bibliotheca Sancta.

8 Quoniam itaque verbum nullum in illis libris exaratum fuit absque Dei afflatu, adeoque absque significatione alicuius peculiaris veritatis, & absque alicuius altioris magisterij documento; ad has veritates & mysteria detegenda, quorum certam distinctamque notitiam in Ecclesia non quæsiuit, sed voluit vt in suo verbo lateret inexhausta vena, conferre plurimum valet linguarum intelligentia, quibus primò Diuina verba consignata sunt. Nullam igitur vim habet popularis illa ratio, quam affert Suauis: Si editio Vulgata proba est & legitima, ergo reliquæ malæ sunt, & insipienter iis vtimur. Mendosa enimuerò collectio! Fac, historia vel quæuis alia Latina scriptio magni momenti Italico sermone mediocriter exponatur; si ea Italica expositio fidelis sit, legitima dici poterit, adeoque idonea

iis

iis litibus diiudicandis, quæ à rebus præcipuis ac momentosis in ea 1546.
contentis dependent; sed non idcircò elaborari non poterit alia pariter Italica versio magis viuida, magis propria, magis dilucida vel in totum vel ex parte, quæ multa auctoris acumina explicet atque allusiones, in alia versione minimè declaratas.

9 Neque quidquam amplius eo, quod hîc dicimus, Decreti Tridentini verbis ex necessaria ipsorum vi Vulgatæ tribuitur. Atque in hanc sententiam illa sunt interpretati, ac declararunt præstantissimi Theologi, etiam ex iis qui Concilio interuenere, & à me mox afferentur; non quòd in animo mihi sit iudicem agere vel patronum huius vel illius interpretationis, sed vt ostendam, quicumque impugnat arctiorem & absolutissimam conformationem expositionis Vulgatæ cum locutione Diuina, impugnari ab eo peculiarem Theologorum classem, non Ecclesiam Catholicam vniuersam, in qua interdictum non est cum altera classe sentire, minùs arctè Decretum interpretante, vtpote nixa ipsius verbis, quæ simpliciter authenticam illam versionem appellant; simulque præcipiunt, ne illa in concionibus, néve in prælectionibus, aut in commentationibus reiiciatur. Quod sanè statuit, ipsi errores non inesse ad Fidem moresque pertinentes; ac prætereà in eadem nec fraudem, nec apertam discrepantiam, ne minimam quidem à Diuina scriptione, nec vllam secum ipsâ repugnantiam contineri; in quibus illa si deficeret, nec authentica esset, nec digna quæ ab Ecclesia reciperetur. Non minoris quoque temeritatis esset, quamcumque è reliquis interpretationibus Vulgatæ ex toto præferre: propterea quòd cùm apertis verbis declaret Synodus, à se hanc ceteris anteponi, & inter omnes vnicam à se suscipi tamquam legitimam; vel ipsa omnium optima est, vel imprudenter egit Ecclesia in rei tanti ponderis electione: quod affirmare impium foret.

10 Quod autem Vulgata translatio exemplari primæuo per omnes leuiores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinauerit, vel in certa arbore, vel in certa animante, pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia; quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia. Etenim, vti dicebam, Decretum minùs arctè intellectum est ab auctoribus compluribus qui Synodo interfuêre, vel cum iis qui interfuêre sunt collocuti. Satis nobis sit aliquot adducere; ac primò quidem doctissimum Andream Vegam, qui aderat eâ tempestate in Concilio, quique, tametsi inter Theologos Consiliarios, non verò inter Patres suffragium ferentes recenseretur, fuit tamen magna cum opinione sapientiæ auditus. Suum ipse iudi-

1546. cium protulit per eam planè sententiam, quæ à nobis explicata est, & ab ipso Suaui refertur: idemque posteà in suis libris [a] testatur, Patres id voluisse, & hoc ipsum sibi fuisse à Ceruino Legato significatum; quod eo adhuc viuente Vega typis vulgauit. Huic accedunt Melchior Canus, Canariensis Antistes, [b] qui paucis pòst annis adfuit Concilio sub Iulio Pontifice, & [c] Didacus Payua ab Andrada, qui sub Pio ibidem adfuit; & vtrique licuit sciscitari à compluribus, quænam fuisset Patrum mens Decretum illud conficientium. Nec minùs eruditissimus [d] Gibertus Genebrardus, qui per eadem vixit tempora, & proculdubiò sermonem habuit cum auctoribus Decreti. Ac de hoc post multos sapienter disputarunt [e] Nicolaus Serrarius, & [f] Iacobus Bonfrerius, vterque Societatis IESV, quorum prior multos alios adducit, & oppositis testimoniis respondet. Eamdem quoque præ sè tulit opinionem scriptor alius religiosissimus, qui per ea tempora vixit, consuetudinemque habuit cum iis qui Concilio interuenere, Sixtus inquam Senensis in admirabili Opere, cui nomen fecit, *Bibliotheca Sancta*: vbi cuique licebit pernoscere quidquid attinet ad accusationem defensionemque Decreti Vulgatam comprobantis, per summam opulentiam ac soliditatem eruditionis ab eo agitatum. Hi profectò, quantum video, haud intendunt, licere ab ea legitima versione recedere, in rebus tametsi nec ad Fidem nec ad mores spectantibus, effrænatè & pro libidine in quolibet verbo & argumento; sed solùm in iis locis, in quibus Catholici Doctores haud omnino concordant, nec ab Ecclesia est interdictum; vt rectè disputat quidam [g] recentior, quem paulò pòst nominabimus. Nec leue huic sententiæ momentum accedit ex epistola Legatorum ad Farnesium Cardinalem, quam mox proferam; vbi indicatur, hanc fuisse Decreti Conciliique sententiam.

a De Iustificatione, lib. 15. cap. 9.

b Lib. 2. de Locis Theologicis, cap. 13. conclus. 2.

c In defensione Vulgatæ lib. 4.

d In præfat. ad Carolum Nonum Regem Galliæ ante Opus Origenis.

e In prolegomenis Biblicis cap. 19. quæstiunculâ 11.

f In prolegomenis in Pentateuchum cap. 5. sect. 3.

g Michaël de Elizarda, de Forma inquirendæ veræ Religionis, num. 294 id comprobans ex vsu scriptorum, proximè post Cōcilium ab Ecclesia permissorum.

Nec opus est, ad lumen illud propheticum, seu quasi propheti- 11
cum confugere, quod Suauis requirit in auctore Vulgatæ, tamquam huiusmodi comprobationis necessarium fundamentum, obuoluens silentio, hanc persuasionem duorum scriptorum, qui fuere Titelmannus & Canus, [h] ab reliquis haud fuisse receptam; sed eam ceu Catholicis communem confingens, vt quantum potest offuciarum affundat verisimilitudini Orthodoxæ Catholicorum sententiæ. Ac primò quidem quis vmquam dixit, Romanos Pontifices Prophetas aut quasi Prophetas esse, tametsi in Fidei decisionibus nec fallere nec falli queant? Deinde in Romano Pontifice saltem agnoscimus Diuinam quamdam opem, quâ præpeditur in eo libertas ad hoc delictum per voluntatem patrandum, ac periculum ne in huiusmodi

h Lib. 2. de locis Theolog. cap. 4. circa finem.

erro-

errorem per inſcitiam prolabatur. Sed auctor Vulgatæ potuit eſſe obnoxius, per potentiam, quam Theologi *antecedentem* nuncupant, periculo in eas labes incurrendi; dein verò ex Diuina planè gratia, quâ honeſta omnis actio pendet, ſed abſque vlla antecedente promiſſione, nulloque præcipuo Dei afflatu, conſequi potuit, vt ſuum opus hiſce maculis careret. Quo poſito, Eccleſia poſteà luminis cæleſtis ductu tamquam bonum opus illud ſuſcepit, quemadmodum ſuſcipere poſſet Italicam Tridentinæ Synodi verſionem, quamquam auctor ſuâ ſponte, & abſque iam explicata Dei aſpiratione illam conſcripſerit. 1546.

12 Narrat Suauis, exteros obſtupuiſſe, quo pacto conuentus quinque Cardinalium, quadraginta octo Epiſcoporum, qui minorum vrbium regebant Eccleſias, in Theologicis diſciplinis haud excellentiſſimi, cùm eorum plerique viri nobiles eſſent & Aulici, tantæ grauitatis dogmata definierit; & hoc potiſſimùm dogma, quo decernitur vt authentica, quædam verſio à ſuo exemplo diſcrepans. Mirum hominis ingenium! De Seſſione præterita dicit, Cunctos obſtupefactos, quînam Concilium tantâ ſolennitate coalitum, eruperit tandem in recitationem Symboli Apoſtolorum: in hac Seſſione idem Concilium, ab eo paulò antè magnifice amplificatum, quò ipſum deprimeret quando modica gerebat, ab eodem anguſtè contrahitur, quò dupliciter ipſum deprimat, quando grandia conficit. Ceterùm quid eo ſtupore vecordius, quàm mirari, quòd Synodus, cùm vellet multa Fidei dogmata ſtatuere aduerſus hæreſes, nixas præcipuè in oppugnatione illius ſacri Voluminis, quo mille annos communiter Eccleſia vſa fuerat, tamquam primum ædificij lapidem iaceret ipſam prædicti Voluminis comprobationem? Quâ ratione deueniri tandem poterat ad explicandum Dei verbum in articulis de quibus lis erat, niſi prius deciſa fuiſſet controuerſia, quodnam reuerà Dei verbum eſſet? In quocumque iudicio nónne priùs vocatur ad trutinam, num productæ tabulæ ſint legitimæ?

13 Profectò petulantria liuoris eſt, illius conſeſſus viros deprimere. Conferantur cum eo conuentus habiti in pleriſque præteritis Conciliis, eorumque Acta cum iis, quæ tunc protulère Patres in Cœtibus Tridentinis, quæ præterquam in Tabulario Pontificio, ſeparatim in Bibliothecis plurimorum illuſtrium familiarum aſſeruantur: & quam in partem doctrina præponderet, intelligemus. Duo de quinquaginta tantummodò erant Epiſcopi; ita planè: ſed Eccleſias tenues neutiquam adminiſtrabant, vt ille pro certo aſſumit:

1546. præterquam quòd quilibet è Purpuratis Patribus, si Polum excipiamus, illustribus Ecclesiis præsidebat, eorumque plerique non vni, sed pluribus, pro temporis illius consuetudine. Sed quod plurimum facit, erant illi Præsules delectus virorum ex Italia, Sicilia, Sardinia, Gallia, Hispania, qui eò missi fuerant à summis Christianorum Principibus: erantque præter hos ex Dalmatia, Græcia, Suecia, & Scotia. Tres Legati eximiis animi dotibus præfulgebant, & ex iis duo excellenti literaturâ spectabiles, illarum etiam linguarum, quibus commissa fuit ab antiquitate doctrina, & quarum imperitiæ Decreti consilium Suauis adscribit: Ceruinus in primis, qui cùm in se scientiam, prudentiam, virtutem ac Pontificis gratiam simul complecteretur, currui veluti auriga assidebat: consulebat singulis diebus super iis, quæ ad intelligentiam Græcæ linguæ spectabant, Guillelmum Sirletum, vnum posteà ex Purpuratis, tunc verò Bibliothecæ Vaticanæ Custodem, cuius Præfecturam gerebat idem Legatus. Atque in ea Bibliotheca literarum volumen seruatur, quæ de huiusmodi rebus ab vtroque inuicem scribebantur. Præter Legatos, Madruccius & Pacecus inter primarios & conspicuos Hispaniæ ac Germaniæ viros habiti sunt. His addebantur tres Abbates, familiæ Cassinensis nomine, & quinque supremi Præsides Ordinum Mendicantium, omnes scientiâ illustres, vt Suauis plurimis in locis imprudens fatetur, in eorum recitandis sententiis, cùm eos vel narrat vel fingit aduersantes sanctionibus posteà in Synodo constitutis. Quòd si velimus eorum rationem habere, quos illi repræsentabant, num leue quiddam æstimabatur à Suaui, tunc præter alios interesse Concilio summos penè omnium Regularium familiarum Præfectos, quæ adeò conspicua Ecclesiæ pars habentur, ac deñique præcipuum Theologiæ compendium, prout Legati ad Pontificem scripsere in literis à me laudatis? Si verum esset quod profert Suauis, ab eo Conuentu ne millesimam quidem partem Reipublicæ Christianæ repræsentatam, certè quò integra repræsentaretur, oportuisset vt eò conuenirent quinquaginta tria millia Episcoporum, iis qui aderant æqualium; & prætereà supremi Præsides sex millium Ordinum, haud imparium Cassinensi, quinisque Mendicantibus; mille summorum Pontificum terni Legati, Oratores missi à ternis millibus Principum, Carolo V. Hungariæ, ac Lusitaniæ Regibus minimè concedentium. Sed omissis externis conditionibus, regrediamur ad ea lustranda, quæ maioris momenti sunt, virorum scilicet præstantiam, qui de Vulgatæ Decreto conuenêre. Fungebantur munere Consultorum tunc in Concilio quadrageni

dragenì planè Theologi, ex doctissimis cunctarum Christiani Orbis 1546.
Prouinciarum; & quorum non pauci à nobis alibi collaudati, sæculum illud suis Commentariis illustrarunt, satisque per se solos essent, citra omnem amplificationem, ad claritatem illi præteritorum longè maximam in Theologiæ laude afferendam.

14 Deerant quidem Germani; quod Suauis miris modis exaggerat: sed quid mirum, si duces illi consilio non adsint, qui tunc in acie pugnare coguntur? Celebrabantur id temporis Comitia, & paulò antè colloquium Ratisponæ. Vbinam in huiusmodi discrimine satius erat adesse Germanos doctrinâ præditos & religionis studiosos, ibíne, an in Synodo? Nónne priùs obseruauimus, ob eam rem noluisse Madruccium ac Toletanum, vt absentium contumacia accusaretur? At si corpore aberant, aderant certè studio. Cum iis pariter egregiis viris per literas argumenta communicabantur, legebantur eorum commentarij, & si minùs ipsorum linguæ, calami certè Concilio seruiebant. At quæ deinde temeritas est, tam confidenter affirmare, versionem à Concilio comprobatam, ab autographo discordare? Vbinam gentium existit hoc autographum incorruptum? Num fortè innotescit Suaui, quod per tot sæcula ignorauit Ecclesia? Et vbi innotesceret; hæ tam manifestæ discordiæ quo pacto ab eo deprehensæ fuêre, quando illas non agnouit tantæ doctrinæ tantæque solertiæ vir sapientissimus Hieronymus, qui si non auctor illius, certè emendator fuit? ex hoc planè vniuersæ antiquitati admirabilis, & cuius opera eo viuente inuidentiæ cauillationibus subtiliter exagitata sunt; sed cùm præstantiora in dies semper agnoscerentur, elapso aliquo post eius mortem tempore, adepta sunt possessionem per mille annos communis comprobationis in Ecclesia vniuersa, in qua viri eruditione præstantes numquam defuêre. Non hîc disputo de sermonis perspicuitate, elegantia, neruositate, quas dotes multi desiderant in Vulgata: solùm affirmo, nihil illi deesse, quò minùs nomen fidelis & authenticæ mereatur. Quin rectè nos admonuit Magnus Gregorius: * *Indignum*, inquit, *vehementer existimo, vt verba cælestis Oraculi restringam sub regulis Donati.*

*Epistola ad Leandrum in Expositione lib. Iob cap. 1.

Post huius euulgationem Historiæ, de hoc argumento egregiè scripsit singularis intelligentiæ vir, non minùs literariâ amicitiâ, quàm Religiosâ familiâ mihi coniunctus, Michaël Elizarda Societatis IESV, in libro de Forma quærendæ ac reperiendæ veræ Religionis. Huius quidem libri vt admiratio concipiatur, opus non est ignoratione, cuius filiam Aristoteles admirationem agnoscit; quin

potiùs

1546. potius sapientiâ. Ibi auctor haud grauatus commemorare simul & commendare ea de quibus hîc disseruimus, validis de suo ratiocinationibus confirmat. Sed præcipuè telum acutissimum tractat viuido mentis robore, ab Augustini ingenio elaboratum, * quod est huiusmodi: Scripturæ locutiones, ob quas aduersarij nos ad tribunal Græci Hebraicique sermonis vocant, aut perspicuæ sunt, aut obscuræ. Si perspicuæ, desipientia foret, sibi persuadere, tot homines præstantissimos, post tam accuratum examen, ac tam diuturno annorum curriculo fuisse hallucinatos: Sin obscuræ, atque obscuritate impenetrabili, huiusmodi admoto tam impensi studij conspicillo, ac tam longo temporis spatio ibi defixis obtutibus, quisnam vmquam arrogauerit eas priuatâ suâ doctrinâ ad perspicuitatem adducere? Quæ ratio haud sanè prohibet quasi superuacaneum huiusmodi laborem, in locis dubiis per commentationes ampliùs explicandis, ad ornamentum incrementumque disciplinarum, quæ intra fines probabilis opinationis continentur, qualis est Theologia, seu Moralis, seu Scholastica, seu Mystica: sed eadem ratio inexpugnabilis planè est ad ostendendum, quemcumque cuiusuis literati ingenij laborem frustrà conaturum, vt in effatis ad hanc vsque diem minimè claris, per suam expositionem certos redderet homines, ita planè in autographis fuisse Spiritum sanctum locutum, adeò vt possit in ea Fidei assensus ab omni suspicione liber fundari, quo quis obstringatur ad mortem pro illius veritate sustinendam. Quare nobis vnicè id expectandum est ab eo interprete falsitatis immuni, quem Deus ad sua interpretanda verba constituit inter mortales, & cui ipse præstò est interiori ductu, illum ab omni tutum errore seruante; quod idem est ac dicere, ab Ecclesia id expectandum. Addo: Cùm Suauis ea recitasset, quæ Vega in congregationibus disputauit, nec ea vmquam repudiata dixisset, adeoque tacitè fassus esset, fideles à Decreto ad strictiorem interpretationem non obstringi; haud sanè illum potuisse citra manifestam calumniam, memoraris insimulationibus Decretum prægrauare.

*Epistola 8.

Quinimò id quod insinuat Suauis, fuisse illud Aulicorum inconsideratum consilium, adeò distat à vero; vt potiùs Aulici Romæ degentes, cùm per illud breue tempus nondum omnem operam studiumque nauassent tam amplo argumento percensendo, mentemque variis oppositionibus, sæpiùs auditis seu lectis, aduersus varios Vulgatæ versionis locos occupatam gererent, nec Theologorum Tridentinorum rationes accepissent, * hoc Decretum acriter initio damnauerint, obiicientes, multa Vulgatæ menda nec amanuensibus 15

* Literę Farnesij ad Legatos, 17. Aprilis 1546.

1546.

ſibus neque Typographis adſcribi poſſe: ac certè debuiſſe in Decreto denuntiari, eam eſſe recognoſcendam & emendandam. Tantumque ea de re obmurmuratum eſt, vt deliberatum fuerit, [a] de impreſſione illius Decreti tantiſper retardanda, dum nonnullis adiectis reconcinnaretur: quod tamen vociferabantur eleuaturum eſſe exiſtimationem Synodi, & anſam hæreticorum irriſionibus præbiturum. Hiſce literis reſponſum eſt & à [b] Ceruino priuatim ad Maffeium, & à Legatis communiter [c] ad Farneſium Cardinalem; nihil ab ipſis opponi quod à Concilio non fuiſſet maturè perpenſum, cùm ibi adeſſent Theologi ex omnibus Nationibus ſelecti; qui tam exquiſito examine res ponderabant, vt præſertim ea quæ ſuper libris Canonicis ac Traditionibus obſeruauerant, talia eſſent, quæ vel Wittembergæ propoſita plauſum ab hoſtibus extorquerent.

Duas itaque de Vulgata opiniones fuiſſe: alteram, [d] quæ S. Hieronymo eam tribuebat; alteram, quæ id negabat: ſed omnes conſenſiſſe, tutiſſimam verſionum eſſe Vulgatam; quippe cui *tam diuturno tempore*, ſcribebant illi, *numquam hæreſeos nota fuit inuſta, tametſi in aliquo loco videatur ab Hebraica locutione diſcrepare, humiliq́; ſerpat ſtylo, nec extra barbariſmum aliquem, aut ſolæciſmum. Cùm enim ſatis liqueat, ab Hebrais atque hæreticis multa fuiſſe loca in ſacris Paginis deprauata, haud apparet, quò tutiùs confugiendum ſit, quàm ad obſeruationem illius Eccleſiæ, quæ præterquam quòd Caput eſt Chriſtianæ Reipublicæ, peculiari Dei priuilegio ac beneficio ſemper perſtitit abſque hæreſeos labe, cum perpetua & numquam interrupta ſucceßione Pontificum.*

16 Addebant poſteà, Tridenti quoque animaduerſa fuiſſe Vulgatæ menda; ſe tamen noluiſſe idcircò illam vniuersè pronuntiare mendoſam: arbitratos & honorificentius & conducibilius eſſe, ſi reipsâ remedium adhiberetur, exemplo, ad exequendum Decretum, mendis purgato in lucem edito, & à Pontifice ac Synodo comprobato.

Huiuſce rei rationes eſſe: Primò, quia alia res eſt exemplarium deprauatio, alia codicis in ſeipſô: hanc ad ſpeciem, illam ad ſingula peculiaria pertinere; & in variis exemplaribus eſſe variam & inæqualem. Deinde, quia vtcumque ſe res haberet, neque neceſſarium erat, neque conducibile, diſertis verbis à Concilio affirmari, ineſſe quidquam labis, quamuis ex accidente, ac minimum in exemplis omnibus, & vniuerſa ſpecie interpretationis Vulgatæ, ne argumentum porrigeretur cauillationibus, quas inde deducerent hæretici: quamquam enim reipſa inanes, plurimum tamen apud vulgus valebant, variiſque technis ab aduerſariis adhibebantur: vnde par non erat, quaſi cotem ad eas exacuendas ſuppeditari. Aiebant poſtremò,

a Literæ Maffei, à ſecretis Pontifici, ad Ceruinum, 17. Aprilis, & aliæ arcanæ adminiſtri eiuſdem Ceruini, eodem die.

b 24. Aprilis.

c 26. Aprilis.

d Prima opinio erat Soris vt conſtat ex Diario Maſſarelli 28. Aprilis 1546.

1546. ſtremò, cùm ſatis animaduerſum eſſet illius Decreti pondus, ne vnam quidem ſyllabam in eo fuiſſe præteritam, quæ examine tam diligenti diſcuſſa non fuerit, vt compluribus nimis id religioſum videretur. Hæc Legatorum reſponſio vituperationem in commendationem apud pleroſque Romæ conuertit, & eamdem apud alios ſaltem in epochen, ſeu ſuſtentationem iudicij, vt idem Maffeus Ceruino ſignificauit continuatis arcanioris amicitiæ officiis. Ita ſæpè reprehenſio laudi ſeruit, quò extra iactantiæ periculum dari poſſit opera, vt eluceat meritum in eo, quod primâ ſpecie noxa videbatur.

CAPVT XVIII.

Alia, quæ Suauis obiicit aduerſus librorum Canonicorum ac Traditionum receptionem; & contra regulam Scripturæ interpretandæ ex ſanctorum Patrum ſententia.

SVorum Lutheranorum perſonam agens Suauis, cetera Seſſionis illius Decreta ſic oppugnat: *Mirum quiddam fuiſſe viſum, auctoritatem Canonicam libris anteà incertis & apocryphis tribui.* Vnum vellem protuliſſet librum, quem aliàs Eccleſia non probauerit, ac præſertim Oecumenica Synodus Florentina. Mirum igitur & audax facinus habendum eſt, ſi Concilium alterum alterius ſanctiones confirmet? 1

Eâdem oſtentatione ſtuporis admiratur, *fuiſſe præſcriptam & coarctatam rationem intelligendi Dei verbum:* & ſuprà refert, *in conſeſſibus occaſionem aliter loquendi fuiſſe datam à Caietani doctrina, quam docuit, factoq; pariter ipſe comprobauit; hoc eſt, nouos Scripturæ ſenſus repudiandos non eſſe, vbi cum illius locutione concordant, nec alieni ſunt ab aliis locis Scripturæ ſacræ, ac Fidei doctrina, tametſi Patrum agmen in aliam ſententiam confluat.*

Equidem in primis affirmo, Caietanum, quamuis à ſuis in hoc dicto licentiæ notâ reprehenſum, numquam protuliſſe ſenſa Tridentino Decreto in hac parte aduerſantia. Secundò, Concilium neque præſcripſiſſe, neque coarctaſſe nouis legibus rationem intelligendi Dei verbum; ſed declaraſſe illicitum & hæreticum, quod ſuâpte naturâ erat huiuſmodi, & prout ſemper habitum ac declaratum fuerat à Patribus, à Pontificibus, à Conciliis. Quod ſpectat ad primum; legatur inter alios doctiſſimus Canus* in aureo volumine Theologicorum locorum; quamquam ipſe quoque paulò audacior inter- 2

* Lib. 7. cap. 3. & 4.

interdum reprehendi meruit, vbi Caietanum tamquam parentem 1546.
ac magiſtrum reueritus, eum tamen ſeueriſſimè caſtigat, ob illius aſſertionis audaciam, quam ille proponit initio ſuorum in Geneſim Commentariorum. Et tamen, ſicut indicabam, Caietani dictum Concilij Decreto non obſtat. Prohibet quidem Concilium, ne ſacris Literis aptetur interpretatio repugnans vnanimi SS. Patrum ſententiæ, idque in rebus tum Fidei, tum morum: at Caietanus, vtut rem Canus intelligat, de his minimè loquitur, neque vmquam declarat, fas eſſe aduerſus communes SS. Patrum ſententias obuiàm ire; ſed fas eſſe, depromere Scripturæ expoſitionem prorſus nouam, & ab omnibus eorum expoſitionibus diuerſam. Etenim quemadmodum ipſi diſcreparunt inter ſe in illius explicatione ſententiæ, adeoque ſingulæ illorum explanationes per ſe ipſas dubitationi ſubiacent; ita, quantum conicio, viſum eſt Caietano, poſſe cunctas ſimul dubitationi ſubiacere, & quamdam aliam eſſe veram, quæ ipſis haud in mentem venerit, ſecundùm commemoratam diſtinctionem, quam Naclantus in Synodo prætulerat. Neque quidquam amplius conficit Caietani ratio ibi adducta, & ab ipſo Suaui relata: *Non enim*, inquit Caietanus, *alligauit Deus expoſitionem Scripturarum ſacrarum priſcorum Doctorum ſenſibus, ſed Scripturæ ipſi integræ, ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura: alioqui ſpes nobis & poſteris tolleretur exponendi Scripturam ſacram, niſi transferendo, vt aiunt, de libro in quinternum*. Certum quidem eſt, eam ſpem non adimi; quin ampliſſimum patere campum ad ingenium exercendum in Scripturæ commentationibus; tametſi in Fidei morumque materia nefas ſit, eas interpretationes deſerere, quas vniuerſa Patrum cohors complexa eſt. Felix huiuſce rei fulget exemplum in tot Catholicis ſcriptoribus, qui poſt Concilij Decretum diuinas Literas interpretati, ſui nominis gloriam non inuentione minùs quàm eruditione compararunt.

3 Venio ad alterum caput, quod pluris intereſt; in quo demonſtrandum ſuſcepi, non ſolùm à Concilio Decretum audacioris notæ non editum, ſicut Suauis amplificat, ſed nihil planè noui fuiſſe decretum. Mentis aciem ad veterem Eccleſiæ conſuetudinem curſim conuertamus. Nónne Synodus Epheſina opinionem Neſtorij vt hæreticam Patrum auctoritate damnauit? Hæreſim Heluidij S. Hieronymus? S. Baſilius eàdem auctoritate S. Spiritus diuinitatem, vti Fidei dogma, Amphilochio comprobauit? Eàdem Auguſtinus tamquam hæreticos modò Pelagianos, modò Donatiſtas reiecit? Eàdem S. Leo palàm fecit apud Leonem Auguſtum, Eutychetem à Fi-

1546. de deerrasse? Idem fecere Agatho Pontifex Max. in sexta Synodo, Actione quartâ, contra Monothelitas; & postremis temporibus Concilium Florentinum aduersus Græcorum errores. Neque solùm hoc tamquam vrgenti argumento vsi sunt in hæresi proscribenda; sed etiam disertè affirmarunt, illud efficax esse. Ecce verba Ephesini Concilij: *Inuecti sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quòd sacram Scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicumque ante se Magisterij munere præditi Diuina eloquia tractauissent; & prætereà vniuersam Ecclesiam errasse, quæ ex illius sententia Doctores ignorantes sequebatur.* Maiori perspicuitate idem explicauit S. Augustinus in libro secundo in Iulianum, *Qui Sanctos reiicit, fatetur se vniuersam Christi Ecclesiam reiicere.* In eamdem sententiam differunt S. Hieronymus, ac reliqui Patres; sed iis, ne longum faciam, omissis, ita scribit decimaquinta Synodus Toletana: *Quidquid creditur contra SS. Patres, intelligitur aberrare à recta regula Fidei.*

Ac sanè præter auctoritatem ipsa ratio demonstrat, non posse 4 hæreticum non esse quicumque in credendis dogmatibus aduersatur sententiæ, tamquam certæ in sacris Literis agnitæ à Patrum concordia. In quanam potissimùm re infidelitatis vitium situm est? opinor, in affirmando Deum esse mendacem. Atque id fit, haud quidem semper affirmando falsa esse eius verba; cùm in hoc perpauci hæretici delirent: sed fieri solet, negando aliquid à Deo dictum fuisse, cùm adeò validæ apparent causæ ad affirmandum atque credendum, id verè dictum à Deo fuisse, vt illas nequaquam Deus permittere potuerit, quin suammet veracitatem contaminaret, vbi illud affirmare non intendisset. Exemplum apponam. Non solùm delinqueret in Regiam veracitatem Rex, qui falsum pronuntiaret; sed etiam qui permitteret confingentibus suas literas sigillum Regium, aut sineret à suis administris ea suo nomine pronuntiari, quæ ipse pronuntiare non cogitat: etenim in vtroque euentu liceret subditis conqueri, se fuisse ab illo deceptos, cùm is permisisset in eas rerum conditiones ipsos coniici, vt si literis illis dictísve fidem negarent, & contumaces haberentur, & in Regem iniuriosi. Hi proinde, vbi post fidem illis habitam ea falsa comperissent, se deceptos arbitrarentur ab ea fiducia, quam in sinceritate & auctoritate Principis collocarant. Id pariter cadit in Deum, qui non solùm permittit, sicut ille Princeps permitteret, sed adiuuat eam totam veri speciem, quæ homines inducit, vt credant Deum loqui, & hoc vel illo verborum tenore loqui. Quapropter Richardus Victorinus fidentissimè de Deo pronuntiat: *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus:*

Lib. 1. de Trinit. cap. 2.

ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt. His præmiſſis, meum dictum ita clarè conficio: Quo pacto fraudationem huiuſmodi à ſe nobis illatam excuſaret Deus, ſi in rebus ad Fidem moréſve pertinentibus ita fuiſſet locutus, vt cuncti ſacri Doctores, adeò numero ſpectabiles, ſcientiâ præcellentes, ſtudio accurati, eorum verborum ſententiam à veritate alienam intellexiſſent? Quis hominum vulgaris ingenij nactus Scripturæ locum, ſignificationem huiuſmodi præ ſe ferentem, ſimulque cognoſcens eamdem ſignificationem tamquam dogma Fidei à cunctis Eccleſiæ Doctoribus comprobari, non ſe putabit illius ita credendæ obligatione teneri? Quòd ſi tunc illi dubitare fas eſſet, dubitabile pariter foret, quidnam ſignificet quidquid legitur in Diuinis Oraculis. 1546.

5 Itaque ſi Deus voluit eo loqui tenore, quo de quibuſdam articulis Fidei firmitudo fundetur, oporteret, ne ille tenor potuerit vniuerſæ ſanctorum Patrum ſapientiæ fucum facere; & vti fideles pernoſcant, id nullo modo fieri poſſe: alioquin ipſis meritò liceret ambigere de vero ſenſu cuiuſuis dicti ſacrorum Voluminum, quantumuis perſpicuum appareret: hoc autem aduerſaretur firmitati, quam exigit Fidei aſſenſus, cui neceſſe non eſt vt ſingulos articulos ſemper Eccleſiæ declaratio antecedat: alioquin ad Fidei dogmata cognoſcenda nullam haberet vim Diuinæ Scripturæ lectio, ſed Eccleſiæ dumtaxat definitio; & per aliquot ſæcula, quibus paucula quædam Eccleſia definiuit, licuiſſet de reliquis omnibus dubitare. At contrà legimus, ſanctos Patres etiam ante definitiones Eccleſiæ deteſtatos fuiſſe tamquam hæreticos eos, qui aliquem articulum refellebant, de communi ſententia è Scripturæ verbis deductum: atque ea de cauſa Eccleſia poſtmodum in Conciliis eoſdem execrata eſt, etiam impiorum nomine, & anathemate inflicto; quod ſanè iniquum fuiſſet, niſi per Fidem ad credendum articulum illum obſtringerentur, antequam Eccleſia declaraſſet. Eapropter in rebus ad dogmata moreſque ſpectantibus Patres omnes hallucinari non poſſunt, quin pariter hallucinetur Eccleſia, quæ tandem ex illis conflatur, & cum illis conſentit. Hoc tamen intelligendum eſt, vt paulò antè notauimus, cùm Patres illam Scripturæ ſententiam tamquam certam affirmant: at verò, tametſi concordarent inter ſe de aliqua Scripturæ interpretatione, ſed opinantium modo, iam exemplo ſuo docerent etiam alios opinari, adeoque pariter dubitare. Quare temeritatis certè notam mereretur, qui abſque nouę rationis pondere oppoſitam ſententiam ceu meliorem ſuſtineret, ſed non idcircò hæreticus foret.

1546. Iam verò nostrâ ratiocinatione rem probè confici, nimirum, vo- 6
luisse Concilium non quidem nouâ nos lege coarctare, sed solùm docere, & nobis in memoriam reuocare legem antiquiorem, quam in ea re nobis suapte naturâ nostra Fides imposuit, ex hisce verbis Concilij palàm est: *Decreuit, vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus Fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Cùm itaque eodem legis præscripto vetentur fideles sacram Scripturam interpretari seu contra sensum quem tenuit & tenet Ecclesia, seu contra communem Patrum consensum; cumque absque dubio optima legis pars noua prohibitio non sit, sed solùm illius explicatio, quod ex natura Fidei Christianæ per se ipsum intrinsecus nefas est, conficitur, eiusdem pariter rationis fuisse partem alteram à Concilio existimatam. Sed quid opus pluribus? Dum hîc Ordinariis iniungitur, vt pœnis à iure statutis sontes puniant, liquidò significatur, id ipsum priùs etiam à sacris Constitutionibus interdictum, pœnisque multatum; adeoque nouam à Concilio legem minimè statui, sed addi stimulos ad veterem obseruandam.

Narrat postremò Suauis, obseruasse quosdam, in eo Decreto mi- 7
nùs quàm videbatur obligationis inesse: atq; eorum obseruationem ab eo comprobari manifestum est, quantum spectat ad Traditiones. *Solùm*, ait ille, *statutum erat, Traditiones esse recipiendas, sed absque declaratione quænam illæ essent, & absque discerniculo proposito quo dignoscerentur; quandoquidem nullum ad eas recipiendas præceptum vrgebat, sed solùm vetitum erat, ne quis sciens volensq; eas aspernaretur. Vnde legi minimè refragabatur is qui reuerenter eas omnes reiiceret.* Oblitúsne ille fuerat, à Synodo pronuntiari, sacros Libros ac Traditiones *à se suscipi pari pietatis ac reuerentiæ affectu?* Sicut igitur hoc posito nefas apparet, alteros quacumque ratione reiici, ita pariter & alteras. Porrò duplici modo possunt Traditiones non recipi: Vel cùm quispiam à prauis animi affectionibus, voluptatibus, corporisque commodis ad id impellitur; itidem ac interdum fidelis alioquin & obsequens Principi subditus, illius legibus non obtemperat: Vel si quis illas floccifaciat, nec tales putet quibus ipse parere teneatur, perinde atque Principum leges à perduellibus conculcantur. Noluit Synodus,

dus, vt à nobis narratum est, anathema intorquere in quemcumque, leges Diuinas siue scriptas siue non scriptas violantem, ne eos etiam complecti videretur, qui ex imbecillitate in eo peccant, ac de cetero reuerentur iudicio id quod opere transgrediuntur: sed solùm contemptores, qui se ad eas seruandas minimè obstringi profitentur, cuiùsmodi sunt hæretici; reliqui violatores minorum pœnarum flagello addicuntur, non tamen anathematis telo. Quod si hoc in Decreto Concilium custodiendas Traditiones singulatim non enumerat, imitatur in eo Decretum septimæ Synodi Oecumenicæ suprà allatum, à quo penè verba etiam exscripsit: id sanè neque tempus patiebatur, neque opportunitas postulabat. Duo per illam sanctionem intendit Synodus: Alterum, Palàm facere, Fidei Catholicæ fundamenta non modò esse Diuinas Literas, quod recentes hæretici pertinaciter contendebant; sed non minùs etiam Traditiones, à quibus denique dependet quidquid certi obtinemus de legitima ipsarum Scripturarum auctoritate. Alterum, Profiteri, Apostolicos ritus, ad hanc vsque ætatem nobis per manus haud interruptè traditos, recipi ab Ecclesia, nec esse variandos, vt audebant hæretici. Ei verò qui in hisce generalibus articulis dissentiebat, anathema infligi. Quænam autem essent hæ singulæ Traditiones, expendendum ac statuendum deinceps erat, prout rerum tractationes in habendis congregationibus exigebant; & in eo videbatur vnusquisque Ecclesiæ iudicio se subiicere. 1546.

8 Addit Suauis: Ad repudiandas Traditiones, valuisse Romanæ Curiæ asseclarum exemplum; quia Diaconissas initiari non sinunt, electionem Ministrorum populo non concedunt, quod certum est esse Apostolicam institutionem, supra octo sæcula continuatam: &, quod pluris est, concessum laicis vsum Calicis; *qui vsus obseruatus est* (eius verba recito) *ab Ecclesia vniuersa iam ante ducentos annos, & nunc ab omnibus nationibus Christianis præter Latinam: quod si hæc traditio non est, ratio non suppetit ostendendi, quænam alia sit.* Ingens nimirum inest homini audendi libido, quâ sibi persuadet, absque vllo examine à lectoribus fidem habendam esse, dum audet tam luculenta mendacia illis ingerere. Cedo quas Traditiones Decretum complectatur? Eas *quæ quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt.* Num huiusmodi erat seu sacrorum Ministrorum electio à populis habita, seu Diaconissarum ordinatio, seu Calicis vsus laicis concessus? Ne à Suaui quidem id affirmatur, cùm idem scribat, duo priora iam ante octingentos annos omissa fuisse, tertium verò

ante

1546. ante ducentos. Quo pacto igitur huiusmodi exempla illi faueant, qui Traditiones in continenti obseruatione superstites repudiaret? Sed insuper hîc in transcursu perpendamus ea, quæ per tantam animositatem audet pro certis ponere. Et quando nec ipse, nec cum eo hæretici sui multum de Diaconissis laborant, ad alia duo restringam orationem, ob quorum mutationem Ecclesiam Catholicam damnant. Asseueranter dicit Suauis, Ministrorum electionem habitam à populo, fuisse Apostolorum institutionem, & octingentos annos perstitisse. Equidem voluissem in memoriam illi redigere verba Pauli Apostoli ad Titum:* *Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas Presbyteros per ciuitates, sicut & ego disposui tibi:* ac libenter sciscitatus ab eo fuissem: Num primum Laodicææ Concilium celebratum fuerit post octo sæcula ab Ecclesia exorta, an quarto sæculo; nam vnus inter illius Canones hæc habet: * *Turbis non esse permittendam eorum, qui sunt in sacerdotio constituendi, electionem facere.* Eumdem exorassem, vt me doceret, an pariter quarto sæculo floruerit S. Hieronymus, & de quanam ætate loquatur ille, vbi in Epistola 85. ad Euagrium ita scribit: *Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Sed cui libet antiquorum Patrum plurima testimonia lustrare, adeat * Bellarminum in suis Controuersiis.

* Cap. 1.

* Canon. 13.

* Lib. 1. de Concil. cap. 7.

Transeamus ad vsum Calicis, laicis hominibus interdictum. Et 9
quoniam à Suaui nobis opponitur ritus vel nunc vsitatus apud Græcos, quo potissimùm rem vrget, Græcos mihi proferat, qui vel in Synodo Florentina, vel prius, Latinis vmquam exprobrauerint Communionem sub vna tantùm specie, tamquam erratum, quemadmodum eosdem Latinos insimulare ausi sunt ob cetera plura, quibus Latina & Græca Ecclesia inter se dissident. Hinc apparet, ne Græcorum quidem sententiâ hunc ritum fuisse creditum tamquam à Christo præscriptum, & in quo Ecclesiæ variare non liceat. At quis Suaui significauerat, indistinctam Calicis communionem adhibitam ab vniuersa Ecclesia fuisse vsque ad ducentos abhinc annos? Sanctus Thomas, trecentis annis Tridentinâ Synodo superior, nónne refert [a] ac laudat illarum Ecclesiarum consuetudinem, quæ Calicem cum laicis minimè communicabant? Alexander [b] Alensis, antiquior Aquinate, nónne idipsum comprobat insignis miraculi narratione? Nónne illius diuturnæ consuetudinis in aliquibus Ecclesiis mentionem faciunt Concilium Constantiense in Sessione decimatertia, & Basileense in trigesima? S. Bernardus, qui ante Tridentinum

a 3. part. quæst. 80. art. 12.

b 4. parte Summæ Theologicæ qu. 11. moral. 2. cas. 4. §. 3.

dentinum ſupra quadringentos annos vixit, nónne idem ipſe vſurpabat, vt in illius Vita ſignificat Guillelmus Abbas Bernardo æqualis,[a] vbi narrat, à quodam Monacho deglutiri vel poſt longum ſpatium non potuiſſe Panem Eucharisticum, quòd occultâ noxâ, cuius erat conſcius, neglexiſſet abſolui? Etenim, ſi pariter impertitus illi fuiſſet Calix, vel ipſe eo hauſto Chriſti Sanguinem ebibiſſet inexpiatâ culpâ non obſiſtente, vnaque cum illo Diuinum etiam comediſſet Panem, cui diuerſa prodigioſi impedimenti ratio non obſtabat; vel ſi bibere nequiiſſet, nouum eueniſſet miraculum, nullo pacto ab hiſtorico reticendum. Ad hæc, Oſius Cardinalis[b] nónne veterrimum huiuſmodi vſum in ſua Polonia fuiſſe demonſtrat, & de cuius initio nulla extet memoria? Bellarminus tot[c] hiſtoriarum monumentis ac teſtimoniis nónne apertè confirmat huiuſce ritus antiquitatem, vel octingentis abhinc annis vſitati? nónne oſtendit, hunc morem ſemper exiſtimatum fuiſſe penes Eccleſiæ arbitratum, & abſque diuino præcepto quod ipſam obſtringeret? Atque vt vnum ex Græcis addam, Petrus Arcudius in libro de Concordia[d] inter Occidentis & Orientis Eccleſiam, nónne pariter huius vetuſtiſſimæ conſuetudinis plurimas confirmationes adducit? Ante ducentos annos, hoc eſt in Concilio Conſtantienſi id ſolum effectum fuerat, vt vniuerſa Latina Eccleſia morem eumdem teneret, qui priùs pro varietate regionum ac temporum variauerat: id verò ſi Traditionibus aduerſaretur, quæcumque noua lex ac nouum vetitum Traditionibus repugnaret. At de hoc articulo vberiùs & accuratiùs agendum erit ætate Pij Quarti, quâ oportuit, vt exquiſitiſſimo ſtudio, & impenſiſſimâ deliberatione rem Synodus exagitaret. Quiſquis mentem Suauis non probè calleret, ſuſpicari quandoque poſſet, eum in ſuis Lutheranis patrocinando præuaricatum; cùm ſoleat magis nocere clienti aperta falſitas adductarum pro eo probationum, quàm præualida vis intortarum in eum rationum.

1546.

a Lib. 1. cap. 11

b In Dialogo de vtraque ſpecie.

c Lib. 4. de Encharist. cap. 24.

d Lib. 3. cap. 51.



HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM.



ONTIFICIS sententia, quâ Coloniensis Archiepiscopus deponitur. Legatorum consilium de reformanda per Pontificem disciplina. Iteratа sæpiùs à Cæsarianis studia ad retardandam dogmatum sanctionem; sed frustrà. Disputationes ad abusus à prælectionibus concionibusque remouendos; & altercatio de Regularium priuilegiis. Audacior ea de re dissertatio Episcopi Fesulani; & Concilij in eum commotio. Sententiarum varietas de concionandi ac residendi necessitate Episcopis imposita. Disceptatio de Originali peccato, ac præsertim de Virginis ab eo immunitate. Impietas ac falsitas Suauis in excellentiam & cultum Virginis. Decreta de articulo Originariæ culpæ, & quibus cautionibus habita. Aliæ sanctiones de inducendis restituendisve prælectionibus sacrarum Literarum in Religiosorum Ædes, in Templa, & in Academias: de concionandi munere Episcoporum, eorumque in Concionatores auctoritate. Quinta Sessio celebrata. Sententiarum in ea dissidium de propositis Decretis, ac præcipuè de accusanda Præsulum absentium contumacia. Differitur de emendatione, quam Suauis desiderat in sacri Juris Consultis, in Theologis, in Concionatoribus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

1546.

Hermannus Coloniensis Archiepiscopus à Pontifice in ordinem redactus. Et de hoc Suauis animaduersiones.

1 DVM Synodus per anathemata hæresim in vniuersum concutiebat, Pontifex per pœnas hæreticos insectabatur. Hermannus è nobili Wedensium Comitum familia Coloniensis Archiepiscopus, Lutheranorum fraude seductus, in suam Ecclesiam ac ditionem, sacrilegam eorum tabem admiserat. Vnde Cæsar iam inde ab anno 1543. in Spirensibus Comitiis hominem tam studiosis religiosisque monitis adeò corripuerat, * vt lacrymas ex eius oculis, ex animo pœnitentiam expresserit. Adeoque ingressus extemplò ad Carolum Granuellanus, ipsum Carolum audierit affirmantem magno lætitiæ sensu, Etiamsi suus in Germaniam aduentus quidquam aliud commodi non attulisset, ad id solum totius laborem itineris optimè impensum iri. Sed quamquam tunc Hermannus opere præstiterit, quod oculis ac linguâ protulerat; tamen, vt qui aggressoris postremi facilis erat præda, in errores pristinos relapsus est; quare & à Cæsare, à quo iure clientelæ Septemuiri pendent, in Belgium, & Romam à Pontifice in ius vocatus: nam vterque eorum causam hanc concorditer prosequebatur, sicut alibi dictum est. Porrò post consumptam cum eo omnem tolerantis lenitatis operam, Pontifex postulantibus & Ecclesiasticis & Academicis Coloniensibus, & Episcopis præcipuis finitimis, quemadmodum Suauis fatetur, in Senatu die decimosexto Aprilis * Hermannum latâ sententiâ gradu mouit.

* Sandoual. in Vita Caroli V. anno 1543.

* In Actis Consistor.

2 Hîc tamen haud omittit Suauis, è re gesta pia commenta de more deducere. Considerat primò, post Pontificiam sententiam Cæsarem minimè destitisse illum pro Archiepiscopo habere: aitque, Quamquam id intimè Paulus ægrè ferret, ab eo tamen impotentem remedij iniuriam fuisse dissimulatam, & cum reliquis sibi à Carolo illatis annumeratam. Si res ita se haberet, cunctis Principibus commune est, vt eorum iacula interdum irrita decidant; & qui ab altero ceu perduelles è gradu deiecti sunt, ab altero dignitatis pristinæ titulis honestentur: cùm effatum Poëtæ experimento comprobetur:

Sæpè premente Deo, fert Deus alter opem.

Ipse etiam Carolus, tametsi potentissimus inter Principes, idem

1546. non semel perpeti necesse habuit, ab hominibus non modò Coloniensi paribus, sed longè etiam inferioribus. Verùm desinat insultare Suauis. In ea causa Paulo ità non accidit: mox enim Hermannus Infulis exutus, ac Septemuirali dignitate, seniumque indecorum agens, inter paternos oppidi lares extinctus est. Quòd si per eos dies Cæsar consuetis honorum titulis Hermannum appellauit, cur Suauis rei causam silentio supprimit? Narrare debuerat, destinato à Carolo in Protestantes bello, * vetitum ab eo per literas Coloniensem, ne transitum auxiliúmve illis præberet, iussumque Cæsarianis ducibus obtemperare; ad cuius obsequium mandati, quod tanto Religioni momento erat, inductum ab Cæsare fuisse honorificâ Archiepiscopi inscriptione: vnde in spem venit, illius indignationis per huiusmodi obsequium emolliendæ. Imò aduersus quàm Suauis autumat: equidem sentio, id intimè non admodum displicuisse Pontifici, quamquam pro dignitate prolatæ sententiæ acriter extrinsecus improbasset. In comperto erat, Protestantes in Conuentu Francofordiensi, à nobis anteà memorato, inter cetera conspirasse ad Hermannum aduersus vires Cæsaris sustinendum. Cùm igitur illi vnà cum Pontifice bellum esset suscipiendum in vniuersam Protestantium factionem, communem profectò rem ipse promouebat, dum fœderatorum vires hosti subtrahebat; & per honorem tituli breuî duraturi, tametsi exemplo non commendabili, Hermannum adigebat ad obsistendum, non ad opitulandum hæreticis.

* Belcar. lib. 14 n. 20.

3 Affirmat deinde, eam sententiam alterius quoque incommodi causam fuisse; *Inde videlicet à Protestantibus argumentum desumptum ad suam opinionem confirmandam, quòd non alia de causa coactum fuerit Concilium, quàm vt ipsos in fraudem coniiceret. Etenim opponebant; Si adducta in controuersiam Fidei doctrina in Concilio expendenda erat, quo pacto licebat Pontifici ante definitionem Synodi sententiam proferre, & per eam Archiepiscopum hæreseos damnare?* Vbinam didicit Suauis, Concilio semel coalito, non dico Romanum Pontificem, sed quempiam legitimum iudicem præpediri, ne suam iurisdictionem exerceat? Id ne incidit quidem vel in eorum mentem, qui præcellere Pontifici Concilium arbitrabantur. Nam si posito superiori Tribunali, inferioris auctoritas & actio impediretur, haud sanè liceret pariter Episcopis iudicare ac damnare sibi subiectos, dum Romanus Pontifex ad clauum sedet; neque clientes Dynastæ, dum supremus Princeps existit. Egregiam enimuerò ratiocinationem! Æquum erat, credo, Coloniensi aduersus Pontificiam denuntiationem, in rebus Religio-

nis

nis res nouas moliri, reclamante vniuerso Ecclesiasticorum ordine, 1546.
ac periclitante populorum salute; Romano verò Pontifici hominem damnatione reprimere nefas erat? Suauem percontor: Perdurante Concilio licebátne Episcopis, licebat Fidei Quæsitoribus, non admonito Concilio, in hæreticos ferre sententiam? Id si negetur, Synodus per eos annos quamdiu aperta perstitit, Christianum Orbem in asylum planè vertit ad omnem corruptæ disciplinæ doctrinæque effrænatam impunitatem: vbi enim ad Synodum scribere necesse foret, ab eaque decreta responsa in singulis Religionis causis præstolari; quis non intelligit, quàm longum, quàm difficile esset in impios animaduertere, eorumque impietatem coërcere? id verò consuetudini Conciliorum omnium præcedentium aduersatur. Neque idcircò Oecumenicæ Synodi tamquam inutiles habitæ sunt; cùm earum officium sit, per definitiones à se Diuino afflatu editas certum reddere, & à discrimine falsitatis immune, id quod singuli Antistites humanæ intelligentiæ lumine, quod falli posset, anteà iudicassent. Est proinde in potestate Conciliorum, eas sententias, vt aliàs accidit, reuocare: perinde atque superius Tribunal inferioris sententias interdum reuocat; quæ tamen interim vim habent & obligant, nisi quid obsit euidens iniustitia. Quapropter mihi lubet in præsentia quasi certam fingere opinationem, Pontifici magis contrariam; eum scilicet subesse Concilio, nec posse per se solum de rebus Fidei absque falsi suspicione decernere: quæ opinio inter cetera absurda arduam imprimis & incommodam redderet in Ecclesia vniuersa Fidei firmitatem super quacumque noua quæstione; & innumeros ex antiquis hæresum auctoribus absolueret, vtpote qui à Conciliis Oecumenicis damnati non sunt, sed vel à solis Romanis Pontificibus, vel à Prouincialibus Synodis, quas certum est per se ipsas falli posse. Sed hîc eam opinionem fac esse veram; nemo tamen ex eius assertoribus negauit, vt obseruat Bellarminus, * posse Pontificem legitimè hanc illámve sententiam interdicere, ceu hæreticam declarare, eius sectatores plectere, & inde fideles omnes obstringi ad illi parendum; itidem debere subditos obtemperare decretis ac iussionibus profani Principis, quamuis obnoxij fraudibus, & quamuis aliquoties Comitiis generalibus subiecti. Quare vt maximè ab huiusmodi opinione deduci poterat, licuisse tunc Coloniensi ad Concilium id temporis apertum confugere, ibique suum crimen purgare. At si hoc petiisset, fortasse facilè impetrasset à Pontifice; qui vti Concilio stabilienda reliquit quàm plurima ad Pontificiam auctoritatem, ac præcipuè ad concessionum formam, Curiamque

* Lib.4. de Rom. Pontifice cap. 2.

1546. Romanam ſpectantia, ita multò liberiùs,quod in ſe erat, illius cauſæ iudicium ei permiſiſſet. Atqui res ita ſe habet: Proteſtantes eam Synodum execrationibus probriſque repudiant; Nuntios Pontificios, qui ipſos inuitant, contumeliis inſectantur; Colonienſis, promulgato indicti Concilij diplomate cunctos Epiſcopos obſtringente, non accedit, neminem mittit, nihil abſentiam purgat; accerſitus in ius à Pontifice, nec excuſationem affert, nec pro ſe quemquam legat, neque cauſam à Concilio cognoſcendam poſtulat: Pontifex poſt tot annos ſtimulatus querimoniis Cleri, Academiæ, finitimorum Antiſtitum, deiicit ab vna ex præcipuis Chriſtiani Orbis Eccleſiis Paſtorem, qui gregem ſuum à Catholicorum ſemitis abducebat. Ex his omnibus Proteſtantes concludunt, per conſecutionem à Suaui comprobatam, *Concilium non alterius rei causâ coactum, quàm vt ipſos in fraudem coniiceret.* Fingamus Pontificem hanc litem Concilio diiudicandam commiſiſſe: num illa eò vſque protrahenda erat, donec ipſum abſolueretur; intereà verò permittendum Colonienſi, vt gregem veneno paſceret? Haud ſanè. An confeſtim ferenda ſententia? At non conſiderabat Suauis, hinc ſpecioſiorem colorem obtenturos Proteſtantes ad recuſandum Concilium, quaſi iudicem ſuſpectum, quippe quòd mentem ſuam de ipſorum doctrinis patefeciſſet, iiſdem in Colonienſis damnatione damnatis? Satius ergo fuit, ne ſuſpicio in Proteſtantibus augeſceret, ab illius cauſæ iudicio Synodum abſtinere. Sæpè non minùs confert ſupremi Tribunalis auctoritati, ab eo, ne quid importunè agat, cauſam amouere, quàm eiuſdem poteſtati quamlibet quæſtionem profligandam ſubiicere: quemadmodum qui gladium obtinet peracutum, non quolibet vſu eum exerceat neceſſe eſt, ſi nauiter exercere velit in prælio.

CAPVT II.

Pontifex & Legati de morum legibus rurſus agunt.

Ceterùm, an Concilium ad hæreticos decipiendos indictum fuiſſet, an ad efficaciter conſulendum Chriſtianæ Reipublicæ detrimentis, reliqua Pontificis acta demonſtrabant. Narrauimus, à Paulo concreditum fuiſſe Legatis tenorem diplomatis, quod ipſe meditabatur ad Eccleſiam reformandam, & Epiſcopis gratificandum, eorumque iudicium depoſci. Hi verò inſtantibus curis obſeſſi, reſponſum ſuper eo non niſi poſt celebratam Seſſionem reddidere. Tunc verò ſignificarunt; * Si quædam Patribus emolu- 1

* Literæ Legatorum ad Farneſium, 10. Aprilis 1546.

emolumenta ante Concilium, & dum se quisque tamquam peculiarem tantummodò Præsulem agnoscebat, fuissent concessa, illis vtique satisfactura fuisse; tunc verò & vota & iura sua metientibus tanti sublimitate Senatus, in quo ipsi considebant, & vbi ipsorum singulis collegarum omnium dignitas ac potentia ex parte communicabatur, opus esse, ad eorum explendos animos, largiori manu diffundere id quod anteà constricto pugno leuiter aspergere satis fuisset: nihilominùs plerosque Patrum haud videri immodica suprà quàm par esset appetentes. Quare si quod ipsos deceret in curanda subditorum salute, obtinuissent, cui rei nec ex diuinis, nec ex humanis rationibus deesse fas erat, votis expletis acquieturos. Et quoniam Pontifex sententiam Legatos rogauerat, præsertim de redigendis in ordinem *Dataria*, quam vocant, facultatibus; auctores ipsi erant, vt ea ab operibus, non à diplomatibus initium caperent: opera & prodesse magis Christiano generi, & minùs obligare Pontificem; & posse per experientiam meliùs docere, quo pacto conducentia & duratura Diplomata conficienda. Contrà verò, si à Diplomatis sumeretur exordium, in obstacula nec opinata offendi posse, quæ ad retrocedendum cogerent, materiamque populorum obtrectationibus suppeditarent, quasi promulgata fuissent non ad abusus corrigendos, sed ad Christianos decipiendos. Præterea, si aperto Concilio id fieret, sed ipso inconsulto, argumentum id futurum vel diffidentiæ, vel contemptus; adeoque minimè sperandum, Episcopos alacri animorum sensu comprobaturos id quod sancitum fuisset, ipsorum comprobatione nequaquam priùs quæsitâ. 1546.

2 Admonebant pariter, vt iis quæ in Pontificio Senatu agebantur, melior forma præscriberetur: curandum proinde, vt Ecclesiæ, in quibus Episcoporum essent Cathedræ, habito pro eo ac par est examine distribuerentur; quæ verò concedebantur iis quos Principes nominabant, viris maturitate, grauitate ac doctrinâ præditis impertirentur, qui residere in illis possent ac vellent. Sed potissimum, vt multæ simul Ecclesiæ nulli concederentur, ne ex ordine quidem Purpuratorum, qui prælucere ceteris exemplo deberent. Episcoporum ordinem in residendi constantia præcipuè reformandum, quam omnes vti conuenientem ac necessariam fatebantur: sed opponebant, difficillimum id sibi vsu venire, dum suæ iurisdictionis exercitatio à triplici hominum genere præpediretur, à Regularium familiis, à profanis Principibus, atque à Sede Apostolica. Nimis durum esse, non solùm rescire se suo spoliari, sed etiam adspicere;

1546. ſpicere; ac per ignauiam atque vilitatem more priuati degere, vbi per auctoritatem ac reuerentiam iure Præſidis imperandum foret.

Quod ergo ad Regulares attinebat, cùm ibi (aiebant Legati) 3
illorum ſummi Præſides adeſſent, poſſe cum iis aliquid aptè componi. Quod ſpectabat ad Principes profanos, poſſe renouari, ſeu grauiores congeri pœnas ſacrorum Canonum in ſacræ Iuriſdictionis violatores: ſed quod ad Apoſtolicam Sedem pertinet, à Pontificis æquitate medelam pendere. Querelas Epiſcoporum in eo genere oriri ex nimiis penſionum oneribus, ex decimis frequenter imperatis, ex Eccleſiaſticis ad ſacros Ordines indignè promotis, & à ſe anteà reiectis; ex immunitatibus quibus fruebantur Acolyti, Protonotarij, aliique priuilegiis affecti; ex abſolutionibus atque inhibitionibus *Romanæ Pœnitentiariæ*, ipſorum manus, ne flagitioſos compeſcerent, innectentibus; ſed potiſſimùm ex Sacerdotiis animorum procurationem complectentibus, quæ Aulicis conferebantur, ab ea procuratione longè degentibus, eiqueobeundæ ſæpiùs ineptis, & huiuſmodi munerum multiplicatione ditatis. Neque huic incommodo ſatis obuiàm iri alternatione in Diplomate deſignatâ, quâ concedebatur Epiſcopis, per alternos cum Pontifice menſes Sacerdotia conferre, dummodò per eum menſem, quo illa ab Epiſcopo diſtribuenda vacabant, nullo die abfuerint ab Eccleſia. Cùm enim huiuſmodi alternatio multis exceptionibus limitaretur, & reliquis ſex anni menſibus Sacerdotiorum collatio à Romano Pontifice habenda eſſet; haud affatim conſulebatur huic negotio, niſi ordo collationum, quæ fori Pontificij erant, aptè componeretur: ibi ſtatui, inuiolatè oportere animorum curas hominibus doctrinâ ac probitate dignis demandari, qui ad munus per ſeipſos adminiſtrandum adigi poſſent; neque adeò præcellentes vel natalium fortunâ, vel munerum dignitate, vt nequirent Epiſcopi eos habere tamquam ſibi ſubditos, quos ſibi ſiue pares in exiſtimatione, ſiue ſuperiores agnoſcerent.

Seminaria promouenda cenſebant, quippe ſacræ militiæ excolendæ palæſtras egregias. 4

Mala exaggerabant, ex eo genere conceſſionum exorta, quas *expectatiuas* nuncupabant; quibus tunc erat locus, cùm videlicet Sacerdotium primò vacaturum in certa quapiam Diœceſi concedebatur alicui, cum facultate capeſſendæ poſſeſſionis abſque vllo Iudicis mandato, ne concertandum cum Ordinariis eſſet, ſibi ius collationis tribuentibus. Vnde fiebat, à pleriſque has impetrari conceſſiones, aliis de aliis inſciis, vel ſuam vnoquoque

exiſti-

exiſtimante aliquo titulo reliquis præferendam, ac poſteà ad ineundam poſſeſſionem alicuius Sacerdotij conferendi, armorum vi concurri, more bellorum. Suam poſtremò liberiorem in ea conſcribenda epiſtola rationem excuſabant; quòd ſibi viderentur fidelium adminiſtrorum partes eſſe, cùm apud alios de Principis rebus geſtis ſermonem habent, omnem operam ſtudioſè adhibere excogitandis corroborandiſque argumentis ad Principis facta propugnanda; at è diuerſo, apud Principem verba facturos, omne in illum ſtudium prorſus exerere, quò ſincerè veritatis cauſam agant, eamque fideliter ipſi proponant. 1546.

5 Significabant denique, cùm cæremoniæ, piæque exercitationes ſanctioris Hebdomadæ ac Paſchatis propiùs inſtarent, quindecim dierum ſpatio Patrum congreſſus intermittendos, ſeque eâ ratione adductos indixiſſe futuram Seſſionem die remotiori, quàm alioquin indicta fuiſſet; vnde rogare Pontificem, intra Paſchatis hebdomadam reſponſionem remitteret, quò ex luce per eam ſibi communicata tutiùs curſum dirigerent ad habendas de abuſibus quæſtiones. Hiſce communibus Legatorum literis * peculiarem epiſtolam ſuam Ceruinus adnexuit, vbi animaduertit, quemadmodum neceſſe fuerat cogi Synodum, quò ea pars Orbis Catholici quæ ſupererat, in Religione contineretur; ita pariter opus eſſe, accuratam morum ordinationem perfici, vt Epiſcopi eâ contenti quamprimùm illi finem imponerent; quod & vniuerſalis & peculiarium Eccleſiarum commoda poſtulabant.

* 13. Aprilis 1546. ad Farneſium.

6 Libuit mihi huius epiſtolæ ſummam recenſere, quò libertatis hiſtoricæ officio fungerer; ſimulque palàm fieret, agerentne Legati cum Pontifice ceu ſeruiles aſſentatores, an ceu ſtudioſi veritatis aſſertores: nec minùs etiam quò Eccleſia, quæ in præſentia cernitur collata cum ea quæ deſcribitur anteacto ſæculo, non ab iniquis obtrectatoribus, nec ab addictis illi defenſoribus, ſed à viris ingenuis, peritis atque veridicis, liqueat quantum emolumenti à Concilio acceperit, iis malis omnibus expurgata, quæ ſapientes ac religioſi Vaticani Senatores obſeruarunt; cùm emolumentum ſeu detrimentum recentium ſanctionum aliâ menſione diſcerni nequeat, quàm duorum extremorum collatione; ea verò ſunt, rerum ſtatus præteritus, ac ſubſecutus.

Nec obſeruare prætermittam, quemadmodum peſſimum optimi corruptio eſſe ſolet; ita omnes Reipublicæ corruptelas ortum traxiſſe è gemina maximoperè optata in Principibus dote, indulgentia & remuneratione. Quarum prior, dum plerumque derogat

1546. legi, videlicet normæ, quæ ad rectè gubernandum optima censetur, disciplinam paulatim eneruarat; altera ex penuria paratorum, vt assolet, præmiorum: dum enim præterita merita remuneratur iis prouentibus honoribusque, qui ad præsentia in Rempublicam officia rependenda seruari debent, ipsa administris magis necessariis, longeque opportunioribus spoliatur; perinde ac si Princeps stipendia agri sui colonis destinata, ad suos Aulicos remunerandos distraheret. Hisce autem malis occurrere arduum erat absque ope Concilij, hoc est, absque comprobatione communi. Si namque Romanus Pontifex id per se solus confecisset, in omnium inuidiam obtrectationemque impegisset, ceu austerus atque illiberalis. Quod planè tunc patuit: cùm enim in Senatu Vaticano 16. Aprilis noluisset Pontifex duas Ecclesias conferre,* in gratiam Galliæ Regis, duobus ab eo nominatis, ad alteram Ferrariensi Cardinali, ad alteram Borbonio, caussatus, plures alias ab illis obtineri, & opus esse Episcopatuum multiplicationi fines præscribere in viris etiam ita præcelsis, tantique Regis gratiâ conspicuis; grauiter conquesti sunt Galliæ ministri, vociferantes, coarctationem à Gallis inchoandam non esse: à qua certè querelâ minimè abstinuisset, quicumque primus idem pariter passus. Sed plausus magnimæ repulsæ * Tridenti datus querelam repressit, quippe damnatam communi Ecclesiæ iudicio, ceu rationi minimè consentaneam.

* Literæ Maffei ad Ceruinum, 16. Aprilis 1546.

* Responsio Ceruini ad Maffeum, 24. Aprilis 1546.

Nec Legati satis habuere, semel sua sensa Pontifici aperuisse, sed 7
habito post quintum diem vniuersali Cœtu ante sanctiorem Hebdomadam, ad expendendos abusus, quibus per futuram Sessionem consulendum erat, ad conciones ac prælectiones spectantibus, significarunt Farnesio, Animaduertere se in Patribus concordem voluntatem simul etiam agendi de obstaculis Episcopos prohibentibus, ne suis in Ecclesiis residerent: proinde satis memores adagij, Pannum septies dimetiendum, & semel concidendum, per frequentes maturosque congressus inter se disseruisse de rationibus Synodi continuandæ: sed duas tantùm posse in deliberationem venire: alteram; Si post receptionem sacrarum Literarum ac Traditionum ageretur de Conciliis & Apostolicis Constitutionibus recipiendis: alteram, Si ad trutinam vocarentur peculiaria dogmata ad nouas hæreses spectantia, initio ducto ab Originalis peccati dogmate, cui Redemptionis mysterium innititur; nauataque deinde opera argumento *Iustificationis*, huic malo medentis, & Sacramentorum, quæ ad eam acquirendam, confirmandam ac recuperandam sunt instrumenta.

Si

8 Si prior iniretur via, perardua quædam obiici. Etenim aut proponeretur hæc receptio vniuersè stabilienda; & non modò eam futuram Patribus minùs gratam, sed minùs etiam opportunam, cùm earum Constitutionum plures obsoleuissent, nec possent absque graui animorum motu restitui; plures quoque inter se repugnarent. Aut examini sigillatim subiicerentur; & id longissimi temporis opus, & infinitæ dissensionis fomitem futurum, dum amicis inter se confligendum esset iis telis, quæ ad hostes configendos parauerant. Præterquam, quod vbi aliquorum Conciliorum sanctiones abrogarentur, offendi posset in aliqua turbulentiora ingenia, quæ contentionem suscitarent de excelsiori auctoritate inter Pontificem & Concilium: quàm quæstionem Pontifex prudenter iniunxerat, procul à Patribus arcendam, quò schismatis periculum euitaretur. Alteram viam, quâ ingressuri essent in dogmata, Cæsarianis fortasse non placituram: sed ea de re haud multum laborare Legatos, vbi Pontifex aliter non imperaret. 1546.

9 Hinc itaque videre licet, quantum discrepet à vero Suauis, dum hîc narrat, Legatos, cùm intellexissent, in memorato consessu Patres à Cæsareis impulsos iam propendere ad solas morum leges, prætermissis dogmatibus, constituendas, datâ operâ distulisse rem publicæ deliberationis aleæ tantisper committere, dum eam Pontifici significarent; ipsum verò per literas illis redditas 2. Maij Legatos iussisse, quamuis ea obstarent, pergere in vtroque coniunctim argumento pertractando. Quæ narratio tot erroribus quot verbis constat. Nam Legati, vt dictum est, neque quidquam in hisce literis significarunt de huiusmodi Patrum propensione à se animaduersa; neque eas ad ostendendam Cæsarianorum voluntatem scripserunt, sed ad ineundam rectè rationem emendationis, de qua responsum memoratâ die secundâ Maij accepêre. Equidem anceps sum, an id in Suaui penuria notitiæ, an affluentia maleuolentiæ dicenda sit, quò ingenuum religiosumque Legatorum in Pontifice monendo studium obtegeret, nec minorem Pontificis prudentiam ac pietatem, in eorum, vt patebit, suscipiendo consilio.

Adiecerant iisdem literis, Cùm in articulo de peccato Originali, & in connexo de *Iustificatione*, corruptelæ non essent, quæ illis peculiariter responderent; vbi ea dogmata discutienda susciperentur, futurum fuisse opportunum, Ecclesiæ correctionem prosequi: & dum agitarentur duo iam proposita capita prælectionum & concionum, videri cum iis coniungendam de munere Antistitum tractationem, ad quod vtraque pertinent; ac pariter de residendi

 obli-

1546. obligatione, quippe ad eas exercendas necessaria, adeoque de obicibus illam præpedientibus. Postremò iterùm instabant, vt ante diem octauum post Pascha responsum acciperent.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 17 Aprilis 1546.

* Eiusdem Literæ, 24. Aprilis.

Pontifex * promissam à Legatis emendationis formam auidè 10 præstolabatur, vt qui existimaret, nullum pretiosius chariusque vectigal Principi conferri posse, quàm quod ex nobilissima possessione prouenit, hoc est, ex ratione intelligentiaque subditorum. Vnde eâ formâ acceptâ, Legatorum fidem gratiarum actione comprobauit. Et quoniam maturam deliberationem à Romanis Consultoribus res postulabat, idcircò Paulus, quò Legatis gratificaretur responsi celeritate, * per velocissimum cursorem illud intra biduum ad ipsos deferri curauit. Consilij Legatorum summa probabatur quidem Pontifici, sed eos de tribus commonebat. Primum, cùm hanc morum ac iurisdictionis reparationem potissimùm intenderent Antistites, eâ cautione rem Præsides agerent, vt quodcumque periculum procul haberent, ne Patres eâ constitutâ dilaberentur, vel segniùs operam darent Fidei tractationi, in eo fortasse votis Principum obsecundantes; quandoquidem dogmatum Decreta videbantur Ecclesiæ confirmationi adeò necessaria, vt illorum præcipuè gratiâ Concilium fuisset coactum. Secundum, vt dum remouerentur obstacula libero iurisdictionis Episcoporum exercitio, ab Apostolica Sede eiusque Administris iniecta, vnà pariter consuleretur iis impedimentis, quæ à profana potestate inferebantur; quò curatio foret integra, & pars quælibet intra fines officij contineretur. Tertium, vt quemadmodum Pontifex consenserat, ne illius partis emendatio, quæ propriè proximeque sui muneris erat, absque Synodi sententia decerneretur; ita similiter Synodus satius haberet, nihil in eo absque consensu Pontificis definire. Ita præiudicium ac gratia populorum minùs potenti fauentium efficit, vt qui maior est, boni consulat conditionum æqualitatem cum minori.

CAPVT III.

Toletani studia ad decisiones Dogmatum impediendas: & variæ super ea re in Cœtu generali sententiæ.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 4. Maij.

AT Cæsarianis longè diuersa erant in animo. Toletanum 1 præualida mandata compellebant ad retardandas pro virili dogmatum sanctiones, * ne Germanos offenderent, præsertim inter Comitia. Vnde per speciem Præsides salutandi, ea de re sermonem inseriùt, & quasi consilium suggereret, exquisitissimas ratio-

rationes adduxit, quibus peculiare suum votum, tamquam id è Republica foret, ipsis persuaderet. Sed frustrà: nam à Legatis responsum, Id perinde futurum, ac Synodum ad solos Catholicos, non ad hæreticos damnandos habere, dum illorum mores per emendationes improbarentur, horum verò errores anathematum essent immunes. Toletanus, animaduerso argumenta sua sine ictu delabi, auctoritatis telum nudauit, denuntians, sibi à Cæsare iniunctum, vt rem omni conatu perficiendam curaret, idque se apud Patres solerter acturum; nec par esse, offensionis causam exhibere Principi tam excelso, tamque de Religione benemerito. Hinc Præsides aptum auctoritatis contrariæ clypeum opponere; Consideraret, negotium amplius integrum non esse, cùm ita post diligentem deliberationem à Concilio iam fuisset sancitum, & ipsi à Pontifice rem exequi disertè iuberentur. Ad hoc repellendum reposuit Orator, Gnaui ministri partes esse, sui Principis cum ceteris Principibus concordiam conseruare, neque confestim mandata conficere, vbi rerum perturbatio inde prænoscitur; sed Principem admonere, eiusque iterata iussa opperiri. 1546.

2 At ne id quidem spopondere Legati, quò foret in potestate Pontificis, huius officij notitiam dissimulare, vbi consultius id putaret. Quin inter se alteram responsionem Oratori reddendam meditabantur; Ab articulo videlicet de peccato Originali, in futura Sessione agitando, formidata turbamenta cieri non posse; cùm in eo Lutherani à Catholicis non dissiderent, vt constabat ex anteacto colloquio, vbi nulla inter illos de eo certatio fuerat, sed incepta de Iustificatione disputatio. Nihilominùs per expeditum tabellarium de re Pontificem certiorem fecerunt, testati eadem sensa Cæsaris à Tridentino exposita fuisse Montano. Atque tunc illud planè contigit quod superiori tempestati diuersæque causæ Suauis assignat; scilicet per aliquot dies fuisse Legatorum industriâ protractum examen duplicis corruptelæ propositæ, dum tabellarius Româ rediret, qui eos mentem Pontificis edoceret, iam conscij de nouis Cæsarianorum conatibus.

3 Pontifex verò, ac destinati ad id Consiliarij * rescripserunt: Toletani postulatum à se per admirationem acceptum, quippe quòd existimationi Concilij obesset, & in hæreses antidotum impediret. Responderent proinde Legati cuilibet, Non posse à Cæsare rei conscio id postulari, sed perperàm edocto, ignaroque malorum, quæ inde pullularent. Quapropter tractationem dogmatum prosequerentur, & ne in controuersiam quidem sinerent id reuocari. Huiusmodi

* Literæ Farnesij ad Legatos, 13. Maij 1546.

1546. modi iussio propensos ad eam exequendam Præsides nacta est; vt qui Romam scripserant, Vbi responsio cunctaretur, & oporteret interim nouum argumentum proponere, articulum de peccato Originario se fidenter propositisuros: sibi persuadere non posse, Cæsarianos contra omne ius fasque operam impensuros, vt res irrita caderet: sed vtut contigisset, se potiùs Synodo dissoluendæ consensuros; atque idcircò facultatem sibi deposcere ad eam suspendendam. Porrò in eo consilio firmiores perstitere, quòd inaudierant Toletani dissertationem de his rebus habitam cum Cauensi Episcopo: nam ex vna parte homini fidebat, vtpote suæ familiæ, ac Diœcesis causâ Cæsaris potestati subiecto; ex altera, felicis euentus spem in eo locauerat, ob Legatorum pariter in illo fidentiam, ceu in Pontificio administro. Toletanus itaque Cauensi significarat; Cùm vniuersa Germania simul conspiraret, à qua nec Bauariæ Dux dissentiebat, opus esse Cæsari rebus suis prospicere in iis Comitiis, nisi permitteret Domum Austriacam pessum iri: rem per arma minimè processuram; hinc displicituram Carolo dogmatum quæstionem, ne discordiæ exulcerarentur: quod si Patres illam aggredi vellent, nullam Cæsari Concilij curam futuram; id enim argumento esset, sibi alios non confidere. Addebat Toletanus, Optari nihilominùs Farnesij Cardinalis in Germaniam accessum: qui si Cæsari fecisset satis, parem vicissim ab eo gratificationem accepturus erat, vnde Concilij res arbitrio Pontificis reponerentur.

Hæc omnia, vt reipsà patuit, ex arte prætendebantur, vt Pontifex ad suppeditanda præualida auxilia traheretur metu concordiæ 4
inter Catholicos ac Lutheranos, sibi perniciosæ; sed tunc satis fuit, ad præmonstrandum, Cæsareos obiecturos obstacula, ne Synodus ad doctrinæ definitiones progrederetur; atque huiusce rei gratiâ, quò nimirum Patres in solis disciplinæ legibus statuendis distinerentur, eorumdem Patrum postulata in Sedem Apostolicam promoturos. Quare animati Præsides responso Pontificis, quo iubebantur constanter agere, ab eâque ratione quam excogitarant abstinere, quòd videlicet de peccato Originali controuersia cum hæreticis non esset, cùm ea ratio nec re videretur solida, & ne specie quidem præter illum articulum valeret, negotium aggredi statuerunt. Et quamquam, aiebant illi, parum timerent, ne Præsules à suscepto iam consilio resilirent; tamen quocumque modo res caderet, iteratis literis suspendendæ Synodi facultatem petiere. Insuper
* 19. Maij 1546. Maffeo ita * Ceruinus perscripsit: Si Pontifex citra Principum offensionem posset seu Concilio vsque ad commodiora tempora superse-

persedere, seu in interiorem Italiam ipsum transferre, id optimum factu futurum; præsertim cùm Aquensis Archiepiscopus affirmaret, experi à Galliæ Rege, vti Synodus in liberiorem tutioremque sedem deportaretur: bello gerendo videri sibi anni tempus nimis adultum, & rerum conditiones parum idoneas; tamen per eam cautionem agendum, ne omissi belli culpa Pontifici tribueretur, quasi posteà idcircò ea illi essent incommoda toleranda, quæ Protestantibus ob concordiam Cæsar indulsisset. 1546.

5 Fuerat insumpta opera in peculiaribus communibusque congressibus ad conficienda aduersus corruptelas Decreta, pœnasque in Episcopos absentes à sua Sede statuendas: quod ab illis expetebatur enixè, quia per honestum nomen ipsorum negligentiæ corrigendæ, agebatur vt iis incommodis prospiceretur, quæ ipsis erant impedimento. Et Toletanus ægrè ferens petitionis suæ repulsam à Legatis reportatam, ab eisdem per Cauensem Antistitem * efflagitabat, vti sibi temporis moram benigniùs indulgerent ad Cæsaris vsque responsum, ad quem rem peractam scripserat; illud verò paucos intra dies sibi reddendum affirmabat. At ne in hoc quidem fidem suam obstrinxere Legati, seu veriti, ne ea cunctatio per alias ex aliis causas protraheretur, vt assolet, adeoque semper pateret aditus nouæ querelæ, quasi bidui spatium Oratori negatum fuisset; seu quòd percuperent rem perficere, nondum auctoritate Cæsaris tam apertè aduersante, quæ eò difficilius redderet Cœtui quod agendum erat, eoque iustiùs Cæsarem impelleret ad suam offensionem conquerendam.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 22. Maij 1546.

6 At planè res ita accidit. Etenim Toletanus Legatis aperuit, sibi allatos à Granuellano per certum hominem nuntios, * quibus monebatur de acceptis ipsius à Cæsare literis; nihil tamen ad eas rescriptum, sed promissam intra triduum aut quatriduum responsionem. Legati verò, sublatâ omni expectationis morâ, generalem conuentum indixere, vt ad dogmatis trutinam progrederentur; vnum tamen diem cunctati sunt, quò posset Mendoza pariter interesse, iam Patauio regressus, tametsi nondum febri quartanâ liber, quæ die conuentui anteà præstituto illum ex consueta periodo inuasura erat. Sed reipsâ neque Mendoza neque Toletanus adfuere, ne sua ora, quibus ora Cæsaris referebant, exponerent formidato dedecori deiecti litigatoris. Nec ex vano metus: quamquam enim Toletanus * nihil operæ prætermisisset, acciuissetque suam domum decem Præsules vrbium Cæsari subiectarum; tamen hebetiora euaserunt officia, cùm exploratum esset, de postrema Cæsaris voluntate haud constare. Qua-

* Literæ Ceruini ad Farnesium, 22. Maij 1546.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 28. Maij 1546.

1546. Quare coacto cœtu generali die 28. Maij, [a] Montanus, haud 7
ignarus quibus studiis definitiones de rebus Fidei dissuaderentur, sermonem eiusmodi exorsus est, quo posset malè affectos retinere, ne se aduersarios illi profiterentur; quod facilius animaduertebat fore, quàm si iam oppositionem iidem professi, ab ea posteà essent reuocandi. Sic itaque ille disseruit: Nemini fas esse carpere Concilium, quòd id operis sedulò susciperet: quisquis enim negligit in hæresim obuiàm ire, in noxam ac pœnam incidit hæresi fauentium. Statimque articulum de peccato Originario proposuit; de quo aliquid generaliter dictum fuerat in superiore communi conuentu, [b] fusiusque posteà [c] in priuatis cœtibus disputatum.

a Ex Actis Massarelli.

b 21. Maij.

c 24. & 25. Maij.

Ad hæc Giennensis dixit, Paratum se adesse ad differendum de 8
argumento præcipuo paulò antè proposito, quod erat, de pœna nimirum Episcopis minimè residentibus infligenda, quodque reliquis omnibus ponderosius videbatur. Ceterùm, vbi dogmata morumque leges copulanda essent, & de peccato Originali doctrina stabilienda, videri sibi ducendum initium à decisione celebris controuersiæ de Virginis Conceptu. Hac ratione voto Cæsaris consulebat: initâ siquidem à Patribus quæstione de articulo inter duas Catholicorum Scholas, easque doctrinâ pollentes, strenuè agitato, qui in præferuidum diuturnumque certamen abiturus erat, ab intorquendis in Lutheranos anathematis distinerentur. Huic se Bertanus opposuit, cuius religiosus Ordo sententiam communi studio minùs acceptam tuetur; compositeque subiecit: Vtrimque quæstionis huiusce sententiæ viros doctissimos sanctissimosque patrocinari: Ecclesiam eousque professam, rei veritatem nondum sibi innotuisse: neque locum neque tempus postulare, vti curam diesque consumerent in eo quod Fidei commodo haud conducebat: satius esse, silentio controuersiam obuolui, quò parum vtiles, exemploque fidelium minùs accommodatas altercationes sedarentur. Et cum Bertano Hispanorum plerique consensere.

Aliam alij viam inierunt, ne dogmata discuterentur. Fuit qui 9
ceu infructuosam reiecit propositi à Legato articuli quæstionem, in quo meram esse de nomine controuersiam cum Lutheranis affirmauit; propterea quòd illi post Baptismum dicerent manere quidem culpam Originariam, sed non imputari; cùm Catholici contrà negarent eam permanere: sed hoc vti minùs fundatum, perinde minùs probatum. Putabant alij, par non esse, vt Patrum animi nondum propriis abstersis sordibus, cælestis doctrinæ mysteria pertractarent. Sed his Montanus occurrit; Si Patres Concilij, quibus argumenta

gumenta tam ſacroſancta tractanda erant, vellent ſeipſos reformare, confeſtim id perfici poſſe; nemo quippe vetabatur cilicium lumbis admouere, capitique cinerem inſpergere: quod ſi in animo haberent vniuerſum Antiſtitum ordinem emendare, opus eſſe præſtolari alios, quorum ingens numerus iter meditabatur, ac multorum etiam Principum Delegatos, quò leges communi conſenſione ſancirent, adeoque communem pariter obſeruationem conſequerentur. Per hæc refellebatur pariter oppoſitum aliorum conſilium, requirentium maiorem Patrum frequentiam, non ad auctoritatis, ſed ad dignitatis incrementum: contrà enim diſputabatur; Cùm indecorum eſſet Concilio tunc ſegniter otiari, magis oportere multorum acceſſionem opperiri ad leges ſtatuendas, quarum obſeruantia in varia Principum ac Nationum obſtacula poſſet offendere, quàm ad ſpeculatiuas Fidei doctrinas, de quibus conſtabat iam communi iudicio ex cenſuris omnium Academiarum, ex literis omnium ſcriptorum, ex Edictis omnium Principum. 1546.

10 Stabienſis & Senogallienſis apertè protulere Cæſaris repugnantiam. Prior dixit: Si definitiones doctrinæ Patres aggrederentur inuito Cæſare, id & detrimento cauſæ futurum, quæ in obices adeò firmos incurreret, & aduerſaturum ſuſcepto conſilio, quo ſtatutum fuerat, habendam Cæſaris rationem. Conſiderauit alter: Si dogmata decernerentur, dum Cæſar in Comitiis Religionis diſſidia componere adnitebatur, ea quæ ad hoc ipſum ſibi conducerent, fortaſſis obturbatum iri.

Sed oppoſitam ſententiam primo loco eloquenter propugnauit Aquenſis Archiepiſcopus, nec minùs etiam Bertanus, ac Seripandus, quos plerique ſecuti; & ipſe Feſulanus, conſuetus obluctari Legatis, & paulò antè ipſorum voce caſtigatus, quod opportuniori loco referemus, huic ſententiæ adhæſit: tametſi ob clientelam in Cæſarem Coſmi Medicei, ſuæ patriæ imperitantis, orationem ſuam temperauit quâdam obſequij admixtione erga Cæſaris voluntatem, per hæc verba: Perſuaderi ſibi ita Carolum in hæc ſenſa deueniſſe, vt, ſi aliter edoceretur, aliter pariter eſſet iudicaturus. Vnde à Legatis apud * Pontificem laudatus. * In Literis 28. Maij.

11 In hac rerum ſerie deprehenditur, cuiuſmodi hiſtoricus ſit Suauis, dum fingit, Pacecum cohortatum fuiſſe Patres, ne doctrinæ ſanctiones aggrederentur, niſi poſt acceptum Pontificij in Germania Nuntij iudicium: Legatos verò de conſulendo Nuntio conſenſiſſe, aientes tamen, poſſe intereà cum temporis lucro rerum capita Theologorum operâ expendi. Cuius narrationis quælibet pars è re-

1546. gione opponitur veritati; cùm Pacecus numquam Patribus suaserit dogmatum retardationem, nisi obliquis, vt ostendimus, modis; eamque semper Legati reiecerint apud Toletanum non minùs liberè quam apertè, prout Suaui legere licuisset luculentis characteribus exaratum in literarum volumine à se lustrato: quapropter haud sanè hîc mihi licet inurere homini notam decepti, sed deceptoris.

Decretum itaque fuit, post nec feruidam nec multorum altercationem, vt argumentum peccati Originarij agitaretur: relataque sunt capita super eo iam à Theologis expensa in ipsorum congregationibus; quas, vt alibi narrauimus, multò ante institutas, in hoc tempus Suauis turpiter hallucinatus refert. Ea res è sententia Præsidum peracta, non mediocri ipsos affecit gaudio, non solùm ob victoriæ fructum, sed multò magis ob suarum virium experimentum ad alia consequenda: cùm ingens potentiæ momentum sit, se reipsâ potentem agnoscere. 12

CAPVT IV.

De Concionibus ac Prælectionibus reformandis disputationes altercationesque; præsertim de Regularium Priuilegiis. Audacior Fesulani Oratio: quidque ex ea contigerit.

DIctum est, fuisse peculiariter agitatum in superioribus cœtibus duplex argumentum de purgandis corruptelis ad sacrarum Literarum vsum spectantibus, quod nondum habitæ Sessionis tempore satis digestum fuerat, hoc est, de Concionibus ac Prælectionibus: sed in scopulum haud insolitum res impegit; vnde frequenter vsu venit, vt cupientes clamantesque morum correctionem singuli, quorum est illam statuere, vbi posteà simul conuenere, numquam inducant animum ad eam perficiendam: cùm enim singuli emendationem generatim velint, in ea conclamanda cuncti conueniunt; at vbi ad ipsam re conficiendam acceditur, quæ necesse est in vna certa specie fit, certisque restricta rationibus, inter se cuncti dissentiunt, postulantibus singulis eam emendationis speciem, eosque modos, qui vel priuatis cuiusque commodis, vel peculiaribus animi sensis maximè quadrent: vno verbo, hæc vox, *reformare*, ab vnoquoque intelligitur, commune regimen ad suæ mentis ideam peculiarem conformare. 1

Id emicuit in cœtu habito 15. Aprilis, vbi sententiæ tam inter se

se variæ, tam oppositæ prolatæ, vt haud modicam in iis minutatim 1546. perlegendis molestiam passus, nolim eâdem in ipsis recitandis meos lectores afficere. Quicumque verò affectus velamine mentis aciem non obtexerat, satis intelligebat, Præsides adesse Concilio, ceu corpori mixto adest forma, quæ oppositarum qualitatum impetu retuso, elementorum per se discordantium fœdus tuetur, atque ipsa inducit, vt in vnam eamdemque simul actionem conspirent. Hinc est, nullam coalescere hominum multitudinem aut probam aut improbam, quæ sibi aliquem, quacumque tandem ratione, non præficiat Principem. Satis mihi fuerit, memoratu digniora in eo cœtu dicta percurrere.

2 Pacecus significauit, videri sibi, Patres, quibus ea cura demandata, accuratius in recensendis abusibus se gessisse, quàm felicius in remediis excogitandis: quæ proponebantur, fuisse iam à Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio adhibita, sed improspero fructu. Multos censere, quò Ecclesiastici sacris doctrinis imbuerentur, certum statuendum prouentum, quem *Theologalem præbendam* appellant, huiusce rei procuratione Episcopis iniectâ; at penè insperabilem existimari Decreti executionem, vbi ea executori delegato sit obfutura; & tamen huiusmodi prouentus fundari non posse absque aliquo eorumdem Antistitum dispendio: opportunum præ cunctis esse, rogare Pontificem, vt in qualibet Diœcesi destinaret huic ministerio Sacerdotium primò vacaturum, quodcumque illud esset. Innumeras pariter fidelium offensiones oriri ex Quæstorum concionibus, præsertim ob *priuilegia Cruciatæ*, vt vocant in Hispania; proinde lege cauendum, ne quis eo munere fungeretur, nisi habito examine ab Episcopo ad id comprobatus. Quam sententiam Antonius à Cruce Canariensis Antistes, aliique communiter collaudarunt.

3 Inter hæc sedata colloquia Fesulanus insurgens scriptum à se commentarium legit, ardore vehementiori feruentem; sed qui tepidus posteà visus est præ altero eiusdem auctoris, mox à nobis commemorando. Ibi professus initio, vti perturbatorum mos est, à Religione se adigi ad ea expromenda, Episcopos confidenter hortatus est, vt sui muneris essent memores; quod si præstitissent, fore vtique, vt mercenariis ad id non indigerent. Acerbè se angi, quòd liberum esset Regularibus, neque missis neque vocatis, suis in Cœnobiis per Episcoporum Diœceses concionari. *Quod*, exclamauit, *quidnam est aliud, ô Patres, nisi permittere, vt lupi non per ostium, sed aliunde ingressi ouile perturbent?* Dein eosdem per Deum ac Superos

1546. obſecrare non deſtitit ne id paterentur : ſi abnuerent, ſe pro ſua virili parte cauſam ſuſtentaturum, prouocantem ad cæleſte Tribunal, apud quod conteſtabatur ſe inſontem in eo eſſe, & ſuper illos populorum crimen ac ſanguinem abiturum.

Antequam ad Religioſorum Ordinum Præſides ius dicendi perueniret, non defuêre, qui magis amore præteriti cuculli permoti, quàm præſentis tiaræ, in eorum patrocinium linguam impendêre. Ex his Thomas Caſelius Dominicanus, Britinorienſis Antiſtes, *Omnes*, inquit, *reminiſcamur oportet, Romanum Pontificem vniuerſi Chriſtiani gregis Epiſcopum eſſe, & vnumquemque noſtrûm in partem ſolicitudinis ſolùm vocari, prout ſacri Canones loquuntur. Perinde non minùs intrat per oſtium legitimum ouilis, quicumque in Diœceſim aliquam à Pontifice mittitur, quàm qui ab eiuſdem Diœceſis Epiſcopo peculiari mittatur. Ne conquerantur Antiſtites id quod ipſorum vitio contigit, non iniuſtâ Regularium vſurpatione. Illi, ſi docendi, ſi concionandi munus expleuiſſent, hi in ſolitaria ſua quiete ſe planè continuiſſent diuinis occupati laudibus, intentiq; placando ſibi aliiſq; Deo per voluntaria corporis animiq; ſupplicia. Noſtra ſocordia, ne dicam ignorantia, ab Apoſtolica Sede priuilegia Regularibus impetrauit: ipſi totum noſtri miniſterij pondus ſuſtinent; nos prouentibus, nos illius honoribus fruimur, & tamen conquerimur?* Hiſce Caſelij dictis, quæ penè ex Actis exſcripſimus, Senatus communiter aſſenſus eſt. 4

Ad hæc Præſidum primus adiecit, habitâ de iis quæ Pacecus perpenderat ratione: Tametſi in cunctis ſanctionibus pars omnium difficillima eſſet executio, eiuſque potiſſimùm difficultatem in iis quæ tunc agebantur, ſatis intelligeret; tamen ſperare ſe, vel per Antiſtitum in ſuis Eccleſiis præſentiam, vel per aliam rationem id effectum iri: intereà ſatius eſſe, ei tunc negotio operam dari, quod præ manibus verſabatur. Deinde ad Feſulanum conuerſus hæc addidit: *Qui Diuinum ad iudicium prouocant ob gregem ſibi concreditum, cùm ab exteris abripitur, cur animo non reputant, à Regularibus illorum partes expleri ab ipſis neglectas? Si verò Pontifex familias adeò de Eccleſia benemeritas priuilegiis exueret, illæ continuò concionandi laborem desererent cum ingenti fidelium detrimento.* Poſtremò dixit, vti delecti Patrés ſtuderent Decreta conficere ex maioris partis ſententia. 5

Expenſis itaque de integro rebus in priuatis congreſſibus, compoſitiſque plurimorum animis ad media moderataque conſilia ineunda, generalis alius cœtus decimo Maij coactus, quò illi articulo ſtatuendo daretur initium. Ibi lecta ſunt à Bituntino Decreta in priuato cœtu digeſta coram primo Legato, cui ille à ſecretis erat. 6

Tum

Tum à Massarello relatum est id quod conuenerat in aliis duobus 1546
coram Ceruino, qui titulo *S. Crucis Cardinalis* vocitabatur, & coram Polo, quem à patria *Angliæ Cardinalem* appellabant. De huiusmodi vsitatis appellationibus identidem mentionem habebo, vtpote non parum opportunis ad temporum monumenta ac res gestas cognoscenda.

7 Decreti forma eo die proposita hæc continebat: Haud licere Regularibus habere conciones in aliis templis quàm sui Ordinis, absq; concessione non modò suorum Præsidum, sed etiam Episcoporum; neque in sui Ordinis templis absque facultate, scripto ab illius familiæ Præside singulis annis accepta, & ante inchoatas conciones ab Episcopo recognoscenda. Quòd si cum offensione populi concionarentur, possent ab Episcopo in quocumque suæ Diœcesis templo concionibus interdici, nullo priuilegij robore obsistente. Si denique hæreticam doctrinam proferrent, penes solum Episcopum esset eos plectere. Agitabatur posteà de inducenda sacræ Scripturæ prælectione in cunctas Academias, in Religiosorum cœtus, & etiam in Monachorum familias.

8 In eo generali Conuentu supra modum tumultuati sunt Patres ex duplici causa. Primò, quòd Madruccius retulit, accessisse ad se Dominicanum illum, qui à Rege Lusitaniæ eò missus fuerat, atque à se quæsiisse, an putaret eam Synodum ad frugem, an totam ad speciem continuandam: datoque à Cardinali responso, Nullum à se conspici huiusce dubitationis argumentum; illum adiecisse, Magno sibi ad eam argumento esse, quòd sui Regis literis per tot menses nondum vlla responsio redderetur, tametsi precibus iteratis id à Legatis efflagitasset; quod Principem illum retracturum erat, ne ad Concilium sui Regni Antistites Oratoresque legaret. Quapropter Madruccius Patres hortabatur, vti moras abrumperent, ac responsa maturarent.

9 Primo Legato sua per ea negligentia peti visa est; eoque acerbior euasit aculeus, quòd pridie vespere obuiàm habuerat Tridentinum, * dum vterque domo egrederetur, mixtisque inter se variis de rebus familiariter sermonibus, nihil de Lusitani querelis ab eo sibi significatum acceperat, perinde ac sibi videbatur, ex amicitiæ lege potiùs tunc insinuandis, quàm postridie ad Concilium referendis. Is itaque aliquanto commotior dixit, Responsa in promptu futura, quod non semel ipse Dominicano significauerat, vbi tabellarius, qui eas ferret, præstò esset: si verò id homini haud satis erat, licuisse quidem ad se regredi, qui ei aliunde satisfecisset. Postremis hisce verbis

* Literę Romam Tridento missæ 11. Maij, apud Ludouisios.

1546. ſe viciſſim perſtrictum ſenſit Madruccius, perinde quaſi indicarent, alienum ſibi munus arrogaſſe in ea re ad Senatum referenda. Tum verò diſputatio eſt excitata, quodnam eſſet in ea re Præſidum ius atque officium, affirmante Tridentino, nequaquam à ſe aſſumptam auctoritatem quæſtionis alicuius proponendæ, quò ſuffragia rogarentur, cùm id Legatorum eſſet; ſed egiſſe ſe, quod Patrum cuilibet licere cenſuerat, expoſito conuentui negotio, vt ille deliberaret quid Concilio potiſſimùm expediret. Idem confirmauit Henricus Loffredus, Caputaquenſis Epiſcopus, vir eiuſmodi ingenij, quod ipſi liberum, alij turbidum appellabant. Hic Præſidem eſt percontatus: *Quid mihi agendum, vbi aliquid in mentem venerit, quod in rem videatur Concilio proponere?* Legatis id ſignificandum, reſpondit alter: quod ſi ab illis repudietur, idque rationi ſibi abſonum videatur, licebit tibi primo congreſſui referre. Inter hæc Aſturienſis quoque obſtrepuit, quòd literæ iam à Concilio deſtinatæ retardarentur. Reſponſum ad hoc, ipſum decipi, ſiquidem literæ deſtinatæ non reſponſa, ſed inuitationes continebant; detentas verò fuiſſe, ob difficultates iam Patribus cognitas de Principum inter ſe prærogatiuis. Reſponſa ad Luſitaniæ Regem parata quidem eſſe; ſed nõdum Concilio probata, quòd nondum ea mittendi opportunitas adfuiſſet.

Quò verò Patres ab ea inutili contentione Montanus abduceret, 10
ſententiam Pacecum rogauit de Decretis in Synodo recitatis, & ex arbitratu priuatorum cœtuum digeſtis. Reſpondit is, Summam emendationis ſibi videri ſitam in Epiſcoporum ſuis in Diœceſibus reſidentia, docendi & concionandi gratiâ: illud eſſe onus ipſis impoſitum: indulgentiùs ab aliquo pronuntiatum, eos ad concionandum iure Diuino minimè adſtringi; aliter Apoſtolum loqui, tum vbi ait, *Neceſſitas mihi incumbit; væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero*; tum etiam alibi, vbi profitetur, *Apoſtolos miſſos vt Doctores & Paſtores:* non quidem munus generatim concionandi, ſed temporis præſcriptionem ab humanis legibus pendere. Itaque de ſtabili in Diœceſi Antiſtitum mora veteres Canones inſtaurandos, eamque denuntiatâ prouentuum iacturâ, aliiſque opportunis remediis firmandam: & vbi tandem contumacia diuturnior foret, illos vel Epiſcopatu abdicandos. Se, cùm primùm Pampelonenſes Infulas accepiſſet, audiuiſſe, illic ab octoginta iam annis illius vrbis Antiſtitem numquam aſpectum, quòd ſemper vnus ex Purpuratis eam Sedem habuiſſet. Quod ad docendum concionandumque ſpectabat, rogandum eſſe Pontificem, vti viris doctis Tiaras imponeret, qui vt idonei, perinde quoque ad hæc munia ſunt procliues. Probari ſibi, prout

ut propositi Decreti tenor habebat, in cœnobiis, vbi commodè 1546.
posset, sacrarum Literarum prælectionem instituendam; Regulares verò, vti pariter Decretum sanciebat, si quid hæreticum concionibus immiscerent, ab Episcopis puniendos, quantumuis nescio quod Priuilegium, à Franciscanis, vt audierat, dictitatum obstaret.

11 Tunc primus Legatorum ait, Hærere se, & quid in tanta opinionum varietate statuendum nescire, nisi de integro suffragia paucis expressa proferrentur; Decreta verò, pro eo ac plerique sentirent conformata, vniuerso cœtui exponerentur, ipsius iudicio corrigenda & reconcinnanda. At contrà Pacecus admonuit, eà ratione duo commoda præpediri: alterum, Ne vnà cum opinionibus rationes pariter cognoscerentur, quod perinde erat, ac animata corpora intueri, non emuncta cadauera: alterum, quod pendebat ab altero; Si Patres suam quisque per se sententiam plenè declararent, interdum fieri posse, vt aliorum alij auditâ sententiâ discederent à sua, quod neutiquam euenisset, vbi nuda singulorum placita colligerentur ac referrentur. Verùm Montanus illi considerandum proposuit: Absque dubio quidquid breuitati daretur, aliquam in deliberando vtilitatem ablaturum; tempus siquidem prudentium consiliorum parentem esse, & posteriorem diem veluti prioris magistram accedere: sed potissimùm inter reliqua commoda celeritatem existimari, in cuius gratiam cum lucro deperdita ea emolumenta putanda, quæ consilium diuturnius secum afferrent: nimiùm sanè Patres conqueri de Præsidum lentitudine, in argumentis earum rerum expediendis, de quibus agendum esset: nec ea tam parcè perpendi tot in congressibus & publicis & priuatis, vt singuli suas quisque rationes non exponerent, & alienas non audirent. Præ se tulit igitur, velle se progredi ad ea quæ in postero conuentu agenda erant. Sed denuò Pacecus opposuit, dilationi quippe intentus, ne dogmata, vt ostensum est, proponerentur; Esse quosdam ex Patribus, qui nondum sua sensa deprompserant, ceu Cauensem, Bituntinum, aliosque fortasse proloqui cupientes. Quare vtrique, & cuicumque volenti potestas loquendi facta. Sed hi ambo nihil sibi adiiciendum suppetere responderunt, vt qui cœtibus priuatis interfuissent, ibique abundè sententiam dixerint.

12 At verò Fesulanus esse sibi quod proponeret indicauit, cœpitque prolixam acerbamque orationem recitare. Tunc Pacecus animaduertens, se tumultus auctorem videri, cupiensque vel conuentum molestiâ, vel seipsum eâ notâ liberare, petiit à Legatis, vt ab Episcopo quærerent, An de eodem dicturus esset argumento, de quo

in

1546. in præterito consessu disputarat. Negauit ille, & orationem prosecutus, expostulauit, quòd per eam tarditatem, adeoque tenuem auctoritatem res in Concilio agitarentur: eò Præsules conuenisse magnis sumptibus, & grauibus incommodis, & tamen ipsorum sententias ne libertatem quidem obtinere, sed violenter priuatos inter cœtus velut inter custodias coarctari: expergiscerentur tandem Antistites; spectarent, quàm iniquè secum ageretur, quàm studiosè daretur opera ad minuendam sibi & auctoritatem iniunctis legibus, & rem familiarem impositis sumptibus: per noua semper priuilegia subditos attolli, per nouas decimas Episcopos deprimi: quid tandem ipsis reliquum fieri, nisi inane nomen Episcopi? quînam tolerandum, haberi conciones à Cœnobitis in ipsorum Diœcesibus, non petitâ ab Episcopis facultate, nullâ habitâ honoris declaratione Infularum dignitati; sed eâ ratione, quam propositum Decretum præscribebat, vt nihil amplius iuris relinqueretur Episcopis, præterquam vt chirographum signumque religiosorum Præsidum agnoscerent? Confectum esse Decretum plurimis vocibus consultò ambiguis; sed nihil sub ea implicatione tandem reperiri, quod Antistitum iurisdictionem restauraret: vbi illud à Patribus comprobaretur, perinde fore, ac illos assentiri, vt ipsi deprimerentur, & Regulares audentiores euaderent ad confidentiùs spargendum, vti solebant, venenum inter ipsorum ouilia. Conuocatos à Pontifice Patres ad expurgandam Ecclesiam corruptelis; & tamen in hoc Decreto corruptelarum omnium sentinam contineri: à delectis censoribus fuisse inter graues corruptelas connumeratum, quòd verbum Dei à veris & ordinariis administris, hoc est Episcopis & Curionibus, per conciones ac documenta neutiquam exponeretur; huiusmodi tamen abusum non aboleri, sed confirmari à proposito Decreto. Nolle se diutiùs immorari in enarrandis scandalis, quæ istorum operâ populorum animi frequenter passi fuissent: hoc vnum satis; ab ipsis cuncta Episcoporum munera occupata; solos è suggestis Euangelium explicare; solos è sacræ Confessionis tribunalibus animos fidelium regere, susdeque omnia peruertentes. Igitur hortari se collegas Episcopos, vt in Iesu Christi nomine, cuius vices in terris gerebant, seipsos in pristinam auctoritatem restituerent; ingentem illam rerum perturbationem amolirentur, quæ vnitatem Ecclesiæ contra ius fasque humanum atque diuinum in partes discindebat. Dein ad Legatos conuersus, duos priores admonuit, ipsos quoque meros Episcopos quondam fuisse, & tunc pariter Episcopos esse; proinde eosdē decere sacrosancti Ordinis dignitatem non imminuere, sed augere.

Hæc

13 Hæc Fesulani concio à Massarello in suis peculiaribus Actis descripta, & à nobis hîc ferè ad verbum expressa, patefacit, quàm fideliter Suauis affirmet, Fesulanum in id solùm sermonem habuisse, vt Patribus suaderet, par esse, sententias extensas, non coarctatas audiri (quod à Paceco veriùs propugnatum est) atque vt maiorem libertatem in Concilio postularet; & idcircò à Legatis eum verbis increpitum, ac pœnarum minis castigatum. Nec à vero minùs aberrat, vbi narrat, Clodiensem valetudinis gratiâ abitum simulasse, sed reuerà propter altercationem cum Polo in Traditionum articulo, recessisse. Etenim Clodiensis haud obtentâ valetudine, sed perinde ac multi, facultatem * petiit diuertendi ad suam propinquam Ecclesiam per eos sacrariores dies. Neque verò ipse de Traditionibus cum Polo decertauit: sed quòd imprudentiùs de illis verba fecisset, acriter non à solis Legatis modò, verùm etiam ab vniuerso Concilio fuit obiurgatus, sicuti memorauimus. Equidem animaduerto, hæc errata ex eo manare, quòd Suauis non nisi commemoratum volumen literarum Montani legerit, vbi hæ res gestæ perstrictim * Romam nuntiantur. Is igitur quà dictis ambiguis hallucinatus, quà non dicta per consuetam sibi confidentiam suffarciens, commentationes veriùs conficit, quàm narrationes: saltem vbi narrat scripsisse Legatos, abstinere se ab animaduersione in Fesulanum, ne quam amarulentam disputationem excitarent. Declarasset ille, quænam fuisset hæc ab illis excitanda disputatio, quemadmodum explicat eorumdem epistola, & nos pariter explicabimus, quò suspicionem omnem arceamus, quasi fuisset de Pontificis potestate in Synodo dubitatum. Eam disputationem aiebant Legati ex eo exoriri posse, quòd à Pontifice nulla ipsis iurisdictio tradita fuerat, nisi cum Concilio communis; proinde videri, per seipsos nihil posse. Atque vt hac in re cùm Legatorum, tum Pontificis moderatio palàm fiat, libet hîc rescripta ad eos Pauli sensa referre. * *De Fesulani petulantia, vestra sententia Pontifici comprobatur, in præsentia satius esse ad alia remedia non progredi, sed hominem verbis tantummodò castigandum, tum ob allatas à nobis rationes, tum ne loquendi libertas adimi Patribus censeatur.* Ita expedit quandoque Principi veram irreuerentiam impunitam perferre, ne falsam iniuriæ speciem aliis inferat.

1546.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 15. Aprilis 1546.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 11. & 15. Maij.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 24. Maij.

14 Nos verò narrationis seriem repetamus. Montanus, qui per summam impatientiam Martellum audierat, hominis acriùs perstringendi cupidus, illum percontatur, Num firmiter persistat in prouocando ad Dei Tribunal, vt in superiori cœtu prouocauerat.

1546. Ad hæc probè Feſulanus reſpondit; cùm à Legatis fuiſſet priuatim admonitus, perinde quaſi huiuſmodi prouocatio, vbi pertinax foret, hæreſim ſaperet; Se plurimas ipſis gratias profiteri, ſimulque declarare, ſe in eam ſententiam haud locutum; & vtcumque id eſſet, ſecundùm eam ſignificationem ſua ſe dicta reuocare, cùm vtique habuiſſet in animo, eorum more loqui, qui coram Deo conſcientiam ſuam exonerant ob res ab aliis geſtas ſibi non probatas. Eum rurſus interrogauit Montanus; An exiſtimaret, id quod etiam pronuntiarat, Epiſcopos Chriſti vicem in terris gerere. *Ita planè*, reſpondit, *exiſtimo, donec mihi oppoſitum non oſtendatur.* Hic verò Archiepiſcopus Armacanus ad huiuſce dicti defenſionem adiecit, Poſſe Epiſcopos Chriſti Vicarios in abſoluendi munere, aliiſque functionibus nuncupari; non tamen Vicarios generales, qualis eſt ſolus Romanus Pontifex: illos enim in partem ſolicitudinis aduocari. Plurima hinc & illinc dicta, quædam etiam Pacecum perſtrinxere; à quo ſuſpicabantur, Feſulanum de compacto ad ea concitatum.

At Polus graui temperatâque dicendi ratione interceſſit, affirmans, multa quidem à Feſulano de munere Epiſcoporum probè adducta; ſed per ſeditioſam potiùs concitationem, quàm per ſedatam orationem, & more hominis, qui acerbius in alium inuehatur, quàm liberè ſententiam dicat. Complura eius effata ſibi mutuò aduerſari; modò illum ad eleuandam Concilij auctoritatem tendere, ab eo tamquam ab iniuſto ad Dei Tribunal prouocando; ſimulque improbando, inſigniri Decreta nomine Legatorum, à quibus Cõcilium poteſtatis ſuæ neruos excipiebat: modò eidem extollendo ſtudere, contendendo antiqua Epiſcoporum iura illius poteſtate recuperare. Per eam pariter occaſionem, dum in Regulares inuehebatur, vt Epiſcopis auctoritas priſtina redderetur; quo pacto eidem ipſi non occurrere, eâdem operâ ſe conniti vt Epiſcopis pariter adminiſtros ſubtraheret? Vtinam fuiſſet Deo collibitum, vt Epiſcopi ſuo munere per ſeipſos defungi poſſent! longè ſiquidem feliciùs floreret Eccleſia. Deſiſteret proinde ab huiuſmodi declarationibus, non niſi ad inflammandas diſcordias, ſeditioneſque ſuſcitandas opportunis. Hinc palàm fit, quàm veraciter Suauis autumet, Feſulanum eo die à Legatis per affectatam modeſtiam increpitum. 15

At hic exclamans Polo reſpondit: Tacere eum non poſſe, qui ſe ſpoliari agnoſceret. At Montanus, quò verba præcideret, dixit, per infirmam ſecundi Legati valetudinem, qui per eos dies icteritiâ laborabat, haud licere conuentum diutius protrahi. Vnde non defuit, 16

fuit, qui argutaretur, diffusum in Ceruino fel cohibuisse aliud fel, 1546.
quod à Martello effundebatur.

17 Generalis iterùm congressus 18. Maij habitus, in quo Montanus conquestus est in primis, negligi quæ fuerant præscripta, & sibi quemque auctoritatem proponendi æquè arrogare, ac si pari cum Legatis esset auctoritate: quod nec ipsos perpeti velle, nec vbi vellent, posse absque Pontificis indignitate, cuius personam referebant. Aberat à consessu eo die Madruccius, accitu Cæsaris iam in Germaniam profectus, quem alioqui suspicari poterant iis querimoniis peti. Sed ingens exorta contentio inter Montanum & Pacecum, quamquam ea posteà de verbis potiùs quàm de re lis euaserit; quandoquidem nec nisi Legatis tribueret Pacecus potestatem proponendi, simulque rogandi & colligendi suffragia; nec Montanus licere cuicumque denegaret, dum suam sententiam expromebat, in medium proferre quid animo occurreret. Quin accidit, vt cùm Asturiensis vellet Paceco suffragari, res in vtriusque discordiam indignationemque deuenerit.

18 Quod quidem hoc pacto contigit. Affirmabat Asturiensis ex iuris peritorum doctrina, præsertim Bartoli ac Baldi, cuique ex communitate licere quidquid ipse Reipublicæ conducibile arbitraretur, palàm proponere: secùs enim nullum dari locum exponendi quod ipsis Legatis aduersari videretur. Contrà verò sententiam oppositam Montanus tuebatur, causatus veterum Senatus consulta sancita fuisse, solis eam Consulibus Senatui proponentibus; sicut & plebis, ita proponentibus populo solis Tribunis; adeoque hinc patere, decreta semper confici eo qui præest proponente. Obiectam verò rationem refellebat ille, quòd neque aduersus Legatos, neque aduersus quempiam ex Purpuratis Patribus liceret quidquam Episcopis in Concilium referre: optimum esse discrimen, quod Pacecus attulerat in rebus proponendis, vel per occasionem suæ dicendæ sententiæ, vel ex auctoritate sententiæ Patrum exquirendæ. Cuius quidem discrimini rationi haud acquiescente Asturiensi, Pacecus & sui elatione gradus, & sui commendatione dicti pellectus, ad Episcopum versus, *Satis*, inquit, *tibi sit tuam significasse sententiam, quæ, vt animaduertis, cœtui non probatur*. Quare post aliquam inter eos concertationem subiecit Asturiensis, Ab eo se oppugnari, à quo propugnandus maximè fuisset: sed agere se Deo grates, quòd sibi tantum largitus erat, vt posset opinionem suam sine alterius patrocinio sustinere.

19 Acriùs verò Legatus disseruit in prætéritam Fesulani concionem, cuius exemplar petierat, ac Romam miserat. Illam scilicet re-

1546. darguit tamquam plenam calumniis, contumeliis, seditionibus, schismatibus. Calumniis quidem, cùm in Pontificem, quasi priuilegia impertitum iuri Diuino repugnantia, omniumque corruptelarum sentinas; tum pariter in Legatos, quasi libertatem Concilio præpedientes, studentesque suo iure Antistites spoliare: contumeliis, in eos Patres, qui Decretum conflarant, quasi fallax & fraudulentum; multoque ampliùs in Regulares, dum eos cunctis probrorum criminumque sordibus onerabat: seditionibus, Episcopos obliquè cohortando, ne sententias in Concilio dicerent, antequam obtinerent id quod ipsis debitum ille rebatur; & oblatâ vniuerso Religiosorum Ordini ad tumultuandum occasione: denique schismatibus, quòd inficiabatur, licere Pontifici Religiosis concedere, vti liberè concionarentur; aliaque hæresi finitima pronuntiabat. Voluisse Legatum ea omnia Patribus exponere, animaduersione culpæ consentaneâ in opportunum tempus seruatâ, cùm eò die argumenta proposita expendenda superessent.

Paulò pòst Caselius per postremam Fesulani concionem, nescio quo in loco sibi visus appeti, in eo præsertim, quòd ipse in cœtu postremum antecedente responderat, dicendi spatium postulauit; & ægrè acquiescebat Paceco, primoque Legatorum, admonentibus, ea de re satis superque disputatum: vrgebatque; Si iam illi patienter audierant hominem Synodo & ipsi Pontifici obloquentem, longè conuenientius id indulgendum homini, qui suam dignitatem tueretur. Petenti Caselio priùs Galeatius Floremundus Aquini Antistes, dein alij plurimi assensere, Fesulani concionem tamquam indignam ac turpem criminantes. Inter has obstrepentium voces Fesulanus obortis lacrymis contestatus est, haud suæ fuisse mentis, in Synodum vel Sedem Apostolicam quidquam obloqui; quòd si quæ ambigua verba exciderant, Patres obtestari, vt in saniorem significationem acciperent. At Ægidius Falcetta Caprulanus Episcopus vrgebat, Martelli verba in Sedem supremam fuisse perspicua, nec innoxiæ interpretationis capacia: illius nomen iam apud Lutheranos innotuisse, adeoque oportere, vt inflictâ pariter pœnâ innotesceret. Tum verò suo malo sensit Martellus, audaciorem in Magistratus mordacitatem suscipi primò breui plausu arridentis coronæ; sed paulò pòst communi vituperatione discerpi, læsique Magistratus arbitrio derelinqui. Hinc mœstitiâ ac rubore perfusus, nitebatur suæ mentis inuocare testem in dictis, anteactæ vitæ seriem in rebus gestis. Atque vt indignatio in alterius audaciam succensa facilè in commiserationem tepescit, vbi audacia sese abiicit, Floremundus

mundus ipse, ceterique cum eo affirmatunt, Episcopum ita resipiscentem veniam planè mereri. Legatus nec annuere voluit (quippe datis super ea re Romam literis, haud integrum ipsi erat) nec abnuere auctoritate suâ causam decidere: sed eâ communibus quibusdam verbis in incerto relictâ, progressus est ad sententias de propositis Decretis rogandas. Quod, sicut accidit in mediis consiliis inter partes contrarias, visum est libertatis studiosis rigidum, studiosis modestiæ remissum; sed cùm res nulli satis placuisset, nulli vehementer displicuit. 1546.

CAPVT V.

Aduentus Ambrosij Pelargi, ab Archiepiscopo Treuirensi delegati. Sententiarum varietas de Scripturæ prælectione inter Monachos constituenda; deque ea ceteris prælectionibus antehabenda: ac de obligatione concionandi, quâ tenentur Episcopi.

1 IN eo prætereà consessu auditæ sententiæ de aliis iam propositis argumentis: ac primò quidem, An inter Ordines Monachorum oporteret institui in cœnobiis Latina sacrarum Literarum prælectio; & an ea reliquis anteferenda. Vtrumque vniuersè probabatur; sed primum cum exceptione, *dummodò eorum leges haud obstarent*. Ea tamen exceptio à Bertano reiecta, affirmante, nullam Monachorum legem posse huiusmodi Scholæ repugnare: exempli gratiâ, quamquam Carthusiani seueri silentij lege teneantur, nihil tamen huic silentio, quantumuis Pythagorico, aduersari, quòd à Magistro Diuinæ Paginæ interpretationem audiant; perinde ac nequaquam eidem obstat, quòd à Concionatore Euangelij expositionem accipiant. Verùm inclinante die Cassinenses Abbates petiere, ne quid ad proximum vsque conuentum decerneretur, in quo sibi quoque dicendi opportunitas fieret.

2 Hic intra biduum habitus; * vbi exceptus est Ambrosius Pelargus Dominicanus, Treuirensis Archiepiscopi Procurator, & insigni doctrinâ Theologus. Concessum illi suam dicere sententiam tamquam consiliarium, non tamquam Iudicem, ex Pontificio Diplomate; sederetque infra Claudium Iaium, Augustani Cardinalis Procuratorem, cui proximè post Episcopos sedes erat, & supra Abbates, summosque Præsides Ordinum Regularium. Audita postmodum cuiusdam Abbatis Cassinensis opinio, mirificè commendantis, cunctis Monachis Diuinæ Scripturæ prælectionem perpetuò iniungen- * 20.Maij.

 dam,

1546. dam, cui tam assiduè tamque fructuosè nauarant operam veteres illi sanctissimi Monachi: testificari se, nullam Monachis impositam legem huic repugnare; videri tamen sibi hæc verba Decreto addenda, *Omissis Scholasticorum cauillationibus*; istorum siquidem prælectiones sæpè discordias parere, adeoque à Monasteriis longè amouendas. Fuit qui existimaret, falso argumento veram ab eo consecutionem confectam. Etenim considerabat, si Scholasticorum prælectio semen discordiarum foret, æquè pariter arcendam ab ædibus Cœnobitarum, ac proinde à cœnobiis vniuersè depellendam, aduersùs quàm per tot sæcula consuerat Ecclesia: aliunde igitur rationem petendam, cur Diuinæ Scripturæ studium magis, quàm Scholasticæ doctrinæ, Monachorum familias deceat, magisque inter eas floruerit: quia nimirum alterum meditationibus lectionibusque solùm innititur, quibus maximè aptatur Monasteriorum solitudo; alterum haud gnauiter excolitur extra palæstras disputationum atque congressuum; adeoque nusquam numeris omnibus absolui potest intra solitudinem ac silentium.

Quemadmodum verò Abbas ille eruditione quàm scientiâ instructior suas merces euexerat, & alienas abiecerat; ita Dominicus Sotus, à sui Ordinis summo Præside delegatus, idque temporis in Scholasticis disciplinis nulli secundus, suæ facultatis excellentiam propugnauit: sed anteà primo etiam Abbatis asserto sese opposuit; hortatusque est Patres, ne id oneris communiter Monachis imponerent; quippe qui diuturnis precibus meditationibusque obligati, vel nimiùm grauarentur, vel à veteri institutione abducerentur, vbi sacrarum Literarum studium eisdem iniunctum foret; quod Carthusianorum exemplo præcipuè confirmauit. Potiùs igitur labor huiusmodi Mendicantibus relinqueretur, quorum est & scholas & conciones habere. Posteà acriter & copiosè perorauit, ne sacrarum Scripturarum exedris supremus locus destinaretur: Diuina Oracula non posse penitiùs sine acumine Scholastico penetrari: hoc appellari cauillos aut ab eo qui ex ingenij hebetudine illud percipere non valeat, tenebrasque nominat eam lucem, à qua sentit oculorum imbecillitatem sibi perstringi; aut ab eo qui sinceram ab adulterina Scholastica non secernit, adeoque disciplinam vniuersam dehonestat nomine partis minùs quidem propriæ, sed copiosioris, magisque sibi experimento compertæ: rem quò pretiosiorem, eò frequentiùs adulterari. Eâdem ratione posse pariter posthaberi inter externas diuitias adamantem sapphiro, & aurum æri, quòd ea sæpiùs simulentur; atque inter animi opes, despiciendas vni-

vniuersim sapientiam ac sanctimoniam, quòd sæpè earum specie 1546.
fastus & hypocrisis lateant. Quid tandem esse Scholasticam, nisi eam disciplinam, quæ simul coniungit duo lumina homini à Deo indita, Naturæ videlicet ac Fidei; quorum alterum sæpè cum altero fœderatum, numquam certè illi aduersum se habet, & vtroque sibi affulgente, quàm altissimè potest subit Diuina mysteria, & praua Diuini verbi interpretamenta dispellit? Hæreticos in Scholasticam odium capitale profiteri; ea quippe Sol quidam est, qui eorum spectra dissoluit: illi obtrectare, perinde esse, ac fœdus cum Protestantibus inire, & Ecclesiam validissimo armamentario spoliare. Ad hæc monuit, honore ceu lacte cunctas artes ali; & vbi à Theologis intelligeretur, prima decora tribui studio leuiori meditandi suauiter sacras Literas, legendique eius interpretes, adeoque pascendi potiùs ingenij, quam emungendi, eos libenter deserturos fuisse laboriosissimas intentissimasq; Scholasticæ contemplationes. Primaria in militia honestamenta, incitamenta pariter esse debere, adeoque summorum summeque conducibilium laborum præmia.

4 Soti dissertatio communem consensum obtinuit, quod ad emolumenta Scholasticæ pertinebat: at in reliquo alij alia opinati, cùm plerisque videretur, Monachorum vita, temporis etiam opportunitatem concedere sacræ Scripturæ studio, quod precationi non erat impedimento, sed alimento. Cumque alij haud minùs censerent, Diuinarum Literarum exedræ præcipuum locum ex argumenti dignitate tribuendum; arbitrabantur nihilominus, stimulos minimè defuturos, quà maioris gloriæ ex ingenij præstantia, quà ob præmia solidiora atque optabiliora, quàm sit tenuis sterilisque loci prærogatiua, conatusque ad Scholasticam incitaturos. At Montanus controuersiæ finem dedit, monens, indecorum esse tam augusto consessui, in res adeò exiguas tempus insumere: quid Germaniam dicturam, vbi cognosceret, Oecumenicum Concilium, ad hæresis euersionem, & Christiani generis sanctitatem coactum, post longas disceptationes conclusisse, an in Monachorum ædibus esset sanctæ Scripturæ cathedra statuenda, eaque ceteris anteferenda. In existimatione famæ, post magnos apparatus, minus esse exilia opera quàm nulla.

5 In Conuentu itaque diei 21. ad alia Decreta progressi, ac præsertim ad illud, quo Episcopi obstringebantur, vt per seipsos conciones haberent. Vbi admonuit Pacecus, Archiepiscopos pariter ac Primates esse nominandos, ne ipsi causarentur posteà, se in odiosis legibus communi Episcoporum nomine haud comprehendi: præ-

terea

1546. tereà appositam ibi particulam eradendam, quâ declarabatur, licere Episcopis etiam ex scripto id agere; tam enim disertam cōcessionem, nimis tenuem præ se ferre opinionem de ipsorum peritia. Vtrumque placuit: sed non æquè id quod idem adiecit, de pœna in eo Decreto delenda, quæ irrogabatur Episcopis illi haud obtemperantibus, sed Deo vindici permittenda: etenim plerique voluerunt, vt ea retinerentur verba, quæ nunc extant: *Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat vltioni.* Quod, affirmauit Bertanus, vsque ad abrogationem Sedis in contemptores extendi posse.

Censebat idem Pacecus, Curionibus in Paræcia degentibus concedendum, vti Regularibus concionandi facultatem suis in templis traderent. Cui ardenter obstitit Antistes quidam, de quo Massarelli Acta tam ambiguè loquuntur, vt affirmare non ausim, fueritne Dionysius Zannettinus Chironensis Episcopus, Franciscanus, an Benedictus de Nobilibus Aiacensis Episcopus, Dominicanus. Quicumque is tandem fuerit, affirmauit Massarellus, oppositam sententiam fuisse penè cunctis probatam in Cœtu priuato coram Polo; hoc est, instaurandam Adriani Sexti Constitutionem, quâ omnes iniussu Ordinarij concionari vetabantur. Hic verò vehementer incaluit in audaciam Regularium: siquidem vsu venit, acerbissimos aduersarios certæ alicuius communitatis eos interdum esse, qui eiusdem olim membra extitere; cùm æquè valeat vitæ coniunctio ad ingenerandam seu contrariam seu propitiam animi affectionem. Pauci ex Patribus illi, plures Paceco assensere: Britinoriensis verò non minori vehementiâ reiecit rationes obiectas Regularium priuilegiis: Reuoluerent animo, quot Episcopi, & quot Parochi idonei ac propensi forent sanctissimo concionandi muneri: anteà quidem facultatem ad id sibi compararent, & posteà in deliberationem deferrent, an Regularibus abroganda priuilegia: esse certè prima decora Episcopis restituenda; sed pristina ac vera ipsorum decora fuisse, vti cum sacco pro indumento, & cum baculo lecticæ loco incederent ad Euangelium prædicandum; non vti vestium pompam per opulentiam ostentarent, neque vt pinguescerent, seu potiùs per otij vecordiam intumescerent. Vtcumque se res haberet, Concilij non esse Priuilegia Romanorum Pontificum abrogare. 6

Hæc sanè responsi ratio, quæ vltioni exaggeratæ propior quàm defensioni opportuna videbatur, aduersarium ad nihilo temperatiùs repugnandum incendit. Vnde paulatim altercationis æstus adeò efferbuit, vt Caselius hæreticæ assertionis notam in alterum iniecerit. Et quamquam id fundamento careret, tamen Caselij opinionem 7

nionem in præcipua quæstione complures amplexati sunt. Et Fabius Mignanellus, Lucerensis Antistes, priùs in Germania Nuntius, à nobis sæpiùs laudatus, ac posteà Cardinalis, obseruauit, Adriani Constitutionem vniuersè non loqui, sed ad solam Germaniam coarctari, & ne ibi quidem vsu probatam. Atque vt hoc argumentum prosequamur, de integro eam protulit Zannettinus seu Nobilius, in congressu habito die 10. Iunij, monuitque Patres, magnæ esse dementiæ, in suam rem potestate non vti, cùm ea iam obtinetur, & aliàs speranda non est: haud semper coactam Oecumenicam Synodum extare, vix singulas singulis sæculis celebrari. Repeterent itaque Episcopi antiqua sua iura dum possent, & dum inerat Pontifici ea reddendi voluntas. 1546.

8 Huiusmodi declamationes plurimos trahebant eo validissimo illicio, quod præ se ferunt consilia ad communem vtilitatem adducta, vbi illius per se singuli participes fiunt: tunc enim vtilitatis ratio cum honestate coalescit. Adeò vt qui Decretum in priuatis cœtibus digesserant, commoti, vt fieri solet, desiderio vehementiùs vociferantes sedandi, Decretum reformauerint, demptâ quæ ibi Curionibus concedebatur potestate accersendi Regulares, ad conciones in suis Ecclesiis habendas citra Episcopi veniam, sine qua ne in ipsis quidem sui Ordinis templis liceret Regularibus concionari. Sed eam partem Decreti in cœtu 15. Iunij propositi grauiter improbauit Pacecus; Absurdum sibi videri, cùm potissimè Regularium operâ vti necessarium foret, tunc eos possessione priuilegiorum, & antiquis iuribus spoliari: vereri se, ne per ea, dum Ecclesiam adiuuandam curarent, eamdem grauiter læderent, præpeditâ obliquè Diuini Verbi prædicatione, hoc est instrumento ad Religionem seruandam pernecessario: proinde suam esse sententiam, Viennensis Concilij Constitutionem omnino retinendam in Clementina quæ incipit, *Dudum*, titulo *de Sepulturis*: nec sibi placere, vti Parochis iuris possessio innixa Canonibus adimeretur.

9 Hæc dissertatio quatuordecim solùm permouit ex quinquaginta, partim Episcopis, partim Archiepiscopis. Reliqui digestum Decretum tamquam optimum euehebant. Et planè postremâ iam comprobatione firmabatur, cùm Seripandus, Augustiniani Ordinis summus Præses, Regularium causam egit efficaciore quàm Caselius ad persuadendum oratione; quia remissiore, ac persedatum dicendi modum, quem minùs prudentes frigidum nuncupant, & tamen eo calore pollet, qui sit ad euincendas lites aptissimus, vbi aduersarius non solùm est dignitate maior, sed potestate Iudex. At

1546. primò quidem affirmauit, Se in ea causa quacumque animi affectione ita vacare, vt facilè constare poterat eorum Patrum testimonio, qui ad abusus colligendos fuerant destinati, in quorum cœtu ipse omnium minimus adlectus. Etenim collegas vsque stimulauerat ad coërcendos seueris legibus perniciosos concionatores; & cùm intelligeret, longè opportunius eos ab Episcopis, quàm à Religiosorum Præfectis puniri posse, semper auctor fuerat, eam virgam in Episcoporum manibus reponendam, vbi & fortior & formidabilior foret: non adeò sibi in votis esse sui peculiaris Ordinis commoda, quin longe præoptaret vniuersalis Ecclesiæ emolumenta, cui Religiosorum cuncti Ordines militant, & è cuius felicitate cuncti Ordines Religiosi dependent. Sed huius vero studio se permoueri, vt reuerenter Patribus insinuaret, agi in eo Decreto de statuenda re multò maioris momenti quàm species præ se ferret. Considerandum esse, concionandi munus trecentos iam annos à Regularibus liberè exercitum: si mallent Episcopi hoc integrum onus in se recipere, veteres Patres imitaturi, id profectò æquissimum fore: dum enim concionatur Episcopus, ceterorum est non loqui, sed auscultare; non docere, sed discere: perpenderent tamen, quantum oneris hoc pacto subirent.

Non Episcoporum, vt iniquus aliquis censor opposuerat, sed humanæ naturæ vitio tribuendum, si tanto muneri pares illis haud inessent vires. Temporibus præteritis minorem extitisse fidelium numerum, eosque rudiores, & quibus quæcumque sermonis mediocritas abunde fuisset: Ecclesiasticas functiones haud ita frequentes: Episcopos minùs occupatos in Ecclesiasticorum cura, quorum numerus in præsentia longè frequentior: vno verbo, aliam tunc fuisse regiminis; aliam viuendi rationem; & tamen paucos etiam Episcopos huic muneri satis fuisse: hos in hominum memoria viuere; ineptorum multitudinem in obscura obliuione iacere. At in præsentia opus esse in Episcopis scientiam Iuris Canonici, ad iudicandum, neque minus notitiæ rerum ciuilium, ad pertractanda negotia cum Principibus, cum Dynastis, cum subditis tam variæ conditionis, eiusque sæculi, quod omni solertiâ excultum, delicatum, artisque plenum est: huiusmodi defectum dotium in Episcopo vel nullo modo, vel multò difficiliùs, quàm ineptitudinem ad concionandum, alterius operâ posse suppleri: & cum earum dotium ornamentis ægrè coniungi dicendi leporem, peritiam tutamque intelligentiam diuinarum Literarum, sacræque doctrinæ; sine quibus Euangelij prædicationem non incremento, sed detrimento Reli-

gioni futuram; cùm inde eò magis redderetur Præsul obnoxius despicatui, quàm priuatus Concionator, quò quisque ingenio pronior est ad eum qui præest contemnendum, & quò fortiùs idem compellitur, ad alienandam à se multorum beneuolentiam studio iustitiæ ac pietatis; at verò Religiosi Oratoris ineptiam seu imbecillitatem & minùs ab inuidentia animaduerti, & minorem offensionem parere. Omnes Episcopos ad propositam ab Apostolo normam absolutè perfectos piè quidem exoptari posse, sed non prudenter sperari: pauculos singulis sæculis numerari; quin ideò numerari, quia pauculi. 1546.

11 Neque id electioni perperàm habitæ imputandum. Si enim intento oculorum obtutu Orbis theatrum adspiceretur: si cum hominibus intima iniretur consuetudo, & citra latentem illam inuidentiam, quæ nos vrget, vt eos Magistratu digniores existimemus, qui ipsum non consequuntur; profectò palàm fieret, quàm rari his omnibus ornamentis excellant: & tamen ex hominum, non ex Angelorum genere Episcopos seligendos. Sed fac singulos Episcopos, singulos esse Chrysostomos in perorando; num auribus totius Diœceseos vnius vox hominis satis foret? Minimè verò. Eamdem porrò dicendi præstantiam in minoribus Parochis vniuersè præsumere, cuinam incidat in mentem? Leuis haud esse negotij, vitæ probitatem in illis, assiduitatem in Ecclesiasticis muneribus exercendis, & in animarum procuratione solertiam vnà connecti. Studia tum ad cognoscendas, tum ad explicandas res præsertim Diuinas, esse longè laboriosissima, nec facilè coniungi cum solicitudine curandi patrimonia, familias, aliaque plurima, ad quæ humanæ vitæ status animum distrahit. Regulares, quippe liberos ab eorum cura quibus indiget vita, instructos domesticis præceptoribus, exercitationibusque assiduis, iter expeditum habere ad harum disciplinarum excellentiam consequendam: ac proinde tantò illas florentiores in Cœnobiorum quiete reperiri, quàm in externo vrbium suarum negotio, quantò ampliùs florerent legum doctrina ciuilisque prudentia in arena publici consortij, quàm in vmbra Religionis.

12 Iam verò si ponatur, Ecclesiam in concionibus operâ Regularium vsuram; cuiusnam æquitatis esse consilium, vt onus oneri adiiceretur, & ne in propriis quidem ipsorum templis liceret illis verbum promere, nisi Episcoporum arbitratu? Vbi se ita coarctatos sentirent, suisque benefactis hæc demum rependi, congelaturum profectò in ipsis omnem animi conatum ad studium ac laborem: nam Religiosos tandem homines esse, humanisque affectionibus obno-

1546. xios, & in cœnobio, tamquam in palæstra virtutum, exercitatione perfici, non tamquam in Senatu hominum ſedere, qui numeris omnibus eſſent abſoluti. Vbi Patres in eo decernendo perſiſterent, præſtolarentur ſaltem ceteros Regularium Præſides, quorum multi ac præcipui aberant; cuiuſmodi erat Prædicatorum ſupremus Moderator, qui nondum acceſſerat, & duo ex Minorum Ordine, qui ad generalia Familiæ comitia Tridento diſceſſerant. Se iis inconſultis conſentire non poſſe in cauſa communi: quod ſi aſſentiretur, neque vocem ſibi ſuppetituram, quâ ſe purgaret, neque frontem, quâ interueniret proximis Familiæ ſuæ comitiis. Si ne gleba quidem priuato cuipiam adimitur ipſo priùs in cauſa non audito, multo magis ſperandum, à Concilio antiquiſſimis priuilegiis vniuerſos Regularium Ordines minimè ſpoliatum iri, niſi priùs auditos accerſitoſque ad ſuam cauſam agendam.

Seripandi concio mirificè Patrum animos deliniuit, cui preces 13 Andreæ Audentis, Præfecti Carmelitarum Generalis, acceſſere. Contrà verò preces Auguſtini Bonucci, Generalis Præſidis Seruorum B. Virginis, nouum illum dulcorem pænè corrupêre, cùm iis parum opportunè amarulenta quædam miſcuiſſet: Haud ſe mirari, tam raros inueniri, qui priuilegia Religioſorum tuerentur, quando paulò antè, vbi de Epiſcoporum manſione apud ſuas Sedes actum erat (quod poſteà narrabimus, rerum ſeriem potiùs quàm temporum proſequentes ſecuti) maiori patrocinantium penuriâ res laborauerat. Quod irreuerenter dictum, grauem indignationem ac tumultum exciuit: ſed ea perturbatio, Paceco & Oratoribus Cæſareis adnitentibus, breuî reſedit.

Adiecit tunc Montanus, tempeſtatem ſibi minùs opportunam 14 videri, ad priuilegia Concionatoribus Religioſis adimenda; dum Epiſcopi Concilio detenti, minùs quàm vmquam per ſeipſos poſſent munus illud explere. Vnde Aloyſius Lippomanus, Epiſcopi Veronenſis adiutor (qui poſteà in eadem conſiſtens, non Purpurati Præſulis conditione, inter Concilij Præſides à ſubſecuto Pontifice conſtitutus eſt) aliique Epiſcopi inſtitêre, vt Decretum leniretur. Sed exacta iam dies rem in proximum conuentum protraxit. Habitus hic eſt * pridie quàm Seſſio celebraretur; ac primò quidem multi ex Theologis Regularibus ſic vti petierant, auditi. Omnium nomine Franciſcus Pactius ex Ordine Minorum poſtulauit, ne quid de minuendis Religioſorum priuilegiis ſtatueretur, antequam ipſorum Præſides auditi fuiſſent, qui tunc generalibus comitiis aſſiſtebant, ac breuî erant acceſſuri. Dimiſſis Theologis, Montanus ſententias

* 16. Iunij 1546.

tentias rogauit. Abſurdum plerique cenſebant, eos Theologos, quorum ſudoribus ac vigiliis Synodus aduersùm hæreſim tunc pugnabat, ſe loco præmij ſpoliatos cernere priuilegiis, quibus per tot iam ſæcula fruebantur. Verumtamen Patres in tres ſententias partiti: Alij cum Paceco dilationem laudabant: multi exiſtimabant, Decretum de Concionatoribus mutilum atque inutile futurum, niſi ea res ſanciretur; ſed aſſentiebant moderationi Regularibus fauenti: alij denique ad cælum vſque tollebant propoſiti Decreti formam; planeqne admirabantur, eſſe aliquos qui tam benè contextum opus deformari vellent. Nulla ex tribus hiſce claſſibus numerum obtinuit pro omnium ſuffragiorum medietate, adeoque ſtabiliendo Decreto neceſſarium. Legati in ſecundam ſententiam propendebant, tum quòd & æquiorem alterâ, & alterâ neruoſiorem putabant; tum quòd vnica videbatut ad eam componendam diſcordiam, citra vllum vel in præſentia vel in poſterum perturbationis diſcrimen. Propoſuit itaque Montanus quamdam reformati Decreti temperationem à ſe Collegiſque excogitatam, eamque in conſeſſu recitari iuſſit. 1546.

Ea erat: Religioſis extra ipſorum templa minimè licere concionari abſque Epiſcoporum facultate, quantumuis à Parocho ad id agendum in ſua Eccleſia vocarentur: at verò propriis in templis opus ipſis non eſſe aliorum, quàm ſuorum Præſidum facultate; ita tamen, vt ea facultas ab Ordinario agnoſceretur, à quo etiam benedictionem ſuſciperent. Cùm pacta ad ineundam in litibus concordiam huiuſmodi ſunt, vt inde litigatorum alteri accedat plurimum, alteri minimum detrahatur, facilis eſt vtrimque conſenſio: atque ita planè tunc accidit. Etenim parum intererat Regularium, ſibi haud licere abſque Epiſcoporum facultate concionari in Parochorum Eccleſiis, quæ plerumque illuſtria theatra non ſunt, nec vllam aliam ob rem optanda ab iis, qui ſua intra Cœnobia in propriis templis, hominum frequentiâ lociq; ſplendore longè nobilioribus, audirentur; adeoque intelligebant, ſe ab Epiſcopis inuitandos potiùs quàm arcendos, vt in Parochorum templis conciones haberent. Nec accipienda Præſulum benedictio, quò proprios etiam ſuggeſtus inſcenderent, ceu grauis ab illis haberi poterat, abſq; nota vanæ ſuperbiæ, eorumdem inſtituto aduerſantis. Ex altera parte plurimum illis conducebat, peculiarem libertatem domi ſuæ indemnem ſeruare, nec vbiuis locorum facultatem verba faciendi ſibi eripi. At quò minor erat Regularium iactura, eò plus auctoritatis Epiſcopis accedebat. Augebatur in ipſis poteſtas in cuncta Paræcia-

1546. rum templa, nouamque aliquam accessionem in ea assequebantur, quæ alioquin ab eorum iurisdictione fuerant immunia: quod adiectum auctoritati memoratæ interdicendi ac puniendi, Episcoporum iura in ea re non mediocriter promouebat. Potior itaque pars temperamentum probauit, tametsi aliqui, ac præ ceteris Fesulanus, angerentur ob reformatum Decretum; aliique è diuerso, inter quos Episcopi Aquinas & Calaritanus, verba magis fauentia Regularibus flagitarent. Sed hac de re nouum postea Decretum confectum Pio Quarto sedente; quod suo loco * narrabitur.

* Sess. 24. cap. 4.

Hæc fuit illius disputationis textura, à me in Actis, Legatorumque literis inspecta; quamquam Suauis telam alteram, aranearum more, de suo contexat. Varia ille comminiscitur proposita, varia responsa super ea re inter Legatos ac Pontificem; politicas Aulæ Romanæ animaduersiones, mandata de his Romæ ad Legatos missa, & multa quæ hi transegerint cum Italicis Episcopis Regularium gratiâ. Cuius contextæ telæ, in literis mutuis quà Tridenti quà Romæ scriptis ac rescriptis, atque in monumentis secretioribus minutioribusque, ne filum quidem: quin opposita textura deprehenditur. Etenim per diploma, quod à me proferetur, concessit Pontifex facultatem abrogandi priuilegia Regularium, pro Synodi arbitratu; Decretum verò secundùm formam vel maximè illis incommodam, vt ostendimus, à plerisque in generali consessu fuerat comprobatum, & posteà iam pænè manus illi admouebatur; cùm intercessit, non opera Legatorum, nec Præsulum Italicorum, Legatis gratificantium, sed auctoritas Giennensis, eiusque asseclarum, atque oratio Seripandi; contrà verò Martellus, aliique Italici Antistites acerbissimè sunt aduersati. 16

Patefacit insuper Suauis, quasi obtectum arcanum, causam, cur Aula Romana Regularibus patrocinaretur: nimirum quòd illi ex multis antè sæculis per Cógregationes, Cluniacensem ac Cisterciensem, & postmodum per Ordines Mendicantes, auctoritatem Pontificiam sustinuerant. Haud inficiar, multum inde promeruisse Regulares: & quemadmodum ipsi ea de re gloriantur, tamquam de opere incomparabilis vtilitatis ad Religionem conseruandam; ita neque dissimulant Romani Pontifices, velle se hanc eorum operam inter ceteras largiter remunerari: quod liquet ex diserto tenore innumerabilium Diplomatum, quibus & Ordines integri priuilegiis exornati, & plurimi eorum peculiares alumni Superûm cultu decorati cernuntur. Non tamen ea sola Religiosorum Ordinum merita, quibus Suauis adscribit, hæc ab Apostolica Sede beneficia obtinuere; perin- 17

perinde quasi operis excellentiæ non debita, sed ob remunerantis 1546.
commodum reddita. A quadringentis hucusque annis obseruetur, an Regulares, qui tandem, si conferuntur cum vniuersitate generis Christiani, vix modicam particulam conficiunt, decuplo numero supra reliquos ediderint Ecclesiæ & Theologos præstantiores, & viros sanctimoniâ illustriores. Superiora pariter sæcula repetantur; quinam disciplinas reuocarunt in lucem, Caroli Magni ætate barbarie priùs consepultas? Quorumnam calamis hæreses confutatæ? quibus dominantes Arabum doctrinæ deiectæ, quæ Aristotelis armis, per ipsos in philosophiæ solio restitutis, in IESVM CHRISTVM ferocissimè debacchabantur? Regiones, vbi tyrannidem exercet impietas, perlustrentur; quinam ibi Fidem & disseminauit & aluit per sudorem ac sanguinem? Minùs ieiunè Regulares laudasset Suauis, vbi ipsi collibuisset magistrum suum imitari, à quo in suis dissertationibus, politicæ calliditatis lac exhausit, Nicolaum, inquam, Macchiauellum, qui facem Suaui præferre poterat, vt in Regularibus aliquid amplius agnosceret, quò de Fide Orthodoxa egregiè mererentur. Considerat ille,* Cùm opus sit cuicumque Reipublicæ seu Religioni ad sui conseruationem, vt identidem viros habeat, quibus ipsa ad pristinum statum reuocetur; hac ratione postremis sæculis, nimis per licentiam deprauatis, suffultam fuisse Christianam Religionem nouarum familiarum SS. Dominici ac Francisci operâ salutari; qui & exercitatione virtutis, & IESV CHRISTI sedulâ imitatione Fidem in mortalium mentibus pænè extinctam mirificè suscitarunt; eamque consecuti sunt famam cùm in habendis concionibus, tum in confessionibus audiendis, vt eam sartamtectam seruarint aduersus exempla perniciosissima, quæ per flagitiosa illa tempora vel in magnæ notæ Ecclesiasticis visebantur. Adeò æquior est in Regulares profanus quidam magister impiæ Politicæ, quàm Sacerdos religiosæ disciplinæ professor. Sed hoc intererat, quòd alter effrons contemptor erat cuiusuis Religionis; alter prætereà infensus hostis Catholicæ.

* Lib. 3. Dissert. in Liuium cap. 1.

CAPVT

1546.

CAPVT VI.

Disputationes de Decreto super Episcoporum mansione apud suas Ecclesias; & de illius obstaculis.

IN cœtu 21. Maij, per occasionem Decreti propositi, quo adigerentur ad concionandum Episcopi, Pacecus, vt indicauimus, dixerat, id stabiliri non posse, nisi decerneretur simul de ipsorum suas apud Ecclesias mansione, ad hoc ipsum necessaria, ac de amouendis obstaculis eam rem præpedientibus. Sed tunc plerumque opinio fuit, id ab illo propositum, quò Patres distraheret in perplexum veluti labyrinthum, à dogmatum tractatione: eaque propter modica loquentis ratio habita; prout cuilibet communitati mos est, cùm in consilio priuatum à consiliario proponi commodum creditur, ipsum negligere, animis non obseruantibus, an illud publico bono conducat. At institit adhuc Pacecus eidem sententiæ promouendæ, postquam cœtus 28. Maij decreuerat dogmata pariter esse agitanda: nec ab illius sententia longè aberant Præsides; quod patet ex ipsorum literis ea de re Romam scriptis. Iterùm igitur id propositum in congressu generali 9. Iunij, ibique Giennensis longâ oratione disseruit de incommodis Ecclesiarum ex Pastorum absentia, ac de pœnæ grauitate, quâ coërcendi essent à tam perniciosa seiunctione: eam sibi videri pœnam consentaneam, vt iis qui per maiorem anni partem abessent, saluâ conscientiâ minimè liceret prouentus absentiæ respondentes sibi percipere; qui verò per triennium abesset, Episcopatu priuaretur. Sed totius rei cardinem, aiebat ille, in executione verti: quoniam priùs etiam constitutæ fuerant per Canones pœnæ huiusmodi noxis; verùm executorum socordiâ iam ex desuetudine esse antiquatas. Ad id nihil sibi opportunius in mentem venire, quàm vsum Synodorum Prouincialium restituere, è quibus ingens semper emolumentum Ecclesiæ prouenerat; sed labefactatâ iam Ecclesiasticâ disciplinâ, ne vnam quidem integro sæculo in Hispania visam. Hîc in varias opiniones Episcopi secessere. Alij censebant, antequam obligatio ac mulcta renouarentur, memoratos obices esse tollendos: alij alias pœnas, aliosque earum executores deposcebant. 1

Materanus auctor erat, nihil Canonum præscriptis addendum: ibi non leues pœnas irrogari Episcopis non residentibus, ibique pariter tamquam residentes haberi nonnullos iustis de causis absentes, quæ sunt, vt intersint Concilio, vt Pontifici obtemperent, vtenti 2

ipso-

ipsorum operâ in legationibus, pacificationis gratiâ, vel alterius publicæ vtilitatis: huiusmodi rationes, temporariam absentiam ex veterum præscripto Canonum honestantes, non esse in præsentia à Concilio improbandas: harum autem legum executorem sibi magis idoneum non videri alium, quàm Romanum Pontificem, cuius Tribunali causæ & nomina minorum Pontificum deferuntur: quidquid ab eo iniungeretur, ab illis custodiendum: neque dum Episcoporum mansioni consulebatur, par esse, Pontificem quodammodò in ius vocare, vt pristina priuilegia restitueret; quin potiùs rogandum, eumque proculdubiò gratificaturum. Idem Armacanus confirmauit: addiditque, Nisi Apostoli, quorum Episcopi successores sunt, sedes suas, & in iis conciones deseruissent difficultatibus adacti, haud in tanto decoris fastigio nunc Ecclesiasticos Ecclesiam reperturos fuisse. 1546.

3 Vigerius Senogalliensis hortatus est Patres, vt quò laxamentis iretur obuiàm, declararent, ex Iure Diuino teneri Episcopos obligatione persistendi in sua Sede; quod post alios Caietanus docuerat.

Placuit quibusdam hæc opinatio; sed à plerisque seuerior existimata: & Campeggius Feltriensis Antistes causas plurimas protulit, quæ Præsulum absentiam excusarent; atque inter ceteras, munus aliquod, quo apud Romanum Pontificem defungantur; vel etiam Purpuræ Vaticanæ dignitatem, quippe quæ Purpuratum addicit ad dandam operam Ecclesiæ vniuersali.

Aduersabatur Campeggio Fesulanus, affirmans, placere sibi obligationem commorationis in Sede, sed quæ cunctos pari iure obstringeret; adeò vt per eam non magis esset consultum Fesulis quàm Florentiæ. Vnde risus subortus, dum in comperto fuit, ne Rodulfo quidem Cardinali hominem pepercisse, quamuis & consanguineo & patrono. Exposuit deinde fusiùs necessitatem impedimenta priùs amouendi, plurimis in eo consentientibus.

4 Tunc Iacobus Cortesius Vasonensis Episcopus ita disputauit; Proculdubiò antequam pœnæ statuerentur in Episcopos haud residentes, ea quæ ipsis obstarent amouenda: verùm quæ ipse expertus fuerat impedimenta in sua Ecclesia, non ab Apostolica Sede, nec ab vllo Ecclesiastico, sed à profana potestate fuisse iniecta: ab ea quandoque Episcopum detineri, ne Concionatorem hæreses euulgantem puniat; ab eadem adigi, vt hæreseos reum ad profanam Curiam remittat, graui sumptu & incommodo.

5 Ex his ansam Bertanus arripuit ad grauiter prolixeque perorandum. Sibi, dicebat, semper fuisse persuasum, Episcopi mansionem in

1546. sua Diœcesi vel esse Iuris Diuini, vel illi connexam; ita vt ex absentia lethalis culpa contrahatur; neque quidquam legitimè eam excusare, nisi bonum aliquod maioris momenti. Ei, qui non residet, nefas esse fructus percipere: nec probari sibi, Antistitum conscientiam ex eo grauari solùm (vt aliquis proponebat) seu muneris exercitatione, seu ingressu in Ecclesiam interdicto; sed eas pœnas esse infligendas, quæ vel improbos permoueant: probis siquidem pœnâ opus non est. Videri tamen sibi, eam rem maioris esse temporis ac molis, vtpote quæ vniuersam Ecclesiasticæ disciplinæ reparationem complectebatur: oportere quidem, vti priùs obices arcerentur; at quinam obices? Non qui ab Apostolica Sede, sed qui à profanis Soliis conflantur. Si Romanus Pontifex inepto capiti Sacerdotium elargitur, si ab Episcopi iurisdictione Clericum corruptum subtrahit, nihil esse quod per conscientiam formidet Episcopus; cùm ipsi reddenda Deo non sit eorum ratio, quæ auctoritate Superior gerat, nec malorum, quibus curandis legitima sibi potestas non insit: vt summum sui esse muneris, de iis admonere Pontificem, ei posteà relictâ curâ, penes quem est potestas. Verùm non itidem ipsi licere, in profana potestate malorum curam deponere, quæ ab illa proficiscuntur: etenim hæc interdum non alio iure, quàm abusu m● nus Episcoporum perturbat. Quapropter nisi priùs obtentum fuerit, vt à Principibus leges & consuetudines prauæ deleantur, frustrà præcipi mansionem, frustrà impedimenta leuiora amoueri. Attentè Bertanus auditus, eiusque dicta in futuro cœtu consideranda Patres censuere, cùm tempus ad decernendum non suppeteret, exactâ iam die.

Postridie itaque conuentus de more habitus, in quo Francisco Bandino Senensi Archiepiscopo visum est, quidquid ad mansionis negotium pertineret, in Romani Pontificis arbitrio reponendum: ab eius auctoritate pendere, vt & inflictis pœnis ad eam Præsules adigantur, & vt auctâ eorum potestate alliciantur: quamcumque aliam legem in irritum casuram: potentissimam legem esse, efficacem illius voluntatem, qui summam obtinet potestatem. 6

Cùm autem superiore cœtu Campeggius à residendi onere Purpuratos Patres subtraxisset; Hieronymus Bologna Syracusanus Episcopus eam sententiam refellere conatus est, ostendens præcipuum legis esse vt vniuersos complectatur; eâ solum ratione & tolerabilem & inuiolabilem futuram: minores Antistites maiorum licentiâ primùm offendi, deinde officium negligere. At è contrario nihil magis promouendis rebus arduis conducere, quàm pudorem, ne

quis

quis maiorem priuati commodi rationem habere velle videatur, 1546.
quàm is qui gradu præcellit. Quod ab vniuersis comprobatum, & neruosâ concione ab Asturiensi confirmatum.

7 Gradus deinde factus ad ea quæ pridie Vigerius dixerat, hoc est, an Episcoporum mansio Iure Diuino præciperetur. Quod à Ioanne Salazario Antistite Lancianensi affirmatum, corroborauit Bituntinus argumento pro ea sententia validissimo: Nimirum, cùm iussi à Deo fuerint Episcopi concionari, ac pascere, iussos fuisse pariter residere, eò quòd id ipsum ad illa exercenda necesse sit. Sentiebat tamen ipse, simulque Episcopi Luceriensis, Asturiensis, & alij, fas esse Romano Pontifici hanc legem relaxare, æquè ac vota, quorum pariter custodia Diuino Iure præcipitur, sed graui causâ ad id opus esse. Volebat insuper Asturiensis, vti nefas esse declararetur, Infulas Episcopi cum Vaticana Purpura copulari; simulque vt ediceretur, mansionem ad bonum vniuersalis Ecclesiæ pertinere, quò difficiliùs illius laxamentum indulgeretur.

8 His auditis sententiis, primus Legatorum dixit, Patrum prudentiam ac pietatem in plerisque ex rebus propositis à se laudari; non tamen commendandos sibi videri eos, qui vellent agere cum Pontifice, vel quasi more litigantium cum aduersario, vel quasi more paciscentium cum pari. Si Romano Pontifici proponerent obstacula, quæ ne residerent Episcopos retardabant, illa suâ ipsum sponte sublaturum; non tamen quòd ab aliis ad id obstringeretur. Quod dictitatum fuerat de declarando mansionem esse Iuris Diuini; putare se, nihil in rem conferre: solùm id agi, quò Pontificia dispensandi potestas coarctaretur: sed hoc perperàm. *Etenim*, aiebat, *interfui annos plurimos signaturis*, (in his siquidem *signaturis*, vt vocant, tunc mos erat Pontificum dispensationes vniuersè impertiri) *nec vmquam animaduerti, cuiquam Episcoporum huiusmodi priuilegium concessum. Episcopi per seipsos eam sibi libertatem arrogant. Certum sit apud nos, permansurum in sua Diœcesi quemcumque Episcoporum, cui Pontifex absentiam non indulgeat, & nullâ opus erit ampliùs sanctione ad stabiliendam ipsorum mansionem.* Adiecit ad hæc; Quod spectaret ad Cardinales, Pontificem de se prospecturum: de iis tamen haud parem reliquis rationem habendam videri; illos plerumque Episcopos non esse, sed solùm quorumdam Episcopatuum administratores: & propter maiorem quâ pollebant auctoritatem, multos ex Purpuratis longè meliùs suas Ecclesias regere absentes, quàm minores Episcopi præsentes regerent.

9 Hæc Montanus. At Ceruinus subiecit; Cardinem illius delibera-

1546. tionis in eo verti, an de mansione Decretum in præsentia conficiendum, an præstolandam obstaculorum remotionem; quod temporis diuturnitatem postulabat, vt compertum erat ex tam multis grauibusque quæstionibus ad eam rem propositis. Patres itaque rogati sententiam, in id vt de ea re ampliùs deliberaretur consensere: ac rationibus quidem accessit vniuscuiusque propensio; cùm plerisque mortalium placeat, adeoque videatur, ei negotio tamquam maximè necessario, maximæque celeritatis indigenti consulendum, quod plurimùm ipsis conducit.

CAPVT VII.

Patrum dissensio de affirmanda ceu magis pia opinione, de Virginis immunitate ab Originali peccato: & errata Suauis in ea re.

PRæter disputationes de disciplina, dogmatum Decreta de noxa Originaria diligenter expensa. Et sanè stimulante in primis Paceco vt quæstio de sanctissima Dei Parente definiretur, creditum est, de industria nodosum illud argumentum ab eo propositum, vt per propinquam Sessionem enodari non posset: sed posteà compertum est, id ex sincera in Virginem pietate ab eo profectum. Opportunè verò paulò antè * accesserant duo Theologi eiusdem Nationis, eò missi à Pontifice, Didacus Lainius, & Alfonsus Salmeron; quorum priorem, antiqua nostræ Societatis monumenta tradunt, vehementi eloquio perorasse pro sententia cui Pacecus fauebat. 1

* In Actis in Arce S. Angeli, vbi agitur de Congreg. habita 25. Maij 1546. in qua propositi articuli de peccato Originali; & numerantur hi duo Theologi.

Lecto igitur in generali Congregatione 8. Iunij Decreto de Originali culpa, prout digestum fuerat in priuatis cœtibus, Pacecus arbitratus tantæ rei decisionem breuî temporis angustiis restringi non posse, petiit vt vniuersali positioni, quâ communis cunctis hominibus huiusmodi noxa declarabatur, hæc verba adiicerentur: *De beata Virgine sancta Synodus nihil definire intendit; quamuis piè credatur, ipsam absque peccato Originali cònceptam fuisse.* In illius sententiam plerumque itum. At Episcopi, aliique ex Ordine Dominicano qui aderant, acriter intercessere; quos nonnulli secuti. Opponebant illi, Vbi altera opinio pia declararetur, alteram impiam declaratum iri: quod perinde foret, ac tacitè quæstionem decidi. Idcircò suasum fuit, vt ea verba excogitarentur, quæ neutri opinionum officerent; sed vtraque in eo statu persisteret, quem tunc apud Ecclesiam obtinebat. Hinc in Theologorum congressibus huiusmodi tenore Decretum confectum: *Declarat sancta Synodus, non esse sua intentionis,* 2

compre-

comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato Originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam, Matrem Iesu Christi; de qua re nihil in præsentia intendit decernere; sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti. 1546.

3 His tamen non acquieuit Pacecus. Causabatur ille, in cœtu superiore supra duas tertias partes in ea verba consensisse, *Quam piè creditur absque peccato Originali fuisse conceptam.* Hanc sententiæ pietatem negari non posse, quando non solùm cuncti Regularium Ordines, vno excepto, cunctæque Academiæ huic opinioni adhærebant, ceu magis piæ; sed ipsa Ecclesia solemni ritu Conceptæ Virginis diem celebraret. Legati diuersa opinabantur: Montanus quidem immaculatum Virginis Conceptum probabat; Ceruinum Massarellus refert contrarium sensisse; de Polo nihil mihi compertum est. Verumtamen id inter eos conueniebat, haud committendum, vt dissidij fomes inter partes Catholicas inardesceret; neque vt adhiberentur voces, quibus quidquam earum cuilibet detraheretur. Respondit proinde Ceruinus; Si quid in cœtu præterito ea de re Patres pronuntiauerant, id neque Legatis rogantibus peractum, nec legitimo ad decernendem ritu: in anteacto conuentu 28. Maij statutum fuisse, vt nihil in illa controuersia decideretur, & pars vtraque illibata persisteret. Si cui partium forma proposita quidquam officeret, eam posse mutari; sin minùs, par non esse aliam formam induci, per quam obliquâ veluti viâ extorqueretur id, quod Synodus rectâ inconcessum volebat. Tunc proposuit Asturiensis, vt ea particula deleretur, quâ dicebatur, *Nihil in præsentia Synodus intendit decernere.* Quod, quantum arbitror, eò respiciebat, vt saltem declararetur, in vniuersali affirmatione contracti à cunctis hominibus originalis peccati haud necessariò beatam Virginem comprehendi, adeoque per deductam inde ab aduersariis argumentationem nihilominùs probabilem reddi eius immunitatem.

4 Hoc dictum Bertanus aliique Dominicani plausu excepere, vt accidit grauiora periclitantibus: at Paceco eique addictis molestum accidit. Itaque ex integro repetita suffragia, & conuentus vltra morem productus. Eò demum res deuenit, vt quamuis plerique conceptam sine labe Virginem existimarent, plerique tamen satius duxerint, nihil oppositæ sententiæ detrahendum esse. Quare Decreti verba ex Asturiensis dictis comprobata sunt, ægerrimè ferente Paceco.

5 Suauis hoc in loco & falsa narrat, & impia depromit. Res gesta sic ab eo narratur, perinde quasi tota Concilij controuersia in eo

1546. verteretur, An admittenda esset diserta exceptio in Decreto, quâ declararetur, de Beata Virgine Synodum minimè loqui. Id, nec amplius, à Franciscanis postulatum, id pariter à Dominicanis impugnatum. Et tamen res è diuerso contigit; nam Dominicani in id facilè consenserunt; sed certatum est, An adhibenda essent in Decreto verba, quibus plus laudis ac præstantiæ Franciscanorum sententiæ accederet.

Alios tamen minùs tolerabiles errores, de iis quæ ibi sunt gesta, 6
substernit Suauis, veluti basim impietati suorum dictorum. Colorat ille venerationem Ecclesiæ gradatim assurgentem erga Dei Matrem, quasi ex errore vulgi decepti. Narrat, ad obstandum Nestorianæ hæresi, quæ negabat Christum naturalem esse Dei Filium, adeoque Mariam *Dei Matrem* appellandam negabat, inductas fuisse pictas tabulas, in quibus Virgo proponebatur Christum infantulum vlnis complexa, quò significaretur, illum vel pro ea ætatula adoratione colendum. Placet itaque Suaui, hinc profectam errandi occasionem; quippe quòd in illis picturis cultum Matri populus tribueret, & Filium quasi appendicem quamdam arbitraretur.

Enimuerò enormius mendacium mihi numquam obstrepuit. Ve- 7
rum sanè est, post damnatam Nestorij hæresim, inductam fuisse
* Baron. anno 441. * tam in Orientis quàm in Occidentis Ecclesias consuetudinem piumque studium appellandi frequenter plerisque vocibus Virginem augusto nomine *Dei Matrem*; adiectumque etiam illud esse solenni precationi, in ipsius honorem compositæ ex verbis Angeli eam salutantis, & Elisabethæ excipientis. Verum quoque est, exæstuasse tunc in omnibus ardorem ac studium eius venerandæ atque colendæ, in execrationem illius detestabilis hæreseos, quæ Virginem à tanto excellentiæ fastigio deiicere conabatur: quemadmodum pariter nouimus increuisse apud fideles aliarum seu diuinarum seu sacrarum rerum reuerentiam, veluti SS. Triadis, Eucharistiæ, Imaginum, ex oppugnationibus, quas identidem aduersus ea hæretici moliti sunt. Ceterùm de sanctitate Virginis, eiusque excellentia supra vniuersum Cælitum chorum, tanto cum honore locuti sunt Patres Græci Latinique vel ab ipsis Ecclesiæ primordiis, ac tam copiosè illorum testificationibus referta sunt volumina, cùm Theologicas quæstiones, tum pias dissertationes meditationesque complectentia, vt perinde sit, vulgi ruditati adscribere tantæ existimationis originem, ac planè sibi persuadere, in cunctis lectoribus vulgi ruditatem inscientiamque repertum iri. Ne sim longior in tam dilucido argumento, paucos adducam Nestorianam hære-

sim

sim antecedentes. Inter Græcos S. Epiphanius longam in laudes Virginis Orationem contexit; de qua, more attoniti atque obstupescentis, ex reuerentia hasce inter ceteras laudes commemorat: *Gratia S. Virginis est immensa.* Et mox: *Solo Deo excepto, cunctis superior existit. Naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minimè sufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt; non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.* Et posteà: *Conspicio illam ab Angelis adorari.* Et rursus: *Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim & Seraphim.* Non igitur vulgi error fuit hic Mariæ cultus inter homines, sed imitatio illius venerationis, quâ illam tam præcelsæ mentes colunt, quarum perspicacissima lumina picturæ ambiguitate non illuduntur. 1546.

8 Nolo concionem huc adducere, quæ nomen Athanasij præ se fert, Virginis laudibus planè contextam, cùm reuerà nec eius opus, nec alterius eiusdem ætate scriptoris videatur. At sanctus Ioannes Chrysostomus in sua Liturgia sic Ecclesiam bis loquentem inducit: *Sanctissimæ & intemeratæ, ac supra cunctos benedictæ Reginæ nostræ, Matris Domini ac semper Virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis memoriam celebrando.* Vbi perspicuum est, omnibus cæli Ciuibus Virginem ab eo anteferri. Et priusquàm ad Latinos accedamus; S. Ephrem Syrus, cuius Opera ex * S. Hieronymo nouimus legi solita publicè in Ecclesiis post Diuinæ Scripturæ lectionem, duas Orationes conscripsit, alteram de Maria, alteram ad Mariam. In priori vocatur ab eo, *Regina omnium, spes desperantium, Domina nostra gloriosissima, sublimior Cælitibus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus supremis exercitibus gloriosior, omnium Sanctorum Corona, ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa.* Ibique leguntur verba, quibus Ecclesia vtitur, *Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix:* & dein eadem Virgo salutatur *virorum pariter atque mulierum Regina & Patrona, Dei & hominum Mediatrix optima, Regina supernorum Ciuium, & Domina Angelorum.*

* In libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

In altera suauissimo quodam sensu eam agnoscit ceu præsidium vnicum suum, omniumque fidelium. Ita de Virgine senserunt SS. Patres Græci & Orientales, antequam imagines, impietatis Nestorianæ causâ depictæ, fidelium prius oculos, deinde animos possent decipere. Audiamus quænam fuerit apud Latinos opinio de Virgine iisdem pariter vetustioribus sæculis.

9 S. Hieronymus in Præfatione super Sophonia, loquens de cunctis mulieribus quæ sanctimoniâ claruerunt, dixit: *Quarum velut siderum*

1546. *rum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit.* S. Ambrosius in libro de

* Cap.7.

* Institutione Virginum, illam proponit tamquam cuiusuis excellentissimæ virtutis exemplar; affirmatque, ab ea vel oculorum coniectu castimoniæ donum in alios transfusum. Sed mihi libet paulisper insistere in luculentissimo simul & efficacissimo S. Augustini testimonio, vtpote quod ad argumentum, de quo agimus, potissimè pertinet. Desudabat ille in oppugnanda Pelagianorum hæresi, homines ab Originali peccato eximentium, & multos etiam à noxis liberè contractis, eosdemque in quemdam statum intaminatæ perfectionis, huius vitæ tempore collocantium. Vbi demonstrauit Augustinus, omnes quidem vtrique peccatorum generi subiacere; tametsi disputationis æstu feruesceret, se planè hac limitatione temperauit: * *Exceptâ sanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos, & cùm hîc viuerent congregare possemus, & interrogare*, & cetera quæ sequuntur. Intendatur nunc animus, an tam sublimis existimatio de singulari Virginis sanctimonia ex vulgi simplicitate, ac teneritudine pietatis, atque ex ambigua imaginum figura post Nestorianos errores inducta ortum traxerit.

*De Natura & Gratia, cap. 36.

Sed quando imagines proferuntur; quid ad hæresim Nestorij, 10
Iesum ostentare dignum adoratione etiamnum infantulum? Num fortè id inficiabatur Nestorius? nihil minus. Et quâ sanè specie inficiari poterat, cùm adeò perspicuis notis Euangelium demonstret, Christum Dominum infantem in præsepio adoratum fuisse & à Magis prodigiosâ stellâ deductis, & à Pastoribus Angelorum nuntio inuitatis? Præterquam quod, si huiusce rei gratiâ hæ imagines pingebantur, cur non etiam in cunis iacens, seu per aliam quampiam figuram infantis expressus, sed in Matris brachiis? Quis Ecclesiæ consilium non aduertat? Christum esse Deum negabat Nestorius, atque ita Virginem esse Dei Matrem pariter negabat, adeoque cultum omnem illi adimebat, qui ob tam incomparabilem excellentiam ipsi debebatur. Damnatus is fuit in Ephesino Concilio, inductusque mos pingendi Dei Parentis imagines adorandas cum infante Christo inter vlnas, quò significaretur, adorari Mariam tamquam illius Puelluli Matrem, & per id eam esse Dei Parentem: vbi enim qualiscumque alterius filij parens esset, nullus adorationi titulus præferri poterat.

Per

11 Per eadem ludibria deridet ipse quasi ex ignoratione populari 1546.
subortam sententiam, quæ ab Originali peccato Virginem liberat. Non est hîc mihi consilium propriam mearum opinionum, sed communem Ecclesiæ causam tueri: quapropter nolo pluribus prosequi testimonia & argumenta, quæ tot Catholicorum Scholæ & Academiæ hac de re congessere. Ea librorum copia pro hac sententia ab aliis edita est, quæ ad instruendam Bibliothecam abunde foret. Solùm obseruo, à Suaui, seu fidelitatis seu eruditionis experte, perperàm adduci Scoti dicta in hac quæstione; solùm enim refert, hæc & non ampliùs ab eo dici: Potuisse nimirum à Deo effici, vt Maria Virgo vel numquam peccatum contraheret, vel vnico solùm momento; vel aliquo temporis spatio: Deo solum compertum esse, quid reipsâ factum sit: primum ex his esse probabile, vbi non obstet Ecclesia, vel Scripturarum auctoritas. Ceterùm scire oportet de Scoti sententia (iis etiam prætermissis, quæ ex historia, eiusque Vitę scriptoribus habētur) ipsum in tertio Sententiarum libro dist. 3. quæst. 1. tam in scripto Oxonij priùs dictato, quàm in eo quod posteà dictauit Parisiis, non solùm soluendis argumentis aduersus immunitatem Virginis ab Originaria culpa dedisse operam, sed etiam studuisse prævalidis argumentis huiusmodi sententiam confirmare. Præsertim verò, quod Aquinatem impulit, ad opprimendum, Non posse Virginem à Christo redemptam affirmari, nisi priùs peccato fuisset mancipata; retorsit Scotus affirmans; Quinimò non fuisse potiùs Christum perfectum Redemptorem, nisi aliquem perfectè, hoc est, ab omni pœna redemisset: & quoniam Dei gratiâ vel per momentum carere, grauissima pœna est, par fuisse, aliquem à Christo ita redimi, vt ne momento quidem temporis Deo esset inuisus: vnde, vt Christi merita ipsi tribuant nomen ac laudem perfectissimi reconciliatoris, excellentissimi sequestri, & absolutissimi benefici, oportuit, vt aliquem liberaret à culpa, odioque Diuino, quocumque temporis momento, ac demum ab omni labe, quæ animum inficit ex Adami delictô: postremò retortum argumentum his verbis claudit: *Magis igitur indiguit Maria redemptione, quàm quicumque alius; quia tantò magis indiguit redemptione, quantò maius bonum sibi conferebatur post redemptionem. Cùm igitur maius bonum sit innocentia perfecta, quàm post lapsum culpa remissa; maius bonum sibi conferebatur præseruando ipsam ab Originali, quàm si posteà fuisset purgata.*

12 Audire vellem à Suaui, vtrùm huiusmodi verba solùm tendant ad rem ceu possibilem, an ad effectæ rei veritatem ostendendam. Præterea illa exceptio, *nisi cum Ecclesiæ & Scripturæ auctoritate pugnet,*

1546. reperitur quidem in priori Oxoniensi scripto, quo tempore Scotus minori peritiâ prædicus, adeoque formidolosior erat; sed non in Parisiensi, postquam potuit pleniori studio rem indagare. Et quamquam in 3. distinct. priùs allata in neutro duorum scriptorum quidquam asseueranter concludat, solumque dicat, Potuisse Deum quolibet ex hisce modis se gerere, adeoque differat potiùs more ad affirmandum propendentis, quàm affirmantis; tamen in Oxoniensi commentario in distinct.18. quæst. vnica §. *Hoc visum*, fidentissimè hoc affirmat: siquidem ibi distinguit in cælo variam Sanctorum conditionem; aliorum qui olim inimicitiam cum Deo contraxerant ex patrato à se delicto; aliorum ex solo Originali; & alicuius, qui ex neutro illorum fuerit vmquam inuisus Deo, & talem ait fuisse B.Virginem. Haud tamen dissimulauerim Scotum, quemadmodum in Parisiensi scripto dist. 3. timorem abiecerat, quem præ se tulerat in Oxoniensi eadem dist. 3. ob auctoritatem Ecclesiæ, sacræque Scripturæ, quem tamen exuerat in eodem Oxoniensi scripto ad memoratam distinct. 18. ita è contrario cautiorem redditum in eo asseuerando ex rei conuenientia, quod in Diuino solum arbitrio situm erat, addidisse dubitantis particulam *forsitan* illi doctrinæ, quam de perpetua Beatæ Virginis innocentia in Oxoniensibus prælectionibus dist. 18. absolutè tradiderat.

Atque hæc de Scoto. Ad defensionem Concilij gradiamur, aduersus quod inductis in suæ fabulæ scenam Germanis, Patrum Senatum obiurgat atque deridet ob memoratam exceptionem, prorsus à ratione alienam, ac dubitationi subiicientem cuncta generalia sacrarum Literarum effata, incertumque reddentem in singulis Adami posteris Originale peccatum. Ex eo enim quòd Mater Dei fuerit, nullum ait haberi fundamentum, quo ea immunitas innitatur; cùm S. Bernardus ad Canonicos Lugdunenses * scribat: Vbi huiusmodi argumentum valeret, fore vt oporteret etiam ab Originaria labe subducere patrem Dei Parentis, atque ita procedere per superiores totius stirpis generationes. 13

* Epist.174.

Ab hoc postremo ordiamur. Scire cuperem, quibusnam typis fuerit editus hic Bernardi liber, quo tantum ineptiarum continetur. Qui sanè poterat eximius ille Doctor hoc affirmare, quin vnà peruerteret tot singulares dotes, quas in Dei Matre veneratur, non modò supra ipsius proauos, inter quos aliqui scelesti numerantur, sed supra res omnes à Deo procreatas? Quo pacto non improbasset solemne festum Natæ Virginis, quod in eadem epistola comprobat, & quo nullum eius proauorum natalem diem honestamus? Alia omnia 14

nia

nia Bernardus. Volebant Lugdunenses Canonici propriâ auctoritate, Romanæ Ecclesiæ iniussu, Conceptæ Virginis celebritatem inducere. Id meritò reprehendit Bernardus, eosque admonet, vt Apostolicæ Sedis iudicium consulant, ac sequantur, cui se & illam & quamcumque aliam suarum opinionum subiicere contestatur. Quâ igitur fronte audet Suauis Bernardum aduersus eiusdem Sedis Decreta producere? Iam verò quoniam illi Canonici sic ratiocinabantur: Celebratur Natæ Virginis dies festus, ergo Conceptæ pariter est celebrandus; cùm perspicuum sit, haud orituram fuisse B. Virginem, nisi conceptus præcessisset: ipsis respondet; Si quid argumentum illud probaret, eodem conficeretur, celebrandum esse diem natalem parentis, eiusdemque conceptum, adeoque auorum ac proauorum vsque ad Adamum; nam absque illorum ortu & conceptu Maria in lucem edita non fuisset: nullam ergo vim inesse huiusmodi argumentationi, *Honorandus est conceptus, qui honorandum præiuit partum; quoniam si ille non præcessisset, nec iste esset, qui honoratur*: cùm in comperto sit, non semper conditionem sine qua res non euenisset, eiusdem esse præstantiæ, eamdemque mereri venerationem, quæ ipsi rei debetur: alioqui pari esset habenda cultu nutrix ac rex; nisi enim nutrix regem aluisset, haudquaquam ille vixisset. 1546.

15 Ita ratiocinatur Bernardus. In reliquum, vbinam vel ipse, vel alius ex antiquis Patribus vmquam attribuit, non inquam cunctis B. Virginis progenitoribus, sed Abrahamo (in quo affirmat aduersarius esse solidius fundamentum quàm in Maria) ea ipsa priuilegiorum miracula, quæ vnanimes Virgini deferunt? Et tamen ea detulerunt non ex alio solidiore Scripturæ effato, nisi quòd ibi Dei Mater appellatur. Cur Suauis, & Suauiani nouatores non irrident pariter Augustinum, qui in producto à nobis testimonio quemcumque Sanctorum peccato asseueranter subiicit, Mariam verò Virginem subdere numquam audet, contestatus, eâ se exceptione vti in honorem Christi? Et tamen Christi honor nihil ipsum permouit, ne subderet peccati dedecori cunctos Christi non proximos genitores. Fac intelligat eo loco Augustinus peccata dumtaxat voluntariè patrata; num fortè tam de his, quàm de Originali non comperiuntur in sacris Literis vniuersalia asserta? Nónne habetur in secundo Paralipomenon cap. 6. *Neque est homo qui non peccet*; & in cap. 3. S. Iacobi: *In multis offendimus omnes?* Sanctus idem Augustinus, tametsi tamquam Fidei sumat dogma, constituens omnem hominem peccare, non idcircò vult eâ communi regulâ beatam Virginem includi. Quid ita? Num quia Scriptura nominatim eam eximat ex

1546. prædictis vniuersalibus effatis? minimè verò: sed solùm, *quòd ipsa meruit concipere & parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Quo pacto non occurrit Augustino haud hebetis ingenij viro istorum ratio, nimirum multò magis id Abrahamo debuisse conuenire, cuius è lumbis Christus prodierat, & cui Christus fuerat promissus? Quo pacto non animo peruoluit, si semel generales enuntiationes in vno peculiari agnoscuntur incertæ, incertas in singulis reliquis euasuras?

Hæc si obiecta S. Augustinus acciperet, Suauem, vt arbitror, doceret; Primò, nihil obstare veritati ac firmitudini vniuersalis dicti aliquam exceptionem, quæ illi dicto adhibeatur in iis peculiaribus, qui nominatim exprimi solent, vbi eo dicto comprehendere animus est. Etenim cùm eluceat in iis perspicua quædam ac prævalida ratio, ne ibi comprehendantur, satius fuit, locutores absoluere obligatione eos nominandi, quoties intendunt eosdem excludere, quod frequenter intendunt; quàm ipsos disertè appellandi, cùm volunt includere, quod rarò fit. Ita videmus in generalibus mandatis, concessionibus, aliisque huiusmodi expressionibus, haud contineri ex Iuris Consultorum documento quasdam certas res, nisi nominentur. Cùm itaque vni vel pluribus inest conspicuum quoddam discrimen, quo discernantur à reliquis omnibus in ea re de qua fit sermo, eò quòd illa comprehensa non censeatur lege in vniuersum prolatâ, nihil planè ipsius veritas contaminatur, nec in ceteris incerta redditur. 16

In promptu est exemplum in hac ipsa materia suppeditatum. Dicit Apostolus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Et tamen certum est, hoc effatum exceptione aliquâ limitandum, & quidem huiusmodi, quæ priorem solùm partem, non posteriorem restringat; adeóque rationem vtriusque omnino parem non esse: nam Heua in Christo *viuificabitur*, & tamen non est mortua in Adamo. Sed ea exceptio in huiusmodi rem cadit, tam apertè à reliquis omnibus differentem in hac causa, vt nullam valeat necessitatem inducere ad idem de ceteris affirmandum. Cùm itaque satis nobis constet, omnes Adami posteros debitum contraxisse, vt infecti culpâ nascerentur, nec ex vi redemptionis esse illâ purgandos absque Sacramenti efficaciâ, seu re, seu voto suscepti; cumque perspicuum sit, primo conceptus momento per neutrum ex his modis suscipi Sacramentum; necessariâ consecutione conficitur, omnes peccato infectos concipi. Quod tamen generatim affirmatum restringi possit in aliquo, vbi speciatim apparet peculiaris ratio, 17

ratio, propter quam debuisset Deus priuilegio illum donare modo 1546.
quodam extraordinario infusæ sanctitudinis, ob præcedentia Christi merita, suæque gratiæ dono præuerti, absque Sacramentorum opera, primo illo conceptus momento. Similiter cùm iam nobis innotescat, ex Adami lapsu nostras facultates inferiores à ratione desciuisse, furoremque concupiscentis facultatis effrænato impetu ferri ad fugacia oblectamenta; innotescit pariter, neminem diu valere illorum aggressionibus resistere. Et quamquam Diuinâ ope nostra curetur infirmitas, ne diuturno tempore in graues noxas necessariò prolabatur; non tamen robustos eadem efficit, vt à leuioribus abstineamus: quod periclitatione quotidianâ docemur, pluribusque Scripturarum oraculis, & vniuersali Christi monitu, nos omnes cohortantis ad petendum à Deo, vt *dimittat nobis debita nostra*; adeoque pro certo ponitur, debitores nos esse. Cumque per Scripturæ verba, ac per exempla id etiam intelligamus extendi ad præclarissimos Sanctorum; haud certè licet nobis ex quacumque sanctimoniæ præstantia legem hanc coarctare, quin eam reddamus ambiguam, adeoque suspectam falsitatis. Licet nihilominùs eamdem limitare in certo ac peculiari capite, in quo emineat ratio planè singularis, ob quam debuerit Deus purissimum à quouis næuo candorem ipsi elargiri, adeoque à prauis animi affectionibus inuiolabilem.

18 Num id nobis de aliquo singulariter fas est credere? De quo nimirum? De vnica illa Virgine, cui Christus totam hominis naturam referebat acceptam, hoc est de Matre, quæ Christo dedit vt esset, idque & voluntariè & ex animo propensissimo dedit. Christus verò vbi iam conceptus fuit, nullum ab homine reuerà beneficium accepit, cùm omnium esset Dominus, suoque arbitratu Diuinâ potentiâ vteretur. At primo suæ generationis momento ingens accepit beneficium ab ea quæ ipsum concepit; eoque maius quàm ceteris filiis confertur, quò præcelsiore conditione conceptus fuit. Erat itaque peculiaris ratio, vt cùm Christus adeò futurus esset obnoxius Parenti suæ, Christi præuisa merita arcerent ab ea tam graue malum, cuiusmodi est Dei offensio & inimicitia. Decebat & pietatem erga Matrem, & gratum animum erga de se benemeritam, vt Christus efficaciter cuperet talem in ea statum perpetuum, in quo, quocumque tempore inspecta, numquam appareret Filio abominanda. Verisimile igitur est, id Christum reipsâ expetiisse, cùm in eo virtutes omnes omnibus numeris absolutissimæ excelluerint. Quod si expetiit, eius votum vt à Patre præuisum est, sic ab eodem

1546. expletum. Hac fortasse ratione differeret S. Augustinus, ad tuendam immunitatem Virginis, quam ipse immunitatem in generalibus Scripturæ locutionibus admittit à peccatis vel cuiusuis generis, prout multi opinantur, vel certè ab iis quæ voluntariè patrantur, pro quibus non minùs quam pro Originario valet Suauis oppositio.

Quantæ autem admirationis esset, si S. Augustinus, adeò in Diuinis Literis versatus, numquam illa Euangelij verba alioqui notissima obseruasset, à Suaui obtrusa ad huiusmodi titulum infringendum, per quæ Christus quibusdam beatum appellantibus ventrem qui eum portauerat, & vbera quæ ille suxerat, respondit: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* At illa fortassis Augustinus obseruarat, ac memoriâ retinebat; sed perinde ac Suauis eiusque Lutherani nequaquam intelligebat. Quare arbitror, hæc obiectantibus responsurum illum fuisse, exemplo matris terreni Principis, de qua verè prædicare licet esse illam sublimem atque felicem, non quòd Regem pepererit, sed quia Regis gratiam obtinet: eâ verò si careret, tametsi Regis mater, posset in miseriis iacere, quod Agrippinæ contigit, aliisque compluribus. Verumtamen non hîc negatur, eò quòd illa Regem genuerit, non esse validum fundamentum, credendi eius gratiam apud Principem reliquis omnibus supra modum antecellere. Ita sanè certum est, proximam causam, cur Beata Virgo poterat beata prædicari, quantum fas est homini in hac mortalitate viatori, fuisse coniunctionem cum Deo per charitatem, quâ ius beatitatis, cælestisque gloriæ nitebatur: sed verum pariter est, quòd ipsa Deum genuerit, in causa fuisse, cur meritò Deo libuerit eam illi gratiam elargiri, quâ omnium exactissimè verbum Dei audiret & custodiret, ipsique Deo intimè arctissimeque adhæreret. 19

Quod verò attinet ad huiusmodi immunitatem in Virginis proauos deriuandam, idem Augustinus Suauem doceret allatâ distinctione causarum, quæ Philosophi appellant causas, alias *per se*, hoc est, quæ *suapte intentione, ac suapte naturâ efficiunt*; alias *per accidens*, quæ proprium causarum nomen haud merentur: ostenderetque secundi generis causam esse auum, si ad nepotem referatur. Etenim quidquid auus operatur, nihil per se & ex intentione naturæ confert ad generationem nepotis; sed sistit in filij effectione, à quo poterat nepos haud procreari: vnde fortuitò contigit, vt ab aui operatione nepotis procreatio per filium procederet. Iam verò quod ex accidente prouenit, neque necessitudinem fundat, neque vinculum naturæ. Aliqua tamen inde oritur conuenientia, ad vtrumque fundandum 20

dandum pro hominum instituto atque consuetudine, ex suo genere contentis in eo iure, quod *Gentium ius* nuncupamus, & de quo omnes homines conueniunt. Nulla siquidem reperitur Natio, nulla Respublica, quæ peculiare quoddam vinculum non agnoscat etiam cum progenitoribus non proximis, sicuti cum auo, & cum transuersis consanguineis, qualis est frater: verùm pro huius necessitudinis ac vinculi ratione vsque ad certum consanguinitatis gradum, & cum quadam mutua debitione præstandi hæc vel illa officia, spectant hæ necessitudines & vincula ad leges ciuiles peculiarium Rerumpublicarum; & pro conditionum, temporum, ac regionum varietate variantur. 1546.

21 Porrò illud animaduertendum est, Ius Gentium, sicuti legum Romanarum scriptores adnotarunt, * fuisse ab ipsis Gentibus constitutum, *vsu & humanis necessitatibus id exigentibus.* Vnde fit, harum legum consuetudinumque vinculis Christum nihil obstrictum fuisse, vtpote quacumque humanâ potestate maiorem, ac talem qui nullius hominis indigens, ideoque immunis erat ab iis nexibus, quibus propter mutuam indigentiam colligantur ceteri homines, & ad ea Iura custodienda coguntur. At idem Christus ex sacrorum Doctorum sententia Naturæ legibus subdebatur, quæ Deum ipsum proximum Legislatorem agnoscunt, & ad quas citra controuersiam pertinet quartum Decalogi præceptum, quo iubemur colere causas secundarias à quibus proximè generamur; quemadmodum tria superiora mandata primæ causæ, quæ itidem proxima est, cultum præcipiunt.

* §. *Ius autem Gentium*, Inst. de Iur. nat. Gent. & Ciuil.

22 Hisce præmissis conficeret Augustinus, iure optimo SS. Patres, & Ecclesiam ipsam, ex eo quòd Scriptura narrat Mariam Christi Parentem fuisse, qui titulus longè superat Abrahami & cuiusuis sanctissimi hominis dignitatem, arguisse in Virgine innocentiæ candorem, virtutis excellentiam, Diuinæque gratiæ immensitatem, vltra mensuram omnem, Veteris Nouique Testamenti homines quacumque sanctitate conspicuos supergressam; tametsi de illis egregiè res gestæ perscriptæ fuerint, quæ de Virgine non leguntur. Quòd si Augustini ea esset ratiocinatio; ex iisdem positionibus Scotus, aliique Scriptores, qui Scoto seu priores seu posteriores, Dei Parentem in sui Conceptione Immaculatam affirmauere, Parisiensis Academia, Theologi Basileæ congregati, ac denique Synodus Tridentina, instructa iam tum præstantissimis Doctoribus, vt vidimus, colligeret huiuscemodi exceptionis probabile fundamentum; nihil tamen propterea inde in dubitationem reuocatâ

legis

1546. legis veritate in quibusuis aliis ex Adami semine procreatis.

Equidem, si viueret adhuc Suauis, admonitum ipsum vellem; 23 licet qui summæ auctoritatis viros nonnumquam impugnat, notam temerarij non incurrat; qui tamen illos irridet, semper ipsum irrisionibus subiacere. Quâ ille confidentiâ ausus est, nullâ tandem scientiâ scriptor eximius, nullâque ingenij sui præclarâ commentatione memorabilis, deridiculo habere, quasi inania capitula, cunctos Theologos Concilij, & tot Doctores, qui per tria sæcula veram aut probabilem hanc sententiam existimarunt? Quî fieri poterat, vt in mentem ipsi non caderet, etiamsi Ecclesia Catholica Diuini Præsidij præsentem opem non haberet, eam certè potiori humanæ sapientiæ parte constare; adeoque posse quidem tunc fieri vt in aliquo fallatur, adhuc tamen vt planè desiperet, fieri non posse? Quicumque res tenues admiratur, imperitè sanè, sed reuerenter se gerit: qui res maximas deridet, inscitè simul ac petulanter agit.

CAPVT VIII.

Peccatum Originale à Patribus expensum.

ENimuerò quantum admirationis potiùs quàm irrisionis mererentur Patres Concilio operam dantes, liquebit mox in argumento Originariæ noxæ, quod primæ Sessioni, vt narrauimus, explicandum seponebatur. Expensum illud fuit & priuatim in peculiaribus Theologorum, & publicè in generalibus Patrum congressibus: vbi disciplinas Theologicas haud professi ibant in sententiam peritiorum Patrum in ea scientia; sicuti obseruat Plato, in humanis videlicet negotiis id fieri consueuisse, quod illi placet, summus infimúsve sit, qui iis in rebus sapientissimus habetur. Studet quidem suadere Suauis, in Episcoporum conuentibus, ob Patrum Theologiam callentium infrequentiam, fuisse rerum capita languidè delibata, adeoque indiligenter digesta. Nihil profectò veritati repugnantius. Capere coniecturam licebit ex modica quam referam parte subtilium & eruditarum animaduersionum, quas pænè innumerabiles illi protulerunt: at equidem ne molestiam copiâ pariam, eas dumtaxat seligam, quæ viam aperiunt ad mentem Concilij meliùs introspiciendam in definitionibus promulgatis. Nec immorabor in refellendis iis, quæ Suauis parum edoctus, multumque confidens, colorat de variis Theologorum sententiis: abundè sit ad infringendum falsum, veri narratio. 1

Examen in quinque capita distributum est: Primum, de Natura 2
peccati

peccati Originalis: Secundum, de Modo, quo in posteros propagatur: Tertium, de Allatis ab eo detrimentis: Quartum, de Ipsius remedio: Quintum, Quænam esset huiusmodi remedij efficacitas. 1546.

3 Cùm igitur à primo ordirentur, * Pelargus, Treuirensis Antistitis Procurator, in priuatis cœtibus pro certo sumpserat, & in confesso vel apud hæreticos in colloquiis Wormatiæ habitis anno 1540. Originale peccatum situm esse in priuatione Iustitiæ Originalis, in qua fuerat Adamus à Deo constitutus. Contra id arguit Antonius à Cruce, Canariensis Antistes, huiusmodi priuationem haud quidem ipsum peccatum esse, sed quamdam ipsius pœnam. Tum Angelus Paschalis Dominicanus, Motulanensis Episcopus, non sententiâ modò, sed verbis S. Thomæ productis ita disseruit: Non aliunde meliùs declarari posse naturam Originalis noxæ, sicut & cuiusuis defectus, quàm à natura perfectionis oppositæ; prout, exempli gratiâ, vt intelligatur, quidnam sit cæcitas, opus est intelligas, quid sit videndi facultas: esse peccatum Originale vacuitatem quamdam oppositam illi perfectioni, quæ Adamum innocentem condecorabat, & *Iustitia Originalis* nuncupatur: oportere igitur ex illius notione illius naturam explicari. Iustitia Originalis, aiebat ille, duas obtinebat partes; alteram, quæ præcipua erat, & quasi forma; alteram, quæ ad integritatem spectabat, & quasi materia. Prior erat humani arbitrij subiectio sub legitimo Domino, qui Deus est; posterior erat itidem subiectio interiorum facultatum ipsi arbitrio, quod legitimus illarum princeps est: desciscente hominis arbitrio per Adami peccatum à Deo, desciuisse quoque facultates arbitrio subiectas: hæc posterior perturbatio, aliaque hominis damna in rebellantis arbitrij vltionem inflicta, esse quasi Originariæ culpæ materiam; primam verò perturbationem, quæ non pœna, sed culpa fuit, esse formam, quâ ipsius natura constituitur.

* In Congreg. generali 21. Maij & sequentibus.

4 His communiter assentiebantur, cùm Balthasar Eredia Dominicanus, Bossanensis Episcopus, aliam S. Thomæ doctrinam in medium attulit: Tametsi omne peccatum vniuersè consideratum, præcipuè & tamquam per suam formam constituatur per destitutionem contrariæ sibique debitæ probitatis, & ex hac parte nequaquam illud effectus sit, sed detectus; tamen id quod huic perinde atque ceteris rerum priuationibus subiicitur, esse veram rem, vereque existentem. Ita pariter, quamquam morbus in vacuitate iustæ temperationis tamquam in sua forma situs sit; illi tamen substare tamquam materiam, humores corporis, quæ res, non rerum priuationes sunt. Pariter igitur peccati Originalis naturam conflari ex

1546. memorata debiti ordinis deſtitutione; ſed quod illi ſubſternitur, eſſe facultates animi, huiuſmodi ordine carentes, ac potiſſimè concupiſcendi vim, quam *concupiſcentiam* vocant, hoc eſt propenſionem animi ad fluxa bona: vnde quandoque à Patribus *peccatum* eadem appellatur, eâ ratione quâ humores corporis deprauati *morbus corporis* nuncupantur.

Quod ſpectat ad ſecundum Caput ex quinque connumeratis, 5 Ioannes Fonſeca Stabienſis Antiſtes cenſuit, huiuſce noxæ propagationem in poſteros, à quibus voluntariè commiſſa non eſt, declarari facilè poſſe Regis exemplo, qui oppidum ita conceſſerit alicui ſubdito, vt illud tam ipſe eiuſque poſteri beneficiario iure poſſideant, dummodò à fide Principis non deſciſcat: vbi enim ille deſciuerit, oppidi poſſeſſione ſpoliatur vniuerſa ipſius progenies, nec idcircò huic conqueri licet pœnam ſibi non iuſtè inflictam; cùm potiùs deberet Principi grates agere, qui ob factam primo parenti liberalem donationem oppidi, poſteros omnes illius hereditariæ ditionis capaces reddiderat. Huius beneficiarij dominatus ſimilia fuiſſe decora Iuſtitiæ Originariæ, quæ Deus liberaliter Adamo contulit, eorumque ſpoliationem eſſe maculam originalem. Quo exemplo nonnullis viſum eſt haud planè ſatisfieri propoſitæ declarationi; quippe quòd neutiquam declarabat, tranſmitti poſſe culpam genitoris in poſteros, ſed ſolùm pœnam. Reuerà tamen ſatis illud erat intentæ à Fonſeca explicationi, per quam ſolùm exponere contendebat, quo pacto Deus ob alterius noxam abſque iniuſtitia multare nos poſſet. Quâ verò ratione huiuſmodi noxa noſtrûm omnium culpa vocetur, alterius eſt quæſtionis; idque appoſitè explicauit Paſchalis, ſimilitudinem à S. Thoma mutuatus. Quemadmodum enim noſtra membra, quamuis libertatis ac rationis expertia, dicuntur ex eo delictum patrare, quòd ad operis illiciti deformitatem mouentur ab imperante animi facultate, quæ in eo peccat: non aliter infantes, quamquam nihil voluntariè de ſe commiſerint, vnde in eo ſtatu tot bonis vacuo, & nec hominis fini, nec debitæ Deo ſubiectioni conſentaneo naſci deberent; dicuntur tamen in Adamo peccaſſe, quatenus is, qui naturam humanam in ſua fœcunditate integrè continebat, ſuaque in electione bonum malúmve illius naturæ ſtatum, effecit per voluntarium delictum, vt vniuerſa ſui generis poſteritas cum ea macula eaque peruerſione naſceretur. Atque ad hoc clariùs exprimendum, S. Thomam pariter adduxit; vbi adnotat, in Adamo ab ipſius peccati macula naturam contaminatam; contrà verò in nobis à naturæ macula noſipſos contaminari.

Fuſiùs

6 Fusiùs quàm alij locutus est Bertanus. Priùs ille considerauit, inter recenres hæreticos in Originali peccato Zuinglium præcipuè aberrasse. Qua in re Suauis non modò peccat, conatus hæresiarcham excusare, & ad communem sententiam pertrahere aduersus ea quæ nos alibi satis explicauimus, & quæ de seipso fatetur Zuinglius; sed etiam studet Tridentinos Theologos laude exornare minimè ipsis expetibili, dum narrat, eorum quosdam, qui Zuinglij scripta perlegerant accuratiùs, id ipsum ceu verum agnouisse. Quod ne in mentem quidem eorum cuiquam venisse reperio. 1546.

7 Copiosè posteà de tertio Capite Bertanus disserüit, quod allata per eam culpam detrimenta complectebatur. Apud Ecclesiam, aiebat, certum esse, Adamum, præter acceptas naturæ dotes, häbuisse ex mera Dei liberalitate rectam animi habitudinem atque iustitiam; quam si custodiuisset, immortalitatem in se suaque stirpe possedisset, & in ipsam cuncta eadem bona transmisisset. De ceteris prærogatiuis, cuiusmodi foret scientia de stellarum motibus ac virtute, scriptores minimè concordare, an illæ non minùs hereditariæ futuræ fuissent. Deinde certum esse, Adamum peccasse violatâ Numinis obedientiâ, indeque se suamque familiam perdidisse; seu quòd vetitum pomum comederit, seu quidquam aliud pariter vetitum perpetrarit, in delicti pœnam sibi suæque posteritati Diuinam gratiam amisisse. Tum verò quartum articulum leuiter attigit, dixitque, Ab ea pœna, quam Apostolus *mortem* appellat, hominem non nisi Baptismi efficaciâ liberari. Postremò duo hac in re cauenda præmonuit; alterum, Ne sinistra induceretur persuasio de Diuina Iustitia, dum in infantibus culpam alienam punit: in quo, quantum arbitror, eorum rationem habuit, qui cum Gregorio Ariminēsi hanc pœnam aduersus S.Thomam extendunt ad subtractionem bonorûm, non eorum modò quæ gratis impertiuntur, sed quæ naturæ debentur, atque adeò ad sensuum cruciatus. Alterum, Ne pœna eousque attenuaretur, vt citra necessitatem Dei Filius ad nos ab ea redimendos aduenisse videatur: eos fortasse denotans, qui arbitrantur, satis esse virium in corrupta natura ad vniuersam legem obseruandam; & Ambrosium Catharinum, præsentem id temporis in Concilio, qui infantibus in limbo naturalem vitæ felicitatem assignat.

8 In alio cœtu de quarto Capite, nimirum de Remedio, sermo fuit. Quod omnes affirmarunt, confirmaruntque Scripturæ testimoniis, esse Baptismum. Verùm vti variæ diuersique generis eiusdem effecti, eiusdemque sanationis causæ sunt; ita tamquam causæ nostræ

1546. recuperatæ ſanitatis connumeratæ ſunt præter Baptiſmum, merita
& mors Chriſti, quæ vim ad ſanandum ei lauacro impetrarunt; ad-
ditaque pariter fuit gratia, quâ ſancti reddimur, quæ non effectrix
cauſa, ſed ipſa forma ſanitatis eſt. Syracuſanus Antiſtes optabat, vt
Fides cauſis reliquis adiiceretur; cùm illam verba Chriſti conſo-
cient, vbi ei qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalutem pollicetur.
Idque à Seripando confirmatum eſt, vſque adeò efficaciam interio-
ris Fidei ſupra vim exterioris lauacri exaggerante, vt in ſuſpicio-
nem inciderit, parui à ſe Baptiſmi virtutem æſtimari: à qua ſuſpi-
cione in poſteriori congreſſu ſe purgauit. Verumtamen pleriſque
non placuit, vt in Decreto Fides nominaretur; cùm illa ad primige-
nium peccatum delendum vniuersè non exigatur, quemadmodum
aliæ memoratæ cauſæ, prout conſtat ex infantium Baptiſmo.

Hæc Baptiſmi vis ad delendam abrogandamque totam peccati 9
maculam, aduerſus hæreticos recentes fuit ibi comprobata innu-
mĕris atque dilucidis Scripturæ, Conciliorum ac Patrum dictis.
Oſtenditque egregiè Materanus, Lutheranorum errorem, quòd
poſt Baptiſmum remaneat quidem peccatum, ſed quòd non impu-
tetur, aduerſari communi Iuriſperitorum doctrinæ. Etenim cùm
in memoratis teſtimoniis dicatur ipſum remitti, certum eſt Iuris
Doctorum effatum, debitum remiſſione creditoris extingui. Id
Motulanus corroborauit ex altera voce, ***regenerationis***, in ſacris Li-
teris vſitata: generatio namque viuentium ſecum fert tranſitum è
ſtatu rei inanimis ad ſtatum vitæ; ergo ad veritatem huius vocis
opus eſſe, ne in hominibus ablutis Baptiſmo ſtatus mortis perma-
neat. Atque vti vitæ generationem ſequuntur potentiæ vireſque ad
vitales actiones exercendas, incolendaſque proprias horum viuen-
tium ſedes; ita per Baptiſmatis regenerationem hominibus infun-
di vires ad actus vitæ, quæ ſupra naturam eſt, efficiendos, atque ad
aſcendendum ſuo tempore ad huiuſmodi viuentium ſedem, quæ
cæleſtis Regia eſt.

Quoniam autem Lutherani volunt, ipſam effrænem appetendi 10
voluptates propenſionem, quam ***concupiſcentiam*** nominant, eſſe pec-
catum Originale, adeoque cùm hæc in Adami poſteris poſt ſuſce-
ptum Baptiſmum permaneat, etiam peccatum remanere; aggreſſi
ſunt Patres hanc doctrinam refellere, & præter alia Scripturæ di-
cta, è quibus deducitur generatim, poſt Baptiſmum nullam macu-
lam ſupereſſe, duo certa teſtimonia producta ſunt, ad euincendum,
concupiſcentiam non eſſe peccatum. Alterum ab Archiepiſcopo
Turritano, illud ſcilicet S. Pauli, vbi dicit, Veterem hominem

cruci-

crucifigi cum Christo, vt destruatur corpus peccati, & ne vltrà seruiamus peccato; ac proinde nos hortatur, ne peccatum in nostro mortali corpore regnet, neque eius concupiscentiis seruiamus. Igitur, arguebat Turritanus, si remanet concupiscentia peccato destructo; quî dici potest, illam idem esse ac peccatum? Alterum ab Antistite Syracusano è S. Iacobi Epistola desumptum, vbi describens Apostolus generationem peccati, *Vnusquisque*, inquit, *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Hinc ille conficiebat, concupiscentiam ne tum quidem cùm tentat & allicit, peccatum esse, sed posteà illud parere: confirmauitque sententiam his Augustini verbis: *Quòd si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi lege suâ mouetur; quantò magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Canariensis quoque ita disputauit; Si homo fuisset procreatus in suæ naturæ statu absque donis gratuitis, negandum non esse, quin è sui corporis temperamento fuissent oborti stimuli concupiscentiæ: cùm ergo hæc natura sit, peccatum non esse; quod non natura, sed corruptio est. Adiecit Motulanus: Eum qui peccato tenetur, haud esse proximè expeditum vt cælum adeat: puellos sacro fonte susceptos esse proximè expeditos vt cælum adeant; eos igitur peccato minimè teneri. Vbi ad opposita argumenta diluenda ventum est, obseruauit idem, quo loco S. Augustinus dicit, remitti concupiscentiam in Baptismate, non quòd ipsa non sit, sed quòd non imputetur; ab hæreticis deprauatum fuisse Codicem Augustini, appositamque pro dictione *concupiscentiæ* dictionem *peccati.* Quod si quando Apostolus *concupiscentiam* appellat peccatum, palàm esse ex perspicuitate adductarum Scripturarum, id per figuram ab eo dici: quemadmodum non quoduis aliud, sed ipsum Christum peccatum nominat, sicut Eucharistia panis dicitur, sicut Adamus à Deo dictus est puluis, sicuti cadauera eorùm nuncupantur nomine, quorum ea cadauera priùs fuerant corpora; vno verbo, sicuti effectus sæpè causæ suæ nomen obtinet, præsertim verò materiæ ex qua conflatur, vel compositi, cuius ipse materia fuit. 1546.

11 Contra hanc communem Patrum sententiam Sanfelicius Cauensis Antistes, & Bonuccius Seruorum B. Mariæ Præses, tametsi comprobarent extingui, & non obtegi dumtaxat in nobis post Baptisma id quod præcipuè peccatum est, atq; in eo Lutheranos damnarent; adhuc visi sunt admittere in ipsa sola per se cócupiscentia aliquam rationem peccati, quod tamen post Baptisma non imputetur.

1546. Bonuccium Ioannes Baptista Campeggius Maioricensis Antistes acriter incusauit, quasi & priùs in concionibus, & posteà in congressibus ad hæreticos propinquasset. At Bertanus amborum dictum explicauit, tamquam per laxiorem, minusque propriam significationem prolatum; quod Sanfelicius silentio, Bonuctius accuratâ oratione comprobauit, in qua exponere conatus est in qua re conuenirent, in qua dissentirent Catholici & Lutherani de peccato Originali. Adiecit, se in superiori sua disputatione habuisse in animo non hæreticos excusare, sed Patres admonere, vt proscriptionis verba essent eiusmodi, quibus hi solùm, non item Catholicorum opiniones castigarentur. Seripandus quoque arbitrabatur, in eorum concupiscentia, qui Baptismum susceperant, aliquam inesse rationem peccati, quatenus eadem animum ad peccandum inclinat: sed eo die communi existimationi acquieuit; sibique temperauit, ne propugnatorem ageret illius sententiæ, quæ passim oppugnabatur, nisi benè digesto apparatu priùs instructus, qui vel ad victoriam, vel ad honestam pugnam satis esset.

CAPVT IX.

Quæ Patres in propositi Decreti forma de peccato Originali obseruarunt: præsertim, an in renatis supersit aliquid odiosum Deo.

DEcretum itaque ex Patrum consensu, de rei summa conuenientium, conformatum à selectis ad id viris, fuit generali congressui octauo die Iunij propositum, vt ipsius tenor expenderetur. Dicebatur ibi, Adamum ob transgressionem amisisse sanctitatem, in qua fuerat *creatus*. Hæc postrema vox commutata in *constitutus*, Pacceco monente, non esse citra controuersiam, an Adamus interiorem sanctitatem obtinuerit primo quo creatus fuit momento: vnde patet, quàm infirma deducatur à quibusdam probatio ad id affirmandum ex verbis Concilij, quæ nunc extant. 1

Habebatur eodem Decreto, totum Adamum ob culpam in deterius secundum corpus & animam fuisse mutatum, *nullâ etiam animæ parte illæsâ*. Hæc postrema verba deleta sunt, quòd videbantur sensus etiam comprehendi. Cùm autem diceretur ibi, id quod tunc legitur, per Baptismum non solùm *reatum Originalis peccati remitti, sed etiam tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet*, nihil in priorem partem reclamatum; at posterior visa est nonnullis super-

superuacanea. Seripandus malebat dici, *omnem rationem peccati tolli:* 1546.
Cauensis, *tolli omnia peccata*; sed ceteris Decretum ita probatum.

2 Grauior exorta disputatio de illa particula, per quam affirmabatur, in renatis nihil Deum odisse. Obiecit Seripandus, Cùm *concupiscentia* sit origo peccati, non posse à Deo eam odio non haberi; adeoque vniuersalem illam enuntiationem negantem esse falsam: in quo visus est Polus subsistere. Sed ex altero capite eruditè hîc disseruit; Quamquam ipsa peccati primigenij natura valdè lateret, effecta tamen, ac mala inde transfusa in humanum genus, tam in appetendi peruersitate, quàm in obscuritate intelligendi, etiam Philosophiæ lumini fuisse perspecta: vnde quod ad priorem spectat, Aristoteles, Monarchiæ & Polyarchiæ incommodis inter se collatis, inter Monarchiæ detrimenta connumerat, vnius hominis appetentiam sæpè sui esse impotem ad abstinendum ab iis malis, ad quæ Natura propellit: de altera Socratem pronuntiasse, Se postquam diu fuisset philosophatus, aliud non didicisse, nisi se nihil scire. His incommodis consultum ab humana prouidentia per leges ac documenta; sed nullum illis satis efficax admotum remedium, nisi per eam redemptionem, quam Filij Dei mors obtinuerat. Addidit: Reliquas Decreti partes sibi probari; tantummodò se dubitare in recensitis verbis, quibus dicitur, In renatis nihil superesse odiosum Deo. Etenim S. Paulus haud ita generatim hac in re loquitur, vt Decretum loquebatur; sed restrictiùs affirmat, in renatis, qui sunt in Christo, nihil esse odiosum Deo, adeoque de cunctis renatis id neutiquam ab eo dictum. A sanctis etiam viris quotidie eam petitionem iterandam esse, *dimitte nobis debita nostra:* igitur in ipsis pariter inesse aliquid quod Deo non placeat.

3 Studuit hæc obiecta Bertanus euertere: ac primò quidem considerauit, ab iis qui Decretum confecerant, selectam consultò fuisse vocem *renati*, non autem *baptizati*; cùm fieri possit, aliquem post susceptum Baptisma persistere adhuc odiosum Deo, eò quòd Baptisma non susceperit parato vt oportebat animo; at non item, si renatus fuerit: vnumquemque verè renasci qui in fonte Baptismatis sit cum Christo sepultus, prout habet Decretum. Ad propositam dein quæstionem progressus, defensionemque commemoratæ particulæ, dixit: Tametsi concupiscentia à cælesti Regia excludatur, non idcircò à Deo suis in seruis terras incolentibus eam odio haberi: membrorum quoque imbecillitatem, ceterasque corporis miserias arceri ab eo domicilio perfectæ felicitatis; & tamen eas cum Dei Filio habitasse, in quo certum est, nihil Patris oculis odiosum

fuisse.

1546. fuiſſe. Bituntinus concedebat quidem, concupiſcentiam non eſſe Deo inuiſam; ſed reſtringendum putabat Decretum ad culpas etiam leuiores, quibus renati quoque aſperguntur.

Seripandus, quò ſuam ſententiam ſimul ſuſtineret, ſimul pertinaciæ notam vitaret, opinionem non ſuo, ſed Poli nomine inſigniuit, & cum ea epigrapha accuratum commentarium elaborauit. 4
Obſeruabat, ſi Patres ponerent, nihil ineſſe in renatis odioſum Deo, colligendum hinc eſſe, nihil in iis relinqui ope Diuinâ purgandum, nihil reprimendum, nihil contra quod pugnandum: quæ omnia diuinorum Oraculorum dictis aduerſabantur. Haud ſatis quadrare exemplum à corporis miſeriis, quæ erant in Chriſto, petitum: eas ideò cælum non ingredi, quia plenæ felicitati opponuntur; at non proptereà digna eſſe, quæ à Deo habeantur odio; quippe quæ nihil peccato militant: appetitionem verò voluptatum, bellatricem dici poſſe, quæ victorias omnes peccato parit. Patere ex multis Auguſtini locis, ipſam Deo diſplicere: eamdem eſſe malum illud, à quo liberari efflagitant etiam Sancti per precationem, quam nos omnes Chriſtus edocuit, quamquam ab ea appetentia non niſi in perenni vita perfectè liberentur: ex Auguſtino concupiſcentiam non eſſe naturæ proprietatem, quod multi rebantur, ſed corruptionem perduellionemque naturæ: proinde videri ſibi eas voces remouendas, *In renatis nullam remanere iniquitatem, ſed magnam tamen manere infirmitatem: quæ tamquam Deo diſplicens, per omnem vitam curanda ſit, donec Deus ipſe ſanet omnes languores noſtros, & redimat de corruptione vitam noſtram.* Ad infringendam teſtimoniorum efficaciam, quibus *concupiſcentia* peccatum in Scriptura nominatur, nihil valere aliorum nominum exempla interdum per metaphoram adhibitorum: in illis ſemper elucere peculiarem rationem, cur Scriptura per ſignificationem propriam non loquatur; hîc è diuerſo; cùm Auguſtinus doceat prætereà, concupiſcentiam aduerſus ſpiritum decertare, nouum argumentum haberi, ipſum propriè ſcribere.

His aliiſque rationibus vſus eſt Seripandus; quæ tamen Patribus nequaquam perſuaſere Decreti mutationem, cùm ex ipſius textura liquidò conſtaret, ibi ſignificari odium illud, quod *inimicitiæ* vocatur, & quo dicimus hominem ab homine odio haberi: quod odium verè ineſſe Deo nequit in eum, qui adoptiuus Dei Filius eſt renatus: non tamen hinc excludi ab illis omnem prorſus labeculam, quâ minùs pulchri coram illo reddantur, & quam auerſetur in ipſis eo odio, quod *diſplicentia* nominatur; quæ labeculæ, aut le- 5

uiores culpæ sunt à Polo ac Bituntino obseruatæ, aut earum fodina, quæ concupiscentia est: eaque propter vtræque à naturali Dei Filio procul fuerunt, etiam inter huiusce vitæ miserias. Atque in eadem pariter significatione post longam disceptationem perstitere in Decreto posteriora verba, quibus dicitur, Concupiscentiam haud nocere non consentientibus; intelligendo per vocem *nocere*, æternum damnum, cuiusmodi est Diuinæ gratiæ iactura; & nomine *consensus*, plenum ac deliberatum: tametsi cunctis alioquin illa noceat aliquo pacto, vt quæ puluerem leuiorum noxarum inspergat; quamquam omnes ipsis aliquâ ratione consentiant, per imperfectam & quasi surreptitiam consensionem. 1546.

6 Equidem nequeo non admirari insulsos Suauis sales, dum ait, Germanos habuisse summam gratiam Synodo, quòd enuntiationem confessa fuerit: quam si negasset, cogebatur vnusquisque eam denegare per Fidei firmitatem sensu reclamante, quo experimur, etiam post Baptisma susceptum in nobis concupiscentiam vigere. Inprimis Concilium non id affirmat definiendo, vel docendo; sed dum argumento Lutheranorum respondet, concedendo eam assumptionem euidentem, & negando prauam consecutionem, ab illis inde deductam, hoc est, Baptismo peccatum haud extingui. Secundò num latebat Suauem, Stoicos inter Ethnicos Philosophos, & Pelagianos inter hæreticos affirmasse, posse hominem in terra cunctis prauis affectionibus animum suum perpurgare: adeoque haud ineptum futurum fuisse, si hunc errorem damnaret, grauiter à SS. Patribus impugnatum, quippe Scripturæ sacræ aduersantem, vbi nos ea docet de corruptione naturæ ab Adami peccato profecta?

Postremò deleta est Decreti periodus, quâ dicebatur, non improbari à Synodo nouam illam positionem Scholasticis vsitatam, aientibus, Manere post Baptismum partem *materialem* Originalis peccati, non item *formalem:* seu quòd nollent Ecclesiæ auctoritatem intermiscere opinantium doctrinis; seu quòd, vbi definitiones concipi possent veterum Patrum vocabulis, ea nollent à Theologis recentibus mutuari: cùm venerationi conducat non modò sententiarum, sed etiam vocum antiquitas; & cùm quandoque indumenti mutatio causa interdum sit, ne vnus idemque pro eodem habeatur.

1546.

CAPVT X.

Decretum de rebus Fidei in Cœtu 16. Iunij stabilitum, postridie in Sessione firmandum.

PRæter ea de quibus disputatum est, duo rerum capita vltimo 1
congressui proposita sunt. Alterum, An absentium Antistitum contumacia accusanda esset: quod ibi comprobatum est. Sed Giennensis cum aliis multis, Germanos excipiendos contendebat: fuit etiam qui locorum distantiam excusauit, petiitque Toletani exceptionem. Alterum, de statuendo futuræ Sessioni die, cui vigesimus nonus Iulij præstitutus est. Decreta Fidei, prout afferemus, composita sunt.

Post procemium quinque Canones confecti sunt, anathemate inflicto cuicumque definitiones hîc appositas inficianti. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & institiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseq; per offensam prauaricationis huiusmodi iram & indignationem Dei, atque ideò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate; qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli; totumq. Adam per illam prauaricationis offensam secundùm corpus & animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.*

Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ; anathema sit: cùm contradicat Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. 2

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quàm per meritum vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio & redemptio; aut negat ipsum Christi Iesu meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum, tam adultis quàm paruulis applicari; anathema sit: quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde illa vox: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; & illa: Quicumque baptizati estis, Christum induistis. 3

4 *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiamsi* 1546.
fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; vnde fit consequens, vt in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulã Fidei ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

5 *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum Originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem; qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundùm Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet: quinimò, qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato Originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Xysti Papæ Quarti, sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.

6 Patrum consilium fuit, in recensitis definitionibus se prorsus abstinere à superuacaneis articulis, ab illis nimirum, qui Catholicas inter Scholas in dubitatione versantur: nam vtrilibet parti quis adhæreat, nihil Scripturæ, anteactis Conciliis, perpetuisque Tradi-

 tionibus

1546. tionibus contradicit: ac proinde ingeniorum libertati permitti possunt absque vllo diuinorum Oraculorum despectu, & absque animarum detrimento. Idcircò semper obstitere Legati, ne quid de Conceptione Virginis sanciretur: hîc verò admonuerunt, ne quid certi statuerent de natura ipsa Originalis culpæ, de qua Scholastici discordant: nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos. Quapropter iniuriâ Suauis, vbi per callidam acrimoniam Vigerij ac Seripandi rationes attulit, suadentium vt huiusmodi definitione de natura Originalis noxæ statueretur, hæc subdit: *Præsules enim existimabant, spinosiores esse Scholasticorum subtilitates, quàm vt eas vllo studio possent assequi; & verò ad experiendum non erat satis animi; atque impatientem Legatorum festinationem ad dogmatum sanctiones non permisisse spatium tam operosæ disceptationi necessarium.* Perinde ac si alia complura capita in ea Sessione sancita, salebrosiora non fuerint, longiorisque temporis impendium non exegerint ad peruoluendos sacros Codices, Concilia, Patres, Scholasticos, ipsosque etiam hæreticos scriptores, quorum errata damnabantur; quàm postulasset vnius definitionis disputatio, ad quam comprobandam solo rationum examine, non item lectionis labore opus erat. Quicumque iudex experitur, diuturniori studio indigere eas lites, quæ non tam ab vnius articuli subtilitate, quàm ab actorum prolixitate dependent. Quin huiusmodi quæstionem ne aggrederentur, præ ceteris auctores fuere Præsules in Theologicis præstantiores, & inter alios Bituntinus: quemadmodum ipse quoque, quamuis ex Ordine Franciscano, causæ publicæ quàm priuatæ controuersiæ studiosior, censuit nihil esse decernendum, quod suis faueret, de B. Virginis Conceptu. Et sanè quicumque sincero animo lustraret hinc eruditas lucubrationes, non à minoribus solùm Theologis, sed ab ipsis Patribus accuratè susceptas in apparatu ac molimine harum sanctionum; illinc verò Suauis calumnias legeret, conquereretur enimuerò, nullam exquisitam quidem industriam operis egregij satis esse ad arcendam insimulationem ignauiæ.

At quantæ porrò leuitatis est, in aciem deducere stramineos quosdam strategos, qui solius vulgi oculis strenui bellatores apparent, cuiusmodi est id quod ait: *Non posse de re quapiam errores reijci, nisi priùs eiusdem rei cognitâ veritate: Nullam enuntiationem esse falsam, nisi quia altera vera est: haud sciri posse falsitatem illius, nisi huius veritas agnoscatur.* Quorsum hæc omnia, nisi vt conficiatur, non potuisse hæreses de peccato Originali damnari, nisi veritas aliqua 7

de

de ipsius natura priùs innotuisset, adeoque ea saltem extima defini- 1546.
tio, quam Aristoteles *nominis definitionem* nuncupat, ac tamquam præuiam cunctis argumentationibus notitiam requirit? Sed perspicuum iam erat, quid secundùm eum sensum esset primigenia culpa; conueniebatque id ipsum non inter Catholicos modò, sed etiam inter hæreticos. Vbi enim non omnes concordaremus in huius vocis significatione, adeoque in aliquibus peccati Originarij proprietatibus per eam indicatis, haud sanè liceret nobis erroris accusare Lutheranos, nisi ad summum in loquendo, quasi discreparent à nobis in proferendo, non in sentiendo.

8 Nemo est qui nesciat, peccati Originalis nomine intelligi certum aliquid, quo propter patratam ab Adamo culpam, Deo reddimur odiosi, eiusque tum gratiâ tum gloriâ indigni: sicuti eodem pacto certissima est definitio peccati, vt vocant, *personalis*, siue per actum insit homini, siue per habitum; cùm alterum sit id quod nos inuisos Deo reddit, cùm ipsius legem violamus, alterum id, quod post legis violationem eius causâ nos reddit Diuinum odium promerentes. Iam verò quo pacto, positâ tamquam indubitatâ hac rudi definitione, tamen de personali peccato, siue actuali siue habituali, vt Scholæ loquuntur, plurimæ sunt Theologorum opiniones, in quonam sita sit eorum natura, seu physicè seu metaphysicè spectata; ita pariter contigit de Originali peccato: cùm physica ratio consideratur, quæritur, An peccatum, quod per actum committitur, in actione solùm interiori situm sit, an etiam in exteriori: an includat intrinsecus oppositi mali notitiam; an ea sit tantùm exterior illi conditio ad peccandum necessaria. Cùm verò metaphysicè dispicitur, An ipsum per operationem constituatur, an per debitæ probitatis priuationem; num hæc sit priuatio probitatis debitæ ipsi potentiæ, an ipsi actui ex suo genere, cui generi melior differentia deberetur. Nec diuersæ minùs discrepant opinationes de natura peccati *personalis habitualis*. Hac planè ratione variant de Originali peccato. Quemadmodum autem necesse non est de prioribus controuersiam decidere, quò refellatur, exempli gratiâ, error Manichæorum, affirmantium, malum esse substantiam quamdam, atque naturam; ita pariter opus non est enucleare, ac decernere, quænam sit ipsissima ratio noxæ Originariæ, vt certi simus, illam non esse id quod de ipsa docent sectæ dissentientes à sacris Literis, & ab Ecclesiæ Traditionibus. Quis verò nesciat, facilius esse falsas definitiones redarguere, quàm veras excudere; cùm longè clariùs falsitas in alteris, quàm in alteris veritas elucescat? & Aristotelem, quo à no-

1546. tioribus ordiatur, solitum esse antiquorum definitiones euertere, antequam suas construat? Alioqui nemo, qui definite non nouerit quidnam sit cælum, posset fidenter negare, ipsum esse lignum depictum: atque hinc liceret innumeras conficere consecutiones ridiculas, quæ Suauem derisui exponerent, non æquiùs modò sed grauiùs apud quemlibet legentium, quàm ipsius cauillationes apud imperitam turbam Concilium deridendum traducunt. At Iudices ad irrisionem aduersarij distrahere, artis Rhetoricæ techna est, vbi quis causæ diffidit. Quapropter satius habeo, pugnantibus inter se ipsius dictis hominem irrisionis loco retundere.

Hinc ille Synodum vituperat ob omissam peccati Originalis definitionem: hinc Scholasticos carpit, qui modum explicare voluerint, quo propagetur; & non potius S. Augustini modestiam imitari, qui percontanti Iuliano, per quam rimam huiusmodi culpa potuisset ingredi in eos, qui à parentibus sacro Fonte ablutis orti fuerant, respondit, Frustrà rimulam quæri, vbi parentissima porta conspicitur in sacris Libris: adeoque ab ea quæstione semper abstinuit. Itaque Suaui iudice, vbi Catholici à solennibus definitionibus rerum abditarum incertarumque abstinent, imbecillitatis, ignauiæ, laborum intolerantiæ sunt arguendi: cùm vero iidem in priuatis ipsorum libris illas indagare student subtiliori commentatione, immodesti appellandi; adeoque se inter ceteros immodestè gesserunt sancti Thomas ac Bonauentura. Nec animaduertebat liuidus homo, hæc conuitia non modò inter se pugnare, sed omnem æquitatem peruertere. Quoties damnantur hæretici, optimum consilium est, magis generalia, quippe magis indubitata complecti; quod à Synodo peractum est. Quoties in eosdem scriptis agitur, prudentis est, nullam ipsis ansam præbere transferendæ disputationis à re ipsa, quæ certa est, ad modum qui est incertus; quod S. Augustinus à Suaui productus sapienter fecit. At verò vbi vel ad merè philosophandum disputatur, vel ad tuendum, nostræ Fidei dogmata non esse huiusmodi vt explicari non possint, laudem certè merentur, qui probabiliores rationes afferunt, quibus vera esse monstrantur; atque id Scholastici præstitere. Hos vniuersè reprehendere, perinde est, ac eos vniuersè reprehendere, qui inter homines excelluere in eo quod in hominibus excellit; hoc est, in subtilitate & excelsitate rationis.

1546.

CAPVT XI.

Decreta ad Disciplinam spectantia, Sessioni quintæ destinata.

1 PRæter Decreta Fidei, de iis etiam, quæ Disciplinam emendarent statutum est, in Sessione proxima confirmandis. Hæc diuisa in duo capita fuere, sæpiùs à nobis narrata, ad Literas diuinas spectantia; alterum de Prælectionibus, alterum de Concionibus. De Prælectionibus hæc sancita:

Ne cælestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat; statuit & decreuit, quòd in illis Ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quouis nomine nuncupatum stipendium pro Lectoribus sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, eos qui præbendam aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem & interpretationem per seipsos, si idonei fuerint, alioqui per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. De cetero verò præbenda, præstimonium, aut stipendium huiusmodi, non nisi personis idoneis, & quæ per seipsos id munus explicare possint, conferantur; & aliter facta prouisio, nulla sit & inualida.

2 *In Ecclesiis autem Metropolitanis vel Cathedralibus, si ciuitas insignis vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, vbi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur; præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum vsum ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur.* Atque ad hanc rem diploma Pontificium protulere Legati, quo huiusmodi potestas Synodo tribuebatur, prout Patres ex iis quæ diximus expetierant.

3 Admonuit Pacecus, aliam vacationis exceptionem Decreto apponendam, quam *regressus causam* vocabant. Etenim mos pluribus tunc erat, Sacerdotia in alios transferre, cum facultate eadem sibi resumendi, seu mors eius in quem collata fuerant, seu alia ibi apposita causa interuenisset. Sed Ceruinus obiecit, Noluisse Legatos eam exceptionem in Decreto apponere, ne huiusmodi regressuum consuetudinem approbarent; vtque in emendationis progressu abolesi ea posset, simulque argumentum Patribus præberetur, quàm prono animo Legati ferrentur ad eorum iurisdictionem redintegrandam,

1546. dam, liberumque ipsius vsum, quantum fas esset, ipsis relinquendum. Quæ verba præ gaudio lacrymas Patribus elicuere.

Pergebat Decretum: *Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse, per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficij, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ Ciuitatis & Diœcesis, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, de Capituli consilio* [*Consensu*, vti anteà positum erat, in *consilium* mutato] *ita prouideat, vt ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur; ita tamen, vt quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quauis aliâ ratione institutæ, propter id minimè prætermittantur.* 4

Ecclesiæ verò, quarum annui prouentus tenues fuerint, & vbi tam exigua est Cleri & populi multitudo, vt Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes grammaticam gratis doceat; vt deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia annuente Deo transire possint: ideoque illi magistro grammatices, vel alicuius simplicis beneficij fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex Capitulari, vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persoluatur: vel aliàs Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ & Diœcesi accommodam, ne pia hæc, vtilis atque fructuosa prouisio quouis quæsito colore negligatur.

In Monasteriis quoque Monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur. Quâ in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt Sedis Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

Hanc rationem tribuendi Episcopis perpetuam quamdam iurisdictionem, non homini, sed Infularum dignitati adnexam, tamquam à Pontifice delegatis, exemplo quorumdam antiquorum Canonum, amplexi sunt per eam opportunitatem: propterea quòd ex vna parte volebat Pontifex iurisdictionem Episcopis impertiri, quâ plerumque vti possent in homines ab illorum foro per Pontificia priuilegia subductos; ex altera verò res odij plena, nec citra incommodum euasisset, huiusmodi priuilegia vel ex toto vel ex parte abrogare. Proinde id initum temperamentum, quo iurisdictionem, perinde atque ordinaria foret, Episcopi obtinerent; simul etiam in iis, qui per priuilegia eximebantur, titulus ac veritas exemptionis intacta persisteret; concessâ cunctis Episcopis facultate, de qua dictum est, generali ac perpetuâ, in certis quibusdam causis iurisdictionis exercendæ, tamquam speciatim à Sede Apostolica delegatis. Id autem efficit in primis, vt in huiusmodi causis ad Metro- 5

Metropolitanum prouocari non possit; sed solùm ad delegantem, qui Romanus Pontifex est: & pariter vt ea potestas sit communis Vicario, sui muneris iure, & absque peculiari Episcopi, vt aiunt, sublegatione. Quin in quibusdam potestas ita delegatur Episcopis à Concilio, vt ipsi vetentur alium sui loco delegationi subrogare; quemadmodum vbi statuit, Episcopo licere per seipsum hunc certum iurisdictionis actum exercere, vel soli Episcopo licere id agere. Præterea seruat titulum ex priuilegio obtentum: quæ vel sola titulorum retentio potest aliquando prudenter conducere subditorum quieti, qui non minùs vocibus quàm rebus quandoque commouentur. Ac denique in mentem reuocat Episcopis, se in exercenda iurisdictione à suo Capite pendere. Reliquæ leges sic habebant. 1546.

6 *In Conuentibus aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur; quæ lectio à Capitulis Generalibus vel Prouincialibus aßignetur dignioribus Magistris.*

In Gymnasiis etiam publicis, vbi tam honorifica, & ceterorum omnium maximè necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosißimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate & charitate ad Catholicæ Fidei defensionem & incrementum, sanæq; doctrinæ conseruationem & propagationem instituatur; & vbi instituta foret, & negligeretur, restituatur.

Ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit, neminem ad huiusmodi lectionis officium, tam publicè quàm priuatim admittendum esse, qui priùs ab Episcopo loci de vita, moribus & scientia examinatus & approbatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur. Docentes ipsam sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares qui in ipsis Scholis student, priuilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia, à Iure communi concessis, plenè gaudeant & fruantur.

Alterum Legum caput has alias continebat: *Quia Christianæ Reipublicæ non minùs necessaria est prædicatio Euangelij, quàm lectio; & hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit & decreuit, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium. Si verò contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij, viros idoneos assumere teneantur, ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat vltioni.*

Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis so-

1546. *lennibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoq; eis cum breuitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quàuis ratione exemptum se esse prætenderet; etiamsi Ecclesiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diœcesim existenti, forsan annexæ, vel vnitæ, modò reipsâ in Diœcesi sint; prouida Pastoralis Episcoporum solicitudo non desit, ne illud impleatur: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque vbi ab Episcopo moniti, triũ mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; ita vt etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Si quæ verò Parochiales Ecclesiæ reperiantur subiectæ Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus; si Abbates, & Regulares Prælati, in prædictis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorum Prouinciis Diœceses sitæ sunt, tamquam quoad hoc Sedis Apostolicæ delegatis compellantur: neque huius Decreti executionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, siue recursus, impedire valeat, quousque desuper à competenti iudice, qui summariè, & solâ facti veritate inspectâ procedat, cognitum & decisum fuerit.*

Regulares cuiuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.

In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. Si Prædicator errores aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicauerit; contra eum secundùm iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali priuilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus auctoritate Apostolicâ, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, iustámve de eis conquerendi occasionem habeat.

Ne aliquem vel eorum, qui cùm sint nomine Regulares, extra claustra tamen & obedientiam Religionum suarum viuunt; vel Presbyterorum sæcularium,

larium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrinâ probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu, in sua Ciuitate vel Diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consulatur; à qua priuilegia huiusmodi, nisi tacitâ veritate, & expresso mendacio ab indignis extorqueri verisimile non est. 1546.

Quæstores Eleemosynary, qui etiam Quæstuarij vulgò dicuntur, cuiuscumque conditionis existant, nullo modo nec per se nec per alium prædicare præsumant; & contrà facientes ab Episcopis & Ordinariis locorum, priuilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Huius Decreti initium erat: *Quæstores prauum hominum genus.* Sed ea appendix deleta; cùm indecorum visum sit, vniuersam eorum hominum conditionem incusare, qui artem de se non improbam profitentur; & quæcumque hominum communitas nescio quid venerationis præ se ferat, cuius gratiâ nulli prudentium aspernabilis.

CAPVT XII.

Alia ante Sessionem quintam acta de Vulgata editione, & Concilij libertate.

1 HÆc erant parata Sessioni Decreta. Intereà Pontifex iusserat à delectis viris Romæ rationes expendi, quibus Legati Decretum de Vulgata editione sustinebant: & quamquam validæ viderentur, excitatasque priùs obtrectationes comprimerent; tamen in re tanti ponderis aliquid dubitationis adhuc Romæ subsidit. [a] Quare Farnesius priùs scripsit, in præterito congressu aliquantulum homines delectos hæsisse, adeoque in sequentem deliberationem negotium fuisse reiectum. Hac dein habitâ, significauit [b] idem Legatis, duos adhuc superesse scrupulos: Alterum, quòd in Decreto appositum fuisset anathema: Alterum, quòd errata quædam difficulter possent verti indiligentiæ scribarum aut typographorum, seu temporum vitio. Quæ cùm ita essent, probari quidem, vt sacra Biblia ex ipsorum Decreto de nouo quàm emendatissima typis ederentur, ad quod Pontifex omnem de se opem pollicebatur; sed totum id minimè satis fore censeri. Etenim vel sola menda expurganda erant, quæ scriptionis vitio & iniuriâ temporis irrepserant; & quâ ratione possent fideles adigi ad huiusmodi translationem excipiendam iis in locis, vbi ea originariam locutionem, Græcam & Hebraicam, minùs propriè in Latinam transfert? Vel eradenda quoque erant secundi generis menda; & res in immensum nodo-

[a] Literæ Farnesij ad Legatos, 13. Maij.

[b] Literæ Farnesij ad Legatos, 25. Maij 1546.

1546. nodosumque laborem itura esset: idcircò Legatis iniungi, vt quid expediret, ipsi excogitarent.

Rescripserunt, Consilium Pontificis à se commendari de sacris 2
Voluminibus quamprimùm emendatissime imprimendis, & eorum qui Concilio aderant operam atque industriam offerri. Adiecere, Ad causam Decreti sustinendam omnino illud omitti non posse, nisi cunctis Patribus inuitis, cunctisque Theologis dissentientibus: ac breuî euenturum, vt quænam essent vera Biblia, ignoraretur; tot eorum interpretationes fuisse iam typis impressas, totque in dies imprimi, varias inter se in plurimis rebus grauissimis, aptissimisque ad fouendas nouas hæreses, aliasque pariter excitandas: contrà verò Vulgatam numquam hæresis fuisse suspectam, cuius rei potissimam in sacris Libris rationem habendam. Quod spectabat ad errores obiectos, ex Hebraicis seu Græcis exemplaribus; quò illa erant emendatiora, eò magis comprobatam ex iis agnosci versionem Vulgatam. Quod spectabat ad ea, quæ putabantur in Vulgata obscurè, ineptè, barbarè ac perplexè dicta; nemini interdictum, quin ea declararet, illustraretque seu per interpretationem, seu per adiectas notas, seu per nouam expositionem. Quòd si ij, quibus forma Decreti molestiam exhibebat, loca illa adnotassent sibi plurimùm displicentia, nauaturos fuisse operam Præsides, vt ipsis satisfieret: quod si minùs id succederet, aliâ viâ consulturos. Sic à Legatis responsum.

At cui stomachum non moueat maligna Suauis oppositio, quæ 3
non modò rei veritati in enarrando, sed simul sui sensus explanationi in iudicando repugnat, quò semper sibi constet in calumniis probrisque ingerendis? Quod ad rem attinet, inducit hîc datum Româ ad Legatos mandatum, vt eo negotio supersederent. Merum planè commentum. Quod spectat ad animi sui sensa; vbi narrauit habitam Tridenti Vulgatæ comprobationem, ceu inconsideratam reprehendit ob tantæ rei grauitatem, obiectorum arduitatem, Patrum & Consultorum infrequentiam. At qui nunc, Pontifice rem pedetentim ac per noua consilia perpendente, aliquam certe à Suaui illius commendationem expectabamus, quasi corrigentis id quod Suauis ipse in Tridentinis Patribus exprobrarat; contrà ille in hoc epiphonema prorumpit: *Huiusmodi erat libertas Concilij*. Eorum igitur Decretorum legitimus censor ac iudex Suauis fuit; Pontifex non fuit? Illi ea damnare; huic ne recognoscere quidem licuit? Quidnam sonat Suaui libertas? num potestas conficiendi Decreta ab omni Pontificis directione soluta? An ille ignorat, huiusmodi pote-

potestate apud Catholicos non modò non corroborari, sed perfringi quodcumque Conciliorum Decretum? Potuisset atramento parcere in hoc veluti arcano retegendo, nimirum, non fuisse Tridentino Concilio hanc libertatem: Romanus Pontifex, vniuersa Ecclesia, ipsum Concilium hoc profitentur. At si libertas significat rationem agendi nullâ vi coactam, obtemperandique suo legitimo Principi; quam huiusce libertatis violationem obtrudere potis erat Suauis, exercitam à Pontifice in Concilio Tridenti celebrato, hoc est, in alterius Principis ditione, ab Ecclesiastico dominatu sepositâ, Germaniæ finitima, absque Pontificis militari præsidio, ac denique eiusmodi, vt Legatis in ampla potiùs honestaque custodia, quàm in libero domicilio degere videretur? Et sanè ex vsitata ratione, quâ ibi Patres loquebantur, sententiasque dicebant, argui potiùs licet, haud libertatem quidem Synodo defuisse, sed licentiam abundasse. Quamquam autem hæc Pontificis auctoritas non adhibita armorum robore, sed iurisdictione pacificâ spontè ab Episcopis obsequenterque suscepta, Concilio vigorem æstimationemque addat potiùs quàm demat; tamen quò liqueat, hac ipsâ iurisdictione quàm suauiter Pontifex sit vsus, rem gestam subiiciam, quam narrat eadem * epistola Farnesiana ad Legatos, de qua hîc sermo est. Indicauerant illi Pontifici, quid statuendum de prælectionibus concionibusque parabatur: cumque id Romanæ trutinæ fuisset commissum, & varij varia super eo, vti solet, animaduertissent; ea omnia Pontifex Legatis communicauit: sed hac additâ declaratione, *id agi non vt imperaret, sed admoneret, & quò complurium iudicio perspecto possent quid optimum esset statuere.* Pressius rem vrgebo, Quæro: Potuitne Suauis per cunctas nequitiæ suæ technas nancisci, imò comminisci vnum dogma Tridenti stabilitum, non inquam imperante, sed instante ac persuadente Pontifice? Minimè verò. Igitur quidquid ibi Fide credendum sancitum est, ita liberè Concilium egit, ac si nullus existeret Pontifex: quare nihil hinc peti potest coloris, vel vmbræ, quibus Tridentinæ sanctiones inficiantur. At quorumdam mentes, qui terreni omnino sunt, terrenorum etiam naturam induunt oculorum, qui à summo rerum adspectabilium candore læduntur & obcæcantur.

1546.

* 25. Maij, quam ipsi acceptam à se fatentur in prædicta responsione, 4 Iunij.

1546.

CAPVT XIII.

Sessio quinta.

FVit itaque 17. Iunij habita Sessio. Quatuor illi Cardinales interfuere, nouem Archiepiscopi, quadraginta octo Episcopi, duo Monachorum Abbates, tres Mendicantium supremi Præfecti, præter minores Theologos maiori auctos frequentiâ: quod nomen iis dabatur, qui ius suffragij non obtinentes, generalibus cœtibus non aderant. Conuenerant etiam Oratores Cæsarei, aliique illustres viri. Solenne Sacrificium celebrauit Alexander Piccolomineus, Pientinus Antistes; tum Marcus Laureus Dominicanus pro Concione dixit. 1

Decretum de Originali peccato confirmatum est, repugnante tamen Paceco, iisque Patribus, qui priùs in congressu ampliorem exceptionem Conceptæ Virginis expetierant. Erant ex his, qui imponendum contrariæ parti silentium postulabant, vel in vniuersum, vt Aquensis, vel ad publicas Conciones coarctatum, vt Calaguritanus & Canatiensis. Censebant aliqui, pro eo ac senserant in congregationibus, oportere vt opinio pro Immunitate absolutè pia declararetur; alij, magis pia. Turritanus dixit, tenorem Decreti vni parti displicere, nec alteri satisfacere; hinc verendum, ne veteres turbæ suscitarentur, ad Sixti Constitutionem à Synodo laudatam exortæ. Aliunde quoque Decretum illud non placuit Cauensi Episcopo, propter verba scilicet, quæ à renatis excludebant quidquid esset odiosum Deo, cuiusmodi illi videbatur esse *concupiscentia.* Nec defuere, qui ad antiqua sensa redirent de Concilij titulo; Fesulanus videlicet, Pacensis, & Oscensis, per consuetam ipsis contestationem. 2

Deinde ad alterum de restituenda disciplina Decretum progressi, ferè omnes illi consenserunt. Sed Turritanus petiit, ceteris comprobantibus, vt publicè legeretur, ac posteà insereretur inter Acta Concilij Pontificium diploma, quo contrariis priuilegiis derogabatur. Suadebat insuper, vt adderetur, non licere Regularibus vllo in templo concionem habere inuito Episcopo; quam sententiam complexi Aquinas, Bellunensis, ac Fesulanus: hic etiam porrecto libello denuntiauit, haud sibi probari Decretum, nisi omnis pascendi gregis cura integrè libereque Episcopis restitueretur; idque toties quoties opus foret, se contestari. Sed è contrario fuit, qui Decretum improbaret, vbi Regulares vetabantur in Paræciis concio- 3

nari

nari solo Parochorum permissu, cùm Episcopus rogatus nollet ipsis facultatem concedere. Claramontanus postulauit, vt in confirmandis studentium priuilegiis, per quæ liceret ipsis, causâ studiorum absentibus, Sacerdotiorum prouentibus frui, exciperentur ij quibus animarum cura incumberet. Verùm hæ omnes sententiæ è consensu paucorum exortæ, sine fructu emarcuere. 1546.

4 Reliquum erat, vt ex Turritani postulato, cui Cœtus consenserat, diploma Pontificis recitaretur; atque ita peractum. * Ad Legatos illud datum fuerat; quin ad exemplar ab illis Romam missum, fuerat conformatum, pauculis tantùm verbis mutatis, quæ Concilij solius auctoritatem in dubium vocabant; adeoque fomes esse certaminis poterant. Quod tamen Fesulano satis non fuit, vt videbimus: cuius ingenium cuiusdam fœni simile erat, quod ignem per seipsum concipit. Ponebatur in diplomate, quamquam Synodus fuisset legitimè conuocata, & ipsi plenâ Legatorum Pontificiorum potestate præsiderent; tamen quò maior esset eorum firmitudo, quæ aduersus ius commune, sanctionésve Apostolicas statuerentur, De traducendis Sacerdotij primò vacaturi fructibus ad sacrarum Literarum Magistros, De Regularibus, De Concionatoribus, De Rectoribus Paræciarum, aliisque per priuilegia immunibus, ac de Quæstoribus eleëmosynarum, expetiisse consensum auctoritatemq; Pontificis. Idcircò id amplè ab ipso comprobari confirmarique, quidquid in huiusmodi rebus à Concilio decerneretur. Diploma communi silentio exceptum est, sicut * in postremo Cœtu, & cum gratiarum actione commendatum, excepto Fesulano, qui dixit: *Fiat absque præiudicio vniuersalis auctoritatis huius sanctæ Synodi.*

* Datum 7. Iunij anno 1546.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 18. Iunij 1546.

5 Post hæc Promotor Concilij Seuarolus instituit, vt absentium contumacia accusaretur, agereturque in eos per edicta Tridentini templi valuis affigenda. Sed in eo non mediocriter dissensum. Duplex erat sententiarum classis, quibus plures adhæserant: altera Legatorum, id agendum arbitrantium in quemcumque haud legitimè præpeditum: altera Giennensis, postulantis, vt exciperentur Germani; quam exceptionem nonnulli ad eos ampliarunt, quorum habendam rationem Cæsariani proximo in conuentu petierant: alij contrà ad eos restrinxerunt, qui Comitiis aderant, solùm dum ea celebrarentur. Sed præter duas hasce acceptiores sententias, Phanensis optabat, eorum dumtaxat qui Romæ degebant contumaciam accusandam. Alij adiecere, interdicendum Patribus, ne Tridento discederent, nisi causam discessus cognoscente & comprobante Senatu: alij alia opinati.

Postre-

1546. Postremò cuncti consensere, vt futura Sessio indiceretur die 29. Iulij; ceterique ritus de more peracti.

Huic narrationi geminam falsitatem, eamque inexcusabilem Suauis pro suo more intermiscet. Narrat enim, Tridentum aduenisse Galliæ Regis Oratorem Petrum Danesium, atque in ea Sessione à Massarello Regias literas fidei conciliatrices perlectas, & ab Regis Oratore facundam ad Patres habitam orationem. At reuerà tres, non vnus fuerunt Oratores, * quos posteà nominabimus. Quin Danesius horum erat postremus; &, quod pluris refert, memoratæ Sessionis die nondum Tridentum peruenerant. Oratio verò non in Sessione solenni, sed in consessu generali, octauo Iulij habita est. Hæc falsa sæpius affusa, quæ nihil conferunt ad Suauis causam promouendam, valdè conferunt ad hominis auctoritatem eleuandam. Qui commodo suo mentitur, ostendit suam vtilitatem pluris à se fieri, quàm veritatem: qui gratis citra commodum sæpè mentitur, ostendit sibi nullo esse in pretio veritatem. 6

* Constat ex Actis ac Diariis Massarelli, multisque Legatorum Literis.

CAPVT XIV.

Obiecta à Suaui emendationis Legibus in Sessione latis: vbi agitur de Iuris Canonici Consultis; deque potestate quam Pontifici tribuant: De Scholasticis; deque vtilitate per ipsos, ac præsertim per S. Thomam collata: De Concionatoribus; deque in eos accusationibus, ob nimium gloriolæ & vtilitatis studium.

1 PRosequitur deinde Suauis suorum Teutonum, seu veriùs suarum cogitationum commenta de reliquis in Sessione statutis. Sed quæ de dogmatum Fidei definitionibus attulit, iam suprà lustrauimus, & quod opus fuit discussimus. Quod spectat ad morum correctionem, ait: *In expectatione fuisse, vt prospiceretur Scholasticis, & sacrarum Legum Doctoribus: his quidem, quippe tribuentibus Romano Pontifici Diuinas proprietates, adeoq; ipsum Deum vocantibus, ac falli nesciam eiusdem auctoritatem, idemq; Dei ac Pontificis Tribunal constituentibus.* Gradus hîc figendus, antequam ad Scholasticorum criminationes pergamus. Quis vmquam è Canonum peritis Romano Pontifici tribuit id quod verè Dei proprium est, adeoque alij communicari non potest? Attribuunt ij quidem prærogatiuas quasdam, quæ solum duobus illis insunt; Deo nimirum tamquam primo fonti; Pontifici tamquam irriguæ materiæ, & pro eo ac dici

solet,

ſolet, per modum participis. Num hæc blaſphemia eſt? Hac ratione propriæ aliquæ Dei prærogatiuæ in profanis quoque Principibus agnoſcuntur. Exemplo ſit: Poteſtas obſtringendi per legem, etiam in conſcientiæ foro, cunctos certi cuiuſpiam Regni homines, in eo quod ſpectat ad felicitatem ciuilem, cuiuſdam eſt auctoritatis, quæ non ineſt niſi tum Deo, quippe rerum omnium Naturæ Domino; tum eiuſdem Regni Principi, quippe memoratæ Diuinæ poteſtatis participi. Quin eâdem ratione nulla omnino inter creatas res verſatur adeò bonorum inops, quæ aliquam excellentiam non obtineat, ſibi tantùm ac Deo, nec alij prætereà communem. Ita neque Sol creatorum corporum potentiſſimus, neque Angeli procreatarum rerum præſtantiſſimi, valent per ſe ſolos refrigerare atque humectare, quemadmodum valet aqua; ſed ea vis extra aquam vnicè in Deo eſt: & in hac ſignificatione quædam Dei proprietas eſt aquæ communis. 1546.

2 Imprudenter ſanè loquitur, qui Pontificem quemdam Deum appellat: idque Romæ neutiquam permittitur. At quem lateat, quonam ſenſu id aliqui ex Canonum conſultis dixerint? Non quo ſenſu Ethnici terrenos Principes Deos nominarunt, cæli numina cum iis componentes; ſed quo Deus ipſe hominibus dixerat, *Vos Dij eſtis*. Quod dictum productum ac iteratum fuit à Chriſto aduerſus Iudæorum calumnias.

Tum verò, ſi auctoritas ab erroribus innoxia intelligitur in Fidei morumque deciſionibus, ea ſanè Romano Pontifici tribuitur non à ſolis Canonum peritis, ſed à Theologis grauiori plenioríque concordiâ: huius, quem Suauis abuſum nuncupat, emendatio ab aliquo Smalcaldico, non à Tridentino Concilio expectari poterat. In aliis rebus, quæ vel ad rem geſtam, vel ad Ius humanum pertinent, quinam ſunt inter Canonum Interpretes, negantes errori Pontificem ſubiacere? Quis eorum conceſſas à Pontifice facultates frequenter irritas non agnoſcat *ſubreptionis & obreptionis* vitio, vt ipſi loquuntur; adeoque reipsâ errorem in mente Pontificis non admittat? Nónne ipſi pariter repudiant ſententiam, quam in vna è ſuis Conſtitutionibus profeſſus eſt Ioannes XXII. dominium ab vſu non ſecernens in iis quæ vſu conſumuntur; eoque pacto nónne in articulo Iuris humani Pontificem deerraſſe pronuntiant?

3 Demum ex vero aſſeri poteſt, vnum eſſe Dei, Romaníque Pontificis Tribunal in tertiis: perinde ac ſi quis diceret, Neapoli vnum atque idem eſſe Proregis Regiſque Tribunal; non quaſi Rex Proregi non præſit, nequeat illius iuſſiones reuocare, eumdemque punire;

1546. nire; sed quia in ea vrbe Rex aliud Tribunal non erexit supra illud, in quo Regia iurisdictio per Proregem administratur. Ita cùm Deus noluerit per se proximè potestatem Iudicis apud mortales exercere, oportuit supremum Magistratum humanum constitui, à quo Dei nomine illa exerceretur; adeoque necesse fuit, vt illius supremi Magistratus Tribunal idem esset ac Dei Tribunal in terris. Hoc tamen non efficit, ne Deus tamquam manu Regiâ, & citra formam iudicij, suâ inter homines iurisdictione fungatur modo quodam sublimiori: neque id vmquam Scholæ sacrorum Canonum inficiantur.

Pergit Suauis, opus fuisse vti Scholasticis consuleretur; *quoniam Christiana doctrinæ fundamentum in Aristotelis Philosophia collocarunt, & sacris Literis prætermissis, & cunctis in dubium reuocatis; vsque adeò, vt etiam in quæstionem adduxerint, an Deus sit; idq; in vtramque partem disputarint.* Profectò vel Suauis quosdam minoris notæ peculiares Scholasticos arguit, vel omnes vniuersè criminatur. Si vitium aliquorum accusat, reminisci debuerat, in omnibus disciplinis, ac potissimùm in nobilissimis, adeoque maximè arduis, tolerandos esse professorum plerosque vitiis laborantes: plurimis concedi, vt in illis ingenia exerceant, quò doctrinæ præstantia in paucis efflorescat. Quot medici ægrotos conficiunt? Quot chirurgi artus eneruant? Quot gubernatores sunt causa naufragij? Quot architecti ædes breuî ruituras construunt? Quid igitur agendum censeas? Nulli datum Reipublicæ est, vt in sua quisque arte præcellat: vel ipsa Natura, quacumque humanâ solertiâ maior, vitiosos partus, abortus, monstra præpedire non valet. Vnicum superest remedium, vt videlicet eos artifices adhibeas, quos communis existimatio comprobat. Id vsuuenit Scholasticæ Theologiæ. Disciplinarum omnium præstantissima simulque difficillima ea est: eius possessionem sibi multi arrogant, pauci obtinent: hos constanter admiratur hominum consensio; alij processu temporis quà neglecti, quà ignoti iacent, quà etiam derisi. 4

At quoniam, quæ Suauis opponit, omnium Scholasticorum morem vniuersè impetunt, ea breuiter perpendemus. Vbinam Scholastici doctrinæ fundamenta locant in Aristotele, & non in Diuinis Oraculis? Nónne illius dicta communiter impugnant de mundi æternitate, de Diuina in agendo necessitate, de negata ab eo creandi potentia, ac de aliis grauissimis capitibus, in quibus hallucinatur ex humanæ pupulæ infirmitate, ad lucem Diuinam cæcutientis? S. Thomas Scholasticorum Princeps, nónne toties docet, sacræ 5

scientiæ

ſcientiæ fundamenta naturales rationes non eſſe, ſed Dei reuelantis effata? Eſſe quidem Theologi, oppoſitas argumentationes à Philoſophia deſumptas diſſoluere, cùm aduerſus veritatem nulla poſſit germana demonſtratio militare, adeoque neque vllus inſolubilis ſyllogiſmus; non autem philoſophicas comprobationes adducere? Quin ſi quis hoc audeat, næ ille periculo, inquit, exponet Religionem Chriſtianam Ethnicorum ludibrio, qui huiuſmodi probationum imbecillitate compertâ, ſibi perſuadent noſtræ Fidei fundamenta nutare. At verò Philoſophiæ lumen triplici de cauſa maximè Theologiæ ſeruit. Primò, quia aliarum ſectarum errores impugnat, qui per ipſum reuincuntur: Deinde, quia ſophiſmata diluit Chriſtianæ Fidei obiecta, quaſi abſurda myſteria complectentis: Tertiò, quia aliarum cognitionum opulentiam comparat, quæ tamquam conſecutiones deducuntur, & ex Fidei dogmatis, & ex Naturæ notionibus ſimul coniunctis. Ad hæc tria commoda illis mirificè vſus eſt laudatus S. Thomas, præſertim in Summa contra Gentes. Quòd ſi ad hæc emolumenta conſequenda ſibi ſuiſque ceu ducem ſelegit Ariſtotelem, tam putidè, tam iniquè deluditur à Suaui, vt in eo potiùs incomparabilis ille Doctor de Eccleſia optimè meritus habendus ſit. Etenim par eſt animaduertere, poſtquam Deus Fidem conſtituit per homines debiles ac vulgares, ſed ab eo ſapientiâ ac virtute diuinitus corroboratos, quò in eo opere Auctoris Diuinitas clariùs eluceret; poſt ea inquam tempora voluiſſe, vt doctrinæ præſtantia in Eccleſia ſua tamquam in ſede perpetua conſideret: idcircò per cunctas ætates viri ſcientiâ præclariſſimi, iidem ſacri Doctores fuere. Iam verò contigit, vt ſub duodecimum circiter ſalutis noſtræ ſæculum Arabum ſecta magnam ſibi doctrinæ laudem adepta fuerit, qui Bæticæ præcipuè imperitantes, Cordubam in Athenas pænè conuerterant: atque per Aueirois ſolertiam Ariſtotelis Philoſophia caput erexerat, quæ diutiùs ſaltem in Occidentis Prouinciis vel ſopita vel ſepulta iacuerat. Eam verò & ordinatè & ſubtiliter explicantes, peripateticis rationibus refellebant irridebantque noſtræ Fidei myſteria, quaſi falſitatis conuicta, eorumque aſſeclas quaſi credulos ex inſcientia. 1546.

6 His in Eccleſiam aggreſſionibus oppoſuit Diuina Prouidentia S. Thomam, qui optimè gnarus, in quacumque regione dominari eam religionem, quæ à viris ſapientiâ ſupra ceteros conſpicuis traditur, nullamque inter humanas doctrinas nactus, ſeu maiori habitam in honore, ſeu dignam vt haberetur, quàm Ariſtotelica; in eam impenſiſſimo ſtudio operam dedit, atque illius Philoſophi libros

1546. bros longè luculentiùs explicauit, quàm quicumque Arabum aut Græcorum. Quapropter magnâ illius Philosophiæ notitiâ, nec minori existimatione sibi comparatâ, viuidi ingenij vi atque acumine ex iisdem Aristotelis principiis solutionem deduxit argumentorum, quæ non ab aliis modò, sed ab ipso Aristotele excusa fuerant rectæ Fidei dogmatis reluctantia. Abeuntibus posteà in eius vestigia plurimis Scholasticorum, effectum, vt quemadmodum priùs peripateticorum doctrina Christianæ infesta credebatur, adeò cum ea fœdus coierit, vt recentes hæreticorum antesignani desciscere à Vaticano nequiuerint, quin simul desciuerint à Lyceo, fidemque suarum commentationum eleuauerint ex contemptu maximi Philosophorum, & fortasse inter ingenia, quæ Natura protulerit, præstantissimi. Id enimverò est, quod Suaui eiusque Lutheranis in Scholasticis dolet, quod scilicet horum operâ ipsorum temeritati non modò Fidei, sed Philosophiæ lumen aduersetur; nec Romæ solùm auctoritas, sed Stagiræ.

Quid autem posteà Suauis audet increpare Scholasticos, quòd 7
omnia in dubitationem adducant? Quisnam omnia in dubium reuocat, nisi ipse, & cum eo nouitatis molitores, qui Romani Pontificis & Conciliorum auctoritatem negant, legitimam Canonicorum voluminum fidem, cõprobatam ipsorum versionis veracitatem; atque ita omnem certè credendi normam adimentes, Fidem pro libidine sibi construunt, eamque per momenta demutant? Contrà Scholastici cohærent inter se, sibique omnino constant in tuendis tum veteris Catholicæ Fidei effatis, tum inuiolabili veritate Tribunalis ea declarantis. Non in dubium vocant, an Deus sit, quod stultè Suauis autumat: vocant tamen in disputationem, prout necesse est vocare eas omnes enuntiationes, quæ nec per seipsas, nec ex coniunctione subiectæ & affirmatæ rei euidentiam obtinent, qualem exempli causâ obtinet hæc: *Omne totum est maius suâ parte.* Quin sanè operæpretium est de rebus etiam huiusmodi disputare; non quò probentur, sed quò illarum perspicuitas appareat, & argumenta opposita dissoluantur. Itaque Aristoteles in Metaphysicis disceptare coactus est, ad confirmandam veritatem principij, omnium quæ nostræ menti affulgeant, euidentissimi, cuiusmodi est: *Non potest idem simul esse, & non esse:* quod ab aliquo ex veteribus philosophantibus negabatur. Ac in Physicis eidem necesse fuit, vt diutiùs insisteret in rei veritate demonstranda, quæ sensibus vel maximè patet; corpora videlicet loco moueri, quò Zenonis sophismata, & quidem perdifficilia enuclearet.

Præterea

8 Præterea certum quandoque est, quænam quæstionis pars veritati consonet; sed quænam ex adductis rationibus efficaciter illam comprobet, certum non est. Experimento competimus, dari posse quadratum certo cuidam circulo æquale; sed huiusce rei demonstratio ingeniorum omnium conatibus adhuc incomperta. Horum igitur problematum disputatio non quidem ad amouendam rei dubitationem, sed ad comparandam legitimam probationem vtilis est. Mens nostra, nisi hac exercitatione excolatur, quippe lusciosa & pigra, sæpè dictum cum dicti ratione confundit, & illius secura decipitur, dum huic, quamuis imbecillæ, præfidit; ac postmodum alterâ ceu debili patefactâ, de altero incipit dubitare. Quare per summam vtilitatem Scholastici ac S. Thomas huiusmodi quæstiones in primis accuratissimè pertractant; & illam potissimè, quæ Religionis vniuersæ basis est; *An Deus sit:* quæ tamen, vtpote ex ipsa rei natura suâ sponte certissima, possit superuacanea videri; tamen ob nostræ phantasiæ crassitudinem, supra terrestria ægrè assurgentis, nostrarumque deprauationem appetentiarum, refugentium vindicem eorum facinorum, à quibus abstinere detrectant, tantopere fortasse necessaria est, quantoperè à Suaui deridetur: atque vtinam ipsi præcipuè necessaria non fuerit. 1546.

9 Pergit dicere, *oportuisse abusum auferri concionandi de rebus vanis, aliisq; omnibus, præter Christum.* Benè est: oportuisset pariter abusum auferri, Diuini Numinis per tot delicta quotidie lædendi: & in promptu erat Decretum edi, vt pro se quisque ex absolutissimæ virtutis norma se gereret, quâ ratione perpetua confecta fuisset Christiani generis emendatio. An Suauis ignorabat, legis solertiam haud in eo sitam, vt illa imperet quæ per se honesta sunt (si namque res ita foret, posset quilibet, quantumuis imbecillæ mentis homo, Legislatorem optimum agere) sed in eo sitam, vt adiumenta quædam præscribat parum facilia, quæ ad honesta deducant? Lex seuerissimi carminis promulgetur, ne quid præter Christum quisquam in Concione prædicet; quid inde? Concionator, quicumque sit ille vanissimus, eius sibi obseruationem arrogabit, & se omnia quæcumque loquitur, eò referre profitebitur: oblectationem dicet attentioni conducere, attentionem persuasioni: vel ea excusatio leniter accipitur, & lex ludificatur; vel seuerè reiicitur, & tum grauis terror incutitur, vt concionandi ministerium planè reddatur intolerabile. Modus ad fructuosè conciones habendas, is omninò fuit, quem adhibuit Synodus: vt nimirum in Concionatoribus probitas ac doctrina ritè explorarentur; & vbi hi deerrassent, Præ-

 sulis

1546. ſulis etiam externi virgæ ſubiacerent. Non niſi Chriſtum prædicare, & tamen auditores allicere, optimum enimuerò eſſet; ſed quod optimum, ſemper rarum.

Sunt quibus ad hoc agendum ars deeſt, cùm ea, quantum arbitror, ſit ratio concionandi maximè ingenioſa, & ſupra modum ardua: in aliis vis illa pietatis, ac virtus ad hos conatus deſideratur. Quidnam igitur optabilius? Interdicere Concionem cuicumque, qui tam ſublimem pietatis ac magiſterij gradum nondum teneat, adeoque ad perpaucos munus illud coarctare; an illud cuicumque permittere, qui mediocriter eo perfunctus ſit? Hæc interrogatio illi par eſt, quâ quis quæreret, an ſint excludendi à militia cuncti milites, qui imperterritum haud gerant animum, adeoque nonnumquam terga vertant: à Tribunalibus cuncti Iuriſconſulti, qui egregiè docti non ſint, ſed quandoque perperàm iudicent. Vt paucis dicam, à qualibet arte artifices omnes, qui aliquid in ea peccant. In multis bonorum generibus, rerum copia, quamuis imperfectarum, Reipublicæ conducibilior eſt, quàm paucitas cum excellentia. Maioris eſt emolumenti, vt in quolibet oppido, aut quouis in templo populi Conciones excipiant de Deo, de cæleſti felicitate, de ſuppliciis æternis, audiant euectam laudibus pietatem, execrationibus abiecta vitia, tametſi his interſerantur inania quædam ornamenta, & quaſi fucata ſententiarum & eruditionis pompâ; quàm ſi nonniſi Pauli & Chryſoſtomi perorarent, ſed adeò pauci, vt animi populorum inter ſolas rerum profanarum nugas omnino ſilueſcerent; adeoque à pauciſſimis vel rariſſimè ſemen aliquod exciperetur, quod in cæleſtium cogitationum florem erumperet. 10

Cenſuram ſuam ita concludit Suauis: *Conſulendum fuiſſe manifeſtæ Concionatorum mercaturæ, ſub eleëmoſynæ nomine.* Equidem ſi priuatæ vtilitatis, non æquitatis publicæ ſtudio ſcriberem, huic ſententiæ haud refragarer, quippe quæ ſingularem præ ſe ferre laudem videtur legis inuiolabilis, quâ in eo genere Religioſa in qua recenſeor Familia tenetur: ſed vt ingenue loquamur; nobis quidem facile eſt ab huiuſmodi petenda ſtipe abſtinere, quibus noſter Ordo neceſſaria ſuppeditat, abſque illo ſanguinis pretio, quod ſoluitur per ruborem, ab exteris ea mendicando: eadem verò nobis pariter Chriſtianorum largitio ſubminiſtrat. At reliqui Concionatores, iis quorum indigent deſtituti, quonam pacto miniſterium exercere poſſunt, ita graue per corporis animique laborem dicentibus, ita conducibile audientibus, niſi per ipſum liceret, quæ ſibi pro ſuo gradu ſunt vſui, comparare? Qui autem illius comparandi modus innocentior, 11

centior, quàm stipendium capere piâ Magistratuum moderatione 1546.
constitutum; vel etiam sibi semel ab auditoribus eleëmosynam petere, voluntariè conferendam? Ceterùm Quæstoribus, quibus eleëmosynæ corrogandæ munus est, satis nouit Suauis, à Synodo per hæc Decreta Concionem interdictam. Postremò scire cuperem ab iis, quibus Suauis vita comperta fuit, num ipse sacris studiis operam impenderit procul à quacumque mercede; an potiùs ita copiosam acceperit, vel etiam in patria degens, vt quinta ipsius pars abundè Concionatoribus foret, qui laboriosam exigunt vitam, paucorum dierum quiete ægrè fruentes. Non id affero ad incusandam hominis auaritiam; cùm illi fama non eorum vitiorum notam inusserit, quæ cum corpore relinquuntur in terris, sed quæ cum anima deferuntur in tartara. Solùm profero, quò insimulationis iniquitas patefiat, cùm ipse ab aliis exigat, quod in se præstare non poterat. Quin etiamsi præstari posset, optandum id potiùs, quàm præscribendum. Cogitemus oportet, hominem spiritu ac terrâ concretum: adeoque sicuti humanam velle substantiam ab omni terreno defœcare, haud sanè est eam perpurgare, sed extinguere; ita pariter ab eodem terreo velle humanam virtutem sæpius abstergere, non est eam perficere, sed conficere.



HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM.



OEDVS *compositum inter Pontificem ac Cæsarem in Protestantes. Aduentus Gallicorum Oratorum Tridentum, ac difficultas de loco ipsis destinando. Eorum publica accessio, & oratio. Varij congressus de argumento* Iustificationis. *Episcopi ex bello territi; eorumque transferendi vel dimittendi Concilij postulatio à Pontifice reiecta. Grauis rixa inter Cauensem & Chironiensem Antistites. Exercitus Pontificij, ac Farnesij Cardinalis, in Germaniam profectio. Sessio prorogata. Publica inter Montanum & Madruccium altercatio. Rursus de Synodi translatione agitatur; & ob id Cæsaris in Ceruinum indignatio. Difficu[...] retinendi Præsules Tridenti. Quæ à Cæsarianis proposita. Disputationes de varijs* Iustificationis *capitibus, & multa Suauis errata. Decretum ea de re confectum. Varia obseruata ex facto de mente Concilij, spectantia ad nonnullas Scholasticorum controuersias. Quæ inter Pontificem & Legatos agitata de translatione; & cur hi tantoperè illam expeterent. Farnesij reditus in Italiam. Ipsius consilium Tridenti de superſedendo, à Cæsarianis Ministris approbatum; sed non à Cæsare. Votum Caroli prorogandi de* Iustificatione *Decreti; & cur. Dies Sessioni, reclamantibus Cæsarianis, indictus.*

Quæ

Quæ de Episcoporum in suis sedibus mansione Decreto proposita, & de amouendis obstaculis. Expensa Suauis dicta de Sacerdotiis, & de Regularium immunitatibus. Sessio concorditer habita de Iustificationis *Decreto; sed per magnam sententiarum varietatem in emendationis Legibus. Redargutæ Suauianæ in ea Decreta animaduersiones Grammaticæ, Theologicæ, Historicæ, Politicæ.*

CAPVT PRIMVM.

Noua rerum capita Tridenti perpendi cœpta. Indictum Romæ bellum in Protestantes.

1 TENOR Decretorum, & ratio progrediendi in argumento *Iustificationis*, & Episcoporum in suis Ecclesiis mansionis, atque in eius obstaculis remouendis, tum Pontifici, tum delectis ab eo viris Romæ placuerunt. [a] Intereà Legati responso non expectato solicitè aggressi sunt opus futuræ Sessioni destinatum; eoque libentiùs huic rei laborem impendebant, [b] quòd ipsis videbantur à *Iustificationis* articulo cetera dogmata pendere, & ex Decreto mansionis, eiusque obices auferendi, reliquæ morum leges: quare duobus hisce Capitibus constitutis, [c] sperabant & difficultatibus & Concilio finem breuî imponendum; qui vehementer exoptabatur, ob loci conditionem & valetudini noxiam, & intutam libertati. Atque ex altera parte spem omnem abiecerant fore vmquam, vt Cæsar translationi acquiesceret: cum compertum esset, quamquam ille captum consilium progrediendi in articulis Fidei tulisset ægerrimè; tamen ab eius Administris toleranter deuoratum, ne ansam animorum motibus præberent. Romæ verò pari solicitudine Theologorum adhibebatur doctrina ad dogmata perpendenda, Consultorumque prudentia in emendationis negotio. Quinque præcipuè erant Theologi, Franciscus Romeus, Generalis Prædicatorum Magister, qui duobus aliis sui Ordinis vtebatur; Bartholomæus Spina, sacri Palatij Magister; Albertus à Cattaro, etiam Dominicanus, qui exiguæ ætatis spatio haud exiguum nomen sibi comparauerat; Ioannes Iacobus Barba Augustinianus, Pontificio Sacrario Præfectus; iam tum Aprutinis Infulis donatus, [d] & Dominicus nescio quis eiusdem Ordinis Theologiæ Magister.

2 Verùm aliis armis sub eos dies bellum hæreticis parabatur. Tridentinus

1546.

a Literæ Farnesij ad Legatos, 30. Iunij 1546.

b Totum extat in Epistola Legatorum ad Farnesium, 16. Iunij.

c Literæ Legatorum ad Farnesium, 16 Iunij 1546.

d 16. Maij 1546. vt in Actis Consistor.

1546. dentinus in Germaniam, vt narrauimus, accerſitus à Cæſare, ad Pontificem poſtea illius iuſſu perrexerat, fœdus inter vtrumque conflaturus ad hæreticos ſubigendos. Idque tandem 22. Iunij in generali Purpuratorum Cœtu coram Pontifice ſancitum, vbi * Auguſtinus Cardinalis Triuultius pactionis capita recitauit; quæ erant huiuſmodi:

* Extant omnia in Actis Conſiſtor.

Cùm tot annos Germania diuexaretur ab hæreſi, cum ſumma rei tum ſacræ tum profanæ iactura, nec extra cladis extremæ diſcrimen; cumque innumeris rationibus illius tranquillitas fuiſſet quæſita, ſed abſque fructu; tandem huiuſce rei gratiâ Tridenti Synodum coactam: at denuntiaſſe iam Luthetanos atque Smalcaldicos, nolle ſe illi ſubiacere. Quapropter, vt opera memoratæ Synodo celebrandæ nauaretur ad Dei gloriam, & Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem, ac potiſſimùm ipſius Germaniæ, Pontifici ac Cæſari viſum eſſe, vt ambo in hiſce pactis mutuò conuenirent.

Cæſarem, opitulante Pontifice, bellum menſe Iunio ſuſcepturum 3
in Proteſtantes Smalcaldicos, ceteroſque hæreticos; atque omni vi conaturum, vt ad veram veteremque Religionem, abſolutamque Sedis Apoſtolicæ obedientiam eos compellat: ipſi tamen intereà licere idem ipſum mitioribus rationibus experiri. Sed quoniam hæc fœderis capita nonniſi exeunte Iunio firmata, vti dictum eſt; ad eorum calcem adiectum erat, eumdem tunc vertentem Iunium intelligi; conditionemque ſuprà recenſitam ex eo fuiſſe poſitam, quòd eius exemplar multò antè à Cæſare Romam perſcriptum fuerat.

Haud fas eſſe Cæſari cum iis hæreticis in concordiam accedere, quæ illius fœderis ſummæ repugnaret; aut quidquam in Religionis negotio illis concedere, abſque diſerto Pontificis, ſeu Pontificij Legati conſenſu.

Intra menſem à fœderis die, deponenda eſſe à Pontifice Venetiis centum aureorum millia, quæ vnà cum aliis totidem Auguſtæ iam numeratis, à Pontificiis Miniſtris expenderentur in vſum belli; quo quacumque de cauſa ceſſante, integrum eſſet Pontifici ea ſibi reſumere.

Obſtringi Pontificem ad mittenda, alendaque ſtipendio ſuo per ſex menſes, niſi priùs bellum conficeretur, ad expeditionis ſubſidium, duodecim peditum millia, & quingentos Equites, cum Apoſtolico Legato, qui eas copias duceret regeretque eo temporis ſpatio, præter ordinarios Centuriones ac Duces.

Vt Pontifex Cæſari concederet ad hanc expeditionem, modo

aliàs vsitato, dimidiam partem prouentuum vnius anni ex Hispanicis Ecclesiis: facultatem pariter impertiretur, vendendi quingentorum millium scutorum pretio beneficiaria oppida ab Hispaniæ Monasteriis possessa, quæ in hoc bellum, nec alium in vsum expenderentur; ita tamen, vt Carolus iisdem Monasteriis damnum compensaret æquali fructu, vel ex prædiis, vel ex aliis reditibus decerpendo, eo sibi accepto lucro, quo bona iurisdictione prædita iis præcellunt, ex quibus solus fructus excipitur. At cùm ea concessio esset inusitata, per eas cautiones moderationesque haberetur, quæ Pontifici viderentur, & per eiusdem curatores perficeretur. Hoc tamen extremum caput comperio Vaticano Senatui minimè comprobatum; qui debebat etiam leges fœderis iureiurando firmare, quod mox narrabitur: sed decretum est, vt quapiam aliâ ratione vtilitati Cæsaris consuleretur. 1546.

Vt bello durante, ac prætereà sex eo absoluto proximis mensibus ambo Principes mutuâ sibi ope prestò essent, aduersus eos qui alterutri ad hoc bellum obturbandum molestiam inferrent. Quam pactionem falsò narrat Suauis sancitam peculiari arcanoq; scripto, quo Regem Galliæ, quem indicabat, celaretur; cùm reuerà fuerit in pleno Cardinaliũ Cœtu perlecta, & in Actis Senatus inter ceteras adscripta.

Fas esset cuilibet Catholico Principi venire in partem fœderis, cum ea oneris honorisque conditione, quam cuiusque dignitas postularet.

Vt denique pacta sacri Collegij consensione probarentur. His posteà subscripsere Pontifex, & pro Cæsare Madruccius, ac Ioannes Vega ipsius Orator; & ad ea re perficienda designatus est in Senatu [a] Legatus expeditionis Farnesius Cardinalis. a 25. Iunij.

Dein 4. Iulij, die Dominico Sacrum coram Pontifice celebratum in templo Capitolino, S. Mariæ in Ara Cæli dicto, quod in peculiari tutela & Cæsaris & populi Romani est: ibique Paulus crucem solenni ritu tradidit Legato, eiusque fratrem Octauium Farnesium supremum exercitus Pontificij Ducem constituit, vexillo solenniter consecrato. Et vterque abeuntium specie iter cœperunt, ac Legatus comitante Cardinalium Collegio vsque ad Portam Flaminiam perrexit; tametsi reipsâ Româ non decesserit, nisi post multos dies, [b] de recentium hominum more, quo solennitas operis & opus ipsum coniungi non solent. b 13. Iulij Romæ degebat, vt patet ex eius Epistola ad Legatos scripta.

Certiores de re peracta Legatos Tridenti reddidit Farnesius, & copiosiùs [c] Maffeius, qui Pontifici à Secretis erat. Considerabant hi, tametsi plurimum discriminis esset in bello, nihil tamen in pace c Literis 23. Iunij.

 supera-

1546. superfuisse spei de concilianda Germania; nisi gladius distringeretur, febri hecticâ moriendum: Concilium verò armorum vi confirmatum, forti brachio animoque constanti rem peracturum; cùm ipsius Tribunal armatos quasi apparitores prævalidum exercitum haberet, & suarum quasi executorem sanctionum Carolum Quintum.

CAPVT II.

Congressus Tridenti de Iustificatione, ac Episcoporum mansione apud suas Sedes.

HÆc Româ ad Concilij Præsides perscripta; qui neque mentis, neque corporis laboribus in eo promouendo parcebant. 1
Suauis narrationem exorditur eorum, quæ post quintam Sessionem ibi sunt agitata, tot mendis refertam, perinde ac si studuisset à vero secedere. Dicit habitum fuisse Cœtum 18. Iunij proximè post Sessionem: sed reapse primus Cœtus * 21. Iunij coactus. Ibi Legatorum iussu lectum à Massarello scriptum de Iustificatione discutienda. Verùm nihil ex scripto recitatum; sed Ceruinus, cùm primus Collega ex morbo non adesset, ea de re in congressu locutus.

* Quæ narrabantur de rebus in Concilio dictis aut gestis, vsque ad translationem, extant præter alia monumenta in secunda parte Actorum Pauli Tertij; in qua sunt in summa Patrum sententiæ, ac minorum Theologorum, dictæ in Cœtibus publicis & priuatis.

Cæsarianos Præsules alienum animum ab ea tractatione præ se gessisse; causatos, Madruccij missione à Cæsare Romam factâ, indicari aliquid grandioris moliminis, quod chartæ committendum non esset: sed cùm alij oppositum sentirent, dixisse Legatos, Præuia rerum examina, earum sanctiones non esse; adeoque non nisi conducibile videri, temporis compendium facere. Et tamen hæc omnia merum somnium, in quo somnio ne partes quidem per se veræ; cùm ibi disputatum ampliùs non fuerit, an dogmatum definitio continuanda.

In subsecuta Congregatione, proposito à Legatis mansionis articulo, Vasonensem dixisse, ea de re nihil agi posse, nisi sublatis priuilegiis, aliisque obstaculis, Episcoporum administrationi à Romana Curia obiectis; ac proinde Legatos adactos, vti sinerent de his etiam agi. Nihil à vero non discrepat. Legati non in secundo, sed in priori congressu de hoc locuti: neque nudum mansionis negotium proposuere; sed aiebant, cùm ad eam Patres se paratos ostenderent, oportere potiùs mentem adiicere ad obices amouendos: adeoque notarent singuli, quæ in sua quisque Ecclesia experiretur; quamquam in difficultates res offensura esset, non quâ parte à Romano Pontifice; sed quâ à profanis Principibus penderet.

ret. Ac tam longè abfuit Vasonensis ab ea sententia, quam ab eo 1546.
prolatam Suauis affirmat, vt potiùs in superioribus Cœtibus, quod narrauimus, affirmarit, experimento à se compertum, obstacula non certè ab Apostolica Sede, sed à profana potestate proficisci.

2 Sed ad veram rei narrationem accedamus: Ceruinus in hanc sententiam disseruit: Iustificationis articulum, de quo tunc agendum erat, obscuriorem euasurum, quàm iam sancitus de peccato Originali: etenim, cùm de hoc veteres Scholastici copiosè disputassent, de illo perpaucos egisse. Plurimum tamen ei lucis affusum à Catholicis scriptoribus, qui à vigesimo iam anno Lutheranorum errores redarguerant. Adiecit Polus, Caput hoc superiori aptè coniungi, vt cognitâ per illud bonorum iacturâ in primo Adamo factâ, inde intelligerentur per hoc bona in secundo Adamo recuperata. Quò res erat implicatior, eò frequentioribus precibus opus esse ad Diuinum lumen impetrandum: se Patres cohortari, vt libros vel aduersariorum perlegerent, non animo infenso, sed æquè in vtrumque parato: neque dicerent, *Lutherus hoc scripsit, igitur falsum*; cùm hæreticorum sit industria, falso fidem quærere veris admixtis: nisi hac animi æquabilitate ij legerentur, sed pronis ad cuncta refellenda votis, veritas eam quærendo amitteretur: cuius rei exemplum conspici in Alberto Pighio, qui in articulo de Originaria noxa, dum vniuersam Lutheranorum doctrinam reiicere conabatur, propè in Pelagianorum errorem lapsus est.

3 His porrò Paceccus addidit; Ad Iustificationem expendendam non modò antiquorum Scholasticorum deesse subsidia, sed etiam veterum Conciliorum: Tridentinum id primùm eniti. Proinde videri sibi aliam hîc rationem ineundam, quàm in dogmate iam firmato: eam optimam fore, si Theologi per priuatos congressus rem enuclearent inter se, donec omnia capita ritè censerentur expensa; quæ posteà ita digesta, coniunctim ad Patrum Cœtum proferrentur; quo perspecto omnium inter se connexu, posset de cunctis pariter ferri iudicium simul, ac Decretum confici maiori cum luce, minorique temporis impendio: alij interim, quibus negotium erat datum, quæ fuerant obseruata ad mansionem spectantia, simul colligerent. Præter hæc dolere se dixit ex animo, vbi tam ardua negotia ampliorem Patrum frequentiam flagitabant, non modò eos desiderari, quorum contumacia incusabatur; sed esse Patres, qui quotidie Tridento discederent. Et quamquam ij abirent, Sessionis die posteà reuersuri, minimi se æstimare ipsorum interuentum in ea cæremonia, in qua voculam *placet*, proferrent. Quin mirum sibi videri, quo pa-

1546. ĉto nonnulli ſententiam ſuam dicerent de iis, quæ priùs accuratè non perpenderant. Proinde mandandum, ne quis inde abſque facultate recederet; quam ad decem ſeu quindecim dies concedere Legatis liceret, ad longius tempus, non niſi Synodus daret.

Ad ea reſpondit Ceruinus, Legatos ne breuiſſimum quidem abeundi tempus vlli indulſiſſe, cùm id Veronenſis Antiſtitis Adiutori negaſſent, octo dierum abſentiam poſtulanti, quò ſolenni Corporis Chriſti ſupplicationi in ſua Eccleſia propinqua intereſſet; at Epiſcopos hanc veniam ſibi ipſis arrogare: vnde cogitarent Patres, quid ſtatuendum. Viſum eſt, ſeruandam eam rationem quam Præſides propoſuerant, ac nulli abire fas eſſe, ſicuti Pacecus admonuerat. 4

Habito non ſemel minorum Theologorum congreſſu coram Legatis, Patribus eò ſpontè adeuntibus, vti mos erat; rurſus generalis Cœtus * conuocatus, in quo Montanus, ex morbo iam confirmatus, dixit, auditis Theologorum placitis, poſſe rem in tria Capita diuidi. 5

* Vltimo Iunij.

Primum, Quo pacto Ieſu Chriſti merita ad eos applicentur, qui ipſius Fidem amplexantur; & quam illi poſteà gratiam mereantur.

Secundum, Quid agendum homini Chriſtiano ad Diuinam in ſe gratiam cuſtodiendam.

Tertium, Quid illi agendum, qui acceptam à Deo gratiam poſtmodum amiſit: & an vires ad eam recuperandam obtineat, & quo modo: & in quo hæc gratiæ recuperatio primæ ſuſceptioni ſit ſimilis aut diſſimilis.

In hanc diuiſionem aſſenſum ab omnibus, excepto Pelargo Treuirenſis Procuratore, cui non ſatis ea eſſe videbatur; ſed agendum quoque de libero arbitrio: nam vt adultis gratia infunderetur, de quo tunc ſermo erat, cùm de infantibus in ſuperiore Seſſione plenè dictum fuiſſet, conſenſus noſter exigebatur, qui ex arbitrij libertate prouenit.

Propoſitum inſuper eſt, An poſt inferiorum Theologorum examen conſtruenda eſſet à delectis viris forma Decreti ad Patres referenda, à quibus diſpiceretur; an potiùs res ipſa iam à Theologis digeſta, exponenda, nec niſi conſultis anteà Patribus conformandum Decretum. Hoc poſterius magis placuit, tum quod indecorum videretur dictari ſententiam, antequam quid ſentirent Iudices proferrent; tum, quòd faciliùs eſt telæ texturam exordiri, quàm iam contextam reſarcire. Quare, quò ſeriùs minorique mutationis indigentiâ perficeretur deſignatio, eò deinde præſtantiùs confectum 6

opus

opus euaderet. Ad hæc consultum, an de singulis seorsim capitibus ferendæ sententiæ, an simul de omnibus. Re ad Legatos reiectâ, hi seorsim agendum de singulis censuere: quamuis enim id laboriosius, exquisitius tamen futurum. Etenim vt in corporibus, itidem in disputationibus, quò res magis diuiditur, eò magis in lucem trahitur quod altiùs latitabat. 1546.

Tanti habeo equidem haud prætermittere, hæc etiam minutiora in deliberationem adducta: quoniam historia non est oblectamentum vitæ, sed palæstra, & cuiusuis artis palæstra; non tam pinacotheca quædam est, speciosis ad voluptatem operibus exornata, quàm officina opportunis ad laborem instrumentis referta: cùm præterea mentis oculis adspectabiliores sint tenues rerum causæ, quàm grandia causarum effecta.

7 Nondum ad eam vsque diem quisquam ex Episcopis obstaculorum syllabum detulerat, quibus vetabantur suas apud sedes manere: vnde Montanus eos monuit, vt moram abrumperent. Turritanus proposuit, satius esse, certos Patres deputari, qui à singulis liberiùs illa colligerent: & Vigerius auctor erat, eos pro Nationum numero seligendos. At Montanus, veritus ne id occasionem præberet ad peculiaria Patrum conuenticula, & ad agendum per Nationum, non per Capitum sententias, aduersus quàm fuerat constitutum, respondit: Legatos nolle Synodum indiuiduam in partes discindi. Si Nationis vnius Antistites ipsis simul proponerent incommoda, quæ suis in Regionibus experti fuerant, se libenter aures daturos: paratos etiam esse fidem suam silentio obstringere, vt ne Pontifici quidem vllius nomen aperirent. Quæ verba, vt ex liberali moderatione prolata, ita cunctis, & Hispanis præsertim, plaudentibus excepta: cùm id imperantibus accidat quod Planetis, inter quos qui potentiâ præcellit, vti Sol, cùm eam exercet immoderatè, molestissimus; cùm eam temperat, gratissimus euadit.

CAPVT

1546.

CAPVT III.

Gallicorum Oratorum aduentus. Deliberatio de statuendo ipsis loco. Difficultates inter eos, & Regis Romanorum Legatos ex æmulatione subortæ. Illorum accessus, & Oratio in generali Congressu.

* 26. Iunij. PEr eos dies * aduenerant tres Galliæ Regis Oratores, Claudius Durfeus, Iacobus Lignerius, & Petrus Danesius, magni omnes apud Gallos nominis, cùm ob munera, quibus fungebantur, tum ob virtutes quibus ea promeriti. In memorato igitur Cœtu * relatum ad Patres de iis excipiendis, designandoque ipsis loco. Paceeus, vir quippe cordatus, Regis in Concilium pietatem pluribus commendauit, Legatosque hortatus est, vt in consueto ritu mandati Regis excipiendi, beneuolentiæ significationem, actionemque gratiarum quàm officiosissimè præ se ferrent: dubitari non posse, tum ad Sessiones, tum ad Congregationes eos admittendos, suâ prudentiâ ac doctrinâ iisdem adiumenta collaturos. Quod spectabat ad locum, sibi tunc minimè videri opus esse illum statuere, arbitranti, cum Cæsareis Oratoribus æmulationem haud futuram, nec vllos prætereà Regios Oratores adesse Concilio: proinde rem hanc ad conditiones magis cogentes, magisque exagitata consilia reseruandam. Quòd si demum statuendum id esset, aliud sibi dicendum non suppetere, nisi priorum Conciliorum Sedisque Apostolicæ ritum seruandum de quo ingenuè tunc se fateri, non satis edoctum. Placuit ferè cunctis, vti res aut in Legatorum prudentia reponeretur, aut ex sententia Giennensis, in quam propendebant Præsides, ageretur. 1

* 30. Iunij.

2 Fuit tamen, qui controuersiam cum Rege Romanorum, quam alibi insinuauimus, importunè suscitauit: ac præcipuè Materanus, qui illius Oratores in Concilio Lateranensi Gallicis antehabitos dixit. Ad hoc respondit Armacanus, Maximilianum id temporis Regem Romanorum vocatum fuisse, quippe nondum Cæsareâ coronâ redimitum, at de cetero iam ab eo possessa iura omnia imperatoria; verùm in præsentia Ferdinando merum inesse titulum ad futuram Imperij successionem. Feltriensis affirmauit, Ex veterum exemplis posse duos Imperatores existere; & à se audiri, Ferdinandum priuilegia concedere, ac præcipua Cæsaris munia exercere. At Bituntinus obiecit, Se nec legisse vmquam, nec audiuisse,

diuisse, Carolum ac Ferdinandum duos esse Imperatores; ac planè mirari, quòd res dilucida in controuersiam traheretur. Tunc Fabius Mignanellus Lucerensis Antistes, veritus ne quid turbarum cieretur ex tam lubricæ disceptationis progressu, illam abscindere conatus, dixit; Ea de re non in Concilio disputandum, sed illam Legatorum prudentiæ committendam. Quod communiter comprobatum, plerisque in reliquum causæ Gallici Regis fauentibus. In se igitur Legati rem suscepere; & quò facilius perficeretur, Patres publicè monuerunt, in Synodi primordiis per sanctionem fuisse cautum, ne cuipiam ex vlla cæremoniarum officiorumque functione quidquam iuris vel accederet vel decederet. 1546.

3 At Gallici Oratores * re compertâ vehementer commoti, & suspicionibus agitati: ac primò quidem per Agdensem Episcopum denuntiarunt, exinde verò coràm, cùm priuatim Legatos inuiserent, velle se, quando res in controuersiam venerat, vt sibi inter Principum Oratores locus destinaretur, alioquin abituros. Studuerunt Legati eos delinire, blandè commonentes, vt potiori loco haberent communem plausum, quàm duorum triúmve hæsitationem in amplissimo consessu, ex tot tamque variis ingeniis animorumque affectionibus conflato, & vbi sua cuique erat dicendi libertas: Oratores Ferdinandi ad nullam vmquam Synodi functionem aduenisse, postquam Caroli Oratores accesserant, qui vtriusque fratris nomine interesse possent; adeoque opus non esse, litem intendere nihil de possessione certanti. Non tamen idcircò Galli conquiescere visi sunt, spatio ad deliberandum postulato. Præsides verò, præsertim Ceruinus, ad suspicionem pronior, suspicati, Gallos Oratores, nactos Concilij statum aliter quàm proficiscentes sibi persuaserant, reditum cupere, coloremque conquirere: at vbi quod ipsi proposuerant, Gallis haud probaretur, nihil amplius occurrebat iisdem futurum satis. Etenim haud fieri posse videbatur, vt res cum Ferdinandi Oratoribus planè componeretur, ob Principum, multoque magis administrorum tenacitatem, in huiusmodi prærogatiuæ argumentis numquam flexibilem. Ac longè minùs ea lis Concilij sententiâ diiudicari poterat, quippe quòd nec de eo scripta lex suppetebat, nec certa semperque constans consuetudo; & etiamsi satis iuris adductum fuisset ad ferendam sententiam, spes non erat partes obsecuturas. Arbitrabantur itaque Legati, vnicè rem componi posse, si & hinc Ferdinandi Oratores abstinerent à congressibus; prout ipsis honorificè liceret, quandoquidem, cùm post Cæsarianorum aduentum numquam iis interfuissent, nullum

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 1.& 2. Iulij 1546.

1546. per absentiam indicium concessi loci præ se ferrent; & hinc Galli satis haberent, fructus victoriæ citra certamen obtinere. Atque ex Austriacorum parte res haud difficilis animaduersa, cùm Ferdinandi Oratores adhuc silerent, & Cæsarei submissâ voce significarent suorum animorum sensa in huiusmodi æmulatione frigentia; sed magis contenderent, Sedem prope se Gallis haud deberi, ob nescio quam Cæsaris in Concilio prærogatiuam: quam tamen petitionem intelligebant Legati haud tanti futuram Cæsari, vt ea obfirmatè vellet, cùm alioqui tam alienus à dissolutione Concilij videretur: siquidem Principes, quantò constantiùs eminentiam sibi tuentur, tantò faciliùs propinquitatem aliis indulgent: ea verò singularis prærogatiua neque recentibus exemplis nitebatur, neque spes aderat vt per ea tempora obtineretur.

Postremò, vt vsuuenit iis æmulis, qui concordiæ summam vtrimque expetentes, in aliquam honestam officiorum speciem conueniunt; satis fuit Gallis post Cæsareos locum obtinere, * absque eo, quod de aliis Oratoribus non accedentibus quidquam sanciretur: cùm excitata à Cæsarianis controuersia effecerit, vt Galli sibi viderentur litis victoriam consecuti, eâque contenti quiescerent, neque Cæsarei recusarent proximos sibi Gallos habere, quemadmodum in cunctis aliis functionibus, Aulisque Principum habebant. 4

* In Cœtu generali, 8. Iulij.

Quin in solenni Gallorum accessu singularis vrbanitatis gratiâ voluit adesse Mendoza, abesse solitus quòd quartanâ laboraret. Apertis ianuis excepti Legati, magnâ populi frequentiâ, qui de more nouitatis illecebrâ excitus honorem auxit.

Posteà Danesius luculentam Orationem habuit. Commemorauit initio Gallorum Regum in Religionem Christianam, Romanamque Ecclesiam merita; sed narrantis potiùs quàm amplificantis more, adeoque gratiùs iuxtà ac efficaciùs. Reuocauit in memoriam, à Magno Gregorio suis in literis attributum fuisse Childeberto Regi *Catholici* cognomentum: huic titulo Galliæ Reges abundè satisfecisse, quippe qui inter ceteros Christianos Reges præclarè se gesserant in studio Fidei vniuersalis ac veteris sustinendæ: Galliæ Regnum millenorum annorum spatio nullâ contaminatum hæresi in Fide perstitisse: vt in corporibus naturalibus, perinde in ciuilibus diuturnam morborum immunitatem puri integrique sanguinis esse argumentum. Cùm Reges Galliæ probè nossent, Romanam Ecclesiam, in qua Princeps Apostolorum sederat, semper Christianis Gentibus præfuisse, & tamquam Caput à cunctis Christianorum Episcopis concorditer ac reuerenter agnitam; ipsos pariter eam- 5

dem

dem in illa dignitatem agnoſcentes, ſuarum largitione ditionum 1546.
prævalidam ditionibus reddidiſſe, ſuorumque capitum periculo periculis ſubduxiſſe. Quapropter mirum non eſſe, ſi Romani viciſſim Pontifices Gallorum Reges tamquam ſuos filios Primigenas agnoſcentes, ſæpiùs à Canonum nexibus eos abſoluerint, priuilegiis munierint, oneribus releuarint, vno verbo, in Eccleſiam quaſi peculiarem in ciuitatem receperint. Maiorum pietati Regem tunc imperantem inhæſiſſe: qui poſt inſignem victoriam in Inſubria reportatam, vt accepit, Leonem X. Bononiam ſecum collocuturum perrexiſſe, ipſe ad eum ſalutandum proceſſit, & cum illo amicitiam obſtrinxit, quam poſteà cum Adriano, cum Clemente, & cum Paulo III. tunc viuente conſeruauit.

6 Sex ſupra viginti annis, quibus ipſe regnauerat, agitatam tam turbidis procellis Eccleſiam, vt nemini propemodum exploratum eſſet, quidnam ſibi de Religione credendum; à Franciſco Rege, per eam ſapientiam ac Religionis ſtudium, quæ ab Apoſtolis ſuiſque Maioribus doctus fuerat, interdictum, ne priuatus quiſpiam ſuam interponeret auctoritatem in controuerſiis Religionis, cùm ad id Eccleſiæ Decreta præſtolaretur. Et quamquam animum gereret, quàm ad clementiam procliuem, tam à ſuppliciis ac cædibus abhorrentem; tamen vim ſibi ad induendam ſeueritatem adhibuiſſe, quò pius foret; atque Edictorum terrore, & executorum rigore id ſtrenuè adeò procuraſſe, vt dum ea procella tot Prouincias Nationeſque vel abſorbuerat, vel peruerterat, poſſet ille tunc offerre Concilio adeò florentem Chriſtiani Orbis partem intaminatam, planeque tranquillam. Decernerent itaque Patres, quod ipſis expedire potiſſimum videretur Religionis incolumitati, concordiæque Reipublicæ Chriſtianæ; adeò vt Turcæ, Iudæi, & vtriſque deteriores quædam belluæ ſub hominum ſpecie, quæ Epicurum ſectatæ conabantur ex hominum animis vnà cum Religione humanitatem euellere, in poſterum Chriſti populo inſultare non poſſent. Cùm Rex pariter animaduerteret, quantum Chriſtianorum quieti rectæque adminiſtrationi prodeſſet, vt vni ſupremo communique omnium Principi Petri ſucceſſori fideles obſequium exhiberent, quò Militantis Eccleſiæ eadem ac Triumphantis viua eſſet effigies, peculiari prouidentiâ vſum fuiſſe, vt ne in ea quidem parte ſuo in Regno haberetur diuiſio: vnde neglectis ingentis vtilitatis illecebris, quæ à quibuſdam proponebantur, ſpretiſque finitimorum exemplis, nullo planè in pretio ipſorum amicitiam habuiſſe; vt in eo ſuarum ditionum quietem negligere viſus fuerit: ſed ab ipſo iuſtum bellum

1546. paci minùs honorificæ antehabitum. Vbi verò compertum fuerat, à Paulo III. destinari Tridenti Concilium ad huiusmodi incendium restinguendum, eoque præmissos ad rem digerendam Antistites aliquot, paucos quidem numero, sed probitate ac sapientiâ præclaros; à se quoque curarum communium participe aliquos Regni sui Episcopos eò missos, qui laborum socij tanto operi vires impenderent. Postremò, cùm eius Maiestati delatum esset, seriò rem agi, habitasque iam esse Sessiones aliquot, & nonnulla Decreta sancita; ne quid Rex officio suo deesset in re adeò necessaria, omniumque bonorum votis expetita, libenter ipsum interuenturum fuisse tam sapienti, tam sacrosancto Conuentui, cuique credendum erat Diuinum Spiritum adfuturum: sed, cùm per Regni curas id sibi non liceret, eò suos Oratores ac Procuratores delegasse cum huiusmodi mandatis:

Tametsi Regi exploratum erat, Patres per seipsos sedulò perfecturos quidquid ab eo sanctissimo Senatu Christianorum Nationes expectabant, tamen quò animi sui sensa clariùs exprimeret, illos in primis ab ipso rogari, vt quid esset credendum statuerent, hoc pacto concordiam Ecclesiæ restituturi. Etenim lis nulla acerbiùs animos discindit, Resque publicas labefactat, quàm dissidia de Religione; nec verendum, ne vlla Christiani hominis mens sanctionibus obluctaretur, quas ibi Patres Sancto afflati Spiritu edidissent. 7

Deinde cùm plerique censerent, cuncta Ecclesiæ damna ortum trahere ex Ecclesiasticorum hominum corruptione, qui à via regia virtutis, veterum vestigiis trita, deerrauerant; studerent ad pristinam disciplinam eos reuocare, efficerentque, vt ille Ordo in se quidem exemplar sanctimoniæ, sed aliquorum sordibus tunc deformatus atque despectus, splendorem pristinum, ac primæuam venerationem recuperaret. Restauratâ in his probitate, cunctis ad imitationem prælucente, simulque auctoritate, transfundendam pariter morum correctionem in reliquam Christianæ Gentis partem, quæ Sacerdotes sequitur tamquam duces. Hinc futurum, vt quidquid à Concilio pręclarè statutum fuerat in ea parte, quæ Clerus dicta est, quasi peculiaris Dei pars, ad cunctos posteà Christianos diffunderetur. Ea verò omnia quæ à Patribus Tridentinis seu de doctrina seu de moribus decreta essent, curaturum Regem, vt in Gallia vniuersa opere perficeretur. In id Regem Christianissimum potentiæ suæ neruos omnes intenturum, gladij quoque vim aciemque experturum, quem à Deo sibi porrectum, sicut ait Apostolus, *ad malorum vindictam, bonorum verò laudem tenebat.* 8

Postre-

9 Postremò eos rogare, quoniam Romani Pontifices Galliæ Reges amplissimis priuilegiis fuerant remunerati, quibus iam vsque ab ætate Ludouici Pij pacificè potiebantur, ne consentirent quidquam eorum imminui; neque minus seruari Gallicarum Ecclesiarum; quæ sub Regia essent tutela, veteres immunitates ac prærogatiuas. Id si præstitissent, Regem Regnumque eo id repensurum obsequio ac studio, vt Patres officiorum quibus functi essent numquam pœniteret. 1546.

10 Legatorum primus respondit: Res à Christianissimis Regibus præclarè gestas pro Religione, atque Sede Apostolica, quamuis per se celeberrimas, numquam tamen absque nouo sensu voluptatis commemorari: id verò tunc peculiariter expertos Patres in earum commemoratione, quas opportunè adeò concinneque Gallicus Orator exposuerat. Regium legationis mandatum suscipi prout de iure (sic namque etiam Cæsareum acceptum fuerat) ipsos verò Oratores excipi quo par erat beneuolentiæ studio. Gratias Regi reuerenter persoluere, quòd tam pio tamque parato esset animo, ac præsertim, quòd viros adeò eximios delegerit, qui suâ vice ibi fungerentur: sacrum illum Cœtum sedulò curaturum, cùm vt Gallicana priuilegia integra persisterent, quatenus Reipublicæ Christianæ bono congruerent, quod nouerat Religiosissimo illi Principi maximè cordi esse; tum vt quacumque aliâ ratione Regi gratificarentur: vnde suâ tam proni in Concilium & Ecclesiam voluntate in dies magis ac magis ipse gauderet. Hæc adeò honorifica, adeoque beneuola tanti Regis significatio ingenti planè lætitiâ Conuentum perfudit. Etenim quamuis nossent, arborem post flores feliciter editos, non semper fructus abundè reddere; nouerant etiam, nullam fructuum ab ea spem esse, nisi florum vbertas præcedat.

CAPVT IV.

Minorum Theologorum ac Patrum varia de Iustificatione opinamenta.

1 MVltis ante hæc diebus generalis Congressus, die 21. Iunij habitus, articulum de Iustificatione à minoribus Theologis expendendum curauerat, vt de hisce sex Capitibus suam sententiam dicerent:

Quid sit Iustificatio, tum quod ad nominis significationem, tum quod ad ipsam rei naturam spectat; & quid intelligatur, cùm dicitur, *hominem iustificari.*

1546. Quænam sint Iustificationis causæ: nimirum, quid Deus efficiat, quídve ex parte hominis ad id requiratur.

Quo pacto intelligendum Apostoli dictum, hominem *iustificari per Fidem.*

Quid ad Iustificationem pertineant opera, quæ ipsam antecedunt & subsequuntur: & quid ad eamdem pertineant Sacramenta.

Quid antecedat, comitetur, ac subsequatur Iustificationem.

Sancienda dogmata quânam auctoritate niterentur, seu Diuinarum Scripturarum, seu Conciliorum, seu Patrum, seu Apostolicarum Traditionum.

* 28. Iunij. Primum itaque Caput aggressi, * consenserunt omnes de nominis significatione; Iustificationem scilicet esse transitum ab statu inimici, ad statum amici, filiique Dei adoptiui. De rei natura dixere, Causam ipsius formalem esse charitatem, seu gratiam animæ infusam: solus Laurentius Mazocchius, ex Ordine Seruorum B. Virginis, secutus est opinionem, quæ Magistro Sententiarum tribuitur, iam à Scholis deserta: affirmatque, Diuinam gratiam non esse rem nobis intimam, sed extimam S. Spiritus nobis assistentis præsentiam. 2

Idem pariter, vnà cum Gregorio Senensi Dominicano, & Gregorio Perfecto Patauino, ex Eremitarum S. Augustini Familia, & quodam alio eiusdem Ordinis, censuit de secundo Capite, liberum arbitrium fungi munere causæ solùm recipientis, non item agentis in opere Iustificationis: quæ sententia minùs Catholica habita est. Vnde Legati * Romam scripserunt, cunctos Theologos, tribus quatuórve exceptis, Catholicè planè locutos.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 1. Iulij 1546.

Neque solùm in hoc à communi sententia hi recesserunt. Reliqui omnes concordabant in eo, quod tertio loco proponebatur, dici hominem iustificari per Fidem, non tamquam per integram ac proximam causam, sed tamquam per primam præparationem, primamque radicem necessariam ad omnes actiones proximè vtiles ad consequendam iustitiam: operationes alias vel solùm remotè adiuuare, vel ad sola bona temporaria, non ad æterna: iustum posteà hominem reddi, etiam tamquam per causam integram atque proximam, per ipsam Fidem, non tamen solam; sed si sermo sit de causa efficiente, hominem effici iustum per Fidem, prout coniunctam cum Pœnitentia & Baptismate; sin de causa formali, prout ipsa Fides à Charitate sanctitatisque gratia informatur. Id inquam inter cunctos reliquos conueniebat. Sed quatuor quos nominauimus, & cum eis Ioannes Vtinensis Dominicanus, affirmarunt, hominem reddi iustum per Fidem, quatenus ipse fidentissimè 3

mè creditâ se per Iesu Christi merita peccatorum veniam obtineri. 1546.

4 Præter hæc, ad quartam quæstionem plerique Theologorum respondérunt: Opera Iustificationem præparantia ipsam iustitiam promereri, per eam meriti rationem, quod *congruum* appellatur. At operibus post acceptam iustitiam peractis, adeoque Diuinâ gratiâ informatis, redditisque ob merita Christi potentioribus, cuius viuum membrum effectus est is qui ea peragit, omnes concedebant rationem meriti condigni ad conseruandam augendamque eamdem gratiam, æternamque felicitatem consequendam. At quatuor paulò anteà nominati videbantur meriti vim admodum attenuare, atque in eo ab hæreticorum opinatione haud multum abesse.

5 Antequam procederetur,* quæstio à Patribus tres in status partita; nimirum, Infidelis adulti, qui primò resipiscit, & iustitiam accipit: Hominis, qui acceptam iustitiam in se seruat; & Hominis, qui iam lapsus illam recuperat. Atque variorum hæreticorum errores ad hosce status pertinentes recitati: adeoque non illi dumtaxat viginti quinque ex vno Luthero desumpti, quos Suauis recenset; sed ad primum statum decem, nouem ad secundum, quatuor ad tertium decerpti, non à Lutheranis modò, sed à Pelagianis, à Zuinglianis, & ab aliis hæreticis. Quos errores non affero, quia lectoris molestiæ par non esset operæ pretium.

* In Cœtu generali 30. Iunij.

6 Primus itaque status in examen adductus. De quo quærebatur: Quidnam de se infidelis enitatur, cùm ad Fidem, ac deinde ad gratiam accedit. In hoc examen præter peculiares Theologorum congressus, octo generales Cœtus impensi, quò Patrum omnium audirentur sententiæ. In primo * suas ex scripto protulere sententias Pacecus, & nouem Archiepiscopi. Enimuerò nouo semper stupore perfundor, cùm Suauem comperio tam asseueranter Patrum sententias enarrantem; vt quamquam ipse adeò frequenter hominem in eo peccantem deprehenderim, semper tamen relabar ad habendam illi fidem, antequam ad explorandam narrationis falsitatem accedam, per legitima quæ penes me sunt earum rerum monumenta. Omissis itaque prolixis narrationibus, quæ non alio emolumento, nisi affectatæ notitiæ ostentatione lectori molestiam exhiberent, eam solùm referam partem illarum disputationum, quæ mihi memoratu digna videtur, siue ad explicanda Decreta inde profecta, siue ad exprimenda alicuius Præsulis sensa peculiariùs obseruata, siue ad commendandum cuiuspiam egregium opinamentum; nimirum ad lectores tam de rebus quàm de hominibus, quod historiæ munus est, exactiùs erudiendos.

* 5. Iulij.

Solus

1546. Solus in eo conſeſſu Senenſis Archiepiſcopus cuncta Chriſto, nihil nobis attribuit, totam iuſtitiæ acceptionem Fidei adſcripſit, reliquis præparationibus nihil; quæ ſententiæ Patribus male audierunt. Contrà verò Materanus libenter auditus, diſerte enucleauit, quo pacto opera Iuſtificationi ac ſaluti conducentia à Diuina gratia ſimul pendeant, ſimul etiam noſtra ſint. Perpetuum huiuſce rei exemplar agnouit in Zacchæo, qui præueniente Dei gratiâ illuſtratus, & eam acceptauit, & percupiit Chriſtum videre; ſed non poterat ob ſtaturam puſillam, cuiuſmodi erat ſtatura hominis in humilitate naturæ, & in culpæ profundo iacentis: nouæ gratiæ adiutus ope, votoque compulſus inſcendit arborem, quâ erectæ mentis celſitas indicatur, Dei bonitatem ac miſericordiam, Chriſtique merita contemplantis. Ibi verò beneuolis oculis reſpectus à Chriſto, deſcendere iuſſus eſt, quòd in illius domo, hoc eſt in eiuſdem anima, vellet manere. Is nouam gratiam agnoſcens, ac per ſuum liberum arbitrium vocationi promiſſoque Diuino conſentiens, abſque vlla repugnantia aut hæſitatione domi ſuæ illum excepit: eiuſque compertâ clementiâ, confirmatuſque gratiâ, quæ iam ipſum præuenerat adiuueratque, Chriſtum ſequitur; ac per eamdem gratiam dolore tactus, anteactæ vitæ crimina deteſtatur, & eleëmoſynas elargitur; quæ opera ad charitatem pertinent: ac poſtmodum iniuſtè ablata reſtituit, ſuam noxam confeſſus illis verbis: *Et ſi quem defraudaui, &c.* quod pœnitentiæ opus eſt. 7

Luculenter in hac Euangelica figura Materanus oſtendit delineatam integram ſeriem eorum quæ cuiuſuis hominis conuerſio ad 8
Deum complectitur. In progreſſu verò multa produxit ſacrorum Codicum teſtimonia, quibus liquet, minimè ad ſalutem ſufficere ſolam Fidem; ſed præter eam exigi alios noſtræ libertatis conatus, & Baptiſmatis Sacramentum. Deinde vſus quâ pollebat Iuriſperitiâ, eius doctrinis explicauit effata multorum Conciliorum, affirmantium Iuſtificationem eſſe gratiæ opus; vnde Lutherani conficiebant, eam noſtri liberi arbitrij opus non eſſe: attulit autem legem, quæ incipit, *Serui electione*, tit. *de Legati & Fideicom.* & alteram, cuius eſt initium, *In re communi*, tit. *de Seruit. vrban. præd.* quæ pronuntiant, Id quod non eſt tantummodò meum, ſed mihi cum alio commune, meum abſolute dici poſſe. Sententiam confirmauit auctoritate Cæleſtini Pontificis in celebri Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Auguſtini in Pſalmum 145. Eadem poſteà declarauit delegati Iudicis exemplo, qui nihil propriæ iuriſdictionis obtinet, vt habetur lege primâ in paragrapho vltimo tituli, *De officio eius, cui mandata*

data est iurisdictio, cùm ea tota in delegante sita sit, at in delegato merum exercitium; ex quo tamen exercitio laus ac meritum illi prouenit. Similiter, aiebat ille, tametsi gratia, quæ facultas honestè agendi est, tota Dei sit; eius tamen vsum obtinet homo, vnde potest meritum commendationemque sibi comparare. 1546.

9 Atque vt in eo allatas à Christo similitudines vsurparet, illam proposuit de vite ac palmite; in cuius explicatione Christus dixerat, Agricolam esse Patrem, se Vitem, nos Palmites: & tamen, animaduertebat Marentanus, eodem in loco fructum referri ad ipsum palmitem tamquam ad causam, non ad solam vitem: *Qui manet*, * inquit Christus, *in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Id experimento comprobauit, obseruans, si vuæ nigræ palmes viti vuæ candidæ insereretur, vuam inde prognatam esse nigram; adeoque qualitatem certumque vuæ genus à palmite desumi. Obiectari à multis, Quidquid honesti operis humanæ libertati tribueretur, esse Diuinæ gloriæ detractionem: sed falsò. Docemur enim à S. Basilio in Summa rerum Moralium cap. quarto, quemadmodum ab eo, qui Diuina præcepta negligit, honorem detrahi Deo; ita ab eo qui eadem custodit, Deum honorari: quod Christi verbis apud Ioannem comprobauit: *Ego te glorificaui, opus consummaui*; quippe quod Patris erat gloria, opus à Filio, Patris ope perfectum. Et apud S. Matthæum nobis iniungit, vt lux nostra in hominum conspectu ita refulgeat, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum.

10 Nec minùs eruditè in alio Conuentu * Senogalliensis progressum * 6. Iulij. explanauit ab infidelitate ad Fidem, atque à Fide ad gratiam; ostenditque, Fidem esse ianuam, per quam ad Iustificationem aditur: non tamen satis esse ad meram perstringendam, quòd veram ianuam ingrediamur; sed opus esse, vt stadium indesinenter percurratur, quod est Diuinorum mandatorum via. Enucleauit pariter, quo pacto nihil aliud in eo ex nobis est, nisi quòd vel obstacula non iniiciamus, vel præuenienti Dei auxilio non resistamus.

11 Ex aduerso minùs rectè disseruit Cauensis, qui profusâ oratione omnia ipsi Fidei arrogabat; arbitratus, eâ positâ illicò Iustificationem subsequi, cuius indiuiduæ essent comites Spes & Charitas, sed non causæ, & quasi prodromæ. Hæc sententia Patrum aures offendit, ac pluribus reiecta est ab Episcopis Feltriensi, Minoricensi, ac Vasonensi; & inter omnes fusissimè à Motulano: hic enim non suam modò confirmauit, sed tredecim aduersæ opinionis argumenta dissoluit: quæ postmodum à Stabiensi hæresis notata.

1546. In eo posteà Conuentu, in quem Galli Oratores admissi, idem 12
argumentum expensum. Vbi duas planè horas verba fecit Bertanus. Duo ille potissimùm obseruauit: Alterum, Dici hominem iustificari per Fidem, non autem à Fide: etenim nostra iustitia non est ipsa Fides, sed eam per Fidem consequimur. Alterum, vbi Propheta dixit, * *Quasi pannus menstruatus vniuersæ iustitiæ nostræ*, ipsum minimè locutum de nostris operibus, perinde quasi cuncta essent contaminata & criminosa, quod sentiunt Lutherani; sed deplorauit illius populi nequitiam, apud quem quodcumque honestum opus inspergebatur quamplurimis noxarum maculis ipsum deturpantibus: itidem ac inquinatur pannus, in quo minimæ quædam, particulæ mundæ sint, sed vndique plurimæ ac maximæ sordibus fœdè inquinatæ. Hanc autem esse illius dicti reuerà sententiam, ex adiectis verbis satis liquere: *Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos: non est, qui inuocet nomen tuum.*

* Isaias cap. 64.

Agathensis & Lancianensis dixere, Hominem agendo ad suam 13
Iustificationem conniti, quoniam vocationi potis est consentire ac dissentire. Et quantum ex eorum dissertationibus elicere mihi videor, tam ipsi quàm alij pro eodem sumebant *actiuè ac liberè* conniti. His adiecere, Negari ab Apostolo Iustificationem haberi ex iis operibus, quæ Fidem antecedunt, & ab ea non pendent; quemadmodum non pendebant obseruationes cæremoniarum legalium, in quibus Hebræi plurimùm confidebant, quos ibi Paulus alloquitur.

Bituntinus ita disputauit: Duo interuenire cùm impius iustitiam 14
accipit; liberationem ab iniustitiæ statu, & iustitiæ adeptionem: illam huic antecedere; intelligens, vt arbitror, eam, quam antecessionem Naturæ Scholæ nominant, perinde ac Solis aduentus suæ lucis effusionem antecedit. Is itaque fortasse censuit per huiusmodi, quam dicunt Naturæ antecessionem, priùs nobis condonati peccatum per Diuinam extrinsecus remissionem, tum verò, sed eorum temporis momento, cessante in nobis peccati obice, gratiam infundi, quâ Dei filij constituimur. Hinc ipse aiebat, antecedentem huiusmodi iustificationem ex eo haberi, quòd nobis imputetur Christi Iustitia, qui veniam nobis impetrat: at subsequentem obtinet per Iustitiam interiùs nobis infusam, non autem per Christi iustitiam nobis extrinsecus imputatam, quod Lutherani contendebant. Etenim nisi Adamus peccasset, eius posteri infusæ Iustitiæ fuissent heredes: cùm igitur plus ad iuuandum valeat Christi meritum, quàm Adami delictum ad nocendum; par esse, vt per gratiam

tiam nobis à Chriſto impetratam, infuſam iuſtitiam recipiamus. 1546.
Exin oſtendit, peccatores à Deo vocari, ſed non cogi: id ex eo patere, quod non omnes vocati vocationi conſentiunt. Vnde aduertendum eſt, nec Bituntinum, nec alios per verbum *cogi* intellexiſſe, hominem aduerſus quàm vellet operari; ſicut accidit homini, exempli gratiâ, cuius pugnus per externam vim in ipſius frontem compellitur: ſed operari ex iniecta neceſſitate, & non ex libertate noſtri arbitrij, ad vtramlibet partem parati atque expediti. Addidit, per primum conſenſum in vocationem nos tendere in Fidem, quæ Fides Iuſtificationi præuia, non eſt habitus infuſus, ſed ipſe credendi actus: ſiquidem, aiebat ille (quod multi Scholaſticorum opinantur) habitum Fidei non niſi vnà cum habitu Spei & Charitatis nobis infundi ipſo Iuſtificationis momento. Adſcribi tamen Iuſtificationem Fidei, non ceu cauſæ proximæ totius Iuſtificationis, ſed ceu totius Iuſtificationis initio. Denegari ab Apoſtolo huiuſmodi pretium operibus, intelligente opera externa, de quibus plurimùm gloriabantur Iudæi, quos ipſe erudiebat. Exemplo ſit; Abrahamum neutiquam iuſtificatum per actionem externam, quâ filium immolandum obtulerat, neque per ſimiles actiones; ſed per actus interiores Fidei, ſeu per alios etiam aliarum virtutum, qui tenderent in honeſtatem à Fide propoſitam. Iam verò, cùm polleret in Bituntino eloquentiæ neruis inſtructa eruditio, quæ per eam coniunctionem, quaſi magnes chalybe præcinctus atque armatus, vires multis partibus incredibiliter adauget ad pertrahendam ſibi auditorum commendationem, ſi non æquè communem conſenſum, communem certè concordemque coronæ plauſum reportauit.

15 At non æquè accidit grata Iulij Contareni, Bellunenſis Antiſtitis oratio, cuncta Fidei ac Ieſu Chriſti meritis adſcribentis, & nihil operibus: cùm hæc ſolùm Fidei ac Iuſtitiæ ſigna putaret, in quibus nulla vis ineſſet ad conſequendam conſeruandamque Iuſtitiam. Quemadmodum, aiebat ille, vbicumque Sol eſt, lux itidem eſt; adeoque ſolaris lucis aſpectus alicubi, indicio nobis eſt fructuum, quos ibidem Sol procreat; tametſi fructuum procreatio non à luce tamquam à cauſa proueniat, ſed ab aliis qualitatibus, Solis virtute procreatis, lucemque comitantibus. In ſupremi Iudicij commemoratione mentionem operum à Chriſto fieri, non quia gloriam promereantur, ſed quia Fidem probent; adeoque perinde eſſe à Chriſto dici, *Sitiui, & dediſtis mihi bibere*; ac dici, *Ex huiuſmodi opere patuit Fides veſtra.* Quidquid noſtrorum operum efficacitati con-

1546. ceditur, Iesu Christi Sanguinis efficacitati detrahi. Huiusmodi sermo vti Patribus odiosus obstrepuit, ita in quibusdam memoriam refricauit veterum accusationum, quas Gaspar Cardinalis Contarenus Iulij patruus subierat, quòd similia opinatus cēseretur.

Prorsus aliter sensit Bernardus Diaz, Calaguritanus Antistes. Negauit enim ab infideli viam sibi sterni per vllum opus ad promerendam vocationem, sed hanc merum esse donum liberaliter à Deo impertitum. Aiebat, positâ vocatione, liberum esse vocato vel obtemperare, vel obsistere. Idem, dicebat, obtemperare si velit, credit, sperat, se conuertit ad Deum, quem agnoscit propitium cuicumque ad ipsum confugienti; detestatur peccata, obfirmat animum ad Diuinam legem obseruandam; ac Baptismum suscipit, in quo gratiam obtinet à Deo, quâ infusâ, redditur iustus. Duas itaque res à Deo in nobis perfici sine nobis; hoc est, nullâ nostri arbitrij efficientiâ eas adiuuante, vocationem ad frugem, & Iustitiæ illapsum: penes nostram libertatem esse vtrumque suscipere, sed per opem Diuinam: vocationem excipi, si ipsi obtemperemus; Iustitiam verò, si ipsam velimus à Deo recipere, eam nobis offerente, atque ad infundendam parato. In vtriusque huiusce doni vsu nos vnà cum Deo agere; adeoque quodcumque nostrum opus honestum, totum esse nostrum, idemque Dei totum esse: Dei quidem, quippe agentis potissimi; nostrum, quippe causæ secundariæ. At ideò dici hominem per Fidem iustificari, quòd hæc ex humilitate natiua nos attollit, motusque quosdam supra conditionem naturæ nobis imprimit, efficitque vt à Deo respiciamur ceu iter Iustitiæ iam ingressi. 16

In sententiam è regione oppositam Cauensi ac Bellunensi visus est ferri Canariensis. Affirmauit quidem cum aliis, opera in statu naturæ, ac per generalem Dei opem peracta, nihil continere meriti seu condigni seu congrui ad gratiam impetrandam; sed existimauit, Deum quandoque ex sua beneficentia moueri ab illis operibus ad eam concedendam: quod Pelagianam sententiam sapere nonnullis visum; * quamquam etiam ex sua misericordia eos vocet interdum Deus, quibus nulla ex naturæ operibus accesserit commendatio, sicut apparet in Paulo. 17

* Acta Massarelli.

Ingens omnes incesserat cura explicandi effatum Apostoli, Hominem iustificari per Fidem: quod erat vnicum erroris Lutherani perfugium. Idcirco Claudius Iaius è Societate Iesu, Cardinalis Augustani Procurator, obseruauit, hoc ab Apostolo affirmari ad id quod proposuerat demonstrandum; nimirum, Iustificationem effici 18

fici gratis; propterea quòd sola Fides, inter ea quæ ad Iustitiam conducunt, donum est mere gratuitum; reliqua per Fidem à nobis impetrari: adeoque per ipsam Fidem nobis tribui non quòd iusti simus, sed quòd iusti esse possimus: ceterùm de se Fidem haud sufficere, vt liquet ex Augustini dicto ad Bonifacium, expendentis quod in secundo capite S. Ioannis habetur: *Multi crediderunt in nomine eius; ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes:* Fidem igitur posse persistere absque probis operibus; atque in eo statu ad Christum sibi trahendum minime sufficere. 1546.

19 Tunc sanè patuit, quemadmodum pro luminum varietate, quæ vni eidemque corpori admouentur, vmbra ab illo proiecta variatur, ita pro varia luce, quæ in hominum mentes incurrit, variam ab eodem vero imaginem conformari. Seripandus duas agnouit Iustificationes: Alteram, quâ homo ex impio efficitur pius; atque ad hanc dixit opera non conferre: siquidem ante seu Iustificationem, seu quodcumque aliud peculiare beneficium, quo ad illam nobis via paretur, nihil ex parte hominis exigitur: ideoque dici ab Apostolo, hominem gratis iustificari. Requiri profectò ad hanc Iustificationem præteritarum noxarum pœnitentiam; non tamen pœnitentiæ merito Iustitiam concedi: hoc enim Pelagianum. Alteram Iustificationem in eo sitam esse, quòd homo rectè progreditur Diuinorum mandatorum viâ; atque ad id per dona S. Spiritus nobis conferri potestatem, ac posteà præceptorum operum effectionem: & hoc pacto dici opera esse ad Iustitiam necessaria. Hæ de primo Capite dictæ sententiæ memoriâ digniores, ferè omnes & variæ & concordes: quod vberi voluptate disputationes condit, cùm idipsum & repetendi nimietatem, & contendendi austeritatem amoueat.

CAPVT V.

Patrum terror ex bello coortus. Consilia de Concilio seu dimittendo, seu transferendo; sed Pontifici non probata.

1 PRopositum à Montano in Cœtu generali 13. Iulij, vti de duobus aliis Iustificationis Capitibus coniunctim dissereretur; quandoquidem impensa iam cura in primo discutiendo ad duo proxima magnam lucem afferret, & præstitutus Sessioni dies festinam rerum digestionem postularet. Tum admoniti Patres, vt in futuro Conuentu quatuor designarent, qui Decretum de articulo iam perpenso conficerent: atque arcanis suffragiis ad id sele-

1546. cti * Armacanus Archiepiscopus, & Acacensis, Bituntinus, & Bellocastrensis Episcopi.

* In Cœtu diei 15.

Verùm in eodem Conuentu, vbi hæc electio habita, cùm rogarentur Patres de duobus aliis articulis sententiam, eamque Pacecus pluresque Archiepiscopi tulissent; rogatus etiam suo loco Iacobus Caucus, Corfurensis Archiepiscopus, respondit: Se haud paratum ad eam rem aduenisse; arbitratum, potiùs agendum de profectione Tridento, vbi tanto cum discrimine versabantur propter imminens bellum, hostiumque propinquitatem: quod in se erat, nolle iterùm in crucem agi. In eadem fermè verba Senensis prorupit, simulque periculum amplificauit ex fama virium Wirtembergensis, qui cum ingenti exercitu captâ iam prope Oenipontem *Clusiâ, *progredi nitebatur. Materanus se quidem discriminis conscium, non verò ab eo perterritum esse ostendit; paratumque se dixit ad eamdem quam Legati aleam subeundam, mortemque, si opus foret, cum ipsis oppetendam. Nec Legatis vel inopina, vel ingrata hæc discriminis secessionisque meditamenta strepuere: siquidem ad primum Cæsareorum armorum sonitum, & antequam de fœdere Cæsaris cum Pontifice compertum esset, Farnesio scripserant: * Neque decoram, neque tutam ipsis esse eam mansionem, adeò propinquam militum copiis, hostibusque vi armorum instructis ac furore percitis: Tridenti nequaquam vires suppetere ad propulsandum copiarum impetum, ex variis locis minitantium, præsertim Lutheranæ Rhætorum factionis; hos audacissimè rem aggressuros, quòd noscerent Tridenti, Veronæ, Vicentiæ plurimos eiusdem sectæ versari: ab ipso etiam amico milite cauendum ob annonæ potissimùm caritatem, quæ manus extimulat argento vacuas, ferro munitas: Militum, iuxtà ac locustarum examina, quacumque transeant, cuncta vastare: atque vtut res esset, fieri non posse, vt Ecclesiasticorum imbellium conuentus eâ solicitudine agitatus, animum adiiceret ad assidua intentaque studia, quæ seu dogmatum subtilitas, seu legum arduitas postulabat. Hæc animorum sensa fuisse iam à Legatis Toletano patefacta, de quibus Cæsarem admoneret: cùm satis ipsi non intelligerent, quo pacto Carolus meditaretur Sacerdotum Concilium detinere inter militum copias, eiusdem Concilij causâ inter se decertantium. 2

* Consule Diarium Massarelli, 13. & 14. Iulij 1546.

* 23. Iunij 1546.

Præmonuerant idcircò Farnesium, vt ad primum belli fragorem, cùm Tridenti non nisi Præsules peculiariter addicti Carolo perstituri essent, per diplomata Pontificis consuleretur, ne iis Patribus liceret 3

liceret quidquam auctoritate suâ statuere, Legatis ceterisque Episcopis absentibus. His publicis priuatas literas addidere: Eâ se ratione scribere, non solùm quòd vere ita sentirent; sed non minùs etiam, quò liceret Pontifici ipsorum Epistolam Cæsarianis communicare, ac per eam simul palam facere necessitatem in sedem tutiorem intra Italiam deportandi Concilij: quod aliis etiam de causis in rem fore videbatur. Hæc Legatorum solicitudo Pontifici haudquaquam placuit; qui nec Cæsarem offensum vellet, dum fœdus cum illo componebat, nec Synodum dissolutam, dum ad eam confirmandam bellum moliebatur. Quapropter eos iusserat illinc nullo pacto discedere. Farnesius verò * familiariter Ceruino significauit, à Paulo plus animi in ipsis desideratum; proinde ostentandam potiùs constantiæ accessionem ex armorum apparatu, quippe quæ ad contumaces Concilio subiiciendos parata essent: præcipuè verò perinde esse, militi diffidere Pontificis stipendia facienti, eiusque ducibus obtemperanti, ac fidem virtutémve ductorum eleuare. Aculeum verò temperauit, addendo, credidisse Pontificem commotos Legatos non vili periculi formidine, sed ingenuo translationis studio: eam nihilominùs quàm honestè tunc expeti, tam importunè tractari. Per hasce literas iussi pariter Legati incepta prosequi. 1546. * 3. Iulij 1546.

4 Id falsitatis geminæ Suauem redarguit: Altera est, dum narrat, pronum id temporis fuisse Pontificem ad Synodum aliò transferendam, ex Præsidum sententia bello prætenso; sed à Cæsare rei conscio prævalidis officiis abductum. Etenim memorata responsio Pontificis ad Legatos peruenit, antequam planè innotesceret Cæsari fœderis stipulatio. Altera, vbi affirmat, Legatos iussu Pontificis procrastinatos, consultoque tergiuersatos. Et tamen in omnibus Actis, in ipsorum literis, in cunctis Pontificiis iussionibus, nihil apertius deprehenditur, quàm ipsius solicitudo ad opus promouendum; in quod & publicum bonum, & priuata securitas coalescebant.

5 Inculcata à Paulo Tridenti mansio molesta sanè Legatis acciderat. Et Ceruinus * Maffeio eâ quâ solebat familiaritate significauerat, se quidem obtemperaturos, vt qui non metus impulsu, sed suasu libertatis ea scripserant: suggereret tamen ille considerandum Pontifici, quænam Cæsaris armati partes inposterum futuræ essent; nimirum Concilio leges dare, essétne de dogmatibus disputandum necne, quâve ratione de ea ipsa re agendum: nec posse repulsam reddi; vt actum fuerat, cùm Cæsar per Nuntium sua vota patefecerat. * 6. Iulij.

1546. rat. Verumtamen ne ob hæc quidem Paulus à proposito destiterat; neque posteà * comprobauit, vt propter copiarum transitum Sessio retardaretur, quod Legati proposuerant, obiectâ Patrum in eo tumultu commotione. Quapropter significandum ipsis curauerat, neutiquam oportere exemplum illud prorogationis inducere, quin potius armorum feruore ad promouendum Concilium incalescerent: præsertim verò, quòd præscripto Sessioni die iam exercitus traiecisset. Tridenti tamen adeò trepidatum fuerat, vt Episcopi fugam meditarentur: * quod ægerrime tulit Mendoza. Certior de his factus Farnesius Cardinalis in Castro S. Ioannis, oppido Bononiensis ditionis, quò cum copiis peruenerat, scripsit ad Legatos adiecto aculeo: Excusari nimirum à se eorum hominum formidinem, quippe Togatorum. Sed nulla commotio animi magis detrectat imperium non alienæ modò, sed propriæ voluntatis, quàm metus.

* Literæ Card. S. Floræ ad Legatos, 23. Iulij an. 1546.

* Diarium Massarelli, 15. Iulij.

CAPVT VI.

Grauis rixa inter Cauensem & Chironensem Antistites.

IAm verò nec mitior Togati, nec sacra Episcopi professio satis fuere, ne furor loco formidinis succenderetur in Cœtu diei 17. * Cauensis Antistes, memor quàm communiter oblocuti fuerant Patres in suam præteritam dissertationem, non tamen ipsam reuocare, vt par erat, sed ampliùs confirmare studuerat: more hominum, qui vt falsa opinantis nomen effugiant, etiam pertinacis notam posteà contrahunt: ac plura sanctorum Patrum volumina secum attulerat, à quibus idem tradi, quod in se fuerat reprehensum, arbitrabatur. Dimisso Conuentu, antequam Patres è conclaui consessus abirent, Dionysius Zannettinus, Græcus ex Ordine Minorum Obseruantiæ, Chironensis Episcopus, cùm Britinoriensem ac Reatinum primarim alloqueretur, dixit, In futuro Cœtu reiecturum se quidquid Cauensis affirmauerat, nec posse ab eo suam vel inscitiam vel proteruiam excusari. Tum Cauensis, qui Zannetrini de se sermonem confusius subauscultauerat, propiùs accedens, percontatus hominem est, quid de se submurmuraret. Tum alter, fortasse ratus, quæ dixerat ab altero integrè audita, sibique dedecori ducens, ex animi quasi penuria resorbere quæ de illo protulerat imprudenter, haud suspicatus à Cauensi ea percipi, Græcorum more animosè respondit: *Enimuerò mi Præsul, tuam tibi vel inscitiam vel proteruiam excusare non licet.* Tum verò Cauensis, vt mos est iracundiâ percitis, exarsit in vltionem longè perniciosiorem vltori ipsâ iniuriâ,

* Quidquid accidit, habetur in 2. parte Actorum sub Paulo III. iam citata, & in Actibus Massarelli.

1

iuriâ, quam vltum ibat. Nam in Chironenſis barbam iniectâ manu, multos ex ea pilos euulſit, & confeſtim abſceſſit. Pluribus eò confluentibus, Chironenſis non aliud indignantis indicium prodidit, quàm iterare elatâ voce quæ dixerat, ſeque etiam ad ea comprobanda paratum confirmare. Præſides ac Patres deformi ſpectaculo incredibiliter perturbati: Toletanus verò improuisâ facinoris indignitate commotus exclamauir, Non ſatis eſſe Cauenſi hæreticè loqui, niſi etiam Catholicos Antiſtites iniurioſè laceſſeret; proinde videri ſibi pœnâ multandum, reliquis exemplo futurâ. Reſponderunt Legati, Grauiter etiam Chironenſem peccaſſe, qui alterum irritarat; ſe verò de correctione pro eo ac opus foret, cogitaturos. 1546.

2 Cùm id manè contigiſſet, accitis iterùm poſt meridiem Patribus, dixit Montanus, eos conuocatos, non quò de noſtra Iuſtificatione, * ſed de noſtra infirmitate differerent ob Cauenſis delictum; indicans, Oratores haud opportunè illi cauſæ interfuturos. Tum Mendoza, quò fortaſſe Collegæ dicta in antemeridiano Cœtu corrigeret, ait ſe conueniſſe, non quidem cauſæ illius quæſtioni adfuturos, ſed reum commendaturos, non certè indignum clementiâ, quippe & in noxam improuiſam incogitanter actum, & ab altero grauirer laceſſitum. His dictis, vnà cum reliquis Oratoribus abſceſſit, ſimulque veniam petiit Venetias paucis diebus nomine Cæſaris adeundi. * Id itineris ſuſcipiebat, cum eo Senatu conqueſturus, quòd ſolicitus de apparatu bellico in Proteſtantes, ſuſpicatuſque, ſub Religionis ſpecie conſilium vniuerſæ ſubiiciendæ Germaniæ deliteſcere, Pontificem à fœdere dehortatus fuerat, Legatoſque ab hoſtibus miſſos blandè ac beneuolè exceperat.

* In Actis ac Diario Maſſarelli, 17. Iulij; & in Actis Arcis S. Angeli.

* Vide Diarium Maſſarelli, 18. Iulij.

3 Montanus ad conſeſſum dixit; Delictum cunctis eſſe compertum: proinde nolle ſe illud vel minuere vel augere: ferrent Patres ſententiam; ex ea Præſides proceſſuros. Adiecit Ceruinus; Facinus iam euulgatum, adeoque ad turpis exempli remedium pœnam pariter euulgandam. Paceccus inſpectum à ſe aliiſque compluribus factum negauit: hinc cenſere, rem legitimo ritu inquirendam; interim verò Cauenſem ſeu domi ſuæ, ſeu honeſto in loco retinendum. In eam ſententiam plures iuere: ſed Oſcenſis conſiderauit, grauiorem in Sanfelicio fuiſſe præbitam à ſe cauſam, quàm illatam ipſi iniuriam: ſemel atque iterùm ab illo prauam doctrinam affirmatam aduerſus communem Patrum ſententiam: proinde vtrumque crimen ad Tribunal Pontificis deferendum. Cui alij conſenſere, arbitrati, non ineſſe Concilio ad eam rem facultatem, ſiue ex

1546. ipso genere causæ, non spectantis ad eas, quæ in diplomate conuocationis exponebantur, siue ex hominis prærogatiua, qui à Pontifice cum potestate missus fuerat.

Calaguritanus Patres monuit, cauerent, ne reo pœnam irrogarent, quæ in ipsius commodum reuerà cederet. Si domi suæ contineretur, quid aliud esset, nisi otium illi concedi, dum ceteri desudarent. Sin alicuius Patris in ædibus custodiretur, perinde foret, ac eum hospitio lautiùs excipi, non carceri durius mancipari. Si leuiora delicta anteà non impunè abiissent, nequaquam hæc tam grauis noxa nunc Synodum dedecorasset: quòd si eadem leniter puniretur, vtique longe grauiores expectandas.

Nec tamen deerant, qui hominem miserabantur; ac in primis Martiranus, S. Marci Episcopus: hic adductis excusationibus addidit, Magnam esse diminutionem criminis ipsam criminis confessionem; & dum Cauensis ad omnem sententiæ seueritatem adeò paratum animum præ se gerebat, haud leuem ex eo clementiam demereri. His consentiebant Loffredus, Vigerius, ac supra ceteros Mussus, qui non destitit vberrimo eloquentiæ suæ melle Patrum animos inspergere, quo ipsos erga sontem mitigaret. Inter primos Tridentum accesserat Mussus, non tam vt Synodum ingrederetur, quàm vt formaret: posteà in eo Christianæ Reipublicæ theatro quasi siparium submouerat, solenni ad eam aperiendam habitâ Oratione: deinde verò grauissimis semper deliberationibus adhibitus, tanti corporis non membrum qualecumque, sed pænè dextera censebatur; adeò vt illius ac Sarraceni Materani Archiepiscopi amplissimas compererim commendationes, apud Pontificem habitas à Legatis. Hinc sibi videbatur Mussus eam meritus auctoritatem, quâ fretus, non modò rationibus persuaderet, sed etiam precibus impetraret. Eapropter se dixit reo veniam à Patribus implorare: per eam remunerationem sibi repensum iri quidquid laboris impenderat in primo lapide illius Concilij iaciendo, quidquid operæ, quidquid animi corporisque insumpserat in eodem promouendo: paria, quin potiùs auctiora inesse Cauensi merita, qui Pontificis administer eò missus, diuturnâ ac laboriosâ procuratione domicilium parauerat & instruxerat illi venerando Senatui: par non esse, vt opus sacrosanctum, vnde sibi felicitatem Ecclesia pollicebatur, præcipuo illius opifici infelix euaderet. Vbi vellent crimen vindicare, mutarent hominem; Mussum ipsum adesse, qui caput suum luendæ pœnæ libentiùs obiectaret. Tum Sanfelicij ingenium, nobilitatem, solertiam, probitatem extollere; qui certè plurimis aliis

mune-

muneribus præclarè gestis virtutem suam commendarat, cùm in grauissimis Magistratibus, tum potissimè in Bononia Vmbriaque Prolegati nomine administrandis; sed numquam vllo alio delicto vitam anteactam fœdauerat: quin vere ne illud quidem in ipsius vita patratum dici posse, hoc est, in hominis vita quæ compos rationis est; cùm iracundia sit breuis insania, breuisque rationis interitus. 1546.

5 Sententiis auditis, Legati aliquâtulùm inuicem submissâ voce collocuti, dixerunt: Ex plurimorum iudicio rite habendam de crimine quæstionem; interim verò ipsum reum non domi suæ, nec apud quempiam ex Patribus, ob causas à Calaguritano adductas, nec in publica custodia, ob gradus dignitatem, sed apud Franciscanos Obseruantes in Cœnobio S. Bernardini detinendum. Quod autem ob Chironensem ab eo publicè violatum esset anathemate irretitus, monuere, ab omnibus eius consuetudinem esse euitandam.

6 Quæstio habita à Massarello, qui Concilio à Secretis erat, testibus partibusque ad examen accitis. Chironensis & iniuriam condonauit, & flexis genibus supplex in generali Conuentu Cauensis pœnam à Patribus est [a] deprecatus.

Intereà Pontifex rem edoctus intimè doluit, iussitque Præsides seuerè se gerere. [b] Itaque Synodi sententiâ Sanfelicius Tridento & Concilio eiectus in exilium perpetuum, iussusque adire Pontificem, penes quem erat anathematis expiandi potestas, vt ab eo exolueretur. Sed hic rigorem [c] lenitate temperaturus, facultatem Legatis impertiit ibidem hominis priuatim absoluendi, [d] remittendique pro ipsorum arbitratu ad suam Sedem, Iacobo Iacobello, Bellocastrensi Episcopo, communi comprobatione suffecto ad res Concilij procurandas. [e] Protectus inde Sanfelicius diu neglectus vixit, & per aliquod etiam temporis vexatus, vt patebit; quousque post multos annos, quatuorque Pontifices, restaurato Concilio, ad pristinum in eo munus reuocatus, amplissimæ gratiæ dono duxit, quòd in primum gradum tunc rediret, cùm in fastigio collocandus fuisset. Demum decrepitâ iam ætate ad mediocrem Venusinum Episcopatum [f] promotus: id verò mercedis loco tot ab eo exantlatis diu laboribus accepit. Vsque adeò suæ quisque officit existimationi, dum illi immoderatiùs studet.

a 28. Iulij.

b Literæ S. Floræ ad Legatos, 23. Iulij 1546.

c Eiusdem Literæ ad Legatos, 26. Augusti.

d Absolutus est 3 Septembris, in Diario Massarelli, Actisque Arcis S. Angeli.

e Literæ S. Floræ, 1. Septembris 1546.

f Vide Vghellum de Episcopatu Cauensi, an. 1520.

1546.

CAPVT VII.

Copiarum, & Legati traiectio. Sessio prorogata. Poli morbus, adeoque dimissa Legatio. Montanum inter ac Madruccium dissidia.

AT quò rerum seriem resumamus, 13. Iulij Tridentinus cum 1
insigni nobilium virorum comitatu obuiàm Farnesio Legato processit Roueretum vsque, oppidum haud longè positum, vbi Farnesium tertiana febris inuaserat. Intereà ad Mutarellum pagum, duobus [a] Tridento passuum millibus distantem, & lustratæ Pontificiæ copiæ, & traiectæ. [b] Ibi opiparo conuiuio à Madruccio excepti Purpurati omnes, Octauius Farnesius, supremus militum ductor, Ioannes Baptista Sabellus, summus equitum magister, Alexander Vitellius, Præfectus peditum, Iulius Vrsinus, Fredericus Sabellus, & Sfortia Pontificis nepos, tribuni militum, aliique prætereà supra sexcentos, seu manipulorum duces, seu nobilitate clari, qui omnes mensæ assiderunt. Prandium insuper militare vniuersis copiis distributum, quæ duodecim peditum millia, & octingentos Italicos equites complectebantur, præter quingentos voluntarios milites, qui seu studio Religionis, seu gloriæ desiderio gratis confluxerant. Mox eodem die instructis ordinibus exercitus prope Tridentina mœnia iter fecit, & quinto procul lapide ad Lauisum pagum consedit.

[a] Quæ sequuntur exstant in Actis Massarelli, & in 2. parte Actorum in Arce S. Angeli.
[b] 26. Iulij, vt in Diario Massarelli.

Substiterat morbi causâ Farnesius Rouereti, quò illius inuisendi 2
gratiâ Cardinales omnes Tridento se contulerant: & inter eos Ceruinus, vetus Farnesij familiaris, voluit commorari ibi ad curandam amici valetudinem, ratus, in eo grati animi officium vnà cum publico bono coniungi. Polus ante mensem ex infirma valetudine Patauium [c] abierat; cui communicabantur ibidem à Collegis grauiora negotia, ac præsertim digestum Decretum de Iustificatione; [d] eiusque sententia libenter excipiebatur: cùm tamen is minimè conualesceret, [e] Legatione solutus est, Romamque reuocatus. Hinc Montanus non primus modò, sed vnicus Concilio præfuit, cui non modicam incusserant solicitudinem inopinata Pontificis sensa, recentibus literis sibi perscripta, quibus Sessionis prorogationem improbabat. Idcircò in Cœtu diei 28. adeoque pridie præstitutæ Sessionis, nondum plenè habitâ suffragatione de Decreto dogmatis, multoque minus enucleato Episcoporum in suis Ecclesiis mansionis negotio, Legatus ipsos Patres priùs testes appellauit inde-

[c] 28. Iunij, vt in Actis Massarelli.
[d] Apparet ex Literis Poli ad Legatos, 5. 9. & 18. Octobris anno 1546. inter monumenta Ceruinorum.
[e] 27. Octobris 1546. ex Actis in Arce S. Angeli.

indefessi laboris operi assiduè impensi, vel per illud triduum, quo supremus militum ductor, ac Pontificis copiæ sunt exceptæ. Adiecit; Quamquam argumenti difficultas & amplitudo obstitissent, ne omnino per id temporis absolueretur, & quæ Sessioni paranda erant perficerentur; tamen posse illam haberi omissâ rituum pompâ, cuiusmodi erant solenne Sacrum & Concio, conuocatisque postridie manè Patribus, quò tandem deliberarent de præparatis Decretis, quæ tria capita iam proposita, & per priuatos publicosque conuentus expensa complectebantur. Duplici ex causa ad id se pronum ostendit: Primò, quòd per literas excepisset, Pontificem à prorogatione plurimùm abhorrere: deinde, quòd Româ pariter à viris probatissimis significaretur, designatam Decretorum formam planissimè ibi probari; vnde eò securiùs eam stabiliendam esse. 1546.

3 At contrà Pacecus ait: Libenter se in Legati sententiam iturum, vbi per conscientiam liceret: sed plura summoperè obstare; potissimum verò, quòd multa quæ definienda essent, nondum omnino Patrum trutinâ in conuentibus expensa fuerant; nec posse vnico matutino cœtu pro dignitate perpendi. Satius itaque videri, si Sessio ad propinquum certum diem differretur. Hanc sententiam communiter ferè amplexi Patres. Asturiensis ac Pacensis addidere: Quando statutum fuerat, coniunctìm de Fide ac moribus progrediendum, haud se intelligere, quînam Sessio celebrari posset, vbi de moribus vix leuiter actum fuerat.

4 His Montanus reposuit; Ex animi sui consilio manum statim posteà impositum iri morum restitutioni, ne Synodi promissis derogaretur: cùm tamen animaduerteret, Patrum vota communiter ad prorogationem inclinari, se neutiquam obstiturum. Solum itaque superesse, certóne an incerto die Sessio habenda. Incertum sibi probari: nam si certus præfigeretur, vel propinquum eligerent, & res, præsertim ad emendationem spectantes, nondum adeò discussæ forent, vt discrimen vitarent ne fortè ad aliam prolationem cogerentur, auctoritatis constantiæque iacturâ: vel remotiorem statuerent, & intereà Patres armorum metu iam nimiùm commotos inde dilapsuros, indecorâ Concilio Patrum infrequentiâ relictâ, non sine periculo numquam ampliùs eos recuperandi. Conducibilius sibi videri, in arbitrio Patrum reponere, vt quâ liberet die Sessionem indicerent, capturi consilium & ab rerum in cœtibus, & ab armorum in Germaniæ statu.

Sed his pariter Pacecus obstitit: Semper ad id vsque temporis certum diem Sessionibus præscriptum; consuetudinis mutatione

1546. grauitatem haud præ se ferri; præcipuè verò, vbi peculiaris esset ratio illius retinendæ. Etenim potius quod est incertum quandonam futurum sit, concipi ab hominibus quasi incertum an sit futurum: concipi quidem certè ceu remotum, adeoque ante mentis oculos eam tenuem rei speciem obuersari, quam remotiora prætendunt. Quamobrem, si ad incertum diem Sessio indiceretur, id planè quod euitabatur effectum iri, Episcopos videlicet dilapsuros.

Idem sensere Aquensis & Turritanus, qui ad timidiores pœnis seuerissimis coërcendos Synodum cohortabatur. At Corcyrensis, in iis quæ paulò antè significauerat obfirmatus, iterauit,* Sibi opportunius videri de discessu vel translatione consilium habere, ne dum ipsi de Iustitia, quâ renascitur impius, agitarent, incautè ab impiis opprimerentur. 5

* In Cœtu 17. die habito.

Pacecus satis gnarus quàm id permolestum Cæsari foret, sibi temperare non potuit, quin Præsulem obiurgaret, cur de re, quam à Præside non rogabatur, sententiam diceret: vnde aliqua inter eos exorta altercatio.

Post hæc dicturus ex ordine Materanus, Corcyrensis sententiam pluribus comprobauit: Perinde esse ibidem persistere, ac Deum tentare, & vniuersam Ecclesiam palmari dedecori exponere. Perspicuum sibi esse, licere Patribus inde secedere: tanti siquidem discriminis metu absentes absque dubio excusari ne accederent; præsentes igitur, ne persisterent: alioqui peioris fore conditionis obsequentes, quam contumaces. Percipi à se non posse, quo pacto contingeret, aliquos ibi esse, qui Concilium id temporis Tridenti vellent, cuius Concilij auctoritas in Patrum frequentia potissimùm sita est; eam verò in dies minui. Dubium sibi non esse, quin Cæsar, si rem pernosset, primus omnium translationem aliò comprobaret, vbi honestiùs vtiliusque considerent. 6

Eò impatientiùs Materàni verba Pacecus audierat, quoad persuadendum efficaciora metuebat, & quò etiam addictiorem Caroli sensis hominem fore, cùm Familiæ tum Ecclesiæ suæ causâ, putabat. Vbi verò Cæsarem ipsum quasi haud contraria cupientem appellari ab eo sensit, vim sibi ampliùs adhibere non valuit, quin seueriùs in Materanum exclamaret: *De propositis rebus loquere, & de Cæsare, quod ignoras, omitte.* Tum ad Præsidem conuersus, significauit, illius esse, Patres continere, ne extra rem propositam euagarentur. 7

Suum quisque imperium negligi libenter sinit in eo, quod ægro animo imperat. Montanus itaque, cui querelæ Sarraceni minimè displicebant, quique haud grauate tulisset, si ab Episcoporum impetu

petu grata quædam violentia Legatis ac Pontifici sic inferretur ad 1546.
aliò deportandum Concilium, vt Cæsari de ipsis iure conqueri non liceret; iniit tunc cum Paceco litem, quasi aduersantem priori inter eos controuersiæ, de singulorum ad dicendum extra rem propositam libertate. Respondit itaque, Sui non esse consilij, Episcopos impedire, ne quid sentiant liberè promerent; neque pariter à Paceco impediendos: Sarracenum minùs reuerenter de Cæsare haud locutum, vt proinde corrigendus videretur: quod is attigerat, alienum à re proposita omnino non esse: & vbi ratio haberetur communis Patrum incolumitatis, par etiam fuisse, vt externo cuipiam aures præberent. Ex aduerso vsque adeò Pacecus excanduit, & cum ipso Hispanorum nonnulli, ac præcipuè Stabiensis, vt pænè in tumultuationem res abierit: eâ ægrè à Legato compresſâ, rogatæ ordine Patrum sententiæ. Plerique cum Paceco conuenere de certo Sessioni die indicendo; sed inter se seligendo discrepabant in eo.

8 Denique Legatus dixit; Cùm iam serior esset hora, & adeò variarent sententiæ, nihil posse eo die confici; sed re Collegis communicatâ, in alio cœtu posteà deliberandum quid expediret: non tamen cuiquam denegandam formidandi libertatem; cùm huiusmodi animorum motus ne ipsis quidem mancipiis prohiberi consueuerint: quin potiùs agendas gratias cuicumque monenti, quæ ad communem salutem spectarent. Sibi non esse in animo Concilium dimittere: cohortari se potiùs Patres ad laborum tolerantiam, constantiamque aduersus discrimina: sed cùm humanæ leges neminem ad ea compellant, quæ supra modum ardua existimantur; haud pariter æquum sibi videri, pœnam in eos statui, quibus inter angustias deesset animus ad persistendum paratus.

Obiecit Pacecus; Nisi certus præscriberetur dies, Concilium dissolutum iri Cæsare inuito, qui nolebat Synodum nec interceptè continuari, nec aliò transferri: *Quod*, inquit, *ex certa notitia confirmo, non ex opinione, vt Materanus*. Tum Legatus, periculum ait dissoluendi Concilij non impendere ex incerto Sessionis die, sed ex armorum circumstrepentium terrore.

9 Post multa dimissus conuentus: sed intra biduum denuò * coactus, acerbius certamen habuit. Nam recitato perpensoque Iustificationis Decreto, quod Bituntinus parauerat, indixit Præses, vt futuro conuentui vnusquisque ad ferendam sententiam paratus adesset de quibusdam articulis in eo contentis: cumque iam Patres dimissurus esset, Pacecus obstitit, affirmans indicendam esse in diem certum Sessionem; numerata siquidem à nonnullis suffragia superioris * 30.Iulij.

1546. rioris congressus illi sententiæ plura fauere. Contrà Montanus; Oppositam sententiam vno vel altero suffragio dumtaxat ab ea superari; atque in tam exigua numeri inæqualitate habendam aliunde rationem ponderis, quod accedebat ex Legati suffragio: præsertim vbi res ad agendi ritum spectaret, in quo peculiarem potestatem Præsides obtinebant. Hîc nouo se aculeo punctum sensit Paceccus; iniuriæ quippe sibi ducebat, sententiam quam tuebatur, parui ponderis haberi, ex conditione fautorum: negabatque, inesse iurisdictionem Legatis ea per se statuendi quæ Patrum iudicio commisissent.

Ambo vicissim incaluerant, sed intra fines vrbanitatis; cùm Madruccius, postquam postremo loco Legatus dixerat, intercessit. 10 Eique planè idem contigit, quod illis qui studentes aliorum litem dirimere, ipsi præcipuæ liti succedunt. *Perhorresco*, inquit, *cùm inter vos summos Patres aliquid iracundius obstrepit: proinde vos rogo, vti sedatiùs, magisq́ Christianè colloquamini. Me quoque hominem esse non latet, & lacessitum quandoque ea promere, quæ me postmodum dixisse pœniteat.* Quibus verbis quasi diuinare visus est, quod mox planè futurum erat.

Hisce monitis commotus Montanus, perinde quasi alienæ correctionis indigus notaretur, vbi communis ipse omnium censor ac norma esse deberet, *Equidem*, respondit, *nullius verbi mihi conscius sum, quod minùs piè, minùs Christianè protulerim. Sed iam animaduerto, me non tam aliis præesse, quàm magistro subesse. Quod si blandiorem loquendi rationem à me quisquam exigat, eamdem pariter ipse mecum adhibeat.*

Neque minùs eâ responsione perstrictum se Madruccius sensit, qui se obliquè carpi arbitrabatur, quasi plus æquo sibi arrogaret auctoritatis, quòd in sua vrbe Synodus celebraretur; de quo aliquid fuisse submurmuratum resciuerat. Quapropter fusè copioseque verba à se dicta purgare instituit, à quauis sinistra voluntate Præsidis vellicandi; Illa se locutum non eo sensu, vt patratum aliquid exprobraret; sed quò longiùs arceretur, quod ex nimio disputationis æstu suboriri potuerat, si quid per illum excidisset, quod pœnitentiæ posteà causam præberet: id verò sæpiùs ab eo iteratum. Exin suas ibi res gestas ostendere nisus est, & in Synodum communiter obsequij plenas, & ex animo profectas, cuicumque singulatim gratificandi.

Ad hæc Montanus: Quemadmodum, ait, libenter patiebatur 11 à quocumque minoris notæ homine se priuatim corrigi, ita se velle Præsidis dignitatem publicè sustinere: minimè verò se magistris subdi,

ſubdi, quales ſe gerebant erga ipſum Pacecus ac Madruccius: illis ſe 1546.
tamquam dominis, ſed non in eo loco, obſequium fateri. Dum admonebatur, ne quid excideret, cuius poſteà pœniteret, minarum ſpeciem ab iis monitis præ ſe ferri: cùm igitur ab omnibus communis dicendi libertas in Cœtu optaretur, eâ ſe quoque vti velle; adeoque diſertè pronuntiare, nullum ſibi Tridentini minis timorem incuti. Immeritò à ſe alios maiorem comitatem exigere, vt qui eam abundè præſtitiſſet: etenim cùm Præſidibus ſuperior ſepoſituſque à ceteris locus deberetur; duos tamen prope ſe admiſſos, vt ſecum & cum ſuis Collegis non ſederent modò, ſed præſiderent; proinde ſe ab illis petere, vt intra ſuos quiſque fines ſe contineret.

Eo verborum ſonitu mirum in modum exarſit Pacecus: Putare ſe infit, eam ſibi, quippe tamquam Purpurato, ſedem deberi; ſed abſque dubio deberi ſibi libertatem loquendi, cuius poſſeſſionem tueri ſtatutum apud ſe eſſe.

Quò diutiùs procedebat certamen, eò feruentiùs æſtuabat, non abſque Senatoriæ dignitatis dedecore, cùm opus tandem fuerit, vt concors minorum Patrum vociferatio maiorum rixam veriùs quàm diſputationem abrumperet. Siquidem non modò complures per Chriſti viſcera eos obſecrarunt, vt commoti animi ſenſa ſacroſanctæ Synodi gloriæ immolarent; ſed Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitanus, prouolutus in genua, coniunctis manibus, obortiſque lacrymis idem ſupplex orauit; qui ob illud etiam ſingulare virtutis ſpecimen meruit, vt à Montano, poſteà Romanam Sedem tenente, Purpurâ ornaretur.

12 Sedato itaque certamine, Maſſarellus, qui à Secretis Concilij erat, ſuffragationem ſuperiori conuentu habitam retulit; in qua vigintiſeptem incertum, vigintinouem certum diem Seſſionis volebant. Præſes & ob animi commotionem, & ob explicata liberiùs ſenſa nimis in controuerſiam progreſſus, adiecit rationibus, aliàs adductis ad ſuam ſententiam propugnandam, tametſi minori aſſeclarum numero ſuffultam: Cùm ij vigintinouem inter ſe diſcordarent de eodem certo die ſtabiliendo, ſicut dictum eſt, eos certè in vnam eamdemque ſententiam omnino firmandam non coire; ſed in varias diuidi, quarum ſingulis pauciora fauebant ſuffragia, quàm quæ ſententiam de incerto die complectebantur: atque vtcumque res eſſet, Ceruinum expectandum breuî reuerſurum, & cum eo deliberandum. Ita dimiſſo Cœtu, antequam Patres abirent, voluit Pacecus per Chriſtianæ prudentiæ ſpecimen abſtergere ſi quid Legati animum offenderat dicto, & Patrum aures exemplo: rogauitque

1546. Montanum, vt sua verba æqui bonique consuleret, sibique, si quidquam eum læsisset, condonaret. Cui alter solâ capitis inclinatione respondit. Giennensis virtutem Madruccius est imitatus; cui pariter caput leui flexu Legatus inclinauit, nullo adiecto verbo. Tum verò Madruccius, Germani Principis actus spiritu, & huiusmodi supercilij prorsus impatiens, *Mea*, subiecit, *dicta quocumque libuerit modo accipito: nam meâ nihil refert; ego quippe nobilis tandem sum.* Hic tamen linguæ lapsus excusationem aliquam vtique meretur; nulla enim iniuria animum altiùs ferit, quàm vbi despicitur ab elatiori aduersarij fronte is, qui ex vrbanitate se illi submittit. At ignorabat ipse, post paucos annos futurum, vt eumdem in Solio adoraret, eiusque pedes deoscularetur, cui tunc obliquè ignobilitatem exprobrabat. Quæ sanè exprobratio nimis acerba contingit: quippe quæ tametsi ad interiorem labem, vel à nostra culpa profectam, haud spectet, adeoque apud sapientes viros existimationi nihil deroget; tamen nostram quamdam maculam ostentat; imaginariam quidem, sed quæ nos apud opinionem vulgi contemnendos reddit, quæque in vniuersam progeniem diffunditur, neque deleri potest tanto temporis spatio, quanto nobis vita deletur. Tum verò ictus huiusmodi acerbitas augetur, cùm contumelia nec omnino falsa est, adeoque aspernabilis; nec omnino vera, adeoque tolerabilis. Quod in Montano planè accidebat, cui & hinc nobilitas affundebatur à Patrui splendore, non Purpurati modò, sed inter Purpuratos suâ virtute conspicui; & hinc adeò recens ea nobilitas accesserat, vt cognomen vnà cum origine traxerit à S. Sabini monte, vulgari oppidulo Tusciæ, gentili cognomento *Gioccorum* relicto.

Quapropter improuisò probro intimè exulceratus, respondit: *Si tu es nobilis, haud equidem ignobilis sum: sed illò pergam, vbi nobiles mihi imponere non possint.* Ita inflammati iracundiâ abiere; variis pro ingeniorum varietate excitatis studiis, in aliis formidandi, in aliis incusandi, in aliis excusandi, in aliis præsagiendi, in cunctis diiudicandi.

CAPVT VIII.

Iterùm agitur de translatione Concilij: & Cæsaris repugnantia.

HIc euentus, in Legatorum animis altiùs fixit sedis mutandæ 1
consilium; cùm ibi non minùs ab exteriore hostium discrimine, quàm ab interiore Domini auctoritate perturbarentur. Quare Ceruinus, qui, vtpote extra certamen, purgatioris mentis

1546.

tis compos erat, minusque suspecti consilij, vtpote ab auctore non læso profecti, re, quam meditabatur,[a] cum Farnesio prius communicatâ, adiecit animum ad Cæsaris voluntatem per ipsum Madruccium expugnandam. In eo vsus est operâ Bertani, Madruccio tam gratiosi, vt is duos ante menses, cùm Capuana Sedes vacasset, posteà Cardinali à Sermoneta concessa, impetrauerit à Legatis[b] Bertani commendationem apud Pontificem ad eam impetrandam: simul etiam mille scutorum annuam pensionem obtulerit, suis Ecclesiis seu Tridentinæ seu Brixinensi imponendam; ac præterea nihil vmquam se repetiturum aut compensationis aut præmij tot sumptuum, totque incommodorum, quæ verè Concilij causâ tolerabat, etiamsi suum integrum patrimonium in id insumendum fuisset. Curauit itaque Ceruinus edocendum Bertanum, quàm inconsultè Madruccius litem, quæ suâ nihil intererat, suscepisset, inustis Legatorum Principi grauibus notis, & parum Christiani in disputatione, & ignobilis in familia. Hinc nimis iustam porrigi causam Pontifici amouendæ Synodi ab hominis ditione, qui dignitatem Præsidum adeò conculcabat, cardinum videlicet, in quibus publicorum Cœtuum recta administratio vertebatur: vbi verò hæc deportandi aliò Concilij causa Cæsari adduceretur, illum Madruccio meritò succensurum, eamque translationem, à qua plurimùm abhorrebat, illius culpæ cum indignatione versurum. Proposuit proinde,[c] Satius fore, si pacatè, & quæ Christianos deceat inter se concordiâ rem agerent, atque vnà secum suam pariter operam Madruccius coniungeret ad Cæsarem cohortandum. Eam Sedem experimento cognosci Concilio minimè opportunam, non solùm ob inopiam soli tot hominibus alendis impatis, & ob cæli asperitatem plerisque noxiam; sed recenter ob strepitus ac pericula militaria, atque ob hæresis luem incolas corrumpentem; inter quos rustici ne in suum quidem Pastorem ac Principem insolescere formidabant. Inde fieri non posse, vt ibi diutiùs violenter detinerentur Episcopi: adeoque si ampliùs translationi obsisteretur, perinde futurum, ac cuncta præcipitantet in dissolutionem agere: eam Synodum ecticâ laborare lethali, nec nisi per aëris mutationem sanabili. Vbi apud Germanos Pontificiæ vrbes suspicionem præ se ferrent, posse deduci Synodum Senas, aut Lucam, Ciuitates liberas, & Carolo addictas. Ex qua loci propositi occasione haud prætereo, cùm id fuisset Pontifici significatum, Senas neutiquam[d] illi placuisse; ea quippe vrbs videbatur non minus Tridento esse in Cæsaris clientela. Contrà verò gnarum, posse Protestantes Ferrariæ minùs fidere

a In Epistola Ceruini ad Maffeiū, 3. Augusti.

b Vide Diarium Massarelli, 14. Augusti.

c Habentur hæ rationes in Diario Massarelli, 13. Augusti.

d Literæ Card. S. Floræ ad Legatos, 13. Aug. in Volumine Archiuij Vaticani, cui titulus est: *Literæ variorum Cardinalium & Episcoporum.*

1546.

fidere ob clientelam Pontificis, Lucam comprobasse. At Lucenses rem subodoratos, per nobilem Ciuem [a] suum Episcopum Aiacensem insinuasse Legatis, sibi in eo non licere obsequi Concilio, libertatis discrimine, locique sterilitate prætentis.

a Legatorum Literæ ad Sfortiam, 28. Augusti.

At inceptam narrationem prosequamur. Sensit Tridentinus se 2
imprudentis iræ suasu prolapsum, & de Cæsaris gratia solicitus, Ceruini consilium arripuit; ad quod opere perficiendum Bertanus ipse delectus, [b] qui non Synodi, sed Legatorum, Madruccij ac Paceci nomine hac de re cum Carolo transigeret. Is verò confestim profectus. Sub idem tempus Legati, quo altiùs rationes suas animo Pontificis imprimerent, [c] Achillem de Grassis, Synodi Aduocatum, Romam miserunt, familiarem S. Floræ Cardinalis, qui absente Farnesio primi nepotis munia apud Paulum obibat. Verùm Bertanus sub itineris initium prope Brissenium obuiàm habuit virum, qui Madruccio à Secretis erat, ab Aula Cæsaris redeuntem, ac nuntiantem: Cùm ex Oratorum literis cognouisset Cæsar transferendæ Synodi consilia, vehementer commotum in minas prorupisse; vbi hoc fieret, absque mora se cum Lutheranis concordaturum, suisque prospecturum emolumentis. Proinde persuasit ille Bertano, ne progrederetur ad ea postulanda, quæ non nisi sulphur flammæ adiectura erant. Biduo itaque postquam discesserat, Tridentum Bertanus repetiit. Id causæ fuit, vt à Legatis ac Farnesio reuocatus ex itinere fuerit Grassius, ac denuò Romam [d] missus, acceptum de Cæsaris voluntate nuntium allaturus, sed Concilij translationi simul institurus. Pariter à Tridentino Romam allegatus Bertanus, [e] qui apud Pontificem res ab eo gestas purgaret, vnaque insinuaret, ad fouendam Germanicorum armorum alacritatem plurimum conferre, si vnum adhuc vel duos menses Tridenti Concilium retineretur. Quo simul Madruccius rebatur obtectum iri futuræ migrationis turbas, ab imprudentia sua profectas.

b Vide Diarium Massarelli 2. Augusti 1546.

c 2. Aug. vt in Epistola Ceruini ad S. Floram, & in altera ad Maffeum, 3. Augusti 1546.

d Iterùm profectus est 6. Aug. vt in Diario Massarelli, & in Literis Legatorum ad Pontificem, 6. Augusti.

e Literæ Ceruini ad Maffeum, 10 Augusti 1546.

Antequam hi Nuntij Romam attingerent, Pontifex edoctus à 3
Montemorlo, ad ipsum à Legatis misso, siue ob memorati dissidij narrationem, siue, quod ex temporis interpositi breuitate verisimilius mihi est, ob superiores Legatorum rationes, præsertim verò, quia fieri non posset, vt Episcopi inter pericula, vel certè inter terrores armorum per vim detinerentur; ad Synodi translationem animum flexit: misitque ea de re [f] ad Præsides diploma, sed adiectâ conditione: Vbi plerique Patrum ita vellent, ac poscerent. Legatis pariter iniunxit, vt si id eueniret, Lucam proponerent, quippe sitam extra Pontificiam ditionem, & Cæsaris studiosam; adeoque

f Literæ S. Floræ ad Legatos, 3. & 4. Aug. 1546 inter Commentarios Ceruinorum.

que huiusmodi, vt nullam meritò suspicionem præferret. Imperabat simul, vt cuncta priùs Cæsari communicarentur: atque hac de causa literas Verallo Nuntio scripsit, quas Legatis deferendas curauit, vt illi à se lectas ad Nuntium mitterent: sed ad calcem epistolæ ad eos scriptæ adiici iussit: Vbi periculum ex mota cerneretur, ipsi, qui in arena versabantur, prudentiæ suæ ductu rem gererent, retentis apud se literis Verallo Nuntio destinatis. Optare se quidem, vt antequam locus mutaretur, Iustificationis saltem Decretum stabilirent, & alterum de Episcoporum in sua Sede mansionis obstaculis; ne otiata Tridenti Synodus dici posset: verumtamen in eo quoque Legati non tam quod optabatur, quàm quod effici poterat, prosequerentur. At Farnesius nondum Tridento profectus, cùm hæc Pontificis mandata peruenere, ea Cæsarianis exposuit; qui quasi tormenti ictum illa exceperunt: tantâque ardoris vehementiâ sunt obluctati, vt moram tandem vsque ad noua iussa Pontificis impetrarint: cui Cetuinus pluribus adductis rationibus suadere studuit, ne à proposito consilio dimoueretur; ita Sedis Apostolicæ dignitatem, ita libertatem Concilij, ita Episcoporum securitatem, ita dissolutionis periculum, ita columen legitimæ auctoritatis postulare. Si Germanica expeditio prosperè cederet, spesque affulgeret, populos qui desciuerant Concilium suscepturos, posse tunc Patres & decenter, & cum fructu, & sine periculo Tridentum redire. 1546.

4 Cùm ita se res haberet, Præsides in generali Cœtu suffragationem parabant, an Patribus translatio probaretur: * & vbi placuisset; quænam sedes aptissima censeretur: quò, si mandata Pontifex iteraret, ad abitionem præstò forent. Sed Conuentus immani priùs pluuiâ, mox Farnesij iam profecti literis retardatus; quibus Legatos hortabatur, vt tantisper rem protraherent, dum Pontificis responsa perferrentur. Et fortassis ad eam circumspectionem impulit Farnesium Cæsaris voluntas, sibi patefacta ab Hieronymo de Correggio, quem ad Aulam Cæsaream miserat biduo antequam * altercatio inter Purpuratos Tridenti contigisset, quò & plurima ad exercitum expeditionemque spectantia cum Cæsare componeret, & aliquid eidem insinuaret de translatione, tametsi nondum imperatâ à Pontifice, sicuti postmodum per subsecutas literas actum; ostenderetque, quantum laboris ac difficultatis sustinuissent Præsides in retinendis Patribus, ne ad armorum Ducis Wirtembergici motus diffluerent. Posteà verò exortâ eâ rixâ, Farnesius iniunxerat per literas Hieronymo, vt nouum hoc Tridentinæ mansionis

* Diarium Massarelli, 12. Aug. ex Literis Legatorum eodem die ad S.Floram.

* Missus est 17. Iulij 1546. & eius mandata, sicut & responsio, est in Bibliotheca Ducis Vrbinatis.

1546. obstaculum proponeret; curaretque Madruccium saltem Tridento per aliam speciem amoueri, vt ibi maiori cum libertate ac tranquillitate Legati degerent. At Cæsar, quod spectabat ad primum, repulsam ipsam quasi beneficium venditare voluerat; respondit enim: Tametsi à plerisque Concilij cessatio vel translatio ceu sibi conducibilis ostentaretur; quòd per eam liberum esset cum Protestantibus conuenire; cùm tamen ipse non aliò spectaret, quàm ad Diuinum obsequium, ac prosperum rei successum, optare se, ne quid noui seu facto seu verbo agitaretur. Quod autem ad Madruccium attinebat, dixit, Par esse, vt per eos dies ibi maneret, quò simul ageret cum Farnesio de progressu commodisque Concilij, ac loci securitati consuleret; postea deliberatum iri de illius mansione aut discessu. Hæc itaque tam diserta Cæsareæ voluntatis explicatio Farnesium permouit ad retinendos Legatos, ne absque certo Pontificis iussu progrederentur.

Cœtum igitur destinatum ad 11. mensis diem retardarunt. Eodem die literæ Veralli Nuntij [a] perlatæ, eadem significantes, quæ die postero Orator Mendoza confirmauit; [b] voluntatem Cæsaris à proposita translatione vsque adeò abhorrere, vt minaciter fulminaret in quoscumque de ea mutire ausos: ac potissimùm in Ceruinum, quem præcipuum huius consilij auctorem existimabat; iis conuitiis contumeliisque eum perstringens, cuiusmodi numquam aliàs à modesto Caroli ore excidisse ferebatur. Quamquam deinde, cùm Farnesius cum eo questus est de huiusmodi comminationibus, quæ Cæsaris nomine in Episcopos ac Præsides iactæ fuerant, negauit ille [c] id suo iussu peractum, vt narrabimus. Neque aliud actum id temporis comperi ex legitimis monumentis, nisi Cæsarem, audito Ceruini consilio abeundi, etiamsi Pontifex aliò Synodum deduci nollet, veritum ne complures illum Episcopi sequerentur, tantam præ se tulisse perturbationem animi, quantam Nuntius in eodem numquam animaduerterat. Ceterùm aiebat, Vbi ex obfirmata voluntate Pontificis Synodus transferretur, se in illum reiecturum quidquid inde malorum erumperet; sed in præsentia monere, Pontificiam dignitatem in ea re potissimùm agi: vbi verò ex se Episcopi suâ sponte secederent, contestationem se interpositurum, & eos qui suæ ditionis essent, seuerius habiturum. 5

a Vide Literas citatas ad Sfortiam.
b Vide Diarium, 12. Augusti.

c Literæ Veralli ad Legatos, vltimo Iulij 1546. Eiusdem ad Sfortiam, 3.6. & 8. Aug. & ad Legatos, 6. Augusti 1546.

Legati igitur tam amarum ferculum deglutientes, oris fastidio dissimulato; sed animo non deterriti, & inhærentes proposito transferendæ Synodi, vbi Pontifex, vt optabant, in eo persisteret, die 13. Cœtum habuere: [d] ibique Montanus cohortatus est Patres, ne absce- 6

d Literæ Legatorum ad Sfortiam, 13 Augusti 1546.

abſcederent, neque formidarent, * quandoquidem fauſti nuntij de Cæſareis armis peruenerant. Atque in eam ſententiam pluribus differuit Martiranus, Epiſcopus S. Marci: nec quiſquam, niſi Caprulanus obſtitit, cui ſtatim ſermo præciſus. 1546. * Vide Diarium, 13 Augusti.

7 Non tamen auſi Legati Pontificem apertè cohortari ad rem tantæ contentionis aggrediendam, * quam ipſi tacitis animis & optabant & comprobabant; ſed tantummodò petiere, vt ipſos Tridento amoueret, ſuffectis aliis, nec ſuſpectis Cæſari, nec inuiſis: ſic enim ex euentu ea quæ ipſi geſſerant, purgatum iri: Non niſi per tranſlationem conſuli poſſe Concilio ne diſſolueretur: compertum id eſſe Cæſarianis; & tamen culpam ab ipſis regeri in Legatos, perinde quaſi hi ad impediendum vires haberent, & vt haberent, quaſi haud iniquum eſſet, in tanto diſcrimine deteriorem reddere conditionem Epiſcoporum, qui obſequentes conuenerant, quàm eorum qui contumaces reſtiterant. * Literæ 11. Augusti.

8 Nec obſeruare hîc prætermittam, quàm obnoxia mutationi ſit gratia Principum, quàm caſuum ſeries admirabilis: Ceruini caput, hîc quaſi ſignum, in quod Cæſar formidabilis iræ ſuæ tela intorquebat, paucos poſt annos eodem regnante Cæſare, ſuorum ope adminiſtrorum coronatum præfulſit.

CAPVT IX.

Catharini laus: & ſententia de Iuſtificationis articulo.

1 EXamen itaque propoſiti dogmatis proſecuti ſunt: cui tum Patres tum minores Theologi ſtrenuè inſudauerant. Inter hos ſingulariter commendatum comperio Catharinum.* Etenim ſparſo per generalem conuentum rumore, Epiſcopum quemdam in Atheſi ſubmerſum, concordi voce conclamatum, illi Sedi Catharinum ſufficiendum; quòd & vir tam eximius, & æquè inuiſus hæreticis, ac Catholicis charus eſſet. Et quamquam rumor de alterius interitu ceu falſus euanuerit, vox tamen Patrum de alterius dignitate veritatem obtinuit: nam Legati, qui viros de Concilio benemerentes Pontifici ſæpiùs commendabant, communia tunc Patrum vota comprobationemque Paulo ſignificarunt. Is verò paulò pòſt * Minorenſem Epiſcopum Catharinum creauit, ſimulque ad Aliphonam Sedem Pighinum euexit, retento Romanæ Rotæ Duodecimuiratu. * Literæ Legatorum ad Sfortiam, 15. Augusti 1546. * In Senatu 21 Aug. vt in Act. Consistor.

2 Iam verò vt eruditiùs dicta in diſputationibus de doctrina proſequamur; de quinto articulo ex illis ſex, ad primum ſtatum ſpectantibus,

1546. tibus, nimirum, Quinam actus primam iustitiæ acceptionem antecedant, qui comitentur, quíve subsequantur, paucas memoriæ dignas sententias comperimus, præter eas quas in prioribus quatuor dictas memorauimus. Quod ad sextum attinet, testimonia complectentem, quibus dogma firmandum; à variis varia atque innumera producta sunt. Cùm igitur ad secundi simul tertiique status trutinam deuentum esset, hoc est, Quinam sit status hominis iusti, quíve peccatoris è iustitia delapsi; de tertio Eliseus Theodinus, Soranus Episcopus, laudauit [a] S. Thomæ sententiam, Peccatorem è peccato emergentem non semper quantum amiserat gratiæ, tantumdem recuperare; sed pro maiori minoríve pœnitentiæ suæ mensura modò minus adipisci, modò prorsus tantumdem, modò etiam amplius.

a In Congregatione, 19. Iulij.

Fusam & eruditam disputationem habuit Ioannes Fonseca, Stabiensis Antistes. Homini iusto, aiebat ille, opus plerumque non esse peculiari Dei ope ad obseruanda præcepta; sed eam generalem illi sufficere, quæ nulli iusto subtrahitur: solùm reperiri quamdam peculiarem opem, vbi fit obuiàm præcepti solito maior arduitas. Tum quadripartitàm operum distinctionem posuit. Primò, Quatenus ea ex solo libero arbitrio procedunt; atque ita considerata, negauit vllam obtinere meriti rationem ad obtinendam salutem. Secundò, Quatenus à gratia præueniente gignantur; & iis sic acceptis, solam meriti congrui vim attribuit. Tertio modo eadem considerabat, prout à libero arbitrio simul & gratia sanctificante profecta; & hoc pacto affirmauit non solùm congrui, sed condigni meriti rationem obtinere in quadam laxiore significatione: denique tamquam originem trahentia à S. Spiritu, qui habitat & operatur in nobis; & secundùm hanc rationem ea esse merita propriè condigna, quà ad gratiam augendam, quà ad gloriam consequendam: siquidem his affixa præcedit Diuina promissio, à qua dignitatem accipiunt. Ad hæc comprobanda Pauli testimonia adduxit, vbi dicit: [b] *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur:* & alibi: [c] *Reposita est corona mihi iustitiæ:* & Ioannis verba: [d] *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ:* & dicta Matthæi: [e] *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum:* & alibi, vbi Christus Iudex causam afferens, cur electos ad cælum aduocet, ipsis ait: [f] *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. Protulit etiam Symbolum S. Athanasij: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam:* & secundum Concilium Arausicanum: [g] *Debetur merces de bonis operibus:* ac demum Parisiensis Academiæ censuram in Erasmi inter-

3

b In 2. ad Rom.
c In 2. ad Timotheum cap. 4.
d Cap. 5.
e Cap. 5.
f Cap. 25.
g Canon. 18.

interpretationem, quâ illa Matthæi verba interpretatur: [a] *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* 1546.
a Cap. 19.

4 Adiecit, cum ad primam, tum ad secundam iustitiæ susceptionem exigi Fidem, sed non eamdem. Priori quidem susceptioni actu Fidei opus esse, quia sine actu non infunditur habitus, & sine habitu Fidei numquam homo iustus euadit: posteriorem, actu Fidei non indigere, cùm insit eius habitus, quippe qui à peccatore non deperditur. Quod, vt opinor, ille censuit de actu explicito neruosoque, quem interdum quidem, sed non semper exercere iubemur; & qui præcipuè requiritur vt ad Fidem conuertamur, eiusque habitum impetremus. In reliquum inficiari non poterat, aliquam Fidei exercitationem necessariam nobis esse, vt secundo modo iustitiam consequamur.

5 Hoc ipsum confirmauit Iacobellus, Bellocastrensis Episcopus: monuit enim, per eosdem gradus ad primam atque ad secundam Iustificationem ascendi, eosque cum S. Thoma connumerauit: nimirum per actum Fidei, liberum arbitrium excitantis; inde per timorem seruilem, per spem, per timorem filio conuenientem, per pœnitentiam, & per Sacramentum seu re seu voto susceptum. Bellunensis Concilij auctoritati subiecit id quod aliâ vice dixerat de Fidei efficacitate, explicauitque dictum, non de Fide mortua & informi, sed de viua, & quam Charitas informaret.

Isidorus Clarius à Brixia, Cassinensis Abbas, notauit, [b] in sacris Literis iustitiam tribui Fidei, & salutem operibus, ex dicto S. Pauli ad Romanos: [c] *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Fides namque iustitiæ causa est; honesta opera cum iustitia patrata, sunt causa salutis. Et quantum licet mihi coniicere ex longa dissertatione ibi à Seripando recitata, [d] multum pariter Fidei tribuente, non eam Fidem hi Patres intellexere, quæ satis est Christiano nomini profitendo, sed viuidam Fidem de Christi redemptione; ex qua Fide confestim exurgeret fiducia, quæ spes est, ex ea Psaltæ sententia: *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo:* & Apostoli dicto: *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per Fidem eius.* Et dicebat ille, scriptum esse ab Apostolo, hanc viuam fiduciam, seu spem, non confundere: etenim quemadmodum à sulphure ignis emicat, ita per eam, in nobis charitatem extemplò succendi, quæ præceptorum obseruationem ac salutem secum trahit. Hoc pacto Seripandus philosophatus. Existimem itaque, eos putasse aliquem gradum, & aliquam excellentiam Fidei, esse meritum causamque numquam fallentem totius Iustificationis.

b In Cœtu generali, 22. Iulij.
c Cap. 10.
d In Cœtu, 13. Iulij.

1546. Ioannes Caluus, Minorum Obseruantium summus Præses, distin- 6
ctionem à Musso propositam secutus, affirmauit; Antequam gratia
infunderetur, peccatum remitti iuxtà ac Seripandus etiam opinabatur; quod confirmauit Canone incipiente: *Non potest.* tit. *de pœnit.* distinct. primâ, vbi dicitur: *Non potest quis gratiam doni cælestis accipere, nisi priùs purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ confessionem, aut per donum Baptismi salutaris*; quæcumque sit illius testimonij auctoritas. Post remissionem peccati, aiebat Caluus infundi gratiam, ac tandem hominem renouari: haud tamen intellectâ temporis antecessione, sed causæ ac rationis.

In conuentu diei 24. exemplum Canonum, quod viri ad id de- 7
stinati confecerant, relatum. Cuncti, præter quinque, habitus nomen gratiæ concesserunt. Cuncti consensere, eam esse rem nobis intrinsecus inhærentem, non meram S. Spiritus nobis extrinsecus assistentis præsentiam, nec meram Christi iustitiam tantummodò nobis imputatam: eam verò aut charitatem esse, aut non seiunctam à charitate, pro variis Scholasticorum sententiis. Vnde satis constat, nullum posse argumentum deduci à Concilij auctoritate, quòd hanc vel illam partem confirmet sic, vt nonnulli arbitrantur. Vbi affirmabatur, tentationes absque gratia superari non posse, plures addendum putarunt, *omnes tentationes*, ne statueretur, nulli tentationi vincendæ satis esse naturam. Omnes pariter conuenere, posse liberum arbitrium consentire, dissentire, ac Diuinæ vocationi resistere.

Vbi damnabatur, quicumque affirmaret, Iustificatum certæ Fi- 8
dei firmitate credere suam præsentem iustificationem, censuerunt vniuersalem particulam adiiciendam, hoc est, *omnes iustificatos* ita credere, vt Lutherani docebant. Id enim si quis pro quibusdam peculiaribus rerum conditionibus affirmare vellet, ad eas audiendas rationes locum dari. Hanc postmodum opinationem * propugnauit sui Scoti fauor Bonauentura Pius, supremus Franciscanorum Calceatorum Moderator: arguens, si aliter esset, vim quoque Sacramentorum incertam fore. At contrà Pacecus adduxit postremum Canonem tit. *de purgat. Canonic.* vbi Innocentius III. Romanus Pontifex scribit: Si Vesontionis Archiepiscopus vellet iureiurando affirmare patrata à se delicta per pœnitentiam sibi fuisse remissa, huiusmodi iusiurandum valdè temerarium fore, dicente Iobo: * *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

* In Cœtu generali, 13. Augusti.

* Cap. 9.

In postera congregatione concorditer censuere, damnandam esse 9
certam de qua diximus fidem habitæ gratiæ; quam gratiam Lu-
therani

therani cum Fide Christiana indissolubili nexu coniunctam affirmabant. De reliquo volebant aliqui, hanc Fidei firmitatem haberi posse in aliqua peculiari rerum conditione, & hanc esse Scoti sententiam. Alij, quæcumque foret conditio, eam negabant, prætetquam vbi peculiari Dei reuelantis verbo inderetur. Præcipuè verò Leccauela Naxiensis Archiepiscopus id fusè confirmauit, confutatâ priùs potissimâ aduersariorum ratione: Esse quidem nos certos de Sacramentorum efficacia, sed incertos de conditionibus excipientis: adduxitque posteà pro se varia sacrarum Literarum testimonia: dici ab Apostolo, *Nihil sibi conscium esse; verumtamen non in hoc iustificatum esse:* legi in Prouerbiis: * *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum ab omni peccato:* & in Psalmis: *Delicta quis intelligit?*

1546.

* Cap.10.

Vniuersa Decreti forma plerisque displicebat, & quia obscura, & quia rationibus nimis referta, & alias etiam ob causas: vnde recudendam putauere. Et quidem comperio, datum fuisse Decreti reformandi negotium præcipuè * Seripando, tametsi posteà multis in locis eo inuito fuerit immutatum. Quod ad rem ipsam spectabat, primaria opinionum controuersia vertebatur in eo; An damnanda esset ea tantùm fidei firmitudo de accepta gratia, quam singulis fidelibus Lutherani tribuebant; an enucleatiùs perscrutandum, possit nécne ea vlli concedi; posteà verò conficiendum Decretum. Priorem in partem inclinabant Legati, & festinationis cupidi, & intenti ne vlli ex Catholicis opinionibus officeretur. Partem oppositam Pacecus fulciebat, affirmans, esse dogma non contemnendi ponderis aduersus insurgentes errores. Et cùm in eo Hispanienses ac Neapolitani Paceco fauerent, creditum est, huiusmodi arte illum studuisse decisiones dogmatum protrahere, quò plus temporis suppeteret Cæsari ad ineundam concordiam cum Lutheranis, nondum damnationis ictu exulceratis. Sed prior sententia suffragiorum numero vicit. Nihilominus dixerunt Legati, conaturos se, vt vtrique partium fieret satis, iussis Theologis operam studiumque vt par erat impendere quæstioni quæsitisque * vocibus, quæ in hoc plenè damnarent quemcumque hæreticorum errorem, nullumque è Scriptoribus Catholicis læderent. Cùm egregia sit eorum, qui præsunt Cœtibus, prudentia, non solùm Decreta conficere ex amplioris partis voluntate, sed eo verborum tenore, cui cunctorum voluntas annuat: omnis quippe inter partes repugnantia, corruptionis origo est.

* Monumenta Seripandi, & Diarium Massarelli.

* Vide Epistolam Legatorum ad Sfortiam, 18. Augusti.

1546.

CAPVT X.

Mandata Pontificis de translationis negotio. Difficultas in retinendis Tridenti Patribus. Cæsarianorum postulata.

* Apparet ex scripto Maffei ad Ceruinum, 21. Augusti 1546. & ex Literis administri Ceruini, 18. 21. 25. & 28. Augusti, & 1. Septembris.

1 INtereà Romam adierant * Bertanus, & Aurelius qui Madruccio à Secretis erat: ille, vt Legatorum nomine Pontifici suaderet necessitatem Synodi transferendæ; simul etiam vt omnem animi rubiginem in Tridentinum à Pontifice abstergeret: hic, vt mentem Cæsaris de Concilio significaret, simulque exponeret minaces nuntios, quos ipse Caroli nomine ad Ceruinum attulerat; quorum tenorem si nactus fuero, lectoribus alicubi referam. Aurelio, quod ad primum caput spectabat, grauiter respondit Pontifex: Cæsarem per eam inexpugnabilem repugnantiam aduersari Concilio non suâ sponte, sed eorum suasu, qui affectatum eius obsequij studium ostentabant: illos verò, qui inter Legatos ac Cæsarem offensionum semina iecissent, haud impune abituros. Progressus deinde ad minas in Ceruinum intortas, flammis potiùs quam spiritu verba conflauit: Nihil nisi suo iussu actum à Ceruino: sed vt etiam quid peccasset, à se, non ab alio puniendum. Compertum iam sibi; quisnam id sulphuris in Cæsaris animum iniecisset, & quàm praua de causa. Exin vocem extulit adeò plenam indignationis in Tridentinum, vt Aurelius iterùm adire Pontificem minime ausus fuerit. Verùm cùm Bertanus omnem operam adhibuisset Tridentino purgando, mitigandoque exacerbato Pontificis animo, pollicitus diuersâ imposterum ratione Madruccium acturum; hoc retulit moderatum responsum: Ex operibus se de homine iudicaturum.

2 Porrò studuit Bertanus ostendere necessitatem translationis, tametsi Cæsar obsisteret; non tam ob acerbas offensiones inter vrbis dominum, & primum Concilij Præsidem, quàm ob ineluctabilem Patrum repugnantiam diutius commorandi inter incommoda ac pericula Tridentina. Quare Pontifex factam ipsis anteà potestatem deducendæ Synodi per literas iterauit, modo maior Episcoporum pars ita censeret. At postridie quàm miserat tabellarium, certior factus expostulationis acerrimæ, quâ Cæsar ea de re & apud Nuntium voce, & apud Mendozam literis conquestus fuerat, reuocatis mandatis, ad Præsides scripsit: * Persistere se quidem in proposito; sed quò suauius illud perficeret, caueretque ne Cæsar vel ad concordiam cum Lutheranis, vel ad peculiarem Nationis Synodum impelleretur, velle vt duos adhuc menses Episcopi Tridenti

* Literæ Sfortiæ ad Legatos, 18. Augusti 1546. & Maffeij ad Ceruinum, 16. 18. 20. & 25. Aug.

denti degerent, dum Farnesius Legatus cum Cæsare ageret: cuius 1546.
Confessarius Nuntio significauerat, itidem ac Orator Mendoza Legatis Tridenti, & Vega Pontifici, satis esse Carolo, si res ad medium Octobris retardaretur; & interim Synodus dogmatum sanctionibus supersederet. Legatos itaque certiores reddidit Pontifex, se iniunxisse Farnesio, vt rem cum Cæsare explorate stabiliret: illi verò nihil interim noui molirentur; sed discutiendis rebus darent operam, certiusque Patrum voluntatem explorarent, quò integrum esset Pontifici, in tempore rem exequi: adeoque oportere, vt Episcopos iam inde profectos reuocarent, & abeundi cupidos retinerent.

3 Ancipites erant Legati, intelligerétne Pontifex, Patrum voluntatem certiùs explorandam per rogata in publicis conuentibus suffragia, quod ipsi præoptabant, & vnicam fore cautionis rationem arbitrabantur: sed cum prænoscerent, Cæsarianos huic suffragationi acerrimè obluctaturos, dilucida Pontificis iussa postulabant; quem plenè rem per literas docuere. Quod ad Episcoporum vel discessum impediendum vel reditum curandum spectabat, proposuerunt, præterquam quod id re consequi perarduum foret, opportunius videri, si permitteretur, vt experientia ipsa Cæsari cunctisque mortalibus translationis necessitatem palam faceret. At Pontifex nec primum admisit, quò omnem offensionem Cæsarianorum euitaret, dum ad concorditer cum iis agendum cunctabatur; nec alterum reuocauit, quòd nollet patefactam translationis necessitatem, sibi dissolutionis periculo constituram. Quapropter Legatos iussit cohortari Patres, & ad moram compellere: cunctos tamen certiores redderent, consilium non esse Pontificis, eos ibi diutius inuitos detineri; sed eam cunctationem expeti, quò res quàm maximè posset in Religionis commodum cederet, & ne suscepti labores sumptusque deperderentur.

4 Præsides itaque certos etiam [a] nuntios ad Episcopos per finitima loca dispersos miserunt, qui ad reditum inuitarent: quamobrem nonnulli reuersi. Sed paulò pòst ex Farnesianis literis compertum est, [b] à Cæsare clausis auribus translationem respui. Aiebat, Id si fieret, perditum iri quidquid ipse conatus fuerat in multis Lutheranorum adducendis, vt se Concilio subderent. Vbi etiam in puluerem redigerentur armorum vi Saxo & Lantgrauius, eorum vrbes, aliorumque plurium Germanorum Principum ac Dynastarum, permansuras hæreticis confertas, quibus satisfaciendum supererat. Ipsos Catholicos eo intempestiuo motu perspecto, in suspicionem

[a] Literæ Legatorum ad Sfortiam, 1. Septemb. 1546.
[b] Literæ Farnesij ad Pontificem Ingolstadio, 30. Augusti; & aliæ Veralli Nuntij ad Legatos, eâdem die.

1546. prolapsuros, cùm ea Synodus tot Comitiorum suffragio Tridentum conuenerit: Germanorum ingenia, vel maximè suspiciosa, existimatura id actum haud fide sincerâ, sed simulatione conditâ. Sibi animi satis esse ad continendos Tridenti suæ ditionis Episcopos, modò potestas à Pontifice fieret eorum prouentus apud se retinendi: proinde sibi persuadere non posse, cur idem cum reliquis agere Pontifici non liceret. Haud se volente Madruccium imperiosiùs egisse, nec se mandante Patres Legatosque minaciter obiurgatos, quod priùs etiam Romæ significatum fuerat; [a] idque sibi displicere: sed posse imposterum adhiberi remedium, causâ publicâ minimè præcipitatâ. Et quamquam his rationibus valida Legatus opposuisset responsa, tamen irrita defluebant. Etenim Cæsar, tam pio molimini intentis animis, haud sibi persuadere poterat ceu absolutè conducibile, quod rei sibi propositæ non conduceret. Quamobrem scripsit ad Legatos Farnesius, vt moram aliquam interponerent; & Augustanus Cardinalis cum iisdem acerbè conquestus est, [b] quòd, cùm propè adesset opportunitas componendæ Germaniæ, & hæreticos ad obsequium Concilij adducendi, festinarent per eam leuem præcipitemque mutationem cuncta peruertere.

[a] Literæ Sfortiæ ad Ceruinum, 4. Octobris 1546.

[b] Eius Literæ ad Legatos, 31. Augusti 1546.

5 Tum Legati, ne collatam priùs operam perderent, [c] cepere consilium conficiendi Decreti de Iustificatione, simulque de Episcoporum in suis Sedibus mansione, vt posteà Sessio haberetur præscripto die ad Octobris dimidium; quo tempore belli euentus clariùs ostenderet, quonam loco futura Sessio indicenda. Etenim Patres Pontifici [d] denuntiauerant, Præoptare se suis Sedibus deturbari, quàm diutiùs Tridenti subsistere cum periculo, ne confecto mox prælio, à Lutheranis abducerentur captiui. Atque vtut res cederet, Legati libere constanterque professi sunt, se iam impares esse ad operam ibi diutiùs nauandam, ob causas sæpiùs iteratas; præsertim verò, vt aiebant, ob conscientiæ morsus. At Pontifex intereà tergiuersari, Legatosque admonere, cum Episcopis ita præstò essent, vt in dies liceret capi consilium aliò Synodi deportandæ.

[c] Literæ Legatorum ad Sfortiam, 10. Septembris 1546.

[d] Literæ Legatorum ad Farnesium, 20. Sept.

6 Noua tamen de loco difficultas insurgebat. Etenim Franciscus Galliæ Rex [e] nulli vrbium assensurus erat, quæ penderet à Cæsare; & Auenionem sibi probari indicauerat, spe datâ, eò Lutheranos adductum iri: sed ea spes firmior haud censebatur, quàm quæ de iisdem fiebat à Cæsare, vbi Concilium Tridenti perduraret: mos quippe hominum, ac potissimè Principum est, in agendis negotiis rerum futurarum conditionem pro arbitratu sibi fingere; simulque

[e] Literæ Maffeij ad Ceruinum, 19. Sept. 1546.

pro

pro certo sumere, iis omnia ex voto prosperè casura, qui in præsen- 1546.
tia ipsorum votis obsequantur.

CAPVT XI.

Expenditur Seripandi opinio de Iustificatione, affirmantis, præter infusam iustitiam ac merita Christi, opus esse, homini Christi iustitiam imputari, vt apud Dei Tribunal illi salus adiudicetur.

1 EA de migratione consilia, Legatorum sedulitatem, vt assolet, nihil minuerant in expendendis dogmatum argumentis: cùm optimè intelligerent, ad rem benè gerendam, æquè ac ad fabricam nauiter exrruendam, opus esse, sibi quodammodò persuadere, ibidem vbi degitur semper commorandum. At mihi quidem, narrationem huiusce temporis apud Suauem legenti, licet citra omnem amplificationem affirmare, videri mihi alterius cuiuspiam Concilij historiam legere; vsque adeò rerum conditiones ab eo asseueranter enarratæ distant ab iis, quæ tunc Tridentino contigere. Vt à patentioribus ac solidioribus ordiar, ne minima quidem ab eo fit mentio de exorto inter Montanum, Pacecum & Madruccium iurgio, in cunctis huius Concilij monumentis luculenter descripto; adeò vt planè ignoret quæ inde posteà consecuta & agitata fuerint de Synodo transferenda: hinc est, quòd huiusmodi notitiâ destitutus, semper hic errabundo gradiatur vestigio, & commentitia effutiat.

2 Dicit prætereà, 25. Augusti euulgatum Tridenti Iubileum, atque ad eius functiones obeundas, Cœtus publicos quindecim dierum spatio intermissos. Sed neque Iubileum eo die promulgatum est, cùm prima ad ipsum consequendum supplicatio * 19. Augusti habita fuerit; nec vmquam eo mense quindecim continentes dies absque generali Conuentu prætererint.

* In Diario Massarelli in Actis.

Affirmat, A Legatis de industria Decreti absolutionem protractam, iniectis disputationibus inter aduersantium classium Theologos, ne ad celebrandam Sessionem deueniretur: & quoniam ad agendum per eam simulationem, ineptum videbatur apertum ingenium primi Legati, eam curam à Ceruino in se receptam, quippe animi magis obtrecti. Prætermitto mordacitatem in huiusmodi virum, cuius integritas vel ab hæreticis legitur commendata; & nequitiam hominis, quâ per violentiam liuoris contendit è gloria vitu-

1546. vituperationem elicere, agnoscens ceu causam tam egregiæ administrationis, quâ Ceruinus suum munus expleuit, non doctrinam, non solertiam, non patientiam, non animi intentionem, sed calliditatem & fraudem. Hæc omnia prætereo. Detur illi id quod minùs etiam est probabile coniectare, vbi hoc magis sit vituperabile: at concedi nullo pacto poterit, vt res gestas enarret aduersus quàm gestæ sint, prout audacter hîc agit. Si fortuitò Suauis ea scripsit, monumentis minimè perlustratis, nimis temerarius; si perlectis, multò nequior habendus est: nam ex cunctis congregationum Actis, cunctisque literis Legatorum ad Sfortiam Cardinalem, * ad Nuntium in Gallia, & ad alios illustres viros, nihil euidentius constat, quàm illorum solicita festinatio huiusce Decreti conficiendi, conuocandæque Sessionis; & eorumdem querela in Cæsarianos, quòd datâ operâ nouas moras interiicerent; vt qui animaduertebant, huiusmodi Decreto perfecto viam sibi obstrui, ne vnquam cum Lutheranis Religionis concordiam componerent, nisi doctrinæ suæ palinodiam isti canerent. Quin adnotatum à Massarello compertio, * semel à se detectam quorumdam Episcoporum conspirationem, ne Decretum confirmaretur, quod Legati solicitabant.

* Literæ Ceruini, 10. Octob.

* 16. Septembris.

Iam verò quoniam Iustificationis dogma tessera quodammodò erat, quâ Catholici ab hæreticis discernebantur, & radix, vnde veluti quidam rami reliqua seu vera seu falsa dogmata pullulabant, cuiusque gratiâ, vtpote rei grauissimæ, Cæsariani cunctationem promouebant, eamque cohonestabant; incredibile planè est, quàm accuratè, quàm subtiliter, quàm assiduè quæuis vocula perpensa ac discussa fuerit in congressibus priùs Theologorum qui consilium, ac deinde Patrum qui sententiam proferebant. Vnde si ea omnia hîc recenserem, peculiare sanè volumen ex ipsis conflatum huic historiæ adiicerem. Iuuat tamen consuetâ mihi viâ pergere, quâ neque quidquam memoriâ dignum prætergrediar, attingendæ metæ impatienter cupidus; neque quidquam minùs memorabile prosequar, ostentandæ notitiæ intemperanter auidus. Atqui in iis solis quæ adducam, tantum intererit inter me ac Suauem, vt de eodem Concilio, iisdemque temporibus nos ambos scribere, vix credibile futurum sit. Sed hæc inter nos discrepantia, mira non accidet cuicumque consideranti, illum ex commento liuoris, me ex vero prototypo pingere, ac ne minimam quidem narratiunculam proferre, quàm non profitear legitimis monumentis comprobare. 3

Nec inutile, opinor, nec ingratum erit, cognoscere opiniones Seripandi; qui postquam hæc insignia Decreta ad eorum normam concin- 4

concinnauerat, post plurimam disputationem adeò illa permutata comperit, vt pro suis non agnosceret. Suprà narrauimus, à Seripando huiusmodi Fidem astrui, cui esset iustificatio tribuenda, non modò tamquam illius principio, sed tamquam causæ certissimæ, affirmante, per talem Fidem in Redemptorem eiusdem Redemptoris merita nobis applicari: tum Caietanum ad eam sententiam fulciendam aduocabat. Duplicem posteà iustitiam statuebat. Partem quidem nobis intimam, quam pariter bifariàm diuidebat: ex his aiebat alteram ab initio efficere, vt à statu peccatorum gradum faciamus ad statum filiorum Dei; * & hanc existimabat ille nobis donari cum gratia per Sacramentum infusa, seu id re seu voto suscipiatur: partem alteram esse, quâ dicitur homo iuste viuere; & hanc collocabat in actibus virtutum ab eadem gratia productis. Secundam iustitiam extra nos sitam volebat; nempe iustitiam ac merita Redemptoris, quæ ex Diuina commiseratione nobis imputentur quasi nostra; non quidem integra, sed secundùm eum gradum, & ad ea efficienda, quæ Deo placuissent. 1546.

* In sententia quam dixit 13. Iulij, & in suis monumentis.

5 Primam iustitiam, secundùm vtramque partem, absque alterâ imperfectam aiebat, nec satis esse vt per eam æterna gaudia consequamur; tum quia ceu pannus menstruatæ nostris quotidianis labibus fœdatur, tum quia, quantum attinet ad infusam gratiam, nulla creatæ dotis qualitas perfectè dignos Diuinâ visione nos efficit: & quantum ad opera, *Non sunt condignæ*, vt ait Apostolus, *passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hinc ille deducebat, quo pacto verum esset illud effatum, Iustificationem esse per Fidem, non per opera. Dicebat enim: Si sermo sit de prima Iustificatione, quæ transitus quidam est ex inimicorum conditione ad filiorum Dei statum; eam operum præmium nequaquam esse, sed puram Redemptoris misericordiam, à Fide nobis impetratam, non autem per pœnitentiæ meritum tributam, tametsi hæc pœnitentia exigatur: siquidem pœnitentia Iustificationem antecedens, cùm sit opus ab inimico Dei profectum, quidquam promereri non valet; ea verò pœnitentia, quæ subsequitur, iam reperit deletum peccatum, adeoque æternum supplicium remissum. Si Iustificatio consideretur secundùm alteram significationem, prout ea hominis iusti vita est, verè ad ipsam opera exigi; ac proinde dixisse Apostolum, in Christo Iesu valere *Fidem quæ per dilectionem operatur:* tamen huiusmodi iustitiam solis operibus non tribui, sed simul Fidei, quatenus opera, quantumuis necessaria, haud satis forent, nisi per Fidem applicaretur Christi Iustitia, quâ quod nobis

1546. desit, expletur. Cùm autem Catharinus multa tunc errata Lutheranorum collegisset, quibus ea sententia consonare videbatur; professus est Seripandus, errata illa se detestari: nihil cum ipsis opinionem suam consentire: sed par non esse, ex horrore totius Lutheranæ doctrinæ, damnare simul sententiam, quam pro eo ac ipse rebatur, spectatissimi Lutheranorum oppugnatores propugnabant, cuiusmodi erant Caietanus, Pighius, Flugius, & Gropperus.

Hanc dissertationem locupletauit Seripandus doctrinâ plurimâ, 6
è sacris Literis Patribusque decerptâ: quod vel per se solum satis esset ad redarguendam Suauis leuitatem, cùm scribit, numquam deuentum esse ad rei cardinem, nimirum ad peruestigandum, An priùs homo Iustificationem excipiat, ac posteà iustè operetur; an post opera iusta ipsa Iustificatio succedat. Præterea, an id Synodus non definit? dum hinc docet, Iustitiam gratis nobis donari, propterea quòd nihil eorum quæ priùs egimus, illam promeretur; adeoque perfectam iustitiam excludit ab operibus, habitum infusæ gratiæ, quâ iustus homo redditur, antecedentibus: & dum hinc statuit, ante Iustificationem exigi quosdam actus honestos ex parte nostra; adeoque admittit, posse ac debere aliquid honesti ab homine agi ope gratiæ præuenientis ante infusam iustitiam?

Peraccuratum igitur studium huic articulo, operaque diligentissima impensa, An qui ad Dei Tribunal se sistit cum iustitia infusa, 7
& cum meritis vi illius comparatis, satis virium obtineat ad salutem consequendam; an præter hæc necesse sit, vt illi Christi Iustitia imputetur. Equidem quàm plurima inspexi * autographa sententiarum, quas in ea quæstione illi Theologi protulere. Quinque dumtaxat Seripandum secuti: hi fuerunt tres ex eadem S. Augustini Familia, Antonius Solitius Hispanus Doctor, & Laurentius Mazochius ex Ordine Seruorum B. Mariæ. Præter eos Vincentius Legionensis Carmelita contrariam quidem cum plerisque opinionem habuit de iis iustis hominibus, qui post Christi mortem obiere; sed cum illis quinque consensit de iustis anteà demortuis, hoc est, eo tempore, quo satis illis non erat gratia interior ad cælum adeundum, sed oportebat eos nouâ ex Christi cruciatibus ope iuuari.

* Extant in Bibliotheca Barberinorum.

Multi cum Richardo Cenomano ex Minoribus Obseruantibus 8
considerabant duo causarum genera: Alias, quæ gignunt effectum ipsis posteà non indigentem vt conseruetur, qualis est filius à patre iam genitus: alias, quarum effecta non minùs à causa pendent dum conseruantur, quàm dum generantur; quo pacto radius à Sole de-

le dependet. Hac posteriore ratione nos à Deo pendere, tum spectatâ naturâ, quæ nos extrahit è nihilo, tum spectatâ gratiâ, quæ nos regenerat, & extrahit è peccato, quod alterum & deterius nihilum est. Hoc posito, duas in nobis Iustitias non inesse, alteram intrinsecùs, alteram extrinsecùs, eò quòd Christi merita imputentur: sed interiorem nobis iustitiam & à Christi meritis effici, & ab ipsis quouis temporis momento pendere; & nisi eorum vi conseruaretur, illicò defecturam. Atque ita nobis Diuinum Tribunal adeuntibus, esse confidendum Christi Iustitiæ, non quidem ceu iustitiæ quæ vacuitatem nostræ iustitiæ interioris suppleat; sed tamquam causæ efficienti, ac neutiquam pendenti à nostra interiùs inhærente iustitia, quæ causa formalis est quâ iusti sumus. Et quamquam existimarent quidam, iustitiam ipsam, actionesque ab ea genitas, si absolutè ipsarum natura spectetur, ius nobis ad æternam felicitatem haud impertiri, eamque posse à Deo denegari homini illis dotibus prædito; affirmarunt tamen, id negari non posse posito iam respectu, quo ipsa gratia actusque ab ea profecti conneċtuntur cum acceptatione ac promissione Diuina nobis exhibita ob merita Redemptoris, per quam Deus promisit, habiturum se pro amico filioque adoptiuo hominem huiusmodi donis ornatum. Cùm igitur Fides sit, quæ per firmissimam veritatem, intimamque ipsius naturam certos nos reddit huiusce promissionis acceptationisque Diuinæ, ob Christi merita nobis concessæ; idcircò dicebant aliqui, In nostra iustitia præter gratiam & opera, Fidem etiam inuolui, quâ positâ & intimum & efficacissimum ius nobis inest, vt tamquam iusti accipiamur, & à Deo gloriâ sempiternâ donemur. 1546.

9 Concedebant omnes, gratiam redemptis per Iesu Christi merita impertitam, & huiusce rei causâ debere nos illis plenè confidere; nostram verò iustitiam, Christi Iustitiam esse appellandam. Omnes quoque, præter eos quos diximus, consentiebant, vtcumque res habeat, siue gratia infusa, quæ nobis per Christum donatur, suapte naturâ obtineat vt sit adoptiua Dei filiatio, ac forma iustificans; siue id habeat ob distinctum respectum, quo ipsa respiciat Diuinam acceptationem, ex Redemptoris promerito nobis præbitam; ab ipsa certe nobis perfectè applicari Christi merita: adeoque non esse in nobis duas iustitias, quas Seripandus volebat, alteram imperfectam nobisque inhærentem, alteram perfectam & exteriorem; sed potiùs eam, quæ intus inest, esse communicationem quamdam, possessionem atque effectum exterioris. Quemadmodum quamuis *esse* nostræ naturæ, sit *esse* Dei, sicut loquitur S. Dionysius, quem secutus

1546. cutus est Ægidius Romanus, illius Scholæ Princeps vnde prodiit Seripandus; non idcircò hoc *esse* nostræ naturæ duplex est, alterum nobis intimum & impotens nos à nihilo formaliter, vt loquuntur Scholæ, secernere; alterum exterius, & in Deo situm, quod nobis formaliter communicet id quo nostrum *esse* interius caret: sed *esse* nostrum interius, est quædam communicatio *esse* Diuini, per quamdam eminentiam illud continentis ac procreantis. Inter eos qui studium stylumque huic disputationi adhibuere, Iacobus Lainius excelluit, qui ad refellendam opinionem Seripandi, commentarium verius quam sententiæ summam scripsit, in quo vniuersum de Iustificatione negotium simul perpendit; tantoque in pretio fuit, vt verbatim in Acta legitima relatus sit.

Atque vt hîc mihi liceat tam celebri in sapientissimo consessu 10 quæstioni aliquid, quod ipse sentiam, interponere in gratiam partis Concilio magis probatæ; & ne in hoc ipso Suauem imiter sua sensa fictis auctorum nominibus personata promentem, ita disputo: Si essent duæ iustitiæ inter se diuersæ, quarum altera nobis intima, per se non sufficeret ad extrahendum hominem à statu peccatoris, eam sanè propriè iustitiam appellari non posse: quâ planè ratione forma, minime potens id in quo inest calidum reddere, calor nuncupari non posset. Quînam poterat illa nos dealbare quasi nix, etsi priùs rubri quasi vermiculus fuissemus, vt loquuntur Scripturæ, cùm pro certo habeamus, nostrum ruborem semper nobis inhærere, vbi nullus superueniat candor, quo ille deleatur? Quo pacto sacra Cantica vere concinerent ea quæ legimus de pulchritudine animæ Deo gratæ, ac de cælestis Sponsi amore, ob huiusmodi decorem; vbi semper verum esset, nos, spectatis omnibus quæ nobis insunt, fœdos ac deformes esse; tametsi vellet adhuc Deus nos excipere ceu mundos ac formosos, in gratiam Redemptoris, simulque, dum ita nos habet, eas nobis dotes impertiri vellet, quæ tamen ipsæ per se neque dignitatem neque pulchritudinem nobis afferrent, sed in pristina indignitate ac fœditate hominum peccatorum nos relinquerent?

Quod verò spectat ad quotidianas vitæ labeculas, quibus infusa 11 nobis iustitia contaminatur: hæ quidem, vt obseruauit S. Thomas, animæ iustæ pulchritudinem, quæ supra naturam est, haudquaquam deturpant, sed æquiparantur pulueri, quo vultus decorus inspergitur; vnde neque lineamenta neque colores corrumpuntur, sed minus nitidus ille redditur, minusque gratus spectantibus, donec detergatur. Ceterùm huiusmodi labeculæ nec in horas sin-

gulas

gulas iustos omnes inficiunt, præsertim pueros; neque cùm adsunt, 1546.
merentur suapte naturâ Diuinam auersationem, aliámve pœnam præter temporariam: quam pœnam recipiunt, etiamsi Christi iustitia ipsis imputetur. Adeoq; ex Christi iustitia non euadimus melioris cōditionis compotes coram Deo, quàm ex vi illorum donorum intimè inhærentium, quæ ab illa & per illam nobis communicantur.

12 Ad res Tridentinas redeamus. In memorata disputatione duo mihi admirationem pariunt: Alterum, quàm acri studio, accuratisque lucubrationibus hic articulus perpensus fuerit. Ad id Seripandi auctoritas reliquos stimulauit; qui nimis ægrè ferebat, suum huiusmodi inuentum deserere, quasi filium quem vndique oppugnatum videret. Liquet tamen ex multis eius defensionibus, scripto deinceps editis, ipsum per nouas interpretationes exceptionesque, more militis veterani ab aduersariis pressi, retrocedere quidem, sed fronte semper aduersâ. Alterum quod admiror est, Suauem, qui minutissimam diuersarum sententiarum narrationem ostentat super hoc Iustificationis capite, de tam publica, tam feruida, tam prolixa disceptatione, profundo obuolui silentio. Sed veræ narrationis inopiam compensat, confictis plurimis quæ non euenere.

CAPVT XII.

Disputatio, quænam certa fiducia haberi possit in hac vita de suscepta gratia.

1 NOn tamen inter confictas ab eo narrationes habenda sunt, quæ narrat exagitata de certa per Fidem susceptæ gratiæ scientia, quæ possit hac in vita obtineri. Iam ostendimus in Cœtu 17. Augusti habito, cunctos aduersus Lutherum pernegasse, ab huiusmodi certa fiducia Redemptoris merita nobis admoueri, iustosque nos reddi. Negabant pariter, eam esse homini iusto necessariam; quod affirmat Coloniensis quidam libellus, Buceri afflatu conceptus. Pius tamen, Franciscanorum summus Moderator, affirmabat, auctore, vt ipse rebatur, Scoto, eam fiduciam in quibusdam conditionibus haberi posse. Alij hoc tamquam falsum constanter repudiabant: vnde volebant Legati ad aliarum doctrinarum examen progredi; at Pacecus, & cum eo complures, sicuti memorauimus, institere, vt res subtiliori examini subiiceretur.

2 Et initio quidem in minorum Theologorum congressibus plerique cum Pio concordes differuerunt. Sed veritas imitatur flumina, quæ in progressu semper augescunt: & ita sententia sub initium mi-

1546. nùs accepta, euasit denique & Concilio magis probata, & post Concilium vniuersè suscepta. In eo præcipue illa nitebatur, quòd vnusquisque Christianorum, vbi ætatem rationis compotem attingit, noxam saltem Originalem à se contractam agnoscit: quo posito, nullus ipsi patet aditus ad certò pernoscendum, eam sibi fuisse remissam, nisi diuinitus hoc ipsum Deus reuelet. Id ex eo probatur, quòd huiusmodi certa cognitio ex naturæ lumine haberi euidenter nequit, vt patet; nec ex manifestis sacrarum Literarum effatis, cùm in ipsis nusquam affirmetur, quemquam nostrûm nunc Diuinâ gratiâ præditum esse: nec ex Conciliorum, & Ecclesiæ definitionibus, quippe quæ de nullo viuentium id definiuit. Superesset itaque vnicus modus, per eam videlicet certam cognitionem, quæ deducitur ex duabus positionibus, quarum alteram Deus diserte reuelaret, altera naturæ lumine euidenter pateret; exempli causâ, Mihi certum est, me in Adamo peccasse, quia id mihi de cunctis hominibus reuelat Fides; & constat naturæ lumine, me hominem esse: sed ne hac quidem ratione certam hanc nostræ iustitiæ notitiam possumus obtinere; Fides enim tria Iustificationis genera nos docet.

Alia fit per Sacramentum, dicente Christo de Baptismate: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* & de Pœnitentia: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Sed cùm ad Baptismi efficacitatem necessaria sit intentio ministri, quæ interior animi actus est; nulli hominum præter ipsum tanta illius actus euidentia inesse potest, quanta satis sit, vt id iuratus affirmet. 3

Alia per martyrium, ex illo Christi dicto: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* At martyrium non nisi morte perficitur; igitur qui viuit, certus esse non potest gratiæ sibi ex vi martyrij collatæ.

Tertium genus, quòd per Fidem etiam scimus, est ex amore Dei super omnia, & perfecto dolore, quem contritionem perfectam nominant, secundùm ea effata: *Ego diligentes me diligo: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* At in primis, quisnam certò nouerit, à se super omnia Deum diligi? se ex illius amore super omnia mala peccatum detestari? Præterea quidam, vt hic amor ac detestatio extra Sacramentum efficaciter operentur, exigunt complures conditiones, ac præcipuè quamdam certam actus intentionem, de qua nemini euidenter constare potest.

Hic Suauis, dum vtriusque partis rationes recenset, conatur de more sic eas proponere, vt illæ præfulgeant, quæ fauent sententiæ 4
hanc

hanc certam notitiam affirmanti, non modò in quibusdam peculiaribus conditionibus, sed communiter in omnibus iustis; quæ sententia sic vniuersè explicata proculdubiò Catholica non est: contrarias verò rationes occultat. Quare argumenta à me prolata, & quæ in suis scriptis sententiis adducebantur à Richardo Cenomano, Bartholomæo Miranda, & ab aliis, tacitus prætermittit. Simili silentio itidem obruit sanctorum Patrum testimonia: quin de ipsis ait; Cùm eorum effata in vtramque partem inclinarent, satis fuisse compertum, eos ex accidente locutos, nunc vt religiosioribus animos adderent, nunc vt demerent audentioribus. At paulisper sistamus. 1546.

5 Fas quidem esse potest, ad timidiores animandos, pronuntiare, homini dubitandum non esse de suarum remissione culparum, post adhibitam à se, quà opus erat, diligentiam; haud inquam dubitandum eâ dubitatione, quæ animum torqueat, operationemque præpediat: ex quo si quis etiam argumentum fortasse deduceret maioris fiduciæ, quàm ipsa res postulet, parum tandem oriretur incommodi: nefas tamen omnino esset docere, hac in dubitatione perpetuò vitam agendam, vbi è contrario verum esset, semel imò semper ea de re per Fidem nos certos reddi; hinc enim ansa præberetur persuasioni Fidem lædenti, adeoque inter crimina vtique nocentissimæ. Et tamen Patres hanc incertam rei notitiam vniuersè ponunt. Duos ex innumeris hîc producam. S. Augustinus Homil. 35. hæc habet: *Quamdiu viuimus hîc, de nobis ipsis iudicare non possumus; non dico quid cras erimus, sed quid hodie simus.* Pleniùs S. Gregorius * in responsione ad Gregoriam Augustæ Cubiculariam, cupientem, vt per ipsum diuinitus admonitum, suas sibi condonatas à Deo noxas cognosceret, ita respondet: *Rem & difficilem & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis: quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere debes, atque ea quotidianis fletibus lauare.*

* Epist. 22. lib. 6.

6 Suauis per inductas à se expositæ opinionis assertiones dicit: Quoties in Euangelio legitur remissa à Christo peccata, toties pariter legi, ab eodem dictum: *Confide, quia sunt tibi remissa peccata,* vel aliquid huiusmodi. Igitur, arguit ille, ex eo quòd hæc certa cognitio concedatur, nulla superbiæ præbetur occasio, vt propterea ad eam amoliendam incertus viuere vnusquisque debeat, vt aduersarij conficiebant. Bellè profectò! Ac primò quidem neutiquam affirmatur,

1546. matur, inde argumentum superbiæ nobis per se porrigi: id namque pro portione contingeret in quibusuis à Deo collatis in nos beneficiis; adeoque per huiusmodi rationem colligeretur, eorum omnium ignoratione nobis opus esse: sed affirmatur, per eam fidei firmitudinem nos desides euasuros ac languidos ad honesta pœnitentiæ opera exercenda, quæ nobis adiumento sunt, tum quò futuras noxas euitemus, tum quò nostra merita promoueamus. Præterea num Christo potestas deerat, simul elargiendi solatia huiusce securitatis iis quibuscum ipse præsens agere dignatus est, simulque huiusce dulcoris condiendi tam valido gratiæ præmunientis antidoto, vt is nec arrogantiâ nec desidiâ corrumperetur. Sed Diuinæ prouidentiæ pro his rerum conditionibus haud congruum fuit, hæc priuilegia in hominum communitatem profundere: alioquin ea, quæ Christus in Magdalenam, in pium Latronem, & alios huiusmodi diuinitus tribuit, fuissent vniuerso humano generi communicanda.

Pergit arguere: Nos à sacris Literis compelli ad agendas Deo 7
grates ob acceptam veniam: *futurum autem ineptissimum, planeq; arrogantem auditurum hominem, qui de eo grates persoluat, quod datum sibi necne fuerit ignorat.* Si per eam vocem, *ignorat*, significatur, magnum argumentum ei non suppetere, vt id pro vero habeatur, conceditur assertio; sed rei propositæ non quadrat. Sin autem significatur, non obtineri ab eo notitiam, quæ falli non possit, in qua significatione aptè quadraret; falsa est & risu excipienda. Quid? An fortè gratias Principi non debeam agere, vbi illius administer beneficij ab eo in me collati me admonuerit? & tamen administer ille mentiri poterat; sed non idcircò mea gratiarum actio *ineptissima erit, nec ego arrogans auditurus.* Paterfamilias nónne quotidie Deo grates agit, quòd ille suos liberos incolumes seruet, ac rem familiarem sospitet? Et nihilominùs quînam ille extra omnem erroris aleam certò scit, eo temporis momento liberos viuere, nec impetu repentinæ mortis extinctos esse; & rem familiarem manere sospitem, nec alluuione aliquâ, alióve inopino infortunio esse deperditam? Cùm vel acceptæ dignitatis, vel reportatæ victoriæ nuntius cuiquam affertur, an non laudabile, consuetumque pietatis specimen is exhibeat, si extemplò Deo gratias fateatur, tametsi certus omnino de nuntij veracitate non sit, & interdum contingat eum deprehendi mendacem? Quî fieri poterat, vt odium in Concilium exæstuans adeò Suauem perstringeret, hominem alioquin ingenio præditum, vt hæc tam manifestò vera non senserit? Quînam in mentem non inci-

incideret, cùm hæc mortalium vita non serenum euidentiæ cælum, 1546.
sed caliginosam opinionis vallem imitaretur, inductum fuisse vocabulum in Scholas, *Certitudinis moralis*, hoc est cognitionis haud quidem reuerà omnino certæ, sed huiusmodi, quæ, cùm humanis in rebus certior haberi nequeat, respectu rationis moralis, hoc est morum, nobis sufficiat ad prudenter agendum, perinde ac si esset omnino & absolutissimè certa? Quicumque verò aliter ageret, næ ille ineptissimus planeque arrogans dicendus esset.

8 Ad eam notitiæ firmitatem fulciendam varia congerit Suauis sacrorum Voluminum effata, variasque responsiones ad testimonia ex aduerso producta; perperàm oblitus, quàm illis dilucide responsum, quàm hæc strenuè impugnata fuerint, non, à Polemicis inquam scriptoribus, ac præcipuè à * Bellarmino, sed ab iis qui tunc in Concilio de illis scripserunt; inter quos disputatio Richardi Cenomani, quæcumque obiecta fuerant, eruditâ perspicuitate dissoluit. Nec mihi lubet hîc longius versari in doctrinis adeò notis repetendis: quædam tantummodò Suauis menda facto aduersantia indicabo.

* Lib. 3. de Iustificatione cap. 9.

Semper ille ad eleuandam Scholasticorum auctoritatem intentus, quò telorum aciem obtunderet, factionem suam fortiùs petentium, refert, ab aduersariis conclamatum, Haud laborandum quid Scholastici sentiant, vt qui philosophicis vtantur rationibus ad ferendum de Mysteriis Diuinis iudicium, sed imbecillis. Quo pacto id conclamare illi poterant, cùm Suauis ipse affirmarit, Carmelitas ibi eam sententiam secutos ob auctoritatem Ioannis Bacconis in illorum schola Principis? Quo pacto, si idem egerat Generalis Franciscanorum Minister ad Scotum tuendum? Quînam, si Catharinus ad suam opinionem comprobandam producebat Alexandrum Alensem, * & complures alios è Scholasticis?

* In responsione ad Apologiam Soti.

9 Sed aliud Suauis mendacium risu planè excipiendum, vbi explicat quonam sensu Decretum interpretati sint, & quo pacto pars vtraque illi consenserit. Forma Decreti erat: Nemini posse eam inesse certam fiduciam de suscepta gratia, per eam fidei firmitatem, cui falsum subesse non possit. Refert Suauis, assensum illi fuisse Catharinum, eiusque opinionis asseclas, eò quòd, qui gratiam obtinet, potest eam amittere; adeoque illi fidei potest subesse falsitas, cùm possit contingere, vt ea enuntiatio quæ nunc fide creditur, euadat falsa. Quid hoc rei est, vt homo eruditus, cuiusmodi Suauis erat, & qui lectam à se Catharini Apologiam ostentat, in tam pueriles ineptias prolapsus fuerit? Igitur articulo Symboli, per quem credi-

1546. mus Christum ad iudicandos viuos & mortuos venturum, potest subesse falsum; quia cùm Christus reipsâ ad iudicium veniet, tunc non ampliùs vere dicetur ipsum venturum. Igitur articulo quo antiqui Patres, ac Beatissima Virgo credebant Messiam oriturum, poterat subesse falsum; quia iam tempus aduenit, cùm id amplius verum non erat, & cùm ipsa Virgo Fide credidit, natum esse Messiam. Ergo iis, quæ affirmauit quicumque e Canonicis Scriptoribus, exempli gratiâ S. Paulus de se ipso, ac de conditionibus illius ætatis, potest subesse falsitas, quia nunc nihil eorum amplius verum est. Quis adolescens libros Aristotelis de interpretatione leuiter edoctus, nesciat, cùm assertio certo tempori adnectitur, non posse ex vera in falsam mutari? quoniam si referatur ad illud idem tempus, verum esse nequit, rem ab ea significatam simul fuisse & non fuisse: quod si enuntiatio referretur ad aliud tempus, iam non esset eadem enuntiatio, quippe quæ rem aliam affirmaret. Nemini itaque venit in mentem significatio tam inepta. Æquiorem sanè mereretur excusationem Suauis, si fassus fuisset, minùs à se perceptam subtiliorem interpretationem illius Decreti, allatam à Catharino, vtpote sententiæ suæ minimè repugnantis: neque enim ab aliis doctissimis viris fuit intellecta, & ab ipso obscuriùs indicata. Quod illi carò constitit, plerisque existimantibus, ipsius opinionem Synodi damnatione comprehensam. Equidem conabor exponere, quâ licebit claritate, ea quæ quantum arbitror Catharinus partim dixit, partim dicere intendit.

Geminam ille Fidem distinguebat; alteram Catholicam, hoc 10
est Vniuersalem, & articulos ab Ecclesia firmatos complectentem: & rebus ab hac Fide creditis dicebat non posse falsum subesse; non quòd res illæ suapte naturâ veritatem necessariam traherent, cùm ex ipsis quædam potuissent aliter contingere, qualis fuit perditio Iudæ, Petri negatio, & aliæ innumerabiles: nec solùm quia fieri non possit vt res quam Deus effatur, posito Diuino effatu falsitati subiaceat, cùm & hæc ratio, & immunitas falsitatis, communis sit rebus omnibus, quæ per actus Fidei infusæ credi possunt: sed ob peculiarem rationem; nimirum quia signa à Deo exhibita promissionis suæ, quâ se certò adfuturum Ecclesiæ promisit, huiusmodi sunt, vt suam omnipotentem vim in hæc signa neutiquam potuerit impendere, si hæc promissio verè à se facta non esset, adeoque si posset Ecclesia decipi. Quapropter necessaria planè est minimeque contingens huius assertionis veritas: *Vbi Ecclesia, tam conspicuis signis à Deo legitimè comprobata, quidpiam Fide credendum proponit, illud verum est.*

Alte-

11 Alterum verò Fidei genus esse posse censebat Catharinus, non pendens à sola Ecclesiæ propositione, sed profectæ vel à Deo priuatim reuelante, vel ex vniuersali Ecclesiæ pronuntiato, simulque ex peculiari quadam veritate, aliunde cognita à certo quodam homine. Exemplum sit: Docet Ecclesia, hominem quemcumque Baptismo lustratum, Originariâ noxâ liberum esse: ego experimento certò scio, hunc infantem à me Baptismo lustratum; hinc ad fide credendum adducor, hunc infantem à peccato liberum esse, accommodatâ illi peculiariter generali Ecclesiæ definitione; tametsi nihil illa de hoc vel illo infantulo singulatim explicet. Hæc porrò fides non est Catholica, nimirum cunctis fidelibus communis, quorum plurimi nesciunt, hunc infantem fuisse sacro Fonte susceptum; neque de eo vllum profert Ecclesia testimonium. Ac proinde, quamquam mihi ex euidentia morali, quam habeo suscepti ab illo Baptismatis, liceat ipsum comprehendere sub vniuersali Dei reuelantis dicto, ac velle per fidem credere, eum culpâ expiatum; tamen hoc ipsum naturâ suâ falsitati obnoxium est: quandoquidem contingere potuisset, liquorem illum, quo infantulus abluitur, quamuis aqua videretur, verè tamen succum esse aliunde expressum, Baptismati nequaquam idoneum: quod si ita foret, cùm Dei reuelantis assertio hunc infantem haud complecteretur, habitus fidei nullam vim impenderet in illum actum falsæ persuasionis, quem elicio. Idem asserebat Catharinus euenire in iis quæ priuatim reuelantur. Etenim cùm angelus tenebrarum in Angelum lucis se interdum transfiguret, accidere potest, vt ea species, quæ ad actum fidei quempiam impellat, mendax sit; adeoque huic generi fidei subesse falsitas possit: non quòd actus idem à fide infusa prouenienss possit vmquam falli, neque quòd res per eum credita falsa vmquam esse possit, vbi Deus ipsam reuelauerit; sed quia posito omni eo quo mihi persuadeo esse rem illam à Deo reuelatam, possit adhuc contingere minimè veram esse: quod articulis Fidei Catholicæ accidere numquam potest. 1546.

12 Ita sanè videtur Catharinus opinatus: ideoque ipse cum suis fautoribus nolebat, vt exciperetur in Decreto priuata reuelatio, sicut quidam volebant, & sicuti demum excepta est, * vbi damnatur certa prædestinationis notio. Cùm enim res priuatim reuelata fundet pariter fidem peculiarem, non verò Catholicam & Vniuersalem; si euentus hic exciperetur, palàm fiebat, ab ea assertione comprehendi de reliquo quodcumque Diuinæ fidei genus, adeoque Catharini sententiam proscribi. Enimuerò tametsi hanc opinatio-

* Sess. 6. cap. 12.

1546. nem falsam purem, parumque tutam ob opposita restimonia ex Scriprura, ex Parribus, ex illustrioribus Scholasticorum antiquioribus, cunctisque recenrioribus desumpta; haud tamen arbitror mentem fuisse Concilij, apertè illam damnare, nisi quatenus per veram consecutionem; sed à Catharino negatam, forrasse damnatur.

Ducor ad id præualidis coniecturis. Ab ea ordiar, quæ rempore postrema. Si ea opinio fuisset proscripta, haud sanè fuisset Catharino permissum, vr eodem persistenre Concilio, iisdem Legatis, iisdem Episcopis inspectanribus, ab eo rypis edita defenderetur. Prætereà in congressu tum 17. Augusti, rum 17. Decembris habito, sancitum fuit, hunc articulum, prour inter Catholicos disputabatur, prætermittendum: & hac de re in secundo cœtu conuenere triginra tres ex Patribus, sexdecim tantummodò contradicentibus, & sex ambigentibus. Quare verisimile non est, conspirasse paulò pòst in eam damnandam senrentiam, cui eidem in Concilio fauerant plures præclari Theologi & inrer Consiliarios & inter Iudices. Tertiò, hæc ipsa sanctio pro certa habita est in quodam Theologorum Præsulum cœtu coram Cernino 8. Ianuarij, & ad eam conficiendam quædam verborum forma proposita; Patres verò vsque ad diem posteram cogitandi spatium petiere; arque ita peractum: quocirca in Conuentu ex iisdem conflaro die 9. Ianuarij Decretum confirmatum. Cumque iam de re ipsa conuenissent, solum dubitarum est, an addendum esset nomen *Catholicæ* illi fidei, quam vniuerse damnabant in homine de propria Iustificatione: at Ceruinus monuit, stabiliendum hoc Decrerum, vt confirmaretur censura Parisiensis Academiæ de Lutheri doctrina; à Lurhero autem non affirmari eam fidem esse Catholicam & Vniuersalem, cùm inrer homines alij non innotescat, quid alius in sinu recondat; vnde per illius adiectionem vocis, errorem minimè proscribi ab ea Academia in Luthero notatum. Hinc factum est, vt loco *Catholicæ*, memorata verba proponerentur, *certitudine fidei, cui non potest subesse falsum*; quæ ab omnibus & concorditer & alacriter accepta. Iam verò quînam id fieri potuisset, si huiusmodi verborum sententia intenderet alteram ex duabus opinionibus damnare, cui tot Parres tam ardenrer patrocinari fuerant, & de qua pridie illius diei pro cerro habitum est nihil esse definiendum? Denique in ipsa Sessione, Iustificationis Decreto Patribus expòsiro, Vigerius Senogalliensis Anristes per schedulam significauit, placere sibi Decretum, dummodò in hoc articulo soli hærerici proscriberentur, cunctæque Catholicorum sentenriæ illibatæ perstarent. Quæ conditio à viro tam erudito apposita

posita nequaquam fuisset, vbi iam exploratum haberet, ex mente 1546.
Synodi Catharini opinionem damnari; sed tunc Decretum ipsum absolutè vel repudiasset, vel comprobasset: atqui cùm hinc quid intenderet Synodus, satis sciret; hinc verba sibi viderentur ambigua, & aliò facilè detorquenda ab hominibus facti ignaris, quod planè accidit, eâ contestatione vsus est.

14 Suauis vehementer hîc oblatrat in Concilium, quòd iis verbis Decreta conceperit, vt ipsius sententia eos ipsos latuerit qui interfuere, vti liquet ex altercationibus illicò excitatis inter Sotum & Catharinum de huiusmodi Decreti sententia. Sed is egregiè hallucinatur, confundens Decreti sententiam cum consecutionibus ex Decreto deductis. Sententia apud eos qui Concilio aderant, planè patebat; nimirum de propria Iustificatione fidem haberi non posse adeò certam, vt falsitati non sit obnoxia. Hinc Sotus arguebat, nullam de illa infusam fidem haberi posse, cùm cuicumque infusæ fidei eadem certi ratio insit. Etenim, differebat ille, si respiciatur vel ipsius actus fidei, vel Diuini verbi immunitas à falsitate; quæcumque fides infusa hanc immunitatem obtinet: sin exigatur amplius, vt res credita suâpte naturâ falso non sit obnoxia; id certè ne ipsa quidem Fides vniuersalis & Catholica postulat, cùm plura etiam contingentia credat.

15 Hæc argumentatio Soto, ac deinde aliis euidens videbatur: vnde Bellarminus ait, Per illud Decretum Catharini sententiam haud quidem hæreticam esse, sed erroneam; hoc est, per dilucidam consecutionem Concilio repugnantem. E diuerso Catharinus negabat huiusmodi consecutionem, ponebatque peculiari quodam modo adeò certas esse res creditas in articulis Catholicæ Fidei, vt nulli dubitationi seu falsitati subiaceant, dum nos certissimos reddunt, eos articulos à Deo fuisse reuelatos: hanc autem certi rationem à Lutheranis etiam poni in sua priuata fide; cùm illi duplicem fidem haud distinguant, nec Ecclesiam aliquam adspectabilem agnoscant, nec aliam fidem nisi priuatam. Adeò certam notitiam fatebatur Catharinus inesse homini non posse de sua Iustificatione. Aduersus hæc nihil confici, vt arbitrabatur Sotus, ex antecedentibus illius Decreti verbis; quæ dicunt, *Quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia dubitare ac timere potest.* Etenim per huiusmodi verba solùm significari, licere cuiquam dubitare, consideranti fallacias, quibus fucari possunt rationes & argumenta nobis persuadentia, vniuersalem Ecclesiæ definitionem illi peculiari rei accommodari; adeoque Christianum

1546. hominem non adigi ad martyrium subeundum, quò veritatem illam tueatur: idque satis esse Concilij proposito, hæc affirmantis ad disertè improbandam Lutheranorum doctrinam, postulantem in quouis homine iusto huiusmodi certæ fidei firmitatem de suscepta iustitia. Minimè tamen inde concludi, non licere pariter, positis iam legitimis rei credendæ argumentis, illi rei nominatim accommodare id quod Ecclesia vniuersè definit, & conari actu fidei infusæ conficere, qui toties progignetur, quoties quod proponitur reipsâ verùm erit. Quapropter Concilium per verba studiosè ambigua haud fallax fuit, quemadmodum Suauis deblaterat: sed ambiguitas in eo est, quòd alij per suas consecutiones intendunt inde conficere. Quid in se ipso luce clarius? Quid pariter in philosophantium ingeniis obscurarum incertarumque consecutionum luce fecundius?

CAPVT XIII.

Varia Suauis errata. Decreta composita de Iustificatione. Animaduersiones in prima sex eorum capita: vbi de peccato Originali, de Libertate, de Gratiæ & Charitatis habitus discrimine, ac de actu Charitatis necessario ad Iustitiam, etiam in Sacramento accipiendam.

DE Prædestinationis gratiæque efficacis articulo, varia Suauis certamina hîc comminiscitur. Et quamquam ea quæ memorat, satis ostenderent, meæ meique Ordinis opinioni potiorem Synodi partem adhæsisse; tamen libet mihi sincerè fateri, horum euentuum ne tenue quidem vestigium à me deprehensum. Sed qui rem pro sua narrat libidine, sæpe non modò quod falsum est affirmat, sed quod fieri nequit; eademque operâ & inscitiam suam depromit, & mendacij redarguitur. Duos hominis lapsus referam, alterum ex eruditionis, alterum ex intelligentiæ inopia. Quod spectat ad primum, narrat Catharinum, quò difficultates in Prædestinationis mysterio componeret, quamdam mediam sententiam excogitasse, quâ opinabatur, aliquos (exempli causâ, Beatissimam Virginem & Apostolos) electos à Deo fuisse ad æternam felicitatem, haud habitâ ratione de futuris ipsorum meritis à Deo præuisis: adeoque his, aiebat ille, liberum non fuisse in æternas pœnas incurrere; ac de iis veras esse S. Pauli ac S. Ioannis enuntiationes, totum opus de electis voluntati Diuinæ tribuentium; ceteris collatam

tam gratiam, maiorem aliis, aliis minorem, sed per quam æquè possent seu benè seu prauè agere vsque ad mortem: ex iis verò alios salutem consequi, perire alios, pro ipsorum arbitrio; & hisce omnibus, affirmabat, Diuinas exhortationes admonitionesque accommodari. 1546.

2 Mirum est, cur Suauis excogitatam à Catharino eam sententiam dicat, cuius doctrinam ante ducentos annos Guillelmus Occamus Scoti discipulus * tradiderat, & Gabriel Biel, studiosus Occami assecla, paulò ante Concilium comprobarat, insignis vterque Scholasticus. Dixi, *doctrinam sententiæ*, quòd ab illis vnicâ solùm voce Catharinus discrepauit, nomen Prædestinatorum adscribens solis prioribus, qui ex horum auctorum opinatu electi sunt absque meritorum respectu, & absque potestate damnationis subeundæ; non autem cuicumque salutem adepto.

* In primo dist. 41. q. 1.

Labitur deinde Suauis ex doctrinæ defectu, cùm explicat, quo pacto propugnatores gratiæ, quæ sit efficax per se ante præuisum à Deo creatæ libertatis vsum, declararent libertatem, damnarentque Lutheranorum articulum, dicentium, cuncta fieri à nobis ex necessitate absoluta, & quo modo celebrem distinctionem adhiberent, affirmantem in nobis necessitatem in sensu composito, sed eam in sensu diuiso negantem. Refert Suauis adductum ab illis exemplum hominis se loco mouentis; qui non potest quiescere in sensu composito, hoc est, cùm simul mouetur; sed potest in sensu diuiso, hoc est, alio tempore. Per quam distinctionem dicit Patrum animos caligine offusos, eamque ne ab ipsis quidem assertoribus satis intellectam: etenim motus ita rei mobili accidit, vt ab ea separari possit; vnde qui nunc mouetur, potest alio tempore quiescere: sed actus Diuinæ voluntatis sunt inmutabiles; adeoque eum, qui hodie à Deo destinatur ad immortalem gloriam, non posse cras non esse destinatum.

3 Malignam profectò alienæ doctrinæ nutricem agit Suauis, qui Scholasticos perosus, eorumque subtilitates, cùm eas pertractat, fœdè mutilat ac deformat. Scholastici, siue vnius siue alterius Scholæ, non dicunt (saltem si paucos excipias, minimeque probatos) illum qui mouetur, eò tunc habere libertatem ad motum, quòd possit alio tempore quiescere, cùm id lapidibus etiam commune sit, quos tamen vnusquisque fatetur necessariò moueri: & ex altera parte Deus liber est, quamuis nolle vno tempore nequeat, quod alio tempore voluit. Libertas est quædam facultas æquè potens idem eodem tempore vel agere, vel non agere: atque ita is

qui

1546. qui se mouet, dicitur se liberè mouere, quoniam in sensu diuiso, videlicet in se ipso consideratus, & non coniunctim cum motu, est æque potens vt velit se coniungere, vel non coniungere, & vt reipsâ se coniungat, vel non coniungat cum motu. At lapis dicitur moueri ex necessitate, quia si consideratur etiam in seipso, & non coniunctim cum motu, pondus aliæque conditiones adimunt illi potentiam æquè paratam ad vtrumque. Quâ deinde ratione hæc solidissima distinctio adhibeatur ad humanam libertatem indemnem seruandam, positâ Diuinæ gratiæ efficacitate, variant expositiones pro sententiarum varietate: nec ego moram hîc traham in iis connumerandis, quæ in tot voluminum millibus perleguntur.

Sed à fictis ad facta. Legati repudiatâ communiter primâ Canonum formâ, datoque negotio alterius reficiendæ, de qua dicemus, oportunius fore censuerunt, breuitatis & claritatis gratiâ, non omnia per Canones & anathemata sancire: hoc enim pacto falsum dumtaxat, quod est infinitum, proscripsissent; verum non explicassent, quod vnum est, & quo vno ritè firmato, cuncta opposita falsa infirmantur. Curarunt itaque rem partiendam, tum in Decreta, quæ doctrinam Catholicam exponerent, tum in Canones, qui hæreticorum errores damnarent. Horum exempla singula singulis Patribus tradita, & Romam etiam missa. Verùm tot illa notis onerata sunt, vt necesse fuerit ea tertiò confici, & ita confecta multis in locis posteà reconcinnari. In huiusmodi reformandis exemplis hæc erat ratio: * Vbi plerique Patrum conuenissent de aliqua mutatione, ea omnino perficiebatur: si quidpiam aliquis commutandum postulasset, quod magni esset momenti, per omnium manus delatum, ex plurimorum sententia statuebatur; sin autem parui momenti, delectorum Patrum iudicio, adiectis nonnullorum Theologorum consiliis, committebatur. 4

* Literæ Legatorum ad Sfortiam, 13. Octobris 1546.

In proœmio habetur: *Cùm hoc tempore exorta quædam sit de Iustificatione doctrina, Synodum exponere intendisse veram sanamq́ doctrinam ipsius Iustificationis, quam Christus Iesus docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu Sancto suggerente semper retinuit; districtiùs inhibendo, ne deinceps audeat quispiam aliter credere, prædicare, ac docere.* Ex quibus verbis, aliisque efficacibus ad capitum fines adiectis liquet, Synodum voluisse, vt non ea minus quæ Decreta quàm quæ Canones continent, per Fidem crederentur. 5

Primum Decretum pronuntiat: *Omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidisse, factos immundos, & naturâ filios iræ; quemadmodum in Decreto peccati Originalis expositum fuerat:* id autem consultò 6

ſultò fuit adiectum, ne iterùm de ſanctiſſima Virgine diſputatio ſuſcitaretur: *Eoſdem ſeruos eſſe, ac ſub poteſtate diaboli ac mortis, vt non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi, inde liberari aut ſurgere poſſent.* Dicebat prius exemplar, *per legem*; poſteà reformatum eſt, vti nunc habetur, *per literam legis.* Refert Suauis, id actum in gratiam Franciſcanorum, deridetque eam vocem quaſi parum conſentaneam; ea verò conſultiſſimè adiecta fuit. Sciendum quippe eſt, propoſito cum aliis huiuſmodi Decreto 5. Nouembris, Pacecum ac Stabienſem auctores fuiſſe, *vt legi* adderetur, *nudæ*, vel, *ſoli*, ne decerneretur legem inutilem eſſe ad ſalutem, obſeruationeſque legales (quatenus præſtitas tamquam exprimentes Fidem in Redemptorem, quem ipſæ præſignificabant) æternam felicitatem haud promereri. Quapropter ea fuit habita vocum mutatio, non Franciſcanorum gratiâ, quod narrat Suauis; ſed quò intacta relinqueretur communis opinio aduerſus Magiſtrum Sententiarum, * negantem Sacramentis Moſaicis vim iuſtificandi, hoc eſt, vim conferendæ gratiæ, iuſtum hominem reddentis, etiamſi ea tamquam honeſta opera ex Fide & Charitate exercerentur; cùm tamen Apoſtolus doceat, * *factores legis eſſe iuſtificandos.* Quare poſt multam conſultationem adiecta fuit illa vox, *per literam,* quò ſolum damnaretur quod damnabat S. Paulus in Epiſtola ad Romanos; qui tantùmmodò intendit ibi Iudæorum arrogantiam arguere, ſuperbientium in Ethnicos, quòd ipſi legis literam pernoſſent, & quæ per eam præſcribebantur obſeruarent. Atque vt huic Decreto primus Canon concineret, eo interdictum eſt, *Ne quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari.*

1546.

* In 4. diſt. 1.

* In 2. ad Roman.

7 Pergit Decretum: *In eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſe, viribus licet attenuatum & inclinatum.* Dicebatur anteà, humanum arbitrium eſſe *vulneratum:* optabant aliqui vt hoc deleretur; alij vt adderetur ad rem explicandam, *ſubtractis donis gratuitis:* nam in reliquum, aiebant illi, naturalem volendi nolendiue libertatem æquè ac anteà ineſſe homini: quod ſi nomine libertatis intelligeretur ea, per quam anteà homo liber à peccato fuerat; hanc non eſſe modò vulneratam, ſed extinctam. Verumtamen priori parti à delectis Patribus reſponſum, docuiſſe Magiſtrum Sententiarum, hominem vulneratum eſſe in dotibus naturæ debitis, & naturam ſuperantibus ſpoliatum; & S. Auguſtinum * inter Originariæ noxæ detrimenta connumeraſſe difficultatem honeſtè agendi. Alteram etiam partem falſam eſſe, quoniam homo ſuo libero arbitrio aliquid ſimul

* Lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 18.

1546. agit cum Deo, cùm per ipsius gratiam à peccato resurgit. Posteà pro voce, *vulneratum*, repositæ sunt eæ quas retulimus, *attenuatum & inclinatum*, quæque hodie leguntur, & æquè cunctis Scholasticorum sententiis aptari possunt: quarum sententiarum altera hanc attenuationem inclinationemque contrahit ad solam donorum gratuitorum iacturam; altera verò eam ampliat ad aliquam in deterius mutationem illius status, qui naturâ suâ homini conuenisset.

Capite secundo habetur: *Missum à Deo Christum Iesum Filium suum ad homines, vt & Iudæos qui sub lege erant redimeret, & gentes quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum Dei reciperent in sanguine ipsius.* 8

Tertio Cap. addebatur: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipere; sed eos dumtaxat, quibus meritum eius passionis communicatur: nam sicut homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; ita, nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur.*

Quarto ex Pauli verbis insinuatur Iustificationis descriptio: *Vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis per secundum Adam Iesum Christum; & hanc translationem, post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto, fieri non posse.*

Quinto, *Ipsius Iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præuiniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur: dum per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem ipsam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest: neque tamen sine gratia Dei, se mouere ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit.*

Petebat summus Franciscanorum Moderator, vt particulæ vltimam præcedenti adiiceretur; *Cùm in sua potestate sit eam non recipere.* Sed aptius ita concinnatum: *Quippe qui illam & abiicere potest.* Etenim nostræ potestatis non est illam recipere nécne; cùm ipsam Deus in nobis sine nobis operetur: atqui in nostra est potestate eam dissentiendo abiicere, vel consentiendo acceptare.

Huic Decreto quartus Canon respondebat, inflicto anathemate dicenti, *Liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, haud posse dissentire, si velit.* Hîc scire oportet, priùs in hoc Canone, qui tertio loco ponebatur, non *liberum arbitrium*, sed *hominem* simpliciter 9

citer nominari: vnde Aquensis in sua scripta sententia, & Didacus Lainius in suis Notis postulabant, * vt id ad communem vocationem coarctaretur; cùm alia supra ordinariam impertiri possit, cui homo non possit resistere: quod pariter confirmauit Christophorus Patauinus, Generalis Augustinianorum Procurator, dicens: Sic existimasse S. Augustinum de ea, quâ Paulus Apostolus vocatus est, tametsi de ceteris communibus oppositum censeat. Patribus tamen ea vox non placuit; sed pro voce *hominem*, apposuere, *liberum hominis arbitrium.* Et prudenter quidem: nam in euentu proposito extraordinariæ vocationis, necessitatemque afferentis, libertas arbitrij haud remaneret secundùm propriam communemque illius significationem: ac proinde Patres cautè locuti, euitatâ quæstione, an id quod proponebatur, euenire posset in homine; cùm satis esset, id in libero hominis arbitrio fieri non posse.

1546.

* In scripturis Seripandi, & apud Barberinos.

10 In sexto Capite definitur: *Homines disponi ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuinâ gratiâ, & adiuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à Diuinæ Iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum propter Christum sibi propitium fore.*

11 Hæc particula fuit acriter variis in Cœtibus oppugnata, & ad diem vsque Sessioni proximam ab Armacano; qui sibi persuaserat, primam infidelis iustificationem, vsu rationis potiti, à spe, non à timore suum ortum ducere. Sed postquam ipse in postremo generali Conuentu fusè doctèque perorauit ad suam sententiam confirmandam, postridie in Cœtu Patrum Theologorum contraria opinio antehabita. Etenim Iustificatio trahit originem ex eo, quòd agnoscat homo, ob peccatum se illius indigere; primumque quod efficit peccati cognitio, pœnæ metus esse solet: qui metus in se, validior animi affectio est, quàm spes: priusque permouetur animus ab imminentis mali periculo; posteà verò se conuertit ad illud bonum sperandum, per quod potest ab eo malo liber euadere.

12 Subditur eodem Capite, homines eiusmodi timore fiduciâque excitatos, *Deum tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipere; ac proptereà moueri aduersus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Consultò postrema verba sunt apposita, quò discrimen haberetur inter huiusmodi pœnitentiam, & illam quæ in peccatore post Baptismum exigitur,

1546. & de qua agitur Canone decimoquarto; & quæ spectat ad Pœnitentiæ Sacramentum.

Quod attinet ad id quod dicitur de dilectione Dei, aduertendum est, per tenorem Decreti priùs delineati nullam fieri dilectionis mentionem; sed Saluatorem Alepium Archiepiscopum Turritanum, Claudium Iaium Societatis Iesu, Lipomanum Veronensis Adiutorem, & Pium Franciscanorum Præsidem, admonuisse, vt aliquis Charitatis actus insereretur: cumque id ad omnium Patrum iudicium relatum fuerat cum aliis præcipuis notis, vt indicauimus, vigintitres ex ipsis diserte illud comprobasse; adeoque insertum Decreto: sed posteà aliis haud probatum; verùm à Theologis strenuè propugnatum, & per hæc verba retentum: *Non est sermo eo loco de habitu Charitatis: sed cùm in particula, quæ loquitur de pœnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum Fide & Spe iungere aliquem dilectionis actum; quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore iustitiæ, & dolor esset propter pœnam tantùm, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Et in Actis legitimis, seruatis in Ælia arce S. Angeli, vbi fit mentio de quodam Cœtu Patrum Theologorum, hæc leguntur: *Pariter propositum fuisse, an peccatorum detestatio in præparatione spem præcedat: & post rem exactissimè expensam, conclusum fuisse: Quantumuis aliqua peccatorum detestatio spem præcedat; tamen illam detestationem, quæ ad iustificationem disponit (de qua in sexto Decreti capite dicitur) quoniam non potest fieri sine aliqua spe ac dilectione, posteà sequi.* Huiusmodi fuit illa inconsideratio, cui Suauis tamquam partus abortiuos assignat ea Synodi Decreta: quod longe quidem faciliùs de Titiani tabulis persuadere potuisset; cùm extra omnem comparationem minus studij deprehendatur in dispositione ibi colorum, quàm hîc atramenti. Sed progrediamur.

CAPVT XIV.

Quæ decem reliquis Capitibus de Iustificatione continentur; variæque animaduersiones, ad ea intelligenda inde decerptæ.

Dicitur in septimo: *Hanc dispositionem, seu præparationem, Iustificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ: vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit heres secundùm spem vitæ æternæ.* 1

Enumerat deinde *causas iustificationis; finalem quidem esse gloriam Dei & Christi, ac vitam æternam; efficientem, Deum; meritoriam, Christum,*

stum, qui suâ sanctissimâ Passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalem, Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum Fidei, sine qua nulli vmquam contigit Iustificatio: denique vnicam formalem causam, Iustitiam Dei; non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit; quâ videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur; id tamen in hac impij iustificatione fieri, dum eiusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Nam Fides, nisi ad eam Spes accedat & Charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit: & hanc Fidem esse, quæ per Charitatem operatur, & hanc petere Cathecumenos ab Ecclesia, dum petunt Fidem, vitam æternam præstantem. 1546.

2 Hoc in Decreto mihi priùs obseruandum occurrit, fuisse ibi Lutheri errores damnatos, qui negabat interiorem formam Iustitiæ, veramque peccatorum deletionem: quin volebat, hominem, tametsi numquam iustus euadat, reputari talem, eò quòd exterior Christi Iustitia ipsi imputetur: simul etiam ibi reteiti memoratam Seripandi sententiam, qui existimarat, exteriorem Christi Iustitiam includi in forma, quâ homo iustus fit. Obseruandum prætereà est, cùm è Scholasticis aliqui putarent, hominem reddi iustum per gratiam à Charitate distinctam, alij per ipsam Charitatem, præter quam non insit alia gratia quæ iustum faciat, adhibitam datâ operâ fuisse a Patribus vocem, nunc *Gratiæ*, nunc *Charitatis*, & interdum etiam vtramque, velut in Canone vndecimo; vt se abstinerent ab ea declaratione, duæne, an vna eademque res illæ forent.

3 Quibusdam pariter animaduertentibus, Charitatem superiori capite memoratam, recenseri sub illius initium inter ea quæ præparant animum ad iustitiam suscipiendam, posteà verò tamquam ipsius iustitiæ formam poni; responderunt Decreti formatores, In primo loco sermonem esse de quodam actu Charitatis, cùm insit aliqua dilectio in homine, non quidem obtinente, sed exoptante iustitiam: at in secundo significari habitum Charitatis. Denique obseruarè par est, mentem Concilij fuisse, statuere speciatim habitum

 infusum

1546. infusum iustitiæ, & non generatim meram interiorem iustitiam, nihil definiendo, eáne sit actus, an habitus, vti placuit Gabrieli Vasquez. Quod exploratum mihi fit; quoniam quibusdam postulantibus, vt expressiùs declararetur, fieri iustitiam per habitum infusum, delecti Patres ad id responderunt, Id satis explicari per vocem *inhæret*, quæ stabilitatem significat, & habitibus, non actibus congruit.

In octauo Capite docemur: *Nos per Fidem ideò dici iustificari, quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis Iustificationis: gratis autem iustificari ideò dici, quia nihil eorum quæ Iustificationem præcedunt, siue Fides, siue opera, ipsam Iustificationis gratiam promeretur.* Aduerto hîc, non haberi sermonem de merito congruo, sed de condigno: etenim petentibus quibusdam Patrum, vt & verba, quæ priùs in capite septimo ponebantur, eraderentur, quasi officientia operibus vi Fidei peractis; responsum est, Ne ipsa quidem ita mereri iustitiam vt ipsis omnino debeatur. Ex quo liquet, ibi esse locutam Synodum de merito perfecto, & cui præmium non modò congruat, sed debeatur; quod meritum non est meritum congruum, sed tantummodò condignum. Quin cùm subtilissimè fuisset expensum dictum Apostoli, *Homines gratis iustificari à Deo*; proponebant aliqui, vt id explicaretur à Decreto affirmante, Fidem esse gratuitum Dei donum. Verùm id plerisque haud probatum; propterea quòd positâ quoque Fide in peccatore, verum est, à Deo gratis eum reddi iustum. Placebat aliis, vt particula adiiceretur, *absque operibus*: sed hæc à pluribus repudiata, animaduertentibus, præter Fidem esse quædam opera vtilia ac necessaria ad habendam Iustitiam. Vnde in quodam Cœtu Theologorum Ceruinus verba proposuit, quæ nunc extant, & à plerisque recepta; contestantibus tamen summis Moderatoribus Ordinis S. Francisci, & S. Augustini, per ea minimè intelligi, vt meritum recipiendæ iustitiæ congruum, Fidei, actibusque ab ea pendentibus, denegaretur. 4

Sequitur Caput nonum, de fiducia remissionis propriarum noxarum: de quo plura iam scripsimus. 5

Decimum ait: *Iustificatos, per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa iustitia, cooperante Fide, bonis operibus crescere, atque magis iustificari.*

Vndecimum autem: *Neminem, quantumuis iustificatum, liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare debere; neminem temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce vti, Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet;*

sed

ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis. 1546.

Hæc aſſertio eſt Auguſtini in * libro de Natura & Gratia, exceptis verbis poſtremis, *& adiuuat vt poſſis*; quæ ex aliis eiuſdem Doctoris locis collecta, cùm in prima Decretorum forma, vbi de hoc Canone quinto in ordine agebatur, non fuiſſent poſita, conſultò hîc adiecta ſunt; vt palàm fieret, illum poteſtatis defectum ad præcepta adimplenda haud eſſe in nobis, niſi Diuinam opem implorare noſtro vitio negligamus. Et quoniam hæretici huic hominis iuſti potentiæ ad vniuerſam legem obſeruandam, & huic veræ Iuſtitiæ, quam homo potis eſt obtinere, opponebant ſacræ Scripturæ dicta, affirmantia, Iuſtum etiam quotidie labi, eique opus eſſe vt ſuorum debitorum remiſſionem depoſcat; reſpondet Concilium his quæ tacitè obiectabantur, per hæc verba: *Licet enim in hac mortali vita quantumuis ſancti & iuſti in leuia ſaltem & quotidiana peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti. Quo fit, vt iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant. Deus namque ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* * Cap. 43.

6 Qua in re Lectores admonitos volo, hîc Synodum, dum ait, A Deo nos non deſeri, niſi priùs ipſe deſeratur à nobis, non intendiſſe ſolùm ſignificare, non priùs nos deſeri à Deo, ablato gratiæ habitu, fractoque amicitiæ contractæ vinculo, prout hunc locum ſcriptor aliquis interpretatur: ſed etiam declarare voluit, à Deo, non niſi prius à nobis offenſo, nos deſeri, Diuinis auxiliis ſubtractis. Hanc fuiſſe Concilij mentem ex eo patet, quòd prima horum Decretorum deſignatio aliis conſtabat verbis, quibus palàm fiebat, hîc agi de gratia actioſa, hoc eſt, de Diuino auxilio; non de habitu gratiæ, id eſt, de forma iuſtum hominem per ſeipſam reddente: cùm in Decreto ſubiiceretur, ab huiuſmodi gratia ſæpè effici, ne Deus deſeratur, & quandoque præſtari, vt homo ad Deum regrediatur, poſtquam ipſum deſerüit: quæ verba nonniſi de gratia actioſa, nimirum de Diuino auxilio intelligi poterant, & ſolius breuitatis causâ reliqua ſunt omiſſa.

7 Damnantur deinde, *qui ſibi in ſola Fide blandiuntur: & qui dicunt, iuſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut pœnas æternas mereri: atque etiam qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

In duodecimo dicitur: *Prædeſtinationem, niſi ex ſpeciali Dei reuelatione, ſciri non poſſe.*

Capite

1546. Capite decimotertio præcipitur, *Vt de perseuerantiæ munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Ceterùm monentur omnes, *vt cum timore & tremore salutem suam operentur.*

In decimoquarto docemur, *Eos qui ab accepta iustificationis gratia* 8
per peccatum exciderunt, rursus iustificari posse per Pœnitentiæ Sacramentum, quod Christus instituit, cùm dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Hac post Baptismum pœnitentiâ contineri etiam peccatorum sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem Absolutionem; itemq; Satisfactionem, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vnà cum culpa remittitur; sed pro temporali, quæ non tota semper, vt in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ quam acceperant ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt.

In decimoquinto definitur: *Non modò infidelitate, sed etiam alio quocumque mortali peccato, quamuis non amittatur Fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Volebant aliqui, vti magis propriè nominaretur *apostasia*, non *infidelitas*. Sed vox illa adhibita est, vt errori Lutheri opponeretur per eadem verba quibus ille vsus est.

Summa decimisexti est: *Iustificatis hominibus, siue acceptam gra-* 9
tiam perpetuò conseruarint, siue amissam recuperantibus, atque ideò benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam, & tamquam gratiam filiis Dei per Christum misericorditer promissam, & tamquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam. Christum tamquam Caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem infundere; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto grata & meritoria esse possent: adeoq; nihil ipsis iustificatis amplius deesse, quò minus plenè Diuinæ Legi satisfecisse, & vitam æternam, si tamen in gratia decesserint, verè promeruisse censeantur. Eam quæ iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illam eamdem Dei esse, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum: licet bonis operibus in sacris Literis tantùm tribuatur, tamen abesse debere in Christiano homine, vt in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta est erga homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

Hæc omnia Decreta confirmantur, imò contexuntur verbis 10
Scripturæ SS. Patrum, ac præsertim Augustini. Deinde ita concluditur:

tur: *Post hanc Catholicam de Iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterq́; receperit, iustificari non poterit, placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere; vt omnes sciant, non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.* 1546.

Hi Canones summæ Decretorum respondent; adeoque non est operæpretium ea hîc apponere. Solùm suggeram, præter illa quæ definiuntur per Decreta, prohiberi Canone sexto, ne quis cum Luthero dicat: *Non esse in potestate hominis, vias suas malas facere; sed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permissiuè solùm, sed etiam propriè, & per se; adeò, vt sit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.*

11 Erant qui contra huius Canonis formam obiectabant: A Deo non solùm permitti peccatum, sed tamquam à prima rerum omnium causa, peccantis actiones per veram efficientiam adiuuari. Verùm neglecta oppositio. Cuius rei causam arbitror, quòd Canon diserte loquitur non de causa physica, sed morali, cui scilicet opus imputetur: intendit enim hæreticos damnare, affirmantes, Quemadmodum homo nequit honestè agere, nisi excitatus atque impulsus à Deo; ita nec esse in hominis potestate malè agere, sed oportere vt à Deo similiter impellatur ad id agendum; proinde tam bonum quàm malum, arguebant illi, æquè Dei opus esse. Præter hoc habetur Canone 23. *Neminem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia.* Equidem haud me purgandum hîc putem, quòd lectores meos harum arduitate doctrinarum fatigauerim: tum quia opus excusatione non esset cuipiam scriptori, quòd ea exponeret, quæ ad suum præcipuum argumentum pertinent; tum quia si cælestis fulgoris aspectus pupulas minùs perspicaces perstringit ac lædit, quid prohibet aliò se flectere, atque interim sinere, vt per eum aquilæ suam aciem recreent atque confirment?

CAPVT XV.

Translatio Synodi inter Pontificem & Legatos agitata; & cur ab his tam feruidè quæsita.

1 INter hasce subtiles nodosasque Theologicas disputationes, Legati nihil ardoris, nihil studij remittebant, quo loci mutationem vrgerent. Mihi latuit aliquamdiu potissima causa, cur illi adeò translationem percuperent: nec sine quadam admiratione Ceruinum spectabam, adeò in ea promouenda sedulum atque con-

1546. ſtantem, vt ne atroces quidem minæ, Cæſaris nomine intentatæ, ſatis fuerint ad hominem permouendum, non inquam ne eam voluntatem retineret, ſed ne certè profiteretur. Huiuſmodi minæ in monumentis, quæ priùs luſtraui, diſtinctè non habentur; ſolùm indicatur ab Hiſpano quodam Cardinali, fuiſſe Cæſarem excuſatum, [a] quaſi ea res humanitati Caroli haud conueniret, culpamque reiectam in eum qui nuntiauerat; ſeu quòd illa commentus eſſet, ſeu quòd ea renuntiaret, quæ Cæſar ad exhalandam animi iracundiam priuatim protulerat, non vt ſuo nomine denuntiarentur. Quæ conſonant cum eo quod paulò antè narrauimus, à Cæſare ſignificatum Farneſio Legato.

a Ex amica epiſtola ad Ceruinum, 9. Octobris, inter monumenta Ceruinorum.

b Anno 1546.

Adrianus, illius ætatis hiſtoricus, [b] ſcribit, minitatum fuiſſe Cæſarem Ceruino, ſi abſque Pontificis diplomate ac voluntate tranſlationem promoueret, illum ſuo iuſſu in Atheſim proiectum iri. At Suauis, dum tacito nomine hanc Adriani narrationem refert, breuitatis gratià adiectam ab eo conditionem præterit, vt quæ ipſius guſtatui ſapidam denuntiationis acrimoniam corrumpebat: ſed magis facti veritas eam corrupiſſet; non ſolùm ex ea quam Suauis cum veritate generatim exercet inimicitia; ſed quia veritas in præſenti cauſa plurimum minuit de illecebroſa acerbitate, quæ multò magis Suauem, quàm obſtructas noxiis humoribus feminas delectat. Vera itaque denuntiatio, Ceruino Cæſaris nomine delata ab Aurelio, qui Madruccio à Secretis erat, ita ſe habuit, ſicuti poſteà videre mihi contigit in autographo epiſtolæ à Ceruino ad Pontificem ſcriptæ: [c] Si ipſe Pontificis iniuſſu Concilium ſoluiſſet, ſubornatis ad id Epiſcopis, prout Cæſar eum moliri inaudierat, futurum fuiſſe, vt ipſum facti pœniteret: nam vbi Pontifex illum impunem relinqueret, ab ipſo Cæſare punitum iri, nec vſquam gentium rutum fore. Huic nuntio reſpondit Ceruinus, Se non modò extra omnem obiectam culpam; vetumetiam optimè meritum, quòd Synodi diſſolutioni ſemper obſtitiſſet, quam inſimulabatur temerè machinari: vbi tamen quid peccaſſet, nulli ſe in terris ſubiacere, à quo legitimè puniri poſſet, niſi Romano Pontifici. Quod ſi nihilominùs vellet Cæſar ſibi vim inferre; cùm ille potentiſſimus Princeps, ipſe verò imbecillus eſſet ſacrificulus, facili id negotio perfecturum: ſe tamen Magiſtri ſui voce doceri, ne terreatur ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quod faciant. Proinde vbi vità ſpoliaretur à Cæſare, amiſſurum ſe tandem quod ex neceſſitate ſibi relinquendum erat: decem annorum ſeu iacturam ſeu lucrum, tenue quiddam eſſe; daturum ſe operam, vti

c 5. Auguſti 1546. cuius autographum eſt apud Carolum de Vecchiis, qui à Secretis eſt Congregationi Concilij.

2

ſemper

ſemper paratum ad id animum gereret: Cæſarem pariter breuî deceſſurum è viuis, eoque deuentutum, vbi æqua omnibus eſſet conditio, ac rerum à ſingulis geſtarum ratio redderetur vni Iudici, qui perſonarum acceptor non eſt, & reddit vnicuique ſecundùm opera ſua. Idcircò neque ab hoc metu, nec ab alia ratione ſe retardandum, quò minùs, dum viueret, officio ſuo fideliter fungeretur. Hac religioſâ conſtantiâ reſpondit Ceruinus homini minas Cæſaris denuntianti; tametſi fortaſſe haud parem poſteà fortitudinem præ ſe tulerit, in poſtulanda memoratis literis à Pontifice legationis dimiſſione: niſi tamen id prudentiæ potiùs quàm timoris conſilium habendum eſt, quò expeditiorem ſuo Principi viam aperiret ad ipſum reuocandum; vbi, quantumuis commendabilem ad eam vſque diem adminiſtrum expertus eſſet, in poſterum exiſtimaſſet inopportunum ad publicam illius moliminis vtilitatem. 1546.

Hac igitur poſitâ tam acri Cæſaris indignatione, nulla mihi occurrebat vel proprij incommodi ratio, quâ poſſit in Ceruino perfringi tam formidabilis iræ terror; vel publici emolumenti cauſa, quæ illi perſuaderet, vt præpotentem Principem tam acerbè læderet. Comperi tandem, eam in Ceruino impatientiam ortam è quodam Reipublicæ ſtudio; quod par non erat ita clarè ſignificari per literas Paulo communicandas. Huius decrepitam ætatem conſiderabant Legati, * tam crebris tunc morbis laborantis, vt non breuî ſolùm, ſed in momenta obiturus videretur. Arbitrabantur, ſi perſiſtente Concilio eius mors accidiſſet, Eccleſiam ſchiſmatis diſcrimen ſubituram. Etenim, etſi diplomate cautum ab eo fuerat, vt in eo etiam euentu penes Vaticanum Senatum foret electio Romani Pontificis, quæ per conſuetam quietem ac libertatem haberetur, ſicut alibi diximus; tamen Concilium in alterius Domini ditione ſitum, & fauentibus negotio fortaſſe profanis Principibus, dubitandum erat, ne litem intentaret, refelleretque quaſi irritam eam ſanctionem, ſuo iuri aduerſam, præſertim ad id temporis relatam, quo, nullo in Cathedra Petri ſedente, obtinebat Concilium abſolutam, nullique ſubiectam iuriſdictionem; nec ampliùs adnectebatur Capiti, quod in ipſum poteſtatem exerceret, ipſiuſque poteſtatem moderaretur. Quapropter Maffeius, qui Pontifici à Secretis erat, * Ceruino ſcripſit, Vbi Synodus ſtatuiſſet, ius illud electionis ad Vaticanos Patres pertinere, etiamſi ea exiſtente Concilio habenda eſſet, non modò continuandæ Synodi difficultates ſublatum iri, ſed etiam ipſos Pontifices haud ita difficiles in poſterum futuros in huiuſmodi conuentibus ad reſtitutionem Eccleſiaſticæ

* Apparet ex epiſtola memorati Anonymi ad Ceruinum, 6. Ianuarij 1547. & ex duabus Maffeij ad eumdem 14. & 22. Octobris 1546.

* In literis citatis.

 diſci-

1546. disciplinæ cogendis. Verùm huiusmodi Decretum & arduum erat à Patribus obtineri, & indecorum intutumque tentari; perinde ac si Romanus Pontifex ambigeret de sua auctoritate, adeoque doceret etiam Episcopos de eadem addubitare. Hinc Legati, ac præcipue Ceruinus, rei Christianæ studio flagrantissimus, omnem mouebant lapidem, vt tantæ cladi cautum esset, Synodo vel eò traductâ, vbi à vi, adeoque ab auctoritate Principum externorum esset libera, & Romæ Vaticanis Patribus obsequentior; vel tantisper suspensâ, dum rerum conditio mutaretur, nouusque Pontifex firmioris valetudinis succederet; vel eâdem per paucas Sessiones breui absolutâ.

Haud hîc alienum reor animaduertere: quemadmodum nulla vmquam veritas veritati alteri aduersatur; ita ex opposito Adrianum ac Suauem, ambos Pontificiis Patribus infensos, hunc ex priuato in Romanos Pontifices odio, illum ex sui Principis cum Paulo Tertio simultate, sibi inuicem in ipsa obtrectatione repugnare. 3
Etenim Suauis, quod paulò antè notauimus, narrat, sinceram Montani indolem ineptam fuisse iis simulationibus, quas Ceruinus in se obeundas susceperat, vt per callidas disputationes Concilio moras iniiceret. Mendacissima enimuerò narratio, sicut à nobis patefactum est. Adrianus ex aduerso affirmat, Montanum callidè à Cæsaris odio in translationis negotio se subtraxisse, rei procuratione in Ceruinum reiectâ: quod pariter adeò discrepat à vero, vt non modò Montanus suam illi operam impenderit apertissimè per cunctas literas, tractationesque ea de re habitas; sed solus ipse cum Cæsarianis Cardinalibus iurgium susceperit ea de causa, quòd Pacecus Materanum de translatione dicentem prohibere contenderet.

Concordabant Legatorum ac Pontificis vota procul arcendi ab Ecclesia discrimina imminentia ex Concilio, Germanorum manu penè constricto: sed moderatiùs se gerebat Pontifex; seu quòd ipse meliùs mala prænosceret ex immatura cessione eruptura, seu ex communi mortalium vsu, numquam credendi annorum morborumque monitis, propinquam ipsorum mortem denuntiantium. Quare consensum Cæsaris hic expetebat: quem vt consequeretur, Romæ cum Cæsarianis administris egerat; qui libellum rationibus refertum obiecerant, & Pontifex alterum, vt eas dilueret, ipsis reddiderat, in hanc sententiam, * vnde licebit lectori obiectas à Cæsarianis causas conicere. 4

* Huius libelli, multò antè Mendozæ traditi, fuit missum exemplar ad Verallum, post obitum Mendozæ, ex occasione scribendi ad eum alias rationes in epistola prolixa, posteà citanda, 5. Februarij 1547.

Experientiâ compertum esse, Tridentum haud opportunam Concilio stationem: dignitatem siquidem Conciliorum frequen- 5

tiâ

tiâ potissimùm sustineri; & tamen palàm fieri, eam obtineri non posse in ea vrbe, quippe in domicilio adeò Patribus inuiso, vt eò pauci conuenerint, & hi pauci ibi ægre retineri possent. Nec in eo disceptandum, num rationi consentanea néc ne eorum esset auersatio; satis esse, id experientiâ comprobari, cum detrimento maiestatis quæ Synodo Oecumenicæ debebatur; tametsi & cohortationes & iussa Pontifex, penes quem etiam ad id erat potestas, adhibuisset: quin etiam per vim, ne ipsi quidem Pontifici decoram, Patres compulsi ab aliis, fuissent id ipsum grauiter conquesti. 1546.

Frustrà obtendi, selectam eam sedem ad Germaniæ commoditatem, adeoque minimè commutandam: in comperto enim esse, non solùm à Protestantibus eam recusari, sed ex Germanicis Episcopis ne vnum quidem ibi visum, quin ex eorum Procuratoribus paucissimos: Synodum verò tam Catholicis quàm hæreticis in maiori semper futuram pretio, vbi frequentior esset.

Nec obstare, Comitiorum Decretis non alium extra Germaniam locum probari; etenim Comitiorum non erat has leges præscribere: Romanos verò Pontifices semper illis obstitisse. Præterea Cæsarem etiam, quod in se erat, ipsis abundè gratificatum; quippe qui iam obtinuerat, vt decem & octo menses Synodus Tridenti celebraretur, Germaniâ interim officio suo minimè perfunctâ. Hæc erat libelli summa. Verùm vbi Cæsar his rationibus haud dimoueretur, volebat quidem Pontifex translationis auctor esse, sed ad eam à maiori suffragiorum numero Concilium trahi: & exquisierat à Legatis iam inde à decimoquinto Septembris [a] quidnam ipsi de suffragiis præsagirent, & de negotio sentirent. [a] Literæ Sfortiæ ad Legatos.

6 Illi, quod spectabat ad præsagium, schedam ad Pontificem misere, [b] vbi significarunt quid de singulis Patrum sententiis coniicerent: at posteà apertiùs rescripsere, [c] Plurimorum capitum suffragia translationi fautura, Nationum verò plerasque repugnaturas: in his esse Hispanos, Lusitanos, quorum aliqui appropinquabant, Gothum, Britannos, Germanorum Procuratores, & forsitan etiam Gallos. Hos autem omnes in medium adducturos id quod communiter docent Iurisconsulti super Caput primum, in titulo, ***De his quæ fiunt à maiori parte Capituli:*** nimirum, minorem partem anteferendam, vbi ea maiori pietate potiorique ratione nitatur; adeoque in præsentia videri persistendum potiùs Tridenti, vt votis communibus, reique Christianæ commodis fieret satis, quàm fugiendum ob priuata incommoda atque discrimina: quæ discrimina mitigata iam erant, recuperato & communito à Cæsa- [b] 20. Septemb. ad Sfortiam. [c] 21. Nouembris 1546.

1546. tianis arduo ac propinquo * Clusiæ transitu.

* Recuperationis nuntium peruenit 7. Sept. vt in Diario.

Quod spectabat ad ipsorum sententiam; Pendere se animi, reputantes, aptiora ad rem tempora effluxisse, quæ prius aderant, cùm de translatione aliàs actum. Tunc animorum commotionem exortam ex Patrum consternatione, qui Pontificem quasi ex necessitate ad communem sententiam pertrahere videbantur: at ipsum nunc rei actorem visum iri: Cæsarem priùs id toleraturum, quippe & magis indigentem subsidiis Pontificiis, & minùs in repugnantia palàm facta progressum; præterquam quòd tunc etiam causæ fauère recentes offensiones inter Purpuratos Cæsareos, primumque Legatum, quæ titulum honestiorem præferebant liberioris Sedis exquirendæ. Dilapsis proinde his opportunis conditionibus, sibi haud tutum videri, quin translatio eruptura esset in schisma; cùm præsertim sibi publicarum rerum conditiones non adeò essent exploratæ, quarum exploratiùs conscium Pontificem longè meliùs posse decernere. In ea rerum obscuritate opinari se, satius esse ab armorum euentu paucos intra dies consilium præstolari; interim verò in promptu habere cùm Fidei tum disciplinæ Decreta; quò, quandocumque incideret opportunitas, Sessionem maturarent, quando pernecessarium videbatur vt ea translationem præcederet. Ex alia parte affirmabant, sibi esse compertum, Cæsarianos moliri definitionum retardationem; perinde quasi opus tanti ponderis neque conditioni temporum opportunum, neque Patrum infrequentiæ consentaneum censeretur. Quapropter, aiebant Legati, se Pontificem rogatum velle, vt & obseruationes de Fidei sanctionibus, & leges de morum emendationibus pro sua parte solicitaret. 7

Quicumque hæc Pontificiorum Cæsareorumque vota obseruauerit, adhibitosque ab vtraque partium conatus ad suum propositum promouendum; in aliquam fortasse sinistram opinionem incurret; quasi saltem altera suam vtilitatem Ecclesiæ commodis antehaberet, vtraque verò non ex ingenuitate Christiana, sed ex politica calliditate rem gereret. Meminerit quisquis ita secum reputat, quod spectat ad primum caput, insolens non esse, duos viros, quantumuis recti appetentes, inter se concertare, vbi finis, quem vterque intendit, probus est, sibiq; eorum quilibet persuadet, bonum quod ipse promouet, anteponendum bono quod promouetur ab altero: quod tunc planè contigit, cùm Cæsar conciliandæ Germaniæ, & Pontifex arcendo schismatis periculo, remittendis ad suas Sedes Episcopis, atque integris Christiani Orbis Prouinciis per sancita iam dogmata corroborandis, operam impendebant. Porrò vnusquisque 8

quisque

quisque consueuit bonum illud habere pro maximo, cuius peculiaris procuratio ad se spectat. Atque id naturæ fortasse prouidentiâ effectum est, vt pro sua quisque virili parte studeat illi bono, quod ipse per se moliri possit. Cuius rei aliquod exemplum nobis in sacris Libris protulit Deus, vbi huiusmodi certamina vel inter beatos Angelos enarrat, ne offensioni nobis foret, si ea inter iustos homines conspiciamus. Quod attinet ad alterum caput: animaduertat lector, inter artem ac fraudem plurimum interesse: illa inest homini, quatenus homo belluis melior; hæc inest homini, quatenus homo belluis deterior est. 1546.

9 Pontifex, acceptâ Legatorum sententiâ, tunc quidem statuit vti progrederentur ad res agitatas absoluendas,[a] Sessionemque celebrarent; quâ habitâ, Concilium transferretur: idque Legatis significauit per tabellarium, ad Farnesium in Germaniam missum. Hi verò omni studio rem vrgere nitebantur, & obstacula Cæsarianorum amoliri: [b] qui ne viderentur ex nimio suarum rerum studio consilij oppositi auctores esse, ad suam opinionem pertraxerant Vigerium Senogalliensem Episcopum, qui primus inter Episcopos sententiam dicebat. Nec ille neglexit ante Patrum oculos ponere, Decretum tam ardui oppugnatique argumenti, ampliori Patrum frequentiâ opus habere; quâ si caruisset, & auctoritate & fructu pariter cariturum, sed iis qui proscriberentur, indignationis irrisionisque ansam porrecturum. Legati è conuerso, & cum eis potior pars, respondebant, Veram Conciliorum auctoritatem à frequentia nequaquam pendere, cùm Synodi numerosissimæ quandoque aberrassent, vbi haud legitimè sunt celebratæ; sed sitam in promissa S. Spiritus assistentis ope: quod verò spectabat ad humanam operam ac solertiam, quæ huiusmodi sanctionibus debentur, adesse ibi eam copiam, cumque præclarissimorum Capitum delectum, vt Cœtus ille, humanis etiam spectatis conditionibus, non posset cuicumque futuræ ætati venerationi non esse.

a Ex literis Legatorum ad Farnesium, 26. Septembris 1546

b Ex Literis Legatorum ad Sfortiam, 2. & 6. Octob. & ex Actis.

10 Legati postmodum, vbi senserunt, nimis sibi protrahi optatam lucem ab armorum euentu, [c] pro certo rati, Concilium ibi per hiemem haud permansurum, missâ Romam dissertatione Pontificem hortabantur, vt ipse peractâ Sessione Synodum suspenderet, Romamque interim Patres aduocaret, atque ex eorum consensu, quod reliquum erat de reformanda disciplina sanciret.

Id consilij à Ceruino profectum: qui vt ipsum corroboraret, peculiarem ad Pontificem epistolam dedit, [d] vbi ostendebat, illud & Ecclesiæ conducibile, & Apostolicæ Sedi cautum fore, Cæsarisque postu-

c Literæ ad Sfortiam, 9. Octobris.

d 9 Octobris 1546.

1546. postulatis minimè aduersaturum. Conducere quidem Ecclesiæ: etenim cùm ardentissimè sese opponerent Cæsariani, ne Decretum de Iustificatione promulgaretur; cumque iam Synodus statuisset, coniunctim in rebus Fidei ac morum procedendum, de his nihil quidquam tunc à Concilio stabiliri poterat. Quare expeditissimam simul & aptissimam rationem videri, id Romæ peragi ex eorumdem Tridentinorum Patrum sententia ac voluntate. Cautum fore Apostolicæ Sedi: nam relictà Tridenti nomine tenus, sed reipsâ Romam deportatâ Synodo, facile semper fore, vbi opus esset, illam resumere, & in tutiori sede collocare. Denique postulatis Cæsareis id non aduersaturum, quòd ille simul obtineret vt dogmatum sanctio protraheretur, ne Synodus locum mutaret, & communibus votis per reformatæ disciplinæ leges consuleretur: quod omnes præteritas Caroli petitiones complectebatur.

Verùm post diuturnam deliberationem haud probatum consi- 11
lium, nisi Patrum plerique illud Tridenti per seipsos suscepissent. Nulla siquidem apparebat ratio, nisi longè quæsita, virisque cordatis haud satis probanda, * cur si ex Episcoporum consensu emendationis leges Romæ confici poterant, eorumdem suffragio Tridenti confici non possent: quod etiam rem discrimini subiiciebat, ne ad id Romam adire Hispani Gallique recusarent. Quapropter Romanorum Consultorum cœtus incusauit potiùs Legatos, quòd per tot menses nondum emendationis consilia maturassent, vt eodem tempore tum Patribus tum reliquis omnibus satisfieret, vtroque Decreto in Synodo promulgato; ac deinde honestiùs agi posset de Concilio, quidquid Pontifici videretur. At accusatio haud ex merito: etenim numquam ipsi destiterant rogare Pontificem, vt disertè præscriberet, quid variis ea de re Patrum petitionibus indulgendum; nec tamen vmquam, siue ob argumenti difficultatem, siue ob consuetam maximis Aulis cunctationem, hanc inde lucem impetrarant: adeoque prolatio in rebus Tridenti decernendis haud ipsorum desidiæ vertenda erat, sed necessitati, quod ad rem, & prudentiæ, quod ad occulendam causam spectabat. Ipsi verò ex altera parte verebantur Romæ arbitrio rem committere, * animaduertentes, perinde ea fore, ac auctoritatem Synodo impertiri Synodi suspendendæ: quæ auctoritas, itidem ac auctoritas eius conuocandi ac soluendi, à Romano solùm Pontifice exercenda erat: insuper nihil quidquam de eo legitimè decerni licebat extra Sessionem, ad quam celebrandam nondum satis digestæ res erant, nec enodatæ difficultates. Verumtamen quò voluntati Pontificis obsecundarent,

* Literæ Maffeij ad Ceruinum, 16. Octobr.

* Literæ Legatorum ad Sfortiam, 25. Octobr.

rent, duplicem semitam meditabantur: alteram, si Cæsarianos eò compellerent metu translationis, magis ipsis quàm suspensio inuisæ, & ex iteratis Italicorum Episcoporum postulationibus formidatæ; in quo suam exhibebat operam Madruccius apud Mendozam ac Pacecum: alteram, si vehementer vrgerent promulgationem grauissimi de Iustificatione Decreti: cui vel repugnaturi erant Cæsariani, vel assensuri. Si repugnarent, exclamaturos Præsides, nolle se morari amplius in Concilio quasi depicto, dum S. Petri patrimonium inutiliter insumebant, & Christianum gregem suis Pastoribus diu priuabant: ita hoc honesto nomine Patres ad supersedendum Synodo inclinatum iri. Vbi assentirentur, satis tunc fore, si finerent Episcopos Italiæ, propinquæ hiemis horrore, multoque magis armorum strepitu perterritos, translationem aut intermissionem Synodi efflagitare, plurium fauorem consecuturam, futuramque pariter honestam, quippe necessariam vt impendens dissoluendæ Synodi discrimen euitaretur. 1546.

12 Quò prior iniretur via, solicitatus à Tridentino Mendoza, [a] pronum ad suspensionem animum, ac spem etiam Cæsarei consensus præ se tulit. Eum confirmare studuerunt Legati incerto quem diximus metu, ex eo scilicet, quòd nequiret Pontifex diutiùs Episcoporum postulationes retundere, loci mutationem efflagitantium; qui vbi eam non impetrarent, existimantes ab ipsa necessitate satis excusationis sibi prætendi, Tridento discederent. Huic timori alius adiectus timor haud minoris momenti: videlicet, si diu Concilium protraheretur, ærarium Pontificium haud satis eodem tempore futurum grauissimis illius sumptibus, ac Germanici belli voragini; quare sex ex pactione mensibus elapsis, coactum iri Pontificem ne ampliùs auxilia suppeditaret.

[a] Literæ Legatorum ad Sfortiam, vltimo Octobris.

13 Verùm hæc spes de Caroli consensu confestim infuscari cœpta: [b] etenim rescitum celeriter est, aduentare Oratorem ac Episcopum, missos à Lusitaniæ Rege, Cæsari coniunctissimo, qui Concilij translationi cessationique resisterent. Ad hoc Mendoza significauit Legatis, [c] se Oratorem à Cæsare destinatum apud Pontificem; cui Ioannes Mendoza, supremus Sacelli Cæsarei Præfectus, interim institurus erat, ne locus Synodi mutaretur, atque vti continuarentur bello suppetiæ: cùm vtrumque opus esset ad Religionis discordias componendas; simulque purgaturus Cæsarem opinione de ipso perperàm conceptâ, quasi Decreta Fidei obliquè retardaret. Prosequerentur proinde opus, nullam à Cæsare moram iniectum iri: suadere se tamen, vt ad maiorem conciliandam auctoritatem illustriores

[b] Literæ Legatorum ad Sfortiam, 6. Nouembris.

[c] Literæ Legatorum ad Sfortiam, 10. Nouembris.

1546. striores Academiæ, cuiusmodi erant Parisiensis ac Louaniensis, prius sententias rogarentur.

Legati, agnitâ Oratoris arte, per quam, sicut ipsi scripserant, simul calcaribus incitabantur, simul reductis habenis inhibebantur; 14
responderunt: Quod ad translationem attinebat, se in Pontificis prudentia rem collocare; sed ingenuè fateri, semper illius auctores se fuisse vel ab ipsis belli primordiis, tamquam vnici adiumenti ne Synodus dissolueretur: multò minùs ad se spectare responsa de subsidiis continuandis: posse tantummodò affirmare, haud à se tantum aquæ Romæ perspici, quæ duobus simul tam amplis canalibus opplendis satis esset. Ad postremum dicebant, Numquam sibi in animum induxisse, tam generosum Principem acturum quidquam obliquè, sed sua sensa liberè depromptuturum; tametsi Episcopi Cæsareæ ditionis, per vsurpatam ab ipsis agendi rationem, aliquem huic suspicioni aditum præbuissent. Memoratas Academias consulere, neque consuetum, neque decorum esse Apostolicæ Sedi; nec posse sibi probari, cùm præsertim ex earum censuris in Lutherum editis, de ipsarum sententia satis constaret. Et quando Pontifex ac Cæsar tot inter se vinculis colligabantur, adeoque non modò necessaria, sed vix satis erat tot malis Christianam Rempublicam diuexantibus, vtriusque concordia, mutuaque beneuolentia; satius esse, si negotia familiariùs tractarentur, & tum ipsi, tum ipsorum ministri amiciùs coniunctiusque inter se agerent. Quòd si Decreti mora in rem Cæsaris foret, nihil sibi videri aptius, quàm sex menses supersedere Concilio: nolle Patres per tot incommoda ibi degere, tamquam in scena personas agerent, adspectabiles quidem, sed silentes. Vt huic rei Pontifex assentiretur, suam se operam amplè polliceri.

Orator obstructos reliquos omnes tramites conspicatus, id quod afferebatur, admisit; suamque operam vicissim spopondit ad assensum Cæsaris obtinendum, pro communi hominum consuetudine, industriæ suæ largiter ad eam rem pollicendo, cuius rei frustratio inexpugnabili alterius arbitrio semper imputari potest.

CAPVT

CAPVT XVI. 1546.

Farnesij reditus. Eius de Concilij suspensione Tridenti tractatio, Cæsarianis, sed non Cæsari probata.

1 SVb idem tempus arma Catholicorum feliciter processerant, Florentini Principis adiuta subsidiis, * à quo Toletanus, Tridento ad id Florentiam missus, centum quinquaginta scutorum millia acceperat, promissâ vicissim oppidi Plumbini concessione, atque eiusdem Oratoribus sede in Sacello Cæsareo supra Ferrariensis aliorumque Ducum Oratores: vnde factum est, ne illi postmodum accederent. Expugnauerat Octauius Farnesius suis copiis Donauertam, arcem prævalidam, præter alia loca quà maioris quà minoris momenti. Eapropter Galliæ Rex, seu Cæsaris victoriis solicitus, seu cupiens solicitudinem de se inijcere Cæsari, vt proinde Galli beneuolentiam is magno pretio compararet, passus est Petrum Strozzium clientem suum castra Protestantium adire.

* Adrianus lib. 5.

2 Ingrauescebat interim hiemis rigor. Quamobrem Farnesius Legatus, varios ibi morbos mitioribus anni mensibus perpessus, adeoque ab asperioribus sibi metuens, à Pontifice reditum impetrauit. Aliam Suauis causam huius reditus adducit: Indignatum videlicet Pontificem, quòd Cæsar noluisset ante Legatum in exercitu Crucem præferri, adeoque bellum illud ceu Religionis bellum declarari. Atqui nec in priuatis monumentis id comperio, nec apud historicos, præter Adrianum, tam ieiunè de his rebus edoctum, tam parum partis Pontificiæ studiosum, vt pluribus in locis ostendimus. Contra verò non solum constat, Octauium Farnesium cum Pontificio milite in ope Carolo ferenda perstitisse; sed ex arcanis monumentis perspectum habeo, * & Legatum multò ante hanc abeundi facultatem à Pontifice quæsiisse, à quo in Cæsaris gratiam est retardata, donec eo anno expeditionis exitus haberetur; & posteà, cùm rigescente anno eam concessit, fuisse Legatum inde profectum, gratificandi Carolo cupientissimum. Quod ipsum primò Tridenti patefecit, * quò 14. Nouembris peruenit. Ibi nihil habuit antiquius, quam à Pontificiis Cæsareisque administris mutuas diffidentiæ nebulas dispellere: quas, scribebat ille Pontifici, sibi videri nec optimæ, quam in Cæsare deprehenderat, voluntati conuenire, neque coniunctioni, quam idem cum Pontifice profitebatur. Quæ verba neque sunt animi indignationem fouentis in Cæsarem, neque eam in Pontificis animo suspicantis. Posteà conuentu habito

* Literæ Maffeij ad Ceruinum, 14. & 22. Octobris 1546.

* Habentur omnia in Epistola Farnesij ad Pontificem, Tridento missam 16. Nouembris.

1546. bito à Farnesio, duobus Legatis, Tridentino, ac Mendoza, tria sunt exagitata.

An rei Christianæ, armisque Catholicis magis expediret promul- 3
gatio Decreti de Iustificatione, quod in promptu erat; an illius ad aliquot menses prorogatio.

Vbi pars posterior eligeretur: An esset Synodo proponendus articulus de Episcoporum mansione in suis Ecclesiis; an illi per diploma prospiciendum, quod, pro eo ac par erat, Episcopis satisfaceret, vt pro dignitate & auctoritate residerent.

Quòd si in hoc quoque posteriori parti adhærerent: Quidnam de Concilio statuendum, ad cuius translationem numquam poterat Cæsaris animus inclinari.

De cunctis tribus Capitibus conuenere. Quod spectabat ad pri- 4
mum: Quando Concilium coactum fuerat Germaniæ causâ, vbi nemo tunc seu Catholicus, seu Lutheranus, ex Germanis aderat; hoc Decretum, quod omnium quæ tunc erant controuersiarum radicem petebat, non posse in huiusmodi rerum conditionibus plenè prodesse: cùm bellum fuisset susceptum, vt Lutherani ad obsequendum Concilio impellerentur, satius fore si interim res integra persisteret, bellique exitus quodammodò Concilij esset initium; alioqui præpeditum iri emolumentum illud, quod tanti sanguinis ac discriminis pretio parabatur. Incommoda quidem hac ex parte animaduerti, quà spectatâ mortalium famâ, quippe oblatraturâ quòd Decretum, quasi in illius Conuentus aluo tot menses gestatum, tandem non ederetur in lucem; quà multò magis spectatâ animarum salute, quæ à prauis Confessariis & Concionatoribus in præsentia deceptæ periclitabantur: verùm hæc incommoda non videri contrariis præualescere. Quod enim spectaret ad famam; quemcumque rectæ mentis hominem rationibus iam adductis manus daturum: ceterùm salutem publicam prodi ab eo magistratu, qui suas deliberationes seu vulgi dementiæ, seu improborum liuori subiicit: animarum verò incolumitati consuli posse, si negotium daretur Episcopis ac Regularium Moderatoribus, vt interim curarent eam doctrinam & concionibus inculcandam, & reipsâ exercendam, quæ post diuturnum examen agnita quidem fuerat pro vera, quamquam nondum solenniter promulgata.

In secundo Capite consenserunt omnes, ex vna parte non esse 5
conficiendum Decretum de morum correctione, dum sanctiones dogmatum protrahebantur; ex altera par non esse, ansam præbere calumniæ, perinde quasi dogmatis opus retardaretur correctionis

metu:

metu: proinde oportere à Pontifice præscribi morum leges per diploma, in Concilio recitandum & comprobandum. 1546.

6 De tertio: Cùm Cæsar suspensionem recusaret, & suspensio ad incertum tempus videretur suspicionem iniectura pluribus, quasi tacitæ dimissionis; optimum factu videri, si per sex menses suspenderetur Synodus: idque magis decorum censeri, quàm eamdem retineri claudam & elinguem. Eo pacto releuatum sumptibus Pontificem, bello suppetias continuaturum: Episcopos pauperes, infirmos, ac defatigatos respiraturos: Ecclesias suorum Pastorum aspectu fruituras: & apud cunctos homines in comperto futurum, Pontificem ac Cæsarem bonâ fide agere, suspensâ Synodo, vbi id publico bono conduceret; eademque apertâ, vbi id operæpretium foret.

7 Hæc inter illos ita conuenerant, vt integrum esset & Pontifici & Cæsari ea vel probare vel reiicere; & intereà perficerentur, quæ opus essent ad Sessionem celebrandam, vbi eius celebratio expediret. Etenim quamquam à Pontifice disertè potestas facta fuisset Legatis intermittendi Concilij, non modò [a] ad arbitrarium, sed ad certum tempus, vt cum Cæsare concorditer sese gererent; tamen reposcentibus Cæsarianis Cæsaris consensum, voluerant ipsi pariter in Pontifice mutandi consilij libertatem; eaque de causa traditam sibi potestatem occuluêre.

8 Visum est Legatis haud parum profecisse, quòd Cæsarianos adegerant ad amouendum velamen, suumque dilationis desiderium declarandum, & gratiæ loco suspensionem petendam. Suaserunt ergo Pontifici, [b] vti, statim ac Cæsar assentiretur, per diploma suspensionem statueret, veris in eo causis expositis; ab ipsis tamen non priùs expromendum, quàm certi essent, plerosque Patrum consensuros: sed aiebant, per illud sublatum iri necessitatem celebrandæ Sessionis, prout celebrari oporteret, si Decretum nomine Concilij conficiendum fuisset: Pontificem etiam initurum pacificam auctoritatis possessionem huiusmodi actus exercendi; atque ex his cuicumque schismati satis prospectum iri. Et quoniam intentis animis toti erant in subducenda ab eo discrimine Ecclesia, si Sedes vacaret, sicuti narrauimus; suadebant prætereà Pontifici, vt, captatâ ex emendatione morum opportunitate, diploma ederet ad confirmandam sanctionem Iulij Secundi in electos per simoniam; in quo simul decerneret, electionem à Purpuratorum Senatu habendam, tametsi Concilium extaret: se verò daturos operam, vt huiusmodi diploma vnà cum altero à Patribus comprobaretur. Mox nouo inito consilio existimarunt, vbi supersedendum esset Concilio, se

[a] Literæ Sfortiæ, 20. Octobris, de quibus fit mentio in Epistola Legatorum ad ipsum, 22. Nouembris.

[b] Literæ ad Sfortiam, 17. Nouembris 1546.

1546.

* Ad Storziam, 19. Nouembris.

illâ cautione id temporis opus non habere. Posteà re totâ iterùm perpensâ, Romani * scripserunt: Si Pontifici propositum consilium probaretur, omninò oportere vt illud ipse per diploma præscriberet: cum enim Patres adeò se progressos ad dogma sanciendum intelligerent, proniores præ se gerebant animos ad absoluendam Synodum, quàm ad suspendendam; ac proinde haud ampliùs huiusmodi consilium libenter suscepturos. Addebant, præsagire se, Cæsarem suspensioni numquam assensurum: indicantes in id consilij se potiùs deuenisse, tum vt Farnesio obsecundarent, cupienti aliquem ex opera sua concordiæ fructum decerpere; tum ne obduratos ad omne Cæsarianorum postulatum sese ostenderent, quàm quòd prosperum exitum sperarent.

* Epistola familiaris ad Ceruinum, Romà missa 27 Nouembris 1546.

Propositum consilium Romano Cœtui visum est quædam potiùs rerum indigesta implicatio, quàm opus ritè contextum. * Præcipue verò Moronus Cardinalis, per ingenuam loquendi libertatem, Collegisque magis animo quàm linguâ comprobatam, assignauit consilij debilitatem nimiæ Farnesij propensioni ad Cæsari gratificandum. Morono Ardinghellus Cardinalis ardenter obstitit, & res abiit in certamen: quod antequam Cœtus dimitteretur, silentio, pro eo ac par erat, compositum. At Pontifex quietis cupidus, quod à Legatis proponebatur amplexus est, diploma pollicitus, quo honestis Patrum postulationibus satisfieret; ac Legatos admonuit, vt interim sedulò Decretum digererent, quò maturiùs, vbi Cæsar conuenta respueret, eius sanctio in promptu esset. 9

Iam verò Suauis harum tractationum prorsus ignarus, paratique Pontificis animi Cæsari morem gerere in protrahenda mora, dummodò nec à suis Diœcesibus abessent inutiliter Episcopi, nec iidem in quodam exilio potius, quàm in Concilio per graues sumptus ac pericula Sedis Apostolicæ detinerentur: ignarus inquam horum omnium, non alio ex fonte, quàm ex maligni animi affectu notitias haurit, confidenterque affirmat, Paulum omnino iussisse promulgari Decretum; quia cùm id Cæsari displiceret, ex hoc ipso sibi conducibile existimabat, quippe vtrisque contraria spectantibus. Aliud quoque ineptè subdit, nimirum, fuisse veritum Paulum, ne quid Lutherani turbarent, vt qui cogerentur à Cæsare adire Concilium. Perinde quasi & ipse & ipsius decessores non id semper quæsissent per tot officia, tot nuntios, tot inuitamenta; quæ indigniora videri possent, nisi charitas studiumque Religionis dignitatem, Christi Vicario propriam, illis inspersissent: & quasi vberrima auxilia Cæsari nuper à Pontifice suppeditata huc non spectarent. 10

Intereà

11 Intereà Tridento discesserat vterque Cæsaris Orator, Mendoza 1546. • Venetias, Toletanus Florentiam ac Neapolim, ad varia sui Principis negotia transigenda; demandatâ ipsorum ibi procuratione Madruccio ac Paceco, qui tres prætereà Hispanos Iurisperitos consulerent, si quando illorum peritiam res exegisset. Quare hi duo Purpurati delatum à Carolo responsum Legatis reddidere. Illius summa hæc erat: • Cupere adhuc Cæsarem, vti Decreti promulgatio procrastinaretur ex causis aliàs adductis: ac prætereà, quia aliquod illius exemplum in Germaniam missum, ibique typis editum, haud plenè satisfecerat, proinde consultius adhuc reficiendum videri: simul etiam suspensionem à se recusari; felices siquidem armorum euentus spem faciebant, fore vt vniuersa Germania Concilio se submitteret; hoc certè haud effectum iri, vbi suspensum cerneretur, crederetúrque Concilium specioso nomine personatum, quod nunc in scenam se proderet, nunc inde subduceret.

• Literæ Legatorum ad Farnesium, 7. Decemb.

• Literæ Legatorum ad Farnesium, 10. Decemb.

12 Tunc Præsides, cùm intelligerent fieri non posse, vt iam indicatum schismatis discrimen seu per translationem seu per suspensionem effugerent, nollentque Synodi dissolutionem, quippe indecoram, & offensioni publicæ obnoxiam; animum omnes conuerterunt ad Synodum solicitè absoluendam. Vnde Madruccio ac Paceco responderunt, se rei propositæ consensisse, non quod eam expedire Sedi Apostolicæ arbitrarentur, sed quòd par erat saluâ conscientiâ voluntati Cæsaris obsecundare. Quando iam id Cæsari non placebat, nauaturos se operam, vt & Decretum & Synodus perficerentur; quod magis proderat Christianæ Reipublicæ: cui vniuersæ, & non soli Germaniæ, iam magna ex parte mortali tabe corruptæ, prospiciendum erat. Nisi Decretum promulgaretur, Patres ampliùs detineri non posse, qui tam impatientem promulgationis cupiditatem, tam auersum à Tridento animum præ se ferebant, vt eorum vtrique compertum erat. Quantum ipsi rei maturandæ studuissent; eosdem posse testari perpetuam accuratamque solertiam, septem ipsos menses impensam. Quòd si adulterinum aliquod exemplar typis in Germania impressum haud omnino placuerat, eò magis oportere dignitatem Synodi reparare, partu legitimo in lucem edito.

13 Hoc ipsum promoturi, eodem die retulerunt in generalem consessum, vt animum adducerent ad alterum Decretum de Episcoporum in suis sedibus mansione perficiendum; quod magno exceptum plausu: & non solùm Galli modestè significarunt, se prono animo • ferri ad Decreti absolutionem, quippe Galliæ optatissimi; sed Cau-

cus

1546. cus Corcyrensis Archiepiscopus tam acriter in eos qui retardabant inuectus est, vt Legati, ne crederetur à se Corcyrensis verba profecta, eius acrimoniam increpuerint, ex illius sapientis effato, Multa laudata puniri.

CAPVT XVII.

Dies Sessioni indictus. Decretum de Episcoporum in suis Ecclesiis mansione propositum. Suauis rationes de Sacerdotiis & immunitatibus expensæ.

* Literæ Legatorum ad Farnesium, 29. Decemb. 1546.

NAtalitiis feriis ineuntibus, nouem dies ad rem propositam considerandam Patribus concessi.* Dein collectis suffragiis, duæ tertiæ partes consensere, vti statueretur Sessioni octauus post Epiphaniam dies, sexdecim tantummodò repugnantibus, hoc est, cunctis Hispanis, aliisque nonnullis, Sedes suas in ditione Cæsaris obtinentibus; quibus accessere Marcus Vigerius, Senogalliensis Episcopus, & Richardus Parus Anglus, Wigorniensis Antistes. Tum acri studio de morum ordinatione, ac potissimùm de Episcoporum mansione agitatum. Per eam occasionem Suauis ab alto rem exorsus, primam graduum Ecclesiasticorum originem, & subsecutas deinceps varias consuetudines recenset. Cùm autem is multa dicat, & nihil probet, qui verò hac de re scripserunt ex professo, innumeri penè sint; haud equidem patiar ad longum diuerticulum trahi ab hac mendaciorum audacia: adeoque euitatis historiarum nimis prolixis tricis, ex iis quæ Suauis obseruauit nonnulla percurram. 1

Dicit, In Ecclesia primæua gradus Ecclesiasticos fuisse meros labores, haud præmia. Ita planè: atque ita in præsentia rem se habere vellet Suauis, & cum eo cuncti hostes Ecclesiæ vellent. Sed grates Diuino Numini agendæ, quòd ea tempora præterierint. Id tunc ex insectationibus, quibus Ethnici in Christianos debacchabantur, & ex communi odio in nostram Religionem proficiscebatur; vnde illius Ministri in magna rerum omnium penuria, præterquam ærumnarum ac discriminum, versabantur. Non desunt hodie in Ecclesia Catholica inflammata studia cum eisdem ærumnis hæc ipsa munia obeundi. Testantur id Britanniæ, Turcarum ditio, & immensæ noui Orbis Regiones; in cuius barbarie & incommoda duriora, & acerbiora sunt funeta, quàm olim apud Romanos idololatras. Dixi, nunc haud deesse in Ecclesia Catholica huiusmodi ardentia studia; 2

propter-

proptereà quòd studiosi reformatæ Ecclesiæ nouatores, tot euecti laudibus à Suaui, haud certe conspiciuntur ad huiusmodi calicem hauriendum accurrere. Sed iterum affirmo, agendas Deo gratias, quòd ea tempora iam desierint. Infidelium insectationes, iuxtà Sanctorum seminaria ac impiorum flagitia sunt; simulque efficiunt, vt multorum sanctimonia, tentationi succumbens, in impietatem degeneret: quare semper Ecclesia fusis precibus à Deo petiit, vt illas arceret. Ceterà non modò in veteri Testamento sacra ministeria honorum ac prouentuum copiâ cumulata sunt; sed post Christi aduentum, vel in Ecclesiæ, vt sic loquar, infantia, & cùm fidelium numerus nondum excreuerat, hi tamen sacris Ministris tam amplè, tam splendidè & opes & honores largiebantur, vt magnus ille superbusque Romanus tunc dixerit: * *Facite me vestrum Pontificem, & Christianus fiam.* 1546.

* S.Hieronymus Epist 61. & Baron anno 367. num.10.

3 Pergit detestari Suauis, tamquam intolerabilem corruptelam, Sacerdotiorum distinctionem, in ea quibus mansio affixa est, & in ea vnde licet abesse. Nihil planè miror: qui finem odit, ea præsertim odit, quæ ad finem conducunt. Enimuerò inter ea quæ sacri Ordinis, Regiæque Ecclesiasticæ splendorem sustentant, efficacissima est eorum Sacerdotiorum copia, quæ mansionem non exigunt. Et quò à suis primordiis eorum tum institutio tum vtilitas clariùs agnoscatur, oportet in memoriam redigere, vbi quod necessarium homini est non suppetit, de commodo cogitari non posse: eaque propter docere Philosophum, * priùs excogitatas artes vitæ necessitati seruientes; posteà verò conuersa fuisse ingenia ad eas reperiendas, quæ vitæ felicitati conferrent. Cùm autem id quo in Ecclesiasticis ministeriis necessariò indigent fideles, est vt Sacramentorum administratores, doctrinæ magistros, templorum cultores obtineant; quousque ea deessent, grauissimus foret abusus in alia redditus Ecclesiæ distrahere. Hîc equidem Suauem percontatus fuissem; Parciúsne hæc in præsentia habeantur, quàm priscis sæculis, adeò ab ipso commendatis. Proculdubiò non æquè tunc & cunctis vrbibus Episcopi, & cunctis oppidis Curiones, & cunctis vrbium vicis Parochi præstò erant atque in præsentia. Quantò minor tunc habebatur numerus Templorum Diuinis laudibus assiduè resonantium, & Religiosorum vbique concionantium, confessiones fidelium excipientium, Sacris operantium, Psalmodias iugi frequentiâ celebrantium? Vt proinde potiùs par fuerit huic ceu ingenti fluuio, pietatis aggeres obstruere, & Ordinum Regularium numerum coërcere. At verò postquam tam amplè consultum est peculiarium

* Lib.1.Metaphys.

1546. locorum indigentiæ, num fortè operæpretium non erat, prospicere pariter communi cuidam Aulæ ac Regiæ vniuersali, quæ posset alere, præmiisque allicere ingentem virorum multitudinem, scientiâ, nobilitate, meritis præcellentium, qui huic Reipublicæ deseruirent, Deoque in hoc vitæ genere se manciparent? Profectò nulla est vel perniciosior, vel insanabilior in hominum communitate penuria, quàm remunerationum inopia, cùm has erogare non licet, quin Respublica depauperetur. Quòd si æquè præmia ac supplicia in promptu forent, maioris negotij non esset efficere, vt virtutes egregiæ germinarent, quàm vt vitiorum stirpes euellerentur. Hoc posito, vnicum in Ecclesiastica Hierarchia ærarium ad hæc alimenta & ad hæc præmia ex iis Sacerdotiis conflatur, mansionis vinculo solutis: horum igitur affluentia, Ecclesiæ opplet vbera ad enutriendam virtutem.

Ita planè futurum, respondebitur, si pro ratione meriti fieret distributio præmiorum. At equidem repono; hîc non agi, laudandine, an vituperandi sint distributores, qui alij pro aliis ætatibus sunt, nunc probi, nunc mediocres, nunc etiam improbi, iuxtà ac in quauis Republica: in qua tamen præmiorum institutio nunquam noxia credita est ex distributione perperàm habita. Hoc vitium, vtique ab humana conditione magis minúsve insuperabile, quotidie Romæ à Concionatoribus e suggestu, à Theologis in libris editis vituperatur. At interrogo, An, quamuis post optime institutas leges adhuc in distributione peccetur, expediat Ecclesiæ, huiusmodi præmiorum ærarium apud se habere, an potiùs, quod vellet Suauis, eo carere? Quis ambigat de responso? Si illud habeatur, continget sanè aliquos indignos hinc ditescere, aliquibus dignis parcè consuli: sin verò tollatur, eueniet, neminem dignum quidquam consecuturum; nullam fore communem patriam, communem Regiam nullam: cuilibet necesse fore, vt si velit Ecclesiæ patrimonio ali, in oppidis degat, quà peccata confitentes audiendo, quà Psalmos decantando, remotus à frequentia, hoc est, à præstantissima mortalium schola, quâ ingenia, & doctrina, & prudentia mirificè excoluntur: &, quod pessimum foret, defuturum Ecclesiasticum Principatum, quo Ecclesia, vnitas, disciplina ac decus sustinentur, quemadmodum sæpiùs à nobis ostensum. 4

Neque quisquam inficiabitur, ab Aula Romana, tametsi suis aspersa labeculis, ali atque educari plurimam segetem virorum eruditorum, præsertim sacræ Literaturæ: cumque in multis aliorum Principum Aulis Aulici plerumque stipendio conducantur, qui ad 5

speciem ac pompam adsint; Pontificia in suis exigit ac remunera- 1546.
tur eas dotes, quæ naturam rationis compotem propriè condecorant, quæ Christianam Religionem exornant, quæ Rempublicam in terris felicem reddunt, eiusque ciuibus viam parant ad felicitatem in cælo. Adde, hanc ipsam immodicam Ecclesiastici prouentus largitionem, vni Capiti quandoque collatam cum aliqua iustitię distribuentis iactura, in plurimorum commoda conuerti: nam coniuncta simul & conscientiæ & existimationis calcaria, diuites Præsules extimulant ad magnifica pietatis opera, quibus summus honor exhibetur Deo, leuamen pauperibus, laborantibus alimonia, Ecclesiasticæ Regiæ ornamentum: adeò vt huiusmodi opera Romæ his duobus sæculis extructa, abundè forent ad excitandam venerationem simul & admirationem in nostram Religionem omnium Mahumetanorum Ethnicorumque Principum. Et tamen ne longo quidem interuallo id vsurpatum cernitur ab aulicis, cuiusuis alterius Aulæ gratiâ ditescentibus: id verò quoddam Reipublicæ bonum est, existens vel ex immoderata distributione Sacerdotiorum, mansionem minimè deposcentium.

6 Nempe libet pernoscere, num recta sit Suauis animaduersio? Cunctos Principes Dynastasque Catholicos sententiam rogemus. Fac, Pontifex legem promulget, omnibus Sacerdotiis mansionem adnexam: & palam fiet, an quisquam Principum legem illam comprobet; an existimet vnusquisque, rectæ Regnorum administrationi opus esse, vt plurima ex iis Sacerdotiis, ad quæ obtinenda ipsi Principes capita designant, conferri possint homini ibi non degenti, sed in Reipublicæ ministeriis desudanti. Neque in hoc de Principibus nobis quærendum: tunc potiùs iustè conqueremur, cùm à Reipublicæ negotiis excluderent Ecclesiasticos, qui plerumque proniores erunt quàm profani ad pia & religiosa consilia. Quamquam autem qui huiusmodi Sacerdotiis fruuntur, mansionis lege non teneantur; ipsis tamen haud leue imponitur onus, quod Suauis deridet, quia fortassis illud excusserat, recitandi scilicet quotidianas preces per sesquihoram, intentatâ lethalis noxæ pœnâ, & prouentuum in conscientiæ foro iacturâ; ac prætereà iniunctâ vitæ cælibis necessitate: quod adeò confert vt animus ad cælestia recolenda seriò adiiciatur, vt inhæreat studiorum labori, vt nobilium familiarum splendor retineatur; id autem oneris grauissimum accidit, cùm & animus, & honor, & progenies illius inquinetur, qui difficillimum huiusce continentiæ consilium non obseruat. Studia Germaniæ, Sacerdotum matrimonia assiduè efflagitantis, satis te-

1546. stantur, an sublatâ etiam mansione, grauissima adhuc pensio Sacerdotiis imposita relinquatur.

Refert insuper Suauis, Curionibus quoque indulgeri ne resideant, 7
per eam adiumenti vim, quâ cuncta Romæ obtinentur; quibus verbis pecuniam significat. At certum est, pecuniosiores esse Episcopos, quàm subiectos Curiones, adeoque patentiorem ea de causa huiusmodi relaxationum officinam Episcopis esse debere: & tamen licuit Montano fidenter affirmare, ne vnam quidem ætate suâ ab ipsis impetratam; nec fuit in Concilio, qui posset hominem falsi redarguere. Quare si per nimiam indulgentiam cum iis actum erat, qui minora Sacerdotia obtinebant, non certè omnipotentis auri vis illud effecerat, sed hominum propensio comparandæ sibi alienæ beneuolentiæ per concessiones, vbi secuturum inde incommodum tenue videtur: animo non aduertenti perinde fore, multa lapillorum millia ab vrbis mœnibus eruere, ac ea tandem diruere. Verùm, vtcumque tam noxia indulgentia tunc irrepserit, quânam ille ratione iactitet, Ecclesiam à Concilio in deterius actam? Curionum quispiam in præsentia auri pondera Romam conuehat, experiaturque, an valeat absentiæ facultatem impetrare, nisi grauissimam, maximeque perspicuam causam adduxerit. Profectò vix vnum è centenis nanciscemur, qui huiusmodi concessionem non inquam perpetuam, sed ne temporariam quidem ac perbreuem obtineat.

Quod autem ad controuersiam decidendam spectat, an Episcoporum suas apud Sedes mansio iure Diuino præciperetur, de quo multa Suauis per satyram intermiscet: cùm idem alibi fateatur, post impensum ex integro studium sedato animo, atque ab omni perturbationis nebula defæcato, nihil solidi repertum, quo ea sententia niteretur; opus non est, vt in purgandis Legatis illi contradicentibus immoremur: aliàs de ea copiosè disserendum erit. 8

Per occasionem enarrandi, quo pacto, vt Episcoporum in suis Ecclesiis mansio stabiliretur, ij petierint veterem sibi iurisdictionem restituendam, sublatis immunitatibus ab ipsorum potestate, per Apostolicam Sedem cuicumque concessis; hîc iterùm euagatur Suauis ad mirabilem quamdam chronologiam variorum in Ecclesia regiminum. Primùm, per Aristocratiam dicit fuisse Diœceses administratas à communi Presbyterorum consensu: ab his verò, quò discordiæ faciliùs euitarentur, sponte monarchicam administrationem inductam, cunctis Episcopo concorditer se subdentibus: Episcopos pariter minorum vrbium, maiorum Episcopo se subiecisse, earum præsertim vrbium, in quibus Cæsaris Præfecti degebant. 9

Miror

10 Miror equidem hominis frontem, instar oraculi pronuntiantis tot effata tam grauia, nullâ probatione productâ, & ne vno quidem verbo respondentis apertissimis demonstrationibus oppositis, quæ apud tot egregios sacrarum controuersiarum scriptores in ipsum vociferantur. Nolo tamen à mea semita deflectere ad quæstiones tam amplas, tamque agitatas: satis mihi sit, hac vnâ consecutione Suauem vrgere: Regiminis igitur Monarchici necessitas vsque adeò per ipsam periclitationem se prodidit, vt in singulis Diœcesibus conuenerit Presbyterorum communitas, de sponte abroganda à se possessa iurisdictione, eaque in Episcopis collocanda; tum Episcopi in quauis Prouincia consenserint in eadem Primatibus conferenda; durissimâ difficultate deuoratâ, quam experiuntur singuli in seipsis auctoritate spoliandis, & alterius imperio subiiciendis. Quod si id Presbyteri erga Episcopos, & Episcopi erga Primates libenter egêre, tametsi & illorum inter se, & horum pariter inter se continua commercia cœtusque faciliùs ex propinquitate intercederent; censendúmne sit, Primates, quippe inter se magis seiunctos, minusque idoneos conuentibus frequentandis, huiusmodi necessitate non compelli, vt se vni Principi submitterent, qui vniuersale regimen Ecclesiæ ad Monarchiam reuocaret? Quod cùm ita sit, argumentationem à me aliàs vsurpatam resumo, & quemcumque mortalium percontor: Liceátne nobis in animum inducere, à Corporata Dei sapientia huiusmodi regimen in Ecclesia constitutum, quod diuturnum non esset, & vbique terrarum de communi consensu breuî mutandum; an potiùs quod optimum foret, & quod deberet ac posset perpetuò permanere? Sanè quicumque huic rationi reluctatur, næ ille rationis est expers. 1546.

11 Commemorat post hæc Suauis immunitates ab Episcopi iurisdictione, quas Regularium Ordines à Romano Pontifice impetrarunt; illarumque causam assignat Pontificum eas largientium studio tuendæ supremæ suæ auctoritatis per eorum solertiam, qui huiusmodi priuilegiis perfruuntur. Esto: In primis hoc posito, necessè erat vt supremæ huius auctoritatis pacificâ possessione Romani Pontifices iam potirentur; alioquin immunitates ab illis concessæ nec apud Episcopos, nec apud Principes vllo fuissent in pretio. Id si admittatur, spectabat ad Ecclesiastici Principis prudentiam, eam auctoritatis eminentiam sartamtectam seruare; pro eo ac debet quicumque optimus Princeps suæ legitimæ iurisdictionis satagere. Porrò tam iustam auctoritatis suæ tutelam curarunt Summi Pontifices non armorum vi, artiumque præsidio, sed industriâ sanctissi-

 morum

1546. morum Cœtuum, & fluxa omnia despicientium, atque oculos hominum ad se trahentium admirabilitate vitæ, mortalem conditionem transgressæ: vt proinde nemini suspicari liceret, eos vmquam consensuros fuisse patrocinio tyrannicæ minimeque legitimæ auctoritatis.

Sed præter hanc aliæ quoque validissimæ causæ huiusmodi immunitatibus fauebant. Quædam ex his Pontifices impulit ad peculiares immunitates, quas huic vel illi Monasterio indulsere ante Alexandri Tertij ætatem, & quæ inceptæ videntur in Cassipatibus, Gregorij Magni, & Primi Lateranensis Concilij temporibus. Ea verò fuit Abbatum virtus, & egregia opera, ab illis ad Dei gloriam, hominumque salutem suscepta. Etenim ad magna molimina, & in remotis à supremo Principe regionibus opus est auctoritate nec finitâ, nec vlli subiectâ, cuiusmodi Romani suis Imperatoribus concedere consueuerunt. Hæc tamen causa, prout variant hominum opinamenta, haud plenè S. Bernardo probata, subuerito, hanc Monachorum appetentiam se à sui Episcopi iure subducendi, ex occulta superbiæ lue oriri posse. 12

Alia causa vniuersales exemptiones integris Ordinibus concedendas persuasit: huiuscemodi ab Alexandro Tertio Cistercienſibus concessæ sunt; & ab Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi, & ab Honorio Tertio, Prædicatorum ac Minorum Ordinibus. Ea verò fuit, quòd hæ familiæ sub vna eademque vitæ disciplina, eiusdemque Præsidis moderatione, per cunctas terrarum Orbis plagas dispergendæ erant: adeoque à vario Episcoporum iudicio arbitrioque regi non poterant; sed solùm à Moderatoribus supremo ipsorum Præsidi ritè subiectis: itidem ac nequeunt plures formæ, nullo inter se ordine colligatæ, vni corpori dominari. Nec alio pacto laudati Ordines sustentandæ Lateranensi Basilicæ collabenti, hoc est Ecclesiæ Catholicæ, opportuni fuissent: vaticinium profectò, quod re comprobatum est, vel ipso Nicolao Machiauello, sicut alibi monuimus, fatente. Et sanè parum vel nihil actum est id temporis in Concilio de abrogandis Regularium immunitatibus; sed potiùs maiórne minórve tribuenda esset Episcopis auctoritas, Regulares in quibusdam conditionibus puniendi. Actum quidem est, an alij priuati Ecclesiastici, eorumque Collegia, seu Capitula, vt vocant, sub Episcoporum potestatem redigenda; quæ omnia sicut posteà videbimus, composita. Grauis quidem, sed communis est hominum error, à proprio ipsorum amore profectus, per quem sibi quisque persuadet, æquum esse recuperare id, quo ipse vel ipsius maiores

iores semel potiti sunt, perinde quasi pro huiusmodi iure spolian- 1547.
dus & ipse non esset: cùm certum sit, quidquid vel ille obtinet, vel ipsius maiores possedête, aliquâ vetustissimâ tempestate nec penes eum, nec penes suos illud fuisse, sed penes alios, qui rem illam amiserunt.

CAPVT XVIII.

Congressus ac disceptationes de Concilij titulo, ac de Episcoporum in suis Sedibus mansione.

1 MAndata Legati acceperant à Paulo, * vt in primis curarent, ne in Decreto obligationis residendi, Cardinales disertis verbis nominarentur; censebat quippe, leges pœnasque supremis Principis Senatoribus nonnisi ab ipso Principe statuendas: nec eas ille distulit, sed paucis post habitam Sessionem diebus per se edidit, sicuti nostris Lectoribus infrà liquebit. Secundo loco, vti quæstionem declinarent, An Episcoporum mansio in suis Ecclesiis Diuini iuris esset: siquidem ad rem præsentem, vbi non de obligatione ambigebatur, sed quærebatur de pœna infligenda, necessaria nequaquam erat ea quæstio; quæ, vtpote inter partium studia nimis iactata, poterat contentiones morasque implicare; & vbi decerneretur, eam obligationem ad ius Diuinum pertinere, ansam præbere turbulentis ingeniis, in dubium reuocandi, num rata essent laxamenta, quamquam ad tempus concessa, rationique consentanea, quæ interdum Romani Pontifices indulgenda censerent.

* Literæ Farnesij ad Legatos, 30. Iunij 1546.

2 Quapropter Legati proposito memoratæ mansionis Decreto, * cùm de his duobus Capitibus non ab Hispanis modò, sed ab aliis compluribus fieri mentionem senserunt, conati sunt ea declinare. Et quod ad posterius attinebat, Montanus rationem aliàs à se adductam repetiit: Numquam videlicet à Pontifice mansionem in suis Sedibus Episcopis relaxari; adeoque cùm per inflictas à Partibus pœnas ad eam adigerentur, superuacaneum esse, in illius disputationis tricas se conücere, quæ nonnisi ad decurtandas Pontifici manus valebat, ne quid in eo genere indulgeret. Quod verò spectabat ad Purpuratos, affirmauit, & se & collegam ad residendum paratos esse, idemque sibi de reliquis Cardinalibus persuaderi; sed pro ea, quæ illius gradus ratio habebatur, haud certè permitti vt quasi rei nominarentur: posse tamen adhiberi vocum generalium formulas tam amplas, quæ Senatorium illum Ordinem pariter complecterentur. At pergentibus quibusdam instare, interdicendum,

* Præsertim in Cœtibus generalibus, 3. & 4. Ianuar. 1547.

1547. dum, * ne pluribus Ecclesiis vnus & idem præesset, quemadmodum Cardinalibus concedebatur, vnde necesse erat, vt is ab altera saltem abesset; primus Legatorum adiecit, Non posse vnâ eâdemque operâ rebus omnibus prospici: de eodem argumento in posterum agendum esse; & vbi lex proposita opportuna censeretur, eam à Pontifice sancitum iri: quod re effectum est; & iam Cardinales promptum ad id animum præ se gerebant, & Farnesius, vt à * se caperetur initium, proponebat. Sed quò palàm facerent Legati, morbum haud Româ profectum, addidere, Plures alicui Ecclesias concedi ex peculiaribus causis, Dei gloriam spectantibus; veluti Madruccio, qui post susceptas Tridentinas Infulas, Brixiensibus Canonicis sedulò efflagitantibus, & Romæ re maturè deliberatâ, alteri simul Ecclesiæ admotus est, vt bono publico consuleretur.

* In Cœtu generali, 8. Ianuarij 1547.

* Epistola Maffeij ad Ceruinum, 13. Ianuar. & Ceruini ad Maffeum, 26. ia. 1547.

Quæstio quoque in medium reuocata * de Concilij titulo, vti scilicet inscriberetur, *Vniuersalem Ecclesiam repræsentans*; quasi dogmatici Decreti grauitas id exposceret. Ad quod confirmandum, obseruatum est, in volumine Rituum Ecclesiasticorum, typis impresso, & auctoritate Leonis Decimi per diploma comprobato, libro primo capite *De Concilio*, haberi: Cùm Romanus Pontifex adest Concilio, confici Decreta Pontificis nomine, quibus adiicitur, *Sacro Concilio approbante*; at verò cùm Pontifex abest, confici nomine Concilij, adiectâ epigraphe memoratâ. Ad hæc iterarunt Legati rationes sæpius adductas: & quod spectabat ad Rituum volumen, falsum esse, quod tamquam ibi vsitatum affirmabatur, prout ipsi allatis exemplis ostenderunt: neque librum illum vllius esse auctoritatis; & in Pontificio diplomate solùm priuilegium typographo concessum contineri, quo ceteris libri editio interdicebatur. Præsidum autem ad singula capita responsio, multorum quidem ora compressit, sed paucorum animos sedauit. 3

* In Congregatione 11. Decembris.

Ad amouenda mansionis Episcoporum obstacula, hoc est, ad immunitates reuocandas, amplum diploma à Pontifice Legati accepêre, * quo sibi facultas data præscribendi quæ consentanea viderentur, vbi plerique Patrum ita sentirent. Verùm cùm rei tractationem & nimis latè patentem, & parum adhuc maturam animaduerterent, nec posset vnico veluti passu concoqui, satius habuere, in ea Sessione aliquantò ieiuniùs præ aliquorum fame procedere. Et post longas disputationes hæc Decreta composita: 4

* 6. Ianuar. 1547.

Synodus, ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, deprauatosq; in Clero & populo Christiano mores emendandos, accingere se volens, ab iis qui maioribus Ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumen-

sumendum: integritas enim præsidentium, salus est subditorum. Confidens itaque per Domini ac Dei nostri misericordiam, prouidamq́; ipsius Dei in terris Vicarij solertiam, omnino futurum, vt ad Ecclesiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumq́; prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordiis vsque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundùm venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quouis nomine ac titulo, præfectos monet, ac monitos esse vult, vt attendentes sibi, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant; implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ouium suarum (quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Iudice requirendus) custodiæ minimè incumbant: cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & pastor nescit. Ac nihilominùs quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaq́; cælestibus, ac diuina humanis præferentes, in diuersis Curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine, ouili derelicto, atque ouium sibi commissarum curâ neglectâ, se detinent occupatos; placuit sacrosanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum atque hominum iniuriâ penè in desuetudinem abierunt, aduersus non residentes promulgatos innouare; quemadmodum virtute præsentis decreti innouat; ac vlteriùs pro firmiori eorumdem residentia in hunc, qui sequitur, modum statuere, ac sancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causâ, nomine seu iure commissa, quacumque ille dignitate, gradu & præeminentiâ præfulgeat, legitimo impedimento, seu iustis & rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum vnius anni, fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso iure incurrat. Quòd si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat. Crescente verò contumaciâ, vt seueriori sacrorum Canonum censuræ subiiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, pœnâ interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrendâ infra tres menses per literas seu Nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animaduertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus vtilioribus 1547.

1547. *ribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire.*

Episcopis inferiores, quæuis beneficia Ecclesiastica, personalem residentiam de iure siue consuetudine exigentia, in titulum siue commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & Diuini cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensatâ, expediens videbitur, opportunis iuris remediis residere cogantur: nulliq; priuilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur; Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis tantùm concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris. Quibus casibus nihilominùs officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum, prouidere, vt per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quoad hoc, priuilegio, seu exemptione quacumque suffragante. 5

Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, & nemo sæcularis Clericus, cuiusuis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quò minùs, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. 6

Capitula Cathedralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorumq; personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quò minùs à suis Episcopis, & aliis maioribus Prælatis, per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta Canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolicâ possint & valeant. 7

Nulli Episcopo liceat, cuiusuis priuilegij prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia; & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.

Incredibile planè est, quantum in hisce Decretis Patrum sententiæ variauerint. Etenim præter illa tria capita præcipua, quæ iam retulimus, aliqui ex Hispanis vnà cum Paceco volebant, * vti cura cogendi Episcopos ad residendum, demandaretur Conciliis Prouincialibus, vnoquoque biennio celebrandis. Alij cum Lippomano Veronensis adiutore dicebant, Hæc Concilia meritò prætermissa, quòd plerumque ex profanorum Principum arbitrio habebantur, & quandoque eorum gratiâ, vt Romano Pontifici opponerentur; 8

* In Cœtibus generalibus, 3 & 8. Ianuar.

quod

quod per exempla à trecentis postremis annis in comperto erat: & 1547.
quamuis antiquioribus sæculis rectius,& ingenti cum fructu præcessissent, plurimas tamen hæreses inde subortas.

9 Erant qui grauiores pœnas poscerent in absentes Episcopos, quàm per antiquos Canones irrogabantur. Erant qui cuperent, vt disertis verbis declararetur, ne à Regibus quidem Episcopos solui posse obligatione residendi, quòd suis in Consiliis ipsos detinerent: verùm id aliis non probatum, ne Principes læderentur. Alicui displicebat ea limitatio, quâ legitima obstacula excipiebantur: at alij ceu necessariam agnoscebant; nam alioqui nec obseruari lex potuisset, & dictis Canonum aduersaretur. Petebatur à nonnullis, Vti Regulares citra omnem exceptionem, quando extra Cœnobia deliquissent, ab Episcopis plecti possent. Denique alij alia incrementa iurisdictionis Episcopis tribuenda rebantur. Sed moderatiores intelligebant, magnas rerum vel in melius mutationes, omnes multum subire periculi ac violentiæ; nec à Natura attis magistra fuisse medicamenta procreata, quæ morbis ingentibus subitariâ curatione mederentur.

10 Inter hanc opinionum varietatem sperabant Legati, plerosque, vbi ad rem ventum esset, media consilia suscepturos: sed cùm in postremo Cœtu generali suæ quemque sententiæ tenacem cernerent, Patres rogarunt, ne saltem in celebranda Sessione discordiam ostentarent obstrepenti verborum contentione; sed eam obtegerent in luce publica quàm placidissimâ suffragiorum significatione. Porrò Sessionem destinato die 13. Ianuarij habuerunt. In ea internenere quatuor Cardinales, decem Archiepiscopi, & quadragintaquinque Episcopi,* sed nemo ex Regiis Oratoribus: Cæsariani aberant, sicut dictum est: Galli negarunt se adfuturos, causati, nolle se offensionem Cæsaris, cui displicere huiusmodi Decretorum promulgationem aiebant; & huius rei argumento esse illius Oratorum absentiam; Mendozam videlicet facilè Venetiis regredi potuisse. Suspicio Romæ fuit, id potiùs in Protestantium gratiam effectum, quibuscum arcanum fœdus à Francisco Rege agitari mussitabatur: vnde Oratores Galli, vt hanc fortasse incusationem infringerent, polliciti sunt, vbi Paceus scripto profiteretur (quod ille recusauit) se Cæsaris nomine adfuturum, ipsos quoque non defuturos. Sacris solennibus operatus est Andreas Cornelius Spalatensis Archiepiscopus, & Thomas Stella Dominicanus, Salpensis Episcopus, concionatus.

* In Actis.

11 Decretum de Iustificatione primo loco propositum, & admira-

1547. bili concordiâ confirmatum. Quidam dumtaxat datis schedulis toties recantatum titulum Synodi postularunt: sed inter eos Pacensis Antistes, adductis in suo libello ad eam rem plurimis rationibus, ibidem vnà professus est, execrari se quamcumque Synodum schismaticam, ac Romano Pontifici minùs obsequentem, simulque agnoscere in ea Synodo repræsentationem huiusmodi ex vi Pontificiæ auctoritatis, quæ & Synodum conuocauit, & ipsi præerat. De formula Decreti contestatus est Vigerius Senogalliensis Antistes, eam videri sibi nimis parcè loqui de Fide ac Diuina misericordia: quod verò spectabat ad negandam certam susceptæ gratiæ notitiam, comprobari sibi Decretum, dummodò hæreticorum opiniones solùm reiicerentur, sicuti Synodus constituerat. E contrario Balthasar Eredia Dominicanus, Episcopus Bossensis, petiit, vt verba certam illam notitiam damnantia, in Canone decimoquarto collocarentur, adeoque anathema eam notitiam tuentibus infligerent. Ceteri per summam venerationem ac lætitiam Decretum integrum comprobarunt.

Verùm par huic concordiæ exorta discordia de memoratis disciplinæ Decretis. De quibus tum variis tum oppositis schedulis adeò certatum est, vt nihil tunc certi stabilire licuerit, easque Legati seposuerint recognoscendas, vt in generali Cœtu ex maioris partis consensu res decerneretur: quod post longam disputationem effectum in Cœtu 25. Februarij, in quo illa sancita, plerisque Patrum assentientibus, quemadmodum exponemus. 12

Dein futuræ Sessioni dies præstitutus 3. Martij. Mox accusata Patrum absentium contumacia, datumque negotium, vt in eos pœnæ denuntiarentur, exceptis Patribus qui legitimè impedirentur; quales esse Germanos, de plurium sententia exploratum habebatur. Id verò demandatum Antonio Filolio Aquensi Archiepiscopo, Didaco Abala Episcopo Asturiensi, & Ioanni Baptistæ Cicalæ Albegensi Antistiti & Apostolicæ Cameræ Auditori: cui, itidem ac multis aliis, profuit, egregias animi sui dotes in illis magni ponderis rebus gerendis patefecisse Montano ad consequenda primaria decora, cùm eorum distributio penes illum fuit. Postremò Patres omnes vetiti, ante Sessionem Tridento secedere. 13

Potest sanè Concilium de præcelsissimo suorum operum eo die gloriari; quo scilicet primùm Ecclesiæ nouæ Diuini Spiritus afflatâ luce, hominem plenè docuit suæ processum originis, suæque conditionem naturæ: non quatenus mortalis hic nascitur, quæ explicatio, summa est physicorum doctrina; nec quatenus inter maiores suos

suos aliquem Principem antiquariorum industria iam extinctum recenset, quod repertum exquisitissimum est: sed quatenus alia longè abstrusior longeque splendidior ipsius generatio ius illi tribuit ad beatam immortalitatem; eique agnoscendum proponit, ceu Parentem suum, supremum quemdam Principem, semper viuentem, semper regnantem. 1547.

CAPVT XIX.

Quæ Suauis alieno nomine hisce Decretis opponat.

1 Suauis, quò se leuiùs edoctum detegit eorum quæ ibi contigerunt in his conficiendis Decretis, eò exactiùs se conscium venditat eorum, quæ de illis iam promulgatis homines opinati sunt: imitatus in eo Bonarrotum, qui voluit, vti simulacrum à se confectum, ad breue saltem tempus veteris alicuius sculptoris opus crederetur; sed cum hoc discrimine, quòd ille suæ artis miracula alteri assignauit, Suauis sui liuoris abortus alteri appingit. Dicit, Episcopos in Aula Romana degentes, iamdiu solicitos de futuro suas apud Sedes mansionis Decreto, post ipsum editum tranquillo fuisse animo, pro certo habentes, nihil amplius inde effectum iri supra anteacta Pontificum Decreta. Quænam istos solicitudo priùs agitabat, quæ per eum euentum in tranquillitatem abiret? Num priùs fortè verebantur, ne Deus obsignatis publicè tabulis, suam omnem potentiam vadem faceret ad Episcopos in ipsorum Ecclesiis vinciendos, aut ad eosdem per immissas Angelorum legiones ibidem carceri mancipandos? Quidnam aliud à Concilio pertimescerent, præter leges, pœnas, pœnarumque exactores; quod totum in Decreto continebatur? Antiqui Canones diu quidem valuere; postea, æquè ac cuncta humana, debilitati. Non tamen quòd vetus paries corruerit, frustrà nouus erigitur, tametsi processu temporis idem collapsurus, nouæ iterùm restaurationis indigeret.

2 Amplificat deinde deploratam à minoribus Aulicis miseriam, qui coacti degere apud inferiores Ecclesias, Romæ impetratas, post diuturnos labores ærumnosam relegationem pro præmio reciperent. Sed hinc palam fit, obsequiis præstantioribus auctiora præmia deberi, cuiusmodi sunt Sacerdotia mansionis immunia, quæ Suauis adeò detestatur.

3 Ab Romanorum affectibus, ad Germanorum censuras progreditur. Ac primò quidem refert, Fidei Decreta fuisse visa de rebus subtilissimis & obscurissimis, *cùm in eo versarentur: An quod primum*

1547. *obiicitur voluntati, operetur in ea, an ipsa in illo, an vtrumque simul & agat & patiatur.* Næ iste vel quantum despiciebat, tantum ignorabat philosophiam; vel studebat, perinde ac ij qui cum cacodæmone colligantur, noctem in meridie diffundere. Quis vnquam, qui vestigium in Lycæo semel impresserit, ignoret, ab eo, quod cuique obiicitur, operationem inchoari in facultate ad appetendum nata, per obiectæ rei notitiam, excitatis ibi quibusdam motibus inefficacibus, & non deliberantis consilij, quos, si secundùm physicam rationem loquamur, animus ipse simul efficit ac patitur; quo pacto quælibet res viuens se habet in suis motibus vitalibus, qui omnes & ab ipsa procedunt, & in ea resident, quippe in materia subiecta: sed eorumdem motuum ab anima procedentium absque deliberatione rationis, eadem anima solùm est causa patiens, secundùm moralem considerationem; quoniam ipsi non imputantur, perinde ac si ab ea non essent profecti; quippe quæ à re obiecta ad eos excitandos compellitur. Quis pariter nesciat, post hos motus, haud liberè editos atque inefficaces, sequi voluntatem efficacem ac deliberatam, quæ est in arbitrij potestate: adeoque ab eo, tamquam à causa effectrice, progigni etiam secundùm moralem considerationem, eidemque laudi aut vituperationi verti ex communi hominum sensu. Quibusnam tenebricosis mysteriis eas pellucidas definitiones studet Suauis inficere! Quàm ineptæ similitudines ab excentricis & epicyclis petitæ: quas hîc non recenseo, ne meos erga lectores putidum imiter morem, in Galateo, hoc est, in Italico Ioannis Casæ de Vrbanorum moribus tractatu, reprehensum, hominis inurbani, qui admotâ alterius naribus herbâ fœtidâ odiosè vrget: *Olfacta fœdes tetrum odorem.*

Enumerat posteà distinctiùs ea quæ Grammatici, Theologi, Historiæ Ecclesiasticæ periti, ac Politici opposuere. Satius quidem illi 4 fuisset à Grammaticis castigationibus se abstinere: nec enim pudendum erat, parum se cùm Latinam tum Italicam linguam callere, quod ipsius Opera patefaciunt, & ex parte eius Vitæ scriptor, an encomiastes, non dissimulat; cùm ipse huiusce peritiæ loco, nobiliori esset præditus literaturâ: at pudendum sanè est, illius, quam ignorabat, sibi iudicium arrogare; in eo quippe ridiculi in scena comica Pædagogi partes agit, auderque læsæ Grammaticæ insimulare viros omni doctrinæ genere excultissimos, qui tunc Romam ac Tridentum conuenerant; in quàrum vrbium altera Decreta formabantur, in vtraque expoliebantur.

Narrat, Grammaticos irrisisse eam Capitis quinti formulam, in 5 qua,

qua, vbi sermo est de voluntate, quâ Diuinæ inspirationi homo consensit, dicitur: *Ita vt neque homo ipse nihil omnino agat*: id verò, quia ea formula duas negationes continet, quæ ob interiectam particulam *omnino*, nequeunt in vnam affirmationem resolui. Certè, si res ita se habet, ipse quoque in Grammaticam peccaui, cùm eam Italicè ita reddidi: *Tal che ne l'huomo rimanga a fatto senza far nulla*. 1547.

6 Enimuerò ab eo quæsierim: Verúmne sit Dialecticorum effatum, Cuilibet dicto alterum contradictum opponi posse. Vbi ille in mei gratiam id concesserit, rogarem, vt me doceret, quodnam contradictum opponatur huic dicto, quod volebat Synodus in Luthero damnare, *Homo Diuinam inspirationem recipiens, nihil omnino agit*; nisi illud, quo vtitur Decretum ex omnibus Dialecticorum legibus; illud inquam, quod particulam negantem Lutheranæ affirmationi præponit. Deinde videamus, an huiusce rei exempla suppetant apud scriptorem aliquem, à Grammaticis minimè aspernandum. An fortè huiusmodi Marcus Tullius? Ita quidem putauerim. Hic verò in Dialogo de claris Oratoribus hanc vsurpat loquendi formulam: *Neque Sulpitio, neque Cottæ dicere possumus, neque cuiquam bono Oratori, rem vllam ex illis quinque partibus planè atque omnino defuisse*. En tibi duas negationes, alteram *neque*, alteram *defuisse*, & pariter *omnino*, imò etiam illi additum *planè*.

7 At quoniam Suauis, vt in Philosophia spernit Aristotelem, perinde posset ad eos accedere, qui Ciceronem in Grammatica criminantur; nolo mihi auctoritas satis sit, nisi rationem in promptu habeam: neque mihi indecorum existimauero ea de arte differere, de qua Philosophorum Princeps haud se duxit indignum duos libros [a] conscribere; & [b] maximum inter Patres, accuratum libellum condere. Quam vim obtinet vox illa *omnino*, & vox *planè* prope negationem? Eam sanè vim obtinet, quam ostendemus. Quod minimum est, prout Iurisperiti obseruant, habetur pro nihilo in communi hominum sermone; vt proinde qui minimum habet, nihil habere dicatur; qui minimum agit, dicatur nihil agere. Nec huiusmodi enuntiationes ceu mendaces, falsæve damnantur. At cùm adiicitur ea particula *omnino*, declaratur, negationem adiunctam per latiorem significationem minimè accipiendam, quasi eius veritas minutius aliquid rei negatæ secum admittat; sed per significationem propriam ac pressam, quæ omnem qualemcumque gradum atque atomum ipsius excludat. Vnde, tametsi id quod in sua iustificatione agit homo, nihil dici posset, præ eo, quod in illa Deus efficit, quâ ratione dixit Psaltes: *Et ego tamquam nihilum ante te*; haud tamen

a Peri hermeneias.
b S. Augustinus.

1547. tamen dici potest, esse *nihil omnino:* quemadmodum homo non est reuerà *nihil omnino* coram Deo. Num alicui volupe sit, vt, quò Suaui plenius gratificemur, eam negantem enuntiationem in affirmantem resoluamus; quod ille fieri non posse obiectabat? Resolutam accipe: *Homo inspirationem recipiens, rem aliquam saltem minimam efficit.* Paríque verborum ambitu memoratum Tullij dictum ad æqualem affirmationem ita redigi potest: Quicumque bonus Orator, obtinuit in aliquo saltem minimo gradu quamlibet ex illis quinque partibus recensitis.

Iam verò ad Theologorum censuras pergamus. Opponebant hi, 8
si Suaui credimus; Positâ definitione, quòd homo possit inspirationi Diuinæ dissentire, haud ampliùs Ecclesiæ licere vsum publicæ veterísque precationis, *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* At ego istos interrogassem, Num diues ille Euangelicus, qui fecit cœnam magnam, & acceptâ à priùs inuitatis repulsâ, seruum iussit per vicos & plateas cæcos & claudos quærere, & adiecit: *Compelle eos intrare:* num hic, inquam, per ea verba præceperit seruo, vt vim illis inferret, adeò vt nullo pacto dissentire illis integrum esset, suasque res peragere, quantumuis obstinatè id peruellent. Profectò nec ille seruus adeò pollere viribus dicitur, vt ad id tot homines cogeret; nec, quantumuis polleret, id eniti poterat extra metum pœnæ à Magistratu sibi infligendæ. Vox ergo illa, *compelle*, importabat, *eos inuites, exhortare, ita impellas, vt reipsâ veniant, quamquam nec per se quidquam habeant, quo mereantur ad cœnam ingredi, nec oculis per se vti valeant ad cognoscendam, nec pedibus ad ineundam viam.* In hanc sententiam vsurpat Ecclesia verbum *compelle.* Etenim cùm accedere ad Deum, quædam sit actio voluntaria; cui dubium sit, vocem *compelle* non posse intelligi secundùm propriam significationem, quâ inuita ac violenta actio significatur? cùm homo, sicut acutè Augustinus obseruat, cetera omnia possit agere nolens, præterquam velle.

Addit, eos animaduertisse, haud ampliùs nobis licere cum Paulo dicere: *Ab homine non proficisci id quod vasa iræ à vasis Diuinæ misericordiæ separat; cùm id quod separat, sit illud nonnihil omninò, hoc est, ex parte hominis.* At isti, si Theologi erant, quo pacto non obseruarunt, ante illud *nonnihil omnino*, adesse aliud quod separat? Vt rem vel minùs eruditis explicem, quibus Suauis studet arundines pilorum loco venditare, vtar Euangelij similitudine paulò antè prolatâ. Illi claudi atque cæci ad cœnam accedentes, proculdubiò *nonnihil omnino* egerunt; etenim ipsi ingressi sunt, & non aliorum mani- 9

manibus sublati: verumtamen id quod eos ab aliis inuitatis secreuit, non fuit illud *nonnihil omnino* ab ipsis præstitum, sed efficacior ille modus inuitationis à Domino imperatus, & adhibitus à seruo erga illos. Ita se res habet, de qua agimus. Quis est qui secernit inuitatos ad Dei mensam accedentes, ab iis qui eam respuent? Augustinus commonstrat: nimirum est ipse Deus, cùm hominem vocat *quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat:* quod per alias voces diceretur, *vt ipse efficiat illud nonnihil omnino*. Et hoc idem affirmatur ab alio Augustini asserto, quo vtitur Concilium: *Voluit esse merita nostra, quæ sunt ipsius dona*; nam illud ipsum *non omnino nihil*, Dei beneficium est. Nec sanè sanctus Paulus, à Suaui nuper obiectus, exclusum voluit illud *non omnino nihil*; quandoquidem eâdem Epistolâ adeò solicitè cohortatus est ethnicos ad Fidem conuersos, ne superbirent, neque ita se gererent, vt quemadmodum Deus Hebræos deseruerat, ita pariter nouam hanc sibi adoptatam familiam desereret; tot illius Epistolæ capitibus impensis, vt ipsos ad honesta opera impelleret: & quando etiam alibi * Corinthios monet, *Ne Dei gratiam in vacuum recipiant.* Quæ cohortationes ad[illegible]nita fuissent inepta, nisi ij etiam ad quos habebantur, possent conari illud *non omnino nihil*. 1547. * Epist. 2. cap. 6.

10 Ex his patet insuper imbecillitas alterius obiecti, quod refert Suauis, aduersus id quod habetur capite septimo; hoc est, *Vnicuique dari iustitiæ mensuram secundùm Dei beneplacitum, & propriam cuiusque recipientis dispositionem*; perinde quasi pars altera vera esse non possit, nisi falsa sit altera: & non intelligebant isti, vel, quò veriùs loquar, iste, posterioris partis veritatem potiùs cum prioris veritate connecti. Etenim ipsa maior minórve hominis præparatio, Dei gratia est, quæ ex ipsius misericordia ac liberali voluntate distribuitur. In quam sententiam Augustinus locutus dixit: * *Ipsa vita æterna etiam gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideò, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* * Epist. 105.

11 Nec minùs languet alia cauillatio, quòd hìc definierit Synodus, posse quemlibet hominem iustum Diuina præcepta seruare; & anteà è contrario in secundæ Sessionis Decreto fuerit cunctos fideles cohortata, vt expiatis per confessionem peccatis, sumptoque Eucharistiæ Sacramento, Diuina præcepta seruarent, quantum quisque possit: quæ limitatio fuisset, inquit, impia, si possunt absolutè seruare. Num Suauis duas hasce voces minimè distinguebat, *absolutè*, ac *perfectè*? Poterat vnusquisque præcepta abso-

1547. lutè seruare, eadem seruare perfectè non poterat, videlicet citra omnem teporem, omnemque lapsum in venales noxas; quod ne iusti quidem præstare possunt, sicuti Synodus in eodem capite declarat. Ac sanè aliud est dicere, *quantum quisque possit*, aliud esset dicere, *quæ*, *seu quoties quisque possit*: quo pacto dici oporteret, quando vel aliqua ex præceptis, vel aliquoties ea seruari non possent.

Gradum deinde facit Suauis ad Historiæ sacræ peritos, eorumque castigationes ita colorat: A cunctis simul Conciliis tot articulos haud fuisse decretos, quot in hac vnica Sessione sunt definiti. In primis, haud animaduerterant isti, in qualibet disciplina pauca quidem esse principia, consecutiones verò plurimas; cùm vnumquodque principium fœcundum veluti semen sit innumerabilium deductionum: principia eorum quæ hîc agebantur, hoc est, gratiæ necessitatem, ac arbitrij libertatem, fuisse à veteribus Conciliis stabilita, ceu ab Arausicano, Valentino, ac Mileuitano, Prouincialibus iis quidem, sed ab Ecclesia & Apostolica Sede comprobatis: atque eadem principia partim iterùm confirmari, partim explicari per ipsorum legitimas consecutiones à Tridentina in ea Sessione, paucis additis articulis, qui non implicitè saltem fuerint definiti per Synodos superiores. Præterea tot decisionum causa Luthero eiusque familiæ tribuenda, qui tot hæreses protulere; paria siquidem venenis pharmaca conficiantur oportet. 12

At quantæ desipientiæ ac vecordiæ est ludibrium illud, Bonam huiusce rei partem Aristoteli referendam; qui nisi studuisset causarum genera solerter distinguere, multa nobis Fidei dogmata defutura? Cur non idem verius affirmaretur de antiquioribus Conciliis, cuiusmodi fuerunt Ephesinum, Chalcedonense, & subsecuta, in quibus tam subtiliter actum, quo pacto inter se discernerentur hæ voces *substantia*, *persona*, *seu hypostases*; quod à doctis illis Patribus effici neutiquam potuisset, nisi e Græcæ sapientiæ fontibus Philosophiam hausissent? Lustrentur Orationes celeberrimæ S. Gregorij Nazianzeni aduersus hæreses, de impenetrabili Trinitatis mysterio, quæ Orationes *Theologi* cognomentum in Ecclesia sunt illi promeritæ; & facilè quisque deprehendet, quàm ille sapienter inter Oracula Palæstinæ, documenta Stagiræ Athenarumque miscuerit. Quemadmodum, nisi Grammatica formas vniuersales ad exprimendos mentis conceptus nobis suppeditaret, nesciremus profectò de rebus sacrosanctis loqui; ita nisi Aristoteles, aut Philosophia notitias vniuersales præberet, cunctis rebus communes, haud certè 13

certè possemus, adiectâ nobis Dei reuelantis luce, ipsas vsurpare ad ea quæ naturam superant explicanda. Theologicis doctrinis eo pacto Philosophia prodest, quo auxiliares milites exercitibus; nimirum vt seruiant, non imperent. 1547.

14 Subsequuntur habitæ à Politicis obiurgationes; Quòd Canone vicesimo declaretur, iustum etiam obligari ad explenda Dei Ecclesiæque præcepta; at profanæ potestatis præcepta reticeantur. Vbi suam piam commentationem inducit Suauis, affirmans, id fieri Ecclesiasticorum arte, persuadere studentium, obsequium in profanis Principibus exhibendum, vt tantummodò pœna temporaria vitetur; at obedientiam ipsis Ecclesiasticis exhibitam, esse viam vnicam, quâ ad cælum ascenditur. Vellem equidem, vt ille protulisset huius doctrinæ, vel etiam deterioris auctores. Hi sunt in primis recentes hæretici Trinitarij, [a] Anabaptistæ, ac Lutherus ipse, qui cunctis terrenis Principibus auctoritatem abrogant obligandi quocumque modo fideles. Contrà verò huiusmodi potestas saltem ad legitimum pœnarum vsum admittitur à cunctis Catholicis, tamquam Fidei dogma: & ad obligandum in conscientiæ foro affirmatur à Theologis [b] Romæ magis addictis, & magis probatis: opinio verò contraria nec excipitur ceu à censuris libera, neque nunc tradi permitteretur. Verumtamen quoniam eam habuerunt Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, & Iacobus Almainus, Parisiensis quoque Theologus; & in eam inclinarunt aliqui ex Iurisperitis, ceu Ludouicus Romanus, & Philippus Decius, scriptores Pontificiæ auctoritati infensi, Synodus, Catholicorum sententias haud assueta proscribere, nihil censuit de ea definiendum; neque profani Principes id postularunt. Huc accedebat, tametsi tutior sit doctrina, posse à profanis Principibus per suas leges subditorum conscientiam obstringi; adhuc tamen superesse aliam inter Doctores magis ancipitem controuersiam, An horum leges reipsâ hanc obligationem afferant; cùm id multi negent, quippe existimantes, eam obligationem à Legislatoribus haud intendi, sed solùm eos velle metu pœnarum subditos coërceri. Ad quam interpretationem huiusmodi scriptores impellit vniuersalis regula: Sanctiones odiosas esse arctiùs intelligendas, ac benignius accipiendas. In hac itaque controuersia, cuius vtramque partem docti viri propugnabant, & in qua non de potestate, sed de voluntate certabatur, par non erat, vt quidquam Synodus constitueret.

[a] Vide Prateolum, anno 1520. & Bellarm. lib. 3. de Laicis cap. 2.

[b] Vide Suarium de Leg. lib. 3. cap. 22.

15 Post hæc pluribus Suauis inuehitur in Decretum de reparanda disciplina, ac mansione Episcoporum suas apud Ecclesias, tam-

1547. quam in vanum ac infructuosum. Ego verò absque morosо disputationum tædio breui defensione vtar, quam me docuit Alexandri medicus; qui calumniæ, quòd ægroto Principi venenum in poculo dedisset, respondit, *Tua salus erit mihi pro defensione.* Intendatur animus in Ecclesiæ incrementa post illud Decretum, & post alia deinceps in ea re à Concilio confecta, spectatâ Episcoporum præstantiâ, & assiduitate mansionis in suis Sedibus: atque hinc arguatur, inutilísne fuerit hic Patrum labor, an maximè fructuosus.

Suis censuris alieno nomine personatis alias adiicit Suauis, quibus noluit suum nomen fraudare: & quæstionem proponit, statim exortam inter Sotum & Catharinum, inde arguens, ne ipsis quidem earum sanctionum auctoribus satis exploratum fuisse ipsarum sententiam. Hac de re iam suprà egimus, nec parcè: iuuat tamen vniuersale quoddam documentum apponere, non tam ad huiusmodi sophismata diluenda, quàm ad declarandum, cuiusmodi Concilij definitionibus in re quacumque fides firma debeatur. Cùm verba Concilij clarè patent, articulus plenâ fide credendus est, vetamurque vel minimùm dubitare. Cùm verò in vna parte, ac peculiari significatione ambigua sunt; sed tamen in altera saltem parte, & in significatione generica clara sunt; cuiusmodi vidimus ea esse, de quarum interpretatione Sotus & Catharinus quæstionem inierant; tunc ex parte quâ clarescunt, articulum constituunt, Diuinâ Fide plenè credendum: at quâ parte ambigua sunt, articulum per se quidem Fidei dogma conficiunt; (quicumque enim scit, quænam exactè fuerit Synodi voluntas ac intentio, debet absque vlla dubitatione credere, ac Fide Diuinâ, illam etiam partem ambiguè significatam) non tamen secundùm eamdem partem est Fidei dogma respectu omnium, nisi sub hac conditione, *vbi Synodus rem ita intellexerit.* Quisquis autem certâ huiusmodi notitiâ caret, illi sanè haud satis proponitur articulus tamquam Fidei dogma. 16

Interrogat ad hanc rem Suauis: Concilij nomen quidnam sonat? Tum varia responsa comminiscitur, & singula cauillis carpit. Stulta profectò interrogatio! Sonat idem, quod intelligimus nomine *Senatus*, & vulgò nomine *Rotæ, Parlamenti, Dietæ:* cùm inquiritur, quid illorum Decreta ac sententiæ sibi velint; hoc est, intelligimus tantam illius communitatis partem, quanta satis sit Decretis legitimè sanciendis. Et vbi tanta pars non conuenerit in vnam eamdemque seu specie seu genere significationem, 17

tunc

tunc reipsâ definitio promulgata vim non habet; non solùm ex accidente, & quia subditi pendent illius incerti, sed ex ipsa rei natura ac veritate: adeoque nulla posset assensio Fidei ex vi exterioris illius Decreti exerceri. Illud enim reuerà Decretum non esset, cùm in vlla re pronuntianda minimè concordauerint ij, qui potestatem ad decernendum necessariam constituunt. Atque eadem natura congruit sententiis ab aliquo Iudicum cœtu prolatis, legibusque ab aliquo Senatu conditis. Euenire quidem potest, Senatum conflari ex pluribus idiotis ciuibus, qui non plenè quandoque percipiant vim alicuius legis, ipsorum nomine promulgatæ; sicut fortasse contingebat Romanorum plebiscitis: non tamen idcircò ea actio irrita est; quoniam ciues minus docti velle solent legem latam secundùm eam sententiam, quam habent vel delecti ad id homines, vel plerique suorum ciuium peritiores, seu pauci seu plurimi ij sint. Atque eodem facto, si quis Patrum in Concilio subtilius aliquid ex Theologicis haud intimè penetraret, verisimile pariter esset, eum voluisse in eo sequi doctrinam mentemque eorum qui ad Decreta digerenda selecti sunt, vel ceterorum Patrum doctrinâ præstantium. 1547.

18 Concludit censuram suam Suauis argumentatione, quâ ad aliam rem vsus est Catharinus, ad suam videlicet confirmandam sententiam de certa susceptæ gratiæ agnitione. Ac per eam argumentationem arbitratur se palàm facere, duo inter se sibi aduersantia à Concilio definita. Ratiocinationis robur in hac enuntiatione situm est: *Pugnant inter se, ab homine iustitiam voluntariè suscipi, & ab eodem ignorari, an illa sibi fuerit collata.* Hanc etiam rationem congestum à Catharino fuisse, quâ numerum, prout mos est, augeret, fieretque verisimilius, noluisse Concilium ipsius opinionem damnare, mirum sanè non est. Id enim non modò causarum patronis, sed disciplinarum magistris vsitatum est, existimantibus, sub ferrea lorica, bombycino etiam thorace munimentum pectori adiungi: non tamen ita illum adhibent, vt ostendant sibi esse pro ferro bombycem. At quam excusationem mereatur Suauis, dum in aciem deducit, ceu suos Achilles, eas argumentationes, quæ reuerà Thrasones dixeris? Longè alia profectò sunt, affirmare, In Baptismo & Confessionis Sacramento iustitiam ab homine non accipi, qui eam suscipere minimè velit: & affirmare, Idcircò illum esse certum de iustitia reuerà suscepta; ad quod opus est certâ notitiâ de Ministri voluntate, aliisque necessariis conditionibus. Numquid in cunctis donationibus id non

Kkkkk 3 liquet?

1547. liquet? Quippe neque pariter donationes inter homines ratæ habentur, nisi accedente donatarij acceptione: proinde huiusmodi argumentatio conficeret, à quocumque imperito rustico, cui quidquam donaretur, vt ea donatio firma persisteret, habendam esse notitiæ constantiam, Fidei parem, quâ certus fieret, eam actionem nullâ vitiari labe, sed esse plenè legitimam. Enimuerò scite Aristoteles animorum affectus * descripsit, cùm ait, eos esse, quibus iudicia inficiuntur: mens enim, alioqui perspicax, qualis Suauiana, in rebus adeò dilucidis haud hallucinata fuisset, nisi fumo excandescentis rabie animi obuoluta.

* Lib. 2. Rhetor.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



SYL-

SYLLABVS.

Errorum Historiæ Suauis, de veritate facti; qui errores certissimis testimoniis euidenter hoc Opere conuincuntur.

1. Ait, corrogationem ex Indulgentiis ad ædificationem Basilicæ S. Petri, à Leone X. in supplementum exhaustæ prodigentiæ quæsitam: cùm tamen ante illum Iulius II. ob grauissimas iactutas exinanitus pecuniâ, ad id voluntarium subsidium Fidelium ei ædificationi curandæ recurrerit. *Lib.1. c.1.*

2. A Leone X. fuisse sorori Magdalenæ concessam eam pecuniam, quæ inde in Saxonia & vicino tractu colligeretur. Felix Contelorius, harum rerum peritissimus, falsum id reuincit ex Vaticanis tabulis. *Lib.1.c.3.*

3. Hæresim Lutheranam fuisse ex eo natam, quòd lucra Indulgentiarum diuendita fuissent. Lutherus ipse & Sleidanus id reuincunt, qui numquam huiusmodi causam inter alias ab iisdem adductas numerant. *Lib.1. c.3. & 14*

4. Ad maiorem ex Indulgentiis pecuniam colligendam, fuisse illarum promulgandarum officium non Augustinianis, vti mos erat, commissum, sed Dominicanis. Nullus eiusmodi mos fuerat; nam Iulius hoc munus anteà Franciscanis imposuerat, & Leo X. vnà cum Archiepiscopo Moguntino eorumdem Franciscanorum Guardianum, vti vocant, in pluribus Germaniæ locis ad easdem promulgandas delegerat. Moguntinus verò delegit Ioannem Tetzelium Dominicanum, qui cum laude apud Equites Theutonicos eodem munere functus erat. *Lib.1.c.3.*

5. Indulgentias fuisse à Leone X. in omnibus Catholicis regionibus euulgatas. Non in omnibus, sed in certis quibusdam regionibus hæ ab eo promulgatæ. *Ibid.*

6. Indulgentias promulgatas fuisse anno 1517. quo Lutherana hæresis orta. At literæ Apostolicæ de iis exaratæ sunt anno 1514. & sub initium anni 1515. & euulgatæ anno 1516. *Ibid.*

7. In Saxoniæ tractu, ad emolumenta Indulgentiarum accipienda, fuisse designatum Commissarium Episcopum Arcimboldum, adhuc retinentem mercatoris Genuensis mores. Arcimboldus id temporis nec Episcopus erat, nec Genuensis, nec mercator, sed Patritius Mediolanensis: nec ille Saxonicæ pecuniæ quærendæ impositus. *Ibid.*

8. Lutherum primò in Quæstorum abusus, & posteà, re diligentiùs inspectâ, in Indulgentias generatim inuectum. Atqui Lutherus primariò Indulgentias oppugnauit in iis thesibus, quas in primo aduersus Ecclesiam motu edidit. *Lib.1. c.4.*

9. Romanos obiecisse Luthero testimonia petita ex iis, quæ Ecclesia tradit de Purgatorio, Pœnitentia, peccatorumque remissione; vnde de iisdem ortam disceptationem: Et tamen plurimi de his errores iisdem in thesibus habebantur. *Ibid.*

10. Cardinalem Caietanum iussum allicere promissis præmiis Lutherum ad obedientiam. Id nec ex misso ad Caietanum diplomate apparet; nec à Luthero, dum congressus simul cũ Caietano habitos narrat, indicatur. *L.1 c.9.*

11. Caie-

11. Caietanum & Lutherum fuisse bis vnà congressos. Ex vtriusque literis patet, ter eos simul collocutos. *Ibid.*

12. Lutherum fuisse asperis verbis à Caietano è conspectu submotum. Lutherus in sua narratione non modò de hoc non queritur, sed altè commendat humanitatem, quâ à Caietano acceptus habitusque. *Ibid.*

13. A Luthero datas literas ad Legatum, postquam ab ipso prouocarat, & Augustâ discesserat. Ex iisdem literis & ex memorata narratione liquet, à Luthero nondum Augustam id temporis relictam, nec appellationem à Cardinali interpositam. *Lib.* 1. *c.* 10.

14. Lutherum diplomate per Caietanum promulgato impulsum ad rursus prouocandum. Verùm hoc diploma promulgatum 13. Decembris Linzij,& Lutherus iam Wormatiæ 28 Nouembris prouocauerat. *Lib.* 1. *c.* 12.

15. Hæresim Zuinglianam fuisse ortam ex aduentu Tigurum cuiusdam F. Samsonis, Indulgentias promulgantis, adeoque ex auaritia Pontificis, pecuniam aucupantis. Zuingliana tamen hæresis ante Samsonis aduentum orta fuerat; neque primùm, vti Lutherana, versata in Indulgentiis oppugnandis, sed in aliis grauioribus & diuersissimis capitibus. *Lib.* 1. *c.* 19.

16. Ad Wormatiensem Conuentum fuisse relatum de morte Luthero inferenda, tametsi Cæsaris fides obstaret. Nulla huius rei mentio est in literis Aleandri, qui & nouit & perscripsit ad Pontificem minima quæque ad huiusmodi negotium pertinentia. *Lib.* 1. *c.* 28.

17. Sententias Cardinalium de morum reformatione ab Adriano agitata, esse recitatas in quibusdam aduersariis Episcopi Fabrianensis. Fabrianum est oppidum Episcopatu carens, & Franciscus Cheregatus, quem sæpè Episcopum Fabrianensem vocat, fuit Episcopus Aptutinus. *Lib.* 2. *c.* 4.

18. Leges in Germania de Ecclesiastica disciplina promulgatas, fuisse septem ac triginta; cùm fuerint triginta-quinque. *Lib.* 2. *c.* 11.

19. Carolum Quintum in literis ad Clementem VII. datis, significasse, se quò Pontifici studeret, honestis Germaniæ precibus aures obstruxisse. Additque,parùm cauto consilio inductum fuisse Cæsarem ad tantum arcanum euulgandum, quo dederit occasionem hominibus credendi, reuerentiam erga Pontificem esse artem politicam, Religionis titulo contectam. Sed vox illa, *honestis*, vti nec illa alia, *necessariis*, quam idem Polanus alibi recitat, haud precibus Germaniæ à Cæsare adiiciuntur; quin semel additur, *importunis*. Cæsar nequaquam scribit se adductum voluntate gratificandi Clementi, sed obseruantiâ erga Sedem Apostolicam. Neque apparet, quale sit arcanum eiusmodi, quod tantæ omnibus offensioni fuit, cùm Cæsar ibi Conuentum Spirensem nominet Conciliabulum,ac abominetur Lutherum vt impium & insanum. *Lib.* 2. *c.* 16. 13.

20. Clementem, anno antequam Cæsari se adiungeret, hominibus imposuisse, simulatâ pacis cupiditate, parique cum Carolo & Sfortia amicitiâ. Pontifex ab initio vtrique parti eodem tenore respondit, vti & omnes literæ, & omnia eius æui monumenta testantur. *Lib.* 2. *c.* 16.

21. Zuinglium & Lutherum absque vlla inter se communicatione, & in diuersa regione positos,omnino consensisse in sententiis cudendis vsque ad annum 1525. quo solùm de Eucharistia dissenserint. Sed quamuis hi in multis consenserint, tamen Zuinglius à Luthero dissensit, & ante annum

rum 1525. & in primario capite, de culpa Originali. *Lib.3.c.1.*

22. Cæsarem Bononiæ à Pontifice coronatum, quòd hic existimaret minimè decere, vt Romæ spectarentur, qui biennio antè eam diripuerant. At Pontifex ad Germanicum Nuntium perscripsit, si Cæsar Italicam pacem cogitaret, sibi gratius fore ab eo Romam peti tum veteris moris seruandi, tum incommodi vitandi gratiâ. Sin Cæsar bellum prosequi vellet, se neglectis incommodis Bononiam accessurum. *Lib.3.c.2.*

23. Pontificem hîc Cæsari Concilij conuocationem dissuasisse ceu infructuosam pariter ac perniciosam. Atqui Pontifex eodem anno post congressum Bononiensem ad Cæsarem scripsit, sese consentaneè ad ea quæ de isto negotio Bononiæ corám egerant, & pro Cæsari satis perspecto suo in commune bonum studio, moram isti rei non interpositurum. *Ibid.*

24. Vanam, parumque religiosam Orationem ab Archiepiscopo Rossanensi ad Augustanum Conuentum habitam in peruigilio festi Corporis Christi. Renetà hæc alia fuit, multumque distat ab ea quam Suauis fingit, vti patet comparanti. *Lib.3.c.3.*

25. Lutheranos leuibus in rebus Augustano in Conuentu consensisse cum Catholicis. Consensère in rebus grauissimis. *Lib.3.c 4.*

26. Pontificem parum aut nihil propensum in Concilium, non consensisse vt illud conuocaretur, nisi in vrbe Pontificia, prouidentem fore, vt numquam Germani eam loci conditionem subirent, prout reipsâ contigit. Contrà Pontifex Mantuam obtulit, vrbem Germanis admodum gratam. *Lib.3.c.5.*

27. Multam diffidentiam inter Pontificem ac Cæsarem circa res Concilij versatam. Inter ea tamen rerum capita, quæ Pontifex ad Cæsarem per Episcopum Derthonensem misit, hoc erat secundum: Vt Cæsar Concilio interesset, eoque discedente Synodus soluta censeretur. *Ibid.*

28. Pontificem duriorem se in sectarios, & iratiorem in Cæsarem præbuisse, quòd hic Augustæ aliquid indulgentiæ illis se daturum significasset. Clemens autem hoc maximè cupiebat, vt sectarij quocumque tolerabili modo reuocarentur, vt patet ex recitata ipsius ad Cæsarem epistola. *Lib.3.c.7.*

29. Pontificem promissionem non seruasse factam Cæsari, se cum aliis Principibus fœdus non initurum; quòd fœdus cum Gallis ad Mediolanum occupandum sanxisset. Contrarium tradit non modò Guicciardinus, sed Petrus Superantius Orator Venetus, in exquisita earum rerum narratione. *Lib.3.c.12.*

30. Conuentionem nuptiarum neptis, à Pontifice cum Rege Francisco initam, originem duxisse ex vltimis simultatibus, occasione præcipuè Concilij inter Pontificem & Cæsarem exortis. Et tamen hæ nuptiæ ante quadriennium primùm, & mox biennio antequam fierent, nullo adhuc inter Pontificem & Cæsarem simultatis vestigio exorto, tractatæ fuerant, & corám ab ipsis, & per Aleandrum Nuntium, Cæsare annuente. Ac postremò Cæsar ipse Bononiæ Pontificem ad eas extimulauit, effecitque vt eædem accelerarentur. *Lib.3.c.14.*

31. Clementem harum nuptiarum cupiditate se in Galliam deportasse. Certum est ex omnibus monumentis, nihil eo itinere à Pontifice quæsitum præter Ecclesiæ commoda, quæ simul Cæsari conducebant. *Ibid.*

32. Sexto post latam à Clemente VII. in Henricum VIII. sententiam die, fuisse huius responsum Romam alla-

allatum. Biduo pòst allatum fuit. *Lib.* 3. *c.* 15.

33. Cæsarem auditis iis quæ Nuntius Rangonius super Concilio proposuerat, questum cum Pontifice, quòd aliter quàm Bononiæ conuentum fuerat, ageretur cum Protestantibus, atque ita vt ipsi se delusos arbitrarentur. Has literas fuisse 8. Iunij in Senatu lectas. Atque hoc loco recitat Cardinalium sententias, multa immiscens mendacia. Porrò è contrario, ab eo tempore quo Cæsar & Pontifex Bononiæ simul congressi, ab vtroque ex composito tradita fuere mandata, duobus Administris in Germaniam Legatis, qui simul coniunctéque egerunt ex formula à Pontifice & Cæsare simul composita. In Actis autem Senatus nulla harum literarum mentio fit. Proinde veritas rei, & veræ Cardinalium sententiæ de hac re referuntur. *Lib.* 3. *c.* 16.

34. Paulum III. hoc nomen in inauguratione accepisse, cùm in electione Honorius V. dici voluisset. Ex Actis Comitiorum & Senatus, ac ex Ephemeride liquet, nullum aliud ab eo nomen quàm Pauli optatum. *Ibid.*

35. Cardinales à Paulo fuisse in Senatu designatos ad mores restituendos 12. Nouemb. Fuere designati die 13. *Lib.* 3. *c.* 17.

36. Cardinales à Paulo disciplinæ restituendæ præfectos fuisse tres. Fuere quinque, ac præterea Episcopi tres. *Lib.* 3. *c.* 17.

37. Congressum Vergerij cum Luthero Ecclesiæ ignominiam, Luthero autem gloriam peperisse. Contrarium patet ex *lib.* 3. *c.* 18.

38. Cæsarem in Senatu Romæ locutum die 28. Aprilis; hic tamen fuit dies ab eius Româ discessu decimus. *Lib.* 3. *c.* 19.

39. Fuisse sex Cardinales ac tres Episcopos designatos, qui agerent de conuocandi Concilij ratione. Cardinales fuere septem, itemque vnus Episcopus, designati. *Ibid.*

40. Pontifici haud Concilium displicuisse id temporis, quo Gallus armis Italiam conturbabat, speciosam inde occasionem arripienti Concilij milite muniendi. Polanus ipse post paucas paginas refert, Concilium Mantuæ non habitum, quòd Mantuanus Dux vim militum hac de causa cum stipendiis pro munimento vellet; Pontifex autem armatam Synodum nollet. *Ibid.*

41. Vel mediocris ingenij hominibus visam importunam Concilij indictionem, exorto inter Cæsarem & Gallum bello. At cuncti inculcarunt, Concilium habendum, quamuis omnia obstarent, alioquin Germaniam perituram. *Lib.* 4 *c.* 1.

42. Difficultatem quæ interuenit conuocationi Concilij Mantuam, natam ex certamine inter Pontificem & Ducem, vtrius eorum auspiciis milites futuri essent præsidiarij, quibus vrbis & agri Mantuani, durante Concilio, defensio commendanda erat. Cuius tamen rei nec vola nec vestigium cernitur in literis mutuis Principum amborum: sed in iis exprimitur causa istius difficultatis longè diuersa. *Ibid.*

43. Pontificem permisisse, vt exemplar legum super Aula Romana destinatarum, in Germaniam perferretur, vt æmulis ostenderet, Romæ rem seriò agi, sed doluisse, illud impressum. Atqui Paulus III. mandatis, quæ Ministris ibi tractaturis dedit, hoc præcepit primùm, ne quidquam ab iis scripto proponeretur; fore enim, vt quæ scripto data essent, mox typis per hæreticos vulgata circumferrentur; captatis indidem occasionibus inculandæ ac mordaciter perstringendæ Curiæ Romanæ, prout sub aliis Pontificibus vsu venerat. Quam etiam ob causam

vetabat induci ab iis mentionem vitiorum quibus Roma laborabat. *Lib.4. cap.5.*

44. Pontificem dum Nicæam se contulit, voluisse non tam Christiani Orbis paci conciliandæ, quàm Mediolanensi dominatui in suam familiam inuehendo studere, oblato tributo vtrique Regi. De hac re ne vllum quidem verbum extat in iis monumentis, quibus arcanæ Pauli pro Farnesia familia tractationes sub commodiori etiam tempore narrantur. Constat autem contrarium, videlicet, Paulum conatum suadere Cæsari, vt boni publici causâ ditionem illam seu Regi Francisco cederet, seu Aureliaoensi Duci concederet. *Lib.4.c.6.*

45. Postulatâ ab vtroque Principe Concilij prorogatione, Pontificem statim non tam vt illis quàm vt sibi satisfaceret, assensisse. Contrà liquet ex Tepoli Legati Veneti narratione, inter propositas pacis conditiones hanc fuisse, vt Galliæ Rex Concilij celebrationi adhæreret; sed Regem id abnuisse præstare in gratiam Cæsaris, annuisse tamen in gratiam Pontificis. *Ibid.*

46. Pontificem humanis allatis tantùm rationibus Cæsari dissuasisse, ne approbaret pactiones in Conuentu Francofordiensi ab hæreticis propositas. Pontifex semper obiecit honoris Diuini causam vti validissimam, ostendens se habere pro certo, eam à Cæsare ob nullas vnquam humanas rationes neglectum iri. *Lib.4.c.8.*

47. Episcopum Montis Politiani fuisse in Germaniam à Pontifice missum causâ Conuentus Francofordiensis. Mons Politianus id temporis Episcopali dignitate carebat. Et missus eò fuit Ioannes Riccius, Aulicus Cardinalis Farnesij, vulgo à patria dictus Mons Politianus. *Lib.4.c.9.*

48. Concilium post eiusdem Riccij discessum fuisse prorogatum. Constat Concilium in Senatu prorogatum 30. Iunij, & Ioannem Riccium 20. Aug. missum. *Ibid.*

49. Cæsarem haud professum, assentiretúrne an dissentiret colloquio Norimbergæ destinato. Extat in pluribus monumentis, Cæsarem dissensisse. *Ibid.*

50. Legatum Farnesium à Cæsare discessisse ob indictum ab eo super Religionis rebus conuentum & colloquium. Re tamen verâ institit ipse apud Pontificem, vt reuocaretur, ne ob præsentiam isthic suam particeps esse videretur consiliorum Cæsaris, Franciscum Regem in tractatione pacis cunctatione artificiosâ suspendentis. *Lib.4. cap.10.*

51. Episcopum Mutinensem, Pontificium apud Ferdinandum Nuntium, publicè in Wormatiensi colloquio Pontificis nomine promisisse Concilij conuocationem in vrbem Vicentiâ opportuniorem. Hoc solum dixit, Concilium à Pontifice coactum iri, quandocumque Cæsari & Germaniæ placuisset. *Lib.4 c.12.*

52. Nuntium præterea dixisse, à Pontifice Cæsari permissum huiusmodi colloquium, vti præludium rerum in Synodo decernendarum. Nuntius numquam significauit huiusmodi colloquium permissum à Pontifice, qui, vti in mandatis declarauerat, illud semper repudiauerat & detestatus fuerat: neque is potuit dicere, esse colloquium Concilij præludium; in eo enim & orationi & sibi repugnasset; namque vterque testatus fuerat, de rebus omnibus vel in Concilio statutum iri, vel concordiam aliâ ratione ineundam. *Ibid.*

53. Vergerium ad hoc colloquium accessisse Pontificis quidem operâ, sed specie Gallici Administri, vt causæ opportu-

portuniùs faueret. Antequam hoc accideret, Cardinalis Aleander ad Pontificem perſcripſerat, Vergerium obloqui & minari Sedi Apoſtolicæ, & cum Lutheranis amicitiam fouere. Quare Pontifex ſignificandum Imperatori curauit, vt illi ſuaderet reditum in ſuam Eccleſiam, aut certè illum excluderet à conſcientia tractationum iſtarum. *Ibid.*

54 Wormatienſem conuentum arte Pontificiorum fuiſſe protractum, & irritum redditum. Nuntius Moronus cunctis ferè, quæ ad Farneſium mittebat, literis queritur, eam moram iniectam aſtu Lutheranorum, præſtolantium Cæſaris diſceſſum, quò Religionis libertas illis maneret. *Ibid.*

55. Contarenum Legatum in Ratiſponenſi conuentu apud Cæſarem ſe excuſaſſe de facultate ſibi à Pontifice minimè conceſſa ad Fidei res ſtatuendas; hanc enim facultatem à Pontifice inſeparabilem eſſe: verùm ſi in rebus Fidei Lutherani cum Romana Eccleſia ſenſiſſent, ſe daturum operam, vt in reliquis Germaniæ ſatisfaceret. Hoc poſtremum omnino aduerſatur primo capiti mandatorum quæ acceperat. *Lib.*4. *c.*13.

56. In conuentu Ratiſponenſi nihil magnum peragi potuiſſe, Pontificiis Adminiſtris in partem tractationis venientibus. Suauis ipſe refert, Contarenum adeò concordiæ conciliandæ ſe impendiſſe, vt Romæ multorum obtrectationem incurrerit. *Ibid.*

57. Rebus in conuentu Ratiſponenſi actis, Pontificem permotum non modò ad concedendum, ſed etiam omni ope procurandum Concilium. Pontifex ante hunc Conuentum per tot Legatos, per tot Nuntios, tot precibus ſumptibuſque Concilium procurauerat, vt ne leuiter quidem de eius voluntate ſubdubitari poſſit. *Ibid.*

58. Contarenum ob legationem, non ſatis ex voto Pontificis geſtam, ab eodem minùs honorificè exceptum. Pontifex antequam Lucæ Contareni purgationem audiret, eum humaniſſimè accepit, & Bononienſi legatione remuneratus eſt. *Lib.*4. *c.*15.

59. Concilij Legatos Româ diſceſſiſſe 26. Auguſti. Legati non fuere deſignati, niſi 16. Octob. *Lib.*5. *c.*1.

60. Viſeum Cardinalem fuiſſe à Pontifice in Germaniam legatum, tametſi Cæſari non admodum gratum. Cæſari nullo pacto Viſeus ingratus erat, ſed eius legatio alias ob cauſas minùs grata. *Ibid.*

61. Præceptum Legatis à Pontifice, ne quid publicè ſolenniterque agerent, niſi acceptis Româ mandatis, quæ ſuô tempore mittenda. At mandata ipſis in præſentia data. *Lib.*5. *c.*4.

62. A Pontifice miſſos ad Concilium viros ſibi ſupra alios fideles; ſic nominat Italos, Aulæ Romanæ, vt ipſe affirmat, magis addictos. Pontifex promiſcuè omnes cuiuſcumque Nationis homines eò ſolicitauit. *Ibid.*

63. A Pontifice iuſſos huiuſmodi viros fideliores lentiùs ad Concilium ire. Hi citò ad Concilium peruenere. *Ibid.*

64. Legatos abnuiſſe, publicè in primario templo audire Oratores Cæſareos, ne in tanta Patrum infrequentia Concilium inchoaretur. Sed alia ab illis ratio huius rei ad Cardinalem Farneſium perſcripta eſt. *Ibid.*

65. Sub anni finem mandatum à Cæſare Granuellano, vt conuentum Norimbergenſem peteret, relicto Tridenti Mendoza. Hi poſt anni finem eò peruenere. *Ibid.*

66. Concilium à Pontifice diſſolutum, antequam Cæſar Italiam attingeret. Id accidit poſt habitum Buxeti in Inſubria congreſſum. *Ibid.*

67. A

67. A Duce Albano, qui pro Cæsare cum Henrico Octauo Angliæ Rege schismatico sese coniunxerat, fuisse ad Farnesium perscriptum, Pontificem consensisse, vt Cæsar in Pannonia vteretur auxiliis Protestantium, qui Henrico peiores erant; namque ab hoc sola Pontifici obedientia, ab illis plura Fidei dogmata pernegabantur. Dux Albanus hoc solum obiecit, Franciscum Galliæ Regem fuisse ad Prouinciarum Catholicarum cladem coniunctum Othomanno, qui in Fidei rebus Anglo deterior erat. *Ibid.*

68. Pontificis diploma ad Cæsarem de Edicto Spirensi fuisse datum 25. Augusti: cùm tamen datum fuerit 24. Augusti. *Lib.* 5. *c.* 6.

69. Pontificem conquestum cum Cæsare, quòd imperitos ad iudicium de Religionis rebus ferendum admitteret. Pontifex questus fuit, non imperitos, sed laicos admissos. *Ibid.*

70. Pacificationem inter Cæsarem & Gallum fuisse sancitam 24. Septembris: cùm sancita fuerit 17. Septembris. *Lib* 5 *c* 7.

71. A Pontifice fuisse Concilij suspensionem sublatam per diploma promulgatum 24. Nouembris. Id contigit 19. eiusdem mensis. *Ibid.*

72. Cæsarem & Gallum in pactionibus conspirasse, ad Concilium & emendationem Aulæ Romanæ procurandam, vnde omnes turbæ. Inter pactiones hæc non legitur. *Ibid.*

73. Pontificem perspexisse angustias temporis, Episcopis distantibus ad Concilium adeundum statuti; sed voluisse vt Concilium inchoaretur per paucos Italos, Aulicosque sibi addictos, cùm initio tractanda esset agendi ratio, ex qua reliqua pendebat. At in prima Sessione, à Pontifice vsque ad 13. Decemb. retardata, quò plures exteri Patres interessent, numerati fuere plures Episcopi & Theologi aliis Principibus quàm Pontifici obnoxij. *Ibid.*

74. Pontificem cupientem Cæsari conciliari, mandasse Nuntio, vt id apud Cæsarem efficeret, oblatis aduersus Othomannum & Protestantes subsidiis; atque hoc feliciter à Nuntio peractum. Hoc prorsus aliter se habuit, vti constat. *Lib.* 5. *c.* 8.

75. Pontificem, quò se opponeret omnibus incommodis quæ Cæsar subiratus aduersus ipsum in Wormatiensi Conuentu præciperet aut permitteret, statuisse ad hunc legare Cardinalem Farnesium, qui Wormatiâ transiens, quæ illic essent in rem opportuna præciperet amicis, & ex proximo rebus consuleret. Id aliter contigit, vt liquet *lib.* 5. *c.* 8.

76. Pontificem intereà misisse ad Ferdinandum cum potestate Nuntij Fabium Mignanellum Grosseti Episcopum. Mignanellus hoc tempore hoc Episcopatu non fungebatur. *Ibid.*

77. Farnesium quasdam certas ob causas legatum fuisse. Alia eius legationis causa probatur. *Lib.* 5. *c.* 8. & 12.

78. Cùm diplomati Legatis dato adiectum fuisset, vt res agerentur in Concilio cum Patrum consensu, hanc conditionem fuisse expunctam, in gratiam Legatorum, qui Pontifici exceperunt, noxiam videri talem ex Episcoporum arbitrio dependentiam. Verùm id aliâ ratione contigit, prout apparet ex loco citato.

79. Diploma de Concilio aperiendo fuisse allatum Tridentum ante aduentum Farnesij, & ab ipso Farnesio dum transiret, eò allatam fuisse confirmationem. Id Romæ post eius discessum statutum fuit. *Lib.* 5. *c.* 11.

80. Farnesium celeriter Wormatiâ recessisse, quo concepta de ipso à Protestantibus suspicio euanesceret. Atqui Cæsar hoc vnum spectabat, vt Prote-

ſtantes terreret eâ conſiliorum bellicorum ſpecie, quæ per Legatum cum Pontifice videbatur agitare. *Lib.* 5. *c.* 13.

81. Farneſium Cæſari ſuaſiſſe, vt Parmæ ac Placentiæ tranſlationi ad gentem Farneſiam conſentiret, allatis rationibus, quibus liquebat, Cæſarem in Mediolanenſi dominatu permanere debere. Hoc vti falſum apertè reuincitur. *Ibid.*

82. Vectigal pro Parma & Placentia à Paulo III impoſitum nouo Duci, octo millibus ſcutorum conſtitiſſe. Conſtitit nouem millibus ducatorum, vti vocant, Cameræ. *Ibid.*

83. Conſilium de aperienda Synodo 13. Decemb. die fuiſſe in Senatu vnà cum Cardinalibus decretum, & poſteà 30. Octobris ad Legatos perſcriptum. Hoc conſilium de Concilio eâ die aperiendo captum fuit die 6. Nouemb. & poſtridie Legatis ſignificatum. *Lib.* 5. *c* 17.

84. Allato diplomate 11. Decembris de Synodo inchoanda, fuiſſe indictum populo ieiunium eodem die, qui hanc ſolemnitatem antecedebat. Sed prætérquam quòd ſuâ ſponte haud veriſimile id eſſe oſtenditur, Maſſarellus in Ephemeride contrarium refert. *Ibid.*

85. In Congregatione generali, habita pridie quàm Concilium aperiretur, fuiſſe ab Epiſcopo Aſturienſi poſtulatum, vt diploma legationis recitaretur; ſed Cardinalem Ceruinum veritum, ne facultates Legatis conceſſæ ſi vulgarentur, circumſcriberentur, dicendo tantum effeciſſe, vt poſtulatio reiiceretur. Hic non Aſturienſis, ſed Gienenſis fuit; neque vt eâdem die, ſed illâ, quâ Concilium aperiendum eſſet, diploma recitaretur: nec poſtulatio reiecta, ſed cum exceptione admiſſa eſt. *Ibid.*

86. Die 13. Decembris fuiſſe Legatorum iuſſu prolixam cohortationis formulam perlectam, ac deinde Pontificia diplomata promulgata cum Cæſareis tabulis: ac demum, Patribus in genua prouolutis, à Cardinali Montano primo Legato ſolemnem precationem pronuntiatam. Montanus ante omnia, non poſt, protulit verba precationis. Cohortationis formula in ſecunda Seſſione lecta eſt, & in prima Seſſione quædam breuior, non per alios expoſita, ſed ex ipſius Montani ore eſt excepta. *Ibid.*

87. Eâdem die fuiſſe diploma de aperiendo Concilio auditum. In Seſſione dumtaxat ſubſequenti auditum fuit. *Ibid.*

88. A Legatis malè reſponſum illi, qui Oratoris Mendozæ Venetiis ægrotantis nomine procuratorium libellum rurſus publicè expoſuerat. Contrarium ex Actis patet. *Ibid.*

89. Tunc fuiſſe ea ex Matthæi Euangelio verba lecta, *Si frater tuus peccauerit in te, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Lecta ſunt ea D. Lucæ verba, quibus electio duorum & ſeptuaginta diſcipulorum narratur. *Ibid.*

90. Epiſcopum Bitontinum multa peccaſſe in Oratione, in auſpiciis Concilij ab ipſo habita. Id quod ex Oratione ipſa falſum euincitur. *Lib.* 5. *c.* 18.

91. Pontificem ſignificaſſe Legatis, haud par eſſe, vt literæ communi nomine alij ſcriberentur, ſed ſatis eſſe, illas quas vel Pontifex, vel Legati nomine proprio darent. Pontifex è contrario expoſuit illis diſtinctè rationem, quâ has literas communes cenſebat inſcribendas ac ſignandas. *Lib.* 6. *c.* 1.

92 A Legatis rogatum Pontificem, vt, quò Tranſmontanis obſtaretur, plures Italos Epiſcopos ſibi fideles & obedientes mitteret. Hoc vnum rogarunt, vt mitteret Epiſcopos alicuius exiſtimationis, nec affectibus obnoxios. *Ibid.*

93. Le-

93. Legatos à Pontifice sciscitatos, num ex Nationum, an ex Patrum numero suffragia essent numeranda; ac insinuasse, priorem suffragiorum nuncupationem omnino repudiandam, vtpote per quam inutilis esset Italorum Episcoporum multitudo. Ne minimum quidem vestigium huius rei in Legatorum literis extat. *Lib.6. c.4*

94. De hoc fuisse Româ responsum ex voto Legatorum. Nullum de hoc responso verbum habetur inter alia quæ rescripta sunt. *Ibid.*

95. Solùm Gallos omnes restitisse Decreto secundæ Sessionis, ob omissam inscriptionem, *Repræsentans Ecclesiam vniuersalem.* Hispani & Itali obstitere, & solus ex Gallis Archiepiscopus Aquensis. *Lib.6. c.5.*

96. Viros nobiles decem ei Sessioni interfuisse. Fuere decem ac septem. *Ibid.*

97. Interfuisse eidem viginti Theologos. Interfuere triginta & quinque. *Ibid.*

98. Cardinalem Giennensem post acceptum de purpura sibi impertita nuntium, publicis functionibus abstinuisse, ob pileolum rubrum nondum Româ allatum. Pileolus multò antè allatus erat, sed non ab ipso acceptus, quòd Cæsaris consensum prætolaretur. *Lib.6. c.6.*

99. Colloquium Ratisponense fuisse solutum arte Catholicorum, & Cæsaris simulatione. Solutum fuit operâ dumtaxat Lutheranorum. *Lib 6. c.9.*

100. Patres dubitasse de libro Baruch, cùm inter sacros libros nec à Conciliis nec à Pontificibus Romanis numeraretur: sed quia ex eo quædam in Ecclesia legebantur, affirmasse, librum huiusmodi apud veteres habitum tamquam partem prophetiæ Ieremiæ. Contrarium omnino contigit, vti fusè videre est *Lib.6. c.11.*

101. Vergerium, quem vt innocentem describit, à Fide defecisse ob Pontificiorum asperitatem. Vergerij hæresis multò antè compluribus cœperat innotescere: & actum est cum ipso suauissimè quò ad frugem rediret, sed ex vano. *Lib.6. c 13.*

102. In Congregatione 5. Martij habita, Episcopos, præsertim inopes, expostulasse cum tumultu ob Bituntinum Romam accitum ad pensionem soluendam, & Legatos, ad tumultum sedandum, pollicitos se opem ipsi à Pontifice petituros. Nullum verbum de huiusmodi tumultu in eius Congregationis Actis extat. Res verò vti se habuit, narratur. *Ibid.*

103. Indistinctam Calicis communionem seruatam in tota Ecclesia ducentis annis ante Tridentinam Synodum. Contrarius eius vsus ante quadringentos annos confirmatur. *Lib.6. c.18.*

104. Cæsarem numquam destitisse agere cum Hermanno de Weda tamquam Archiepiscopo, quamuis per Pontificem abdicato: atque ab hoc, remedij impote, dissimulatam iniuriam. Hermannus & Archiepiscopali & Septemuirali dignitate motus fuit, atque in paterno Comitatu per dedecus obiit. *Lib.7 c.1.*

105. Episcopos, seu Patres Concilij, Cæsareorum studiis permotos propendisse ad solum emendationis negotium conficiendum, prætermissâ dogmatum tractatione; atque ideò hoc à Legatis consulto dilatum, donec Pontifex moneretur, & ab hoc responsum, vt iunctim vtrumque agitaretur, quamuis alia esset Patrum inclinatio. In Legatorum literis nullum verbum fit de huiusmodi Patrum propensione; neque hæ literæ scriptæ fuere ad voluntatem Cæsareorum significandam, sed ad rationem emendatio-

nis decernendam. *Lib. 7. cap. 2.*

106. Cardinalem Pacecum suasisse, ne tractatio dogmatum iniretur ante cognitam sententiam Nuntij Pontificij, in Germania agentis; & Legatos consensisse, dummodò interim Theologi res discutere pergerent. Numquam Pacecus dilationem tractationis dogmatum suasit, nisi ex obliquo, cùm eam dilationem semper liberè Legati apud Toletanum Hispanicum Oratorem reiecissent. *Lib. 7. c. 7.*

107. Fesulanum in suo de emendatione suffragio hoc solum egisse, vt sententiæ non per compendium, sed fusè audirentur, ac maiorem Concilij libertatem petiisse, ideoque verbis castigatum à Legatis, qui & pœnas minati. Sed de his ne vnicum quidem verbum extat in Massarelli Ephemeride, vbi Fesulani suffragium breuius recitatur. *Lib. 7. c 4.*

108. Episcopum Clodiensem Concilio discessisse obtentâ morbi causâ, quòd cum Cardinali Polo in capite de Traditionibus contendisset. Clodiensis nullum morbum causatus, petiit cum aliis Episcopis facultatem adeundi suam Ecclesiam, quæ non procul aberat, ad sanctioris hebdomadæ dies ibi celebrandos; neque de Traditionibus cum Polo contendit, sed ob suam in dicendo imprudentiam ab vniuerso Cœtu reprehensus fuit. *Ibid.*

109. Inter Pontificem & Legatos plura vltrò citroque fuisse scripta & rescripta de Regularium rebus: atque pro ipsorum causa multum cum Episcopis Italis actum. Nihil de hoc apparet in eius temporis monumentis secretioribus & minutioribus, sed contrarium liquet. *Lib. 7. c. 5.*

110. Controuersiam de Deipara super Originali labe in eo solum fuisse versatam: adiicienda necne Decreto esset explicita exceptio, quâ declararetur, nullum de Virgine haberi sermonem; atque hoc solum fuisse à Franciscanis postulatum, Dominicanis repugnantibus. Dominicani facilè huic consenserunt. Sed quæstio in eo fuit, num Franciscanorum opinio cum laude, & aliqua meliori formula esset commemoranda. *Lib. 7. c. 7.*

111. Religiosum Deiparæ cultum paulatim inualuisse, quasi deceptione vulgi post Nestorianam hæresim. De Deiparæ sanctimonia eiusque supra Sanctorum chorum præstantia, altissimè vel ab ipsis Ecclesiæ cunabulis Patres tum Græci tum Latini loquuntur. *Ibid.*

112. Zuinglium non errasse super Originali peccato, atque hoc testatos plures Tridentinos Theologos, qui accuratiùs Zuinglium legerant. Inter recentiores sectarios nemo magis quàm Zuinglius hac in re aberrauit. Neque traditur, ne vnum quidem ex iis Theologis vel per suspicionem contrà sensisse. *Lib 7. c. 8.*

113. Episcopos ob tenuem eorum scientiam timuisse eam disputationem de peccati Originarij natura seu quidditate, quam vocant, aggredi. Contrà Præsides ipsi monuere, ne eam rem decernerent, de qua Scholastici tantum inter se discrepabant; cùm Concilium coactum esset ad errores damnandos, non ad statuendum de opinionibus. *Lib. 7. c. 10.*

114. Romà allatum mandatum ad Legatos, vt de Vulgata editione approbanda supersederent. Hoc mandatum est fictitium. *Lib. 7. c. 12.*

115. Tridentum accessisse Petrum Danesium à Gallo legatum: in Sessione quinta lectas regiæ fidei literas: ab Oratore Gallo coram Patribus facundè peroratum. Gallici Oratores fuere tres, non vnus; atque inter Oratores Danesius postremus fuit: imò ad eam diem

diem quâ prædicta Sessio habita est, Tridentum haud attigerant. Et Oratio habita fuit 8. Iulij in generali Congregatione. *Lib.7.c.13.*

116. Inter pacta, quibus Pontifex & Cæsar fœdus in Protestantes iniere, conditionem illam fuisse, quâ mutuum sibi auxilium spōdebant, si quis ex ipsis à quocumque offenderetur ad fœdus impediendum; eamque conditionem in peculiari & arcana tabula expressam, ne Gallo id offensioni esset. Hæc conditio recitata fuit in publico Cardinalium conuentu, & cum aliis pactis in Acta Senatûs relata. *Lib.8. c.1.*

117. Die 17. Iunij statim post Sessionem quintam fuisse habitam Congregationem. Prima post Sessionem Congregatio habita est 21. die eiusdem mensis. *Lib.8. c.2.*

118. Ibi fuisse lectum libellum de materia iustificationis tractanda. Sine vllo libello Ceruinus legatus, absente per morbum Montano, de ea locutus fuit. *Ibid.*

119. Patres Cæsarianos illi tractationi repugnasse: & commemorat rationes à Legatis temperamenti loco allatas. Hæc omnia falsa; numquam enim disputatum est, vtrùm dogmatum tractatio continuanda. *Ibid.*

120. Cùm Legati proponerent caput de mansione Episcoporum in suis Sedibus, in sequentibus Conuentibus Episcopum Vasonensem dixisse, illud caput haud posse componi, nisi tollerentur alia obstacula per Ecclesiam Romanam Episcopali functioni obiecta, ideoque Præsides etiam tractationem de his admittere coactos. Contrarium accidit; nam Legati in primo, non in secundo congressu dixerunt, antequam caput de mansione proponeretur, cogitandum de tollendis obstaculis, adeoque ab vnoquoque esse ex scripto promenda ea quæ sua in Ecclesia experiebatur; & Episcopus Vasonensis affirmauit impedimenta quæ ipse experiebatur, non à Sede Apostolica, sed à laicis Principibus oriri. *Ibid.*

121. Pontificem obtentu Protestantium armatorum inclinasse id temporis ad translationem ex Legatorum sententia; sed summo studio per Cæsarem ab eo consilio abductum. Hæc omnia falsa reuincuntur. *Lib.8. c.5.*

122. Legatos Pontificis iussu per moram & dissimulationem egisse. In literis quibus Pontifex sua ad Legatos iussa præscribebat, nihil frequentius mandatur, quàm vt solicitè res expedirent tam publicæ causæ, quàm priuatæ securitatis gratiâ. *Ibid.*

123. Tridenti fuisse Iubileum promulgatum die 25. Aug. atque eius celebrandi causâ, fuisse spatio quindecim dierum Congregationes generales intermissas. Nec Iubilei promulgatio eâ die contigit, cùm 19 Augusti prima ob Iubileum Supplicatio habita fuisset, nec eo mense Congregationes intermissæ quindecim dierum spatio. *Ibid.*

124. Super sinceritate fidei quæ in hac vita possit haberi, an homo sit in gratia, fuisse inclamatum, haud esse habendam Scholasticorum rationem, quippe qui rationes ex Philosophia petitas secuti, haud valerent de Diuinis mysteriis iudicare. Contrà idem Suauis refert, Carmelitas adhæsisse suæ sententiæ ob auctoritatem Ioannis Bachonis, eorum scholæ principis, atque ita reliquos Scholasticos erga suos ipsorum Doctores egisse. *Lib.8. c.12.*

125. Catharinum fuisse cuiusdam de Prædestinatione sententiæ auctorem. Hæc sententia reipsâ ducentos ante annos tradita est à Guillelmo Occamo, Scoti discipulo; & à Gabriele Biel, qui propior Synodi tempori fuit, comprobata. *Lib.8. c.13.*

126. In gratiam Franciscanorum

Pars I. Mmmmm fuisse

fuiſſe Decreto de Iuſtificatione adiectum verbum non ſatis accommodatè. Hoc verbum prudentiſſimè additum fuit, & non in gratiam Franciſcanorum. *Ibid.*

127. Cardinalem Farneſium abeundi veniam à Cæſare petiiſſe, quòd non permiſerit in caſtris Crucem ab eo præferri, atque ita illud bellum tamquam ad Religionem attinens declarari. Contrà Farneſius multò antè à Pontifice poſtularat diſcedendi facultatem, quæ in gratiam Cæſaris dilata, conceſſa fuit ſub anni iam aſperiorem tempeſtatem. *Lib. 8. cap. 16.*

128. Pontificem voluiſſe, vt Decretum de ſuſpenſione omnino promulgaretur, quippe veritum turbamenta Lutheranorum, quòd cogendi eſſent à Cæſare Concilium adire. Contrà Pontifex & Legati impenſis tot ſtudiis, tot Nuntiis miſſis, totque inuitationibus, nihil vmquam aliud curarant, quàm vt Proteſtantes ad Concilium accederent, & Pontifex hanc ob cauſam tam validas vires Cæſari præſtiterat, vt eos ſcilicet ad Concilium petendum adigeret. *Ibid.*



I N-

INDEX
RERVM NOTABILIVM,

Quæ his octo Libris continentur.

A.

Pars I. Nnnnn

D.

E.

F.

G.

Hiero-

I.

L.

Lan-

Liber-

M.

N.

Vrget

Q.

R.

S.

T.

V.

FINIS.



A01 1470059


LABORE ET
CONSTANTIA

